













Non. usa rerū · t oēs res · pag · 775 · col · 2 · Græcismus

Aurū · Argentū quid mystice sig.et pag 610

QVI CREDIT NE FESTINET · Apud Flaminiū in Psalmos 1 S135

Quisquis amat CHRM ferro præcordia duret,
Nil properet, discatque diu patienter amare.
Cuique Fides fixa est, nimis haud festinus amata
Gaudia præcipitet, sic olim grandia sumet.

Sum Jacobi D · F · P · N ·

Fuge Magna


Menandri
Non est miser nisi esse seipm qui putat

Damna times rerū? Vis rerū damna cauere?
Ne tibi quę tua sūt dixeris esse tua ·

Aspera ciuili flammātur tempora bello ·

Vt suaue est · col · 684 · ουκ ἐστι γλυκερώτερον ἢ πάντ' εἰδέναι τ' ἀγαθά · Cū hoc enim Themistij additamēto hoc nūc dentur vsurpabimus Prouerbiū Ciceronianū · Vide Petri Victorij Variar. lection lib · xxy · cap · ix · pag · 40

Quam pulchrū est pulchram veris impendere curā
Et sitiaque auidis bona nosse & velle salubre?
Scire & discere quæque ·



VII

VAR. Poe.
Veter. Christ.
Coll FABR
8

POETARVM VEterum Ecclesiasticorũ Opera Christiana, & operum reliquiæ atq; fragmenta:

THESAVRVS CATHOLICAE ET ORTHODOXAE ECCLESIAE, & Antiquitatis religiosæ, ad utilitatem iuuentutis Scholasticæ:

Collectus, emendatus, digestus, & Commentario quoq; expositus, diligentia & studio

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.





Cum priuilegio Cæsareo ad sexennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

CHRISTIANA POEMATA HOC libro contenta.

IN POETAS VETERES ECCLESIASTICOS,

AD REVERENDVM DOMINVM ET ILLVSTREM PRINCIPEM, D. ALEXANDRVM, ADMINISTRATOrem Mersburgi, Ducem Saxoniæ, Landgrauium Turingiæ, Marchionem Misniæ,

PRAEFATIO

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.



NTER Seueri Africani, & Mauricij Cappadocis Impp. Romanorũ tempora, anni circiter quadringenti sunt, quibus seculis quatuor, quidquid ingenijs, doctrina, dicendi facultate magnũ atq; elegans in Ecclesia fuit, ætatibus cõtinentibus eminuit: neque tam in Italia, quæ sedes eruditionis longo tempore fuerat, quàm in cæteris imperij Romani prouincijs. Erant tum tempora planè ærumnosa. nam in nomẽ Christianum edicta per orbem terrarũ crudelia uulgabantur, & tormentorum ac suppliciorum immanitate atroci sæuiebatur, sine discrimine, in omnem ætatem, sexum, ordinem, qui Christum Deum omnipotentem, & regem æternum faterentur. Accesserunt ad tyrannos intestini hostes, qui turbabant quietem Ecclesiæ, & concordiam distrahebant factionibus, nominati à suis opinionibus Hæretici: qui puro & simplice intellectu doctrinæ sacræ deprauato, assuebant ei rationis commenta, adorarunt(q; ut Prophetæ loquuntur) sui cordis uisiones, & suorum pectorum idola: ij penè maiorem calamitatem Ecclesiæ intulerunt corruptelis & insidijs, quàm ulli unquam fecerãt tyranni cruciatibus, gladio, flammis. Excitauit autem Deus in omnibus prouincijs & gentibus uiros pietate, magnanimitate, eloquentia inuictos, qui & tyrannorum furorem non pertimescerent, & pro uero Dei cultu scriptis grauissimis propugnarent: multi etiam sanguine profuso testarentur, nihil illis fide certius, & uita æterna magis exploratum. Inter quos non pauci extitere, qui diuina & religiosa mysteria, genere etiam orationis numeroso pertractarent, ut ipso uerborum flexu & dulcedine ad rerum cœlestium cognitionem homines allicerent; & arte illa uetustissima, sacrisq;

 semper

ſemper adhibita, Deum optimum, & eius ſempiterna beneficia decantarēt: ne haberet ambitioſa gentilitas, quod rudi Eccleſiæ exprobraret: ne'ue poetæ laſciui, morum corruptores, ut olim in Odeis & Theatris, ita in ludis literarum, in templis, & in familijs honeſtis etiā inter Chriſtianos regnarent. Dauidi, poetarum omnium principi, ideo Spiritum ſanctum ſua aperuiſſe oracula numeris atq; uerſibus, ait diuus Baſilius, quod & ſuauitas illa magis delectet, & modulatio animis altius inhæreat. Mouit autem bonos & ingenioſos uiros, ut hoc genere orationis uterētur, & hac uoluptate aures demulcerēt, primùm ſacræ & uenerādæ antiquitatis auctoritas. nam in epinicio Moſis, in hiſtoria Iobi, in pſalmis (ut dixi) Dauidis, in libris Solomonis, in lamentis Hieremiæ: in canticis Eſaiæ, Micheæ, Habacuci, Danielis, plurima inueniri rhythmorū carminumq; genera, uiri periti teſtantur & conſentiunt. Mouit præterea ingens pietatis cura. mores enim primæ ætatis rebus turpibus imbui, & aures animosq; caſtos, quaſi attactu fœdo contaminari, facinus profectò nefarium eſt, & tale ſcandalum, ut CHRISTVS Dei filius capitalem ferat ſententiam aduerſum eos, quicunq; alicui paruulorum minimā dederint aut erroris aut peccati occaſionē: ſatius illis fore prænuncians, ſi appenſo ad collum ſaxo molari, in mare profundiſsimū deturbentur. Laudatur Efraimus Perſa, qui ut è ſua gente poetas libidinoſos exterminaret, lingua patria ſcripſit uerſus tanta arte & facundia, ut ijdem ſint in Græcā tranſlati. Laudatur Apollinaris Syrus, qui Homeri, Menandri, Euripidis, Pindari ueſtigijs & imitatione, carmina uarij generis & artificij edidit, & ex hiſtorijs Ebræis, Biblijsq; ſacris argumenta delegit, & in ſcholas Græcas atq; Aſiaticas poeticam diuinam & ſalutarem inuexit: tanta admiratione, ut niſi obſtitiſſet religionis odium & temporum inuidia, illis ipſis quos fuerat ſecutus, par æſtimatus fuiſſet, ut Sozomenus ſcriptor nō ignobilis teſtatur: immò, ut fateri pij coguntur, tanto illis omnibus Perſa & Syrus iſte ſuperiores extiterunt, quanto magis religio ſincera mentitæ ſuperſtitioni, ſolis radij inferorum caligini & tenebris, Deus ipſe caſtus & ſanctus dæmonibus impuris eſt anteponendus. Dolet Marius Victor, poſt Vandalicā Italiæ uaſtationem, multasq; urbes ab Alanis direptas & incenſas, in nobilium gynæceis, Pauli & Solomonis ſcripta negligi, Naſonis & poetarum aliorum carmina uerſari. Indignatur D. Hieronymus, quòd ſacerdotes depoſitis Euangelijs & Prophetijs, comœdias legant, & amatoria uerſuum Bucolicorū uerba decantent. Dolent itidē non immeritò parentes, & indignantur magiſtri, in adoleſcentiæ manibus conteri libellos, per quos ueluti ueneno inficitur ætas lubrica & imperita, & deceptu facilis: & ego nunc hoc tempore ualde iraſcor quibuſdam interpretibus, qui in

Poetarum

Poetarum libris, res multorum auribus nō auditas, moribus noſtris planè ignotas, turpiter & ſceleratè aperiunt, & ipſarum Sirenum ſinus nudant impudicos. Quàm bene, quàm uerecundè, ad ſuum collegam ſcribit Mamertus:

Quanto maior ab his cedet tibi gloria cœptis,
In quibus & linguam exercens, mentem quoq; ſanctam
Erudies, laudemq; ſimul uitamq; capeſſes:
Dumq; legis catus, & ſcribis miracula ſummi
Vera Dei, propior diſces, & carior ipſi
Eſſe Deo.—

Iſte quidem uir prudens, non reijcit aut damnat literarum & cognitionis, quæ ſunt etiam elegantiæ & eloquentiæ, ſtudia: ſed eadē uult ſummo Deo, & hominum ſaluti ſeruire. in quo quidem & ſapit maximè, & conſulit ei ad quem ſcribit, ſapientiſsimè. Equidem ſuſpicor hanc fuiſſe cauſam unicam, cur ab antiquis epiſcopis Græciç atq; Italiæ Muſica theatralis & lyrica abolita tota ſit, nimirum quòd eſſet nequitiç nimis mellita & efficax magiſtra: & cur poetæ etiam Græci magna ex parte ſublati ſint, quòd ipſis fuerit τὸ συνεκτικὸν, ὁ ἔρως, ut de Menandri comœdijs Plutarchus tradidit. Iudicabat præclarè Scipio Romanus, Remp. eſſe planè infelicem, ſtantibus mœnibus, ruentibus moribus: nos quoq; ſimiliter inutilem & pernicioſam iudicamus eam palæſtram literariam, in qua excolitur ſermo, corrumpitur animus: unde uidelicet prodeant iuuenes & uiri politis linguis, impijs pectoribus. Videor mihi audire aliquorū importunos ſuſurros in me, tanquam cenſorem quendam Catonianum, qui Poetas ſcholis adimam, & ſuas delicias adoleſcentiæ. Fortaſſe etiam illo ſcurræ ſui dicto utentur: Aut nō intrandum fuiſſe illorum theatrum, aut ſpectandum: hoc eſt, aut nō attingendos Poetas, aut probandos. Quamuis ſtudia literarum ſint neceſſaria, elegantiç expetenda, ſapientiæ admiranda: tamē inter Poetas diſcrimen ſtatuo, quos annum iam ſeptimumdecimum uno in loco ipſe interpretor. Eſt autem eorum genus quoddam σπουδαῖον, quod è Gratiarum & Muſarum, ut loquuntur ipſi, fontibus bibit: pudicum, ſobrium, moratum, ſuaue. Aliud contrà μανικὸν, quod è Bacchi cantharo hauſit, & ſalem Momi nigrum conſueuit lambere: intemperans, laſciuum, mordax, furioſum: illud nimirum ipſum, quod à ſua menſa remouit Hiero rex Syracuſanus: è Lyceo, & ex aſtu Plato philoſophus extерminauit: è contubernio ſuorum Archytas mathematicus Tarentinus expulit. Diſcreuit prçterea minimè fatua Antiquitas, eorū apud inferos domicilia. nam & amatores, & amorum turpium doctores in campis, ut uocant, Lugentibus collocat: ut uxorem repetentem Orpheum, &

Aeolijs fidibus querentem
Sapphô puellis de popularibus,

in quibus campis mœsti & soliciti uagantur, & curis, desiderio, uulneribusq; conficiuntur non curabilibus. In amœnis autem & beatis Elysij sedibus ac uiretis inueniuntur, Musæus, Alcæus,

Quiq; pij uates, & Phœbo digna locuti.

Quamobrem non sunt boni & peruersi, digni & indigni, numero & loco eodem ponendi: neq; nobis pariter uniuersi debent esse familiares, etiamsi non sint ignoti omnes: nec tam ingenia hominũ extollamus, quàm ipsorum faueamus perspectæ uirtuti & moribus liberalibus. In gente Israelitica multis ducibus atq; regibus interdictum erat, ne quid ex hostium impiorum præda spolijs'ue attingerent, aut in sua castra, domos, agros'ue transferrent. Mosi uerò etiã mandato est iniunctum, ut auro, uasis, supellectile preciosa, prætextu mutui, spoliaret Aegyptios. Hæc exempla homines docti quadam similitudine interpretantur non inscitè: nempe quousq; concessum Ecclesiæ sit, scriptores legere prophanos, & bonis uti hostilibus. Athanasius quidem Alexandrinus, & Cyprianus Carthaginiensis legi priori quasi addicti, aliena non cõtrectarunt, & tanquã à rebus uetitis manus sacras abstinuerunt: neq; Athanasio de natura filij Dei, eiusq; cum patre æquali immortalitate & omnipotentia contra Arianos disputanti, præbere potuerunt adiumenti aliquid scripta gentilium: neq; uisum Cypriano est, Hesperi aut Orionis sidere posse illustrari eum, quem Solis amplissimi luminis radij nõ illustrarent. Gregorius uerò cognomento Theologus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, alij multi, omnia eorum conclauia, bibliothecas, armaria, forulos deniq; excusserunt, & scrinia: neq; in ijs reliquerunt minimum quiddam, quod aliquem Ecclesiæ usum præbere uideretur. hostes enim ipsi astutos, uersipelles, disertos habebant: & cum toto Hellenismo (quod tum erat gentilitatis nomẽ uulgare) concertabant. horum ergo exemplo, quidquid usquam obseruatione, scitu, memoria dignum, rectè trãsferimus ad uestiendam ditandamq; Ecclesiam, proprijs quidem ornamentis abundantem & magnificentissimam, sed & hostilibus splendentem atq; conspicuam. Curemus igitur omni studio, contentione & impetu, ut Dei sincerè amantes, & Ecclesię probati ciues simus & maneamus: tum donis Dei omnibus ad ipsius auctoris sapientissimi laudẽ utamur, uitantes illam, de qua diuus Augustinus loquitur, superbiam. Omne (inquiens) sine uera pietate & religione, quamuis laudabile ingenium, superbia euanescit & occidit. Quare artes cum pietate semper discende, & studia cum religione exercenda perpetuò sunt, modò Christiani esse cupimus, neq; nostra sponte in exitium ruere, & nostro,

& nostro, secundum Poetam, labore Acheronta perrumpere atque perire. Mea sententia quæ sit, existimo à bonis intelligi: eamq; scio ne ab inuidis quidem posse repræhẽdi. Gloriosum & utile Ecclesiæ semper habitum, plurimos extitisse uiros pietate illustres, literis linguisq; excultos, & instructos doctrina uaria, eosdemq; & periculis exercitatos, & uita moribusq; graues: quales quidem habentur, ex Africa Tertullianus, Cyprianus, Victorinus: ex Hispania Prudentius, Iuuencus, Damasus, & Merobaudes: è Gallia florentissima Hilarius, Victorinus Pictauiensis, Victor Massiliensis, Prosper, Auitus, Drepanius, Mamertus: ex Italia, Helpidius, Arator, Fortunatus, Gregorius: è Scotia deniq; Sedulius: quorum unum & consentiens propositum, ut doctrina cœlestis manifesta fieret orbi uniuerso: quam uitæ etiam discrimine tutati sunt. neq; mortem horruit Cyprianus, neq; exilium graue duxerunt Hilarius, Alcimus, Fortunatus: aliorum enim uni perspecta Deo, nobis obscura atq; incognita sunt certamina. Ex his fuerunt pleriq; Ecclesiæ doctores & episcopi, uitæ sanctimonia & castitate spectatissimi uiri. fuit etiam consularis Paulinus, & præfectus urbi Prudentius, & exquæstor Helpidius, dignitate maxima homines præditi, ex quibus aliqui iam admodum senes ad scribendum se contulerunt: quorum pietas & industria eò nunc prodest temporibus nostris, quòd aliqui imperiti non concedant aut in sacris uersari, deq; religione differere hominẽ in Rep. occupatum: aut uulgus ipsum, quæ ad salutem consequendam attineant, legere atq; pernoscere. Ita autem qui sentiunt, præterquam quòd uirorum optimorum grauissimam auctoritatẽ floccifaciunt, & illudunt studijs & laboribus sanctissimis: Ludouici etiã Imp. cognomento Pij, sententiæ piæ aduersantur, qui librum quendam ab homine plebeio, uate tamen non ignobili, lingua Saxonica scriptum conseruari uoluit, ut NON SOLVM LITERATIS, VERVM ETIAM INLITERATIS, SACRA DIVINORVM PRAECEPTORVM LECTIO PANDERETVR. hæc enim uerba epistolæ sunt, quæ libro Germanico, lingua Latina præfigitur. Istorum autem uirorum quantumuis scripta bona sint, & erudita: tamen, quod prodigio simile est, quasi planè leuia & futilia, nemo fere hactenus eadem attigit. Imperitis persuasum fuit, ideo nõ in manus sumenda, quia sint poetica, & ideo hæresi contaminata: quę opinio ex abusu inualuit, & lasciuorum poetarum culpa confirmata fuit, & ad mores indoctorum sacerdotũ aptè quadrauit. Doctioribus imposuit neglectio & calumnia: quòd in istis scriptorib. rigida, inculta, & barbara essent omnia: quam ob causam eos abiecerunt, antequam planè cognoscerẽt. A' malo igitur dæmone, religionis hoste infenso & capitali, hoc profectũ constat, qui nõ modò rudes uulgi

animos,

animos, ſed & peritorum iudicia ludibrijs & mendacio faſcinauit. Ante annos plus minus ſexaginta cõqueſtus eſt Aldus Manutius, ſe non inueniſſe è doctis in Italia, qui uel unum uerſum in his Poetis legerit: teſtaturq; ſemel atq; iterum ad Clarium Parmenſem, tum Raguſiæ docentem, ſi in Scholis poetæ iſti fuiſſent notiores, nõ tot prauos & improbos, & religionis Chriſtianæ ignaros homines, quales plurimi ſuo tempore fuerint, euaſiſſe. In eâdem culpa, quod pudet, plurimis annis ipſe fui: idq; fateor, ut alios reddã cautiores, minusq; credulos. Legeram in libris de Corruptis diſciplinis apud Lud. Viuem, hæc uerba: Iuuencus, Sedulius, Proſper, Paulinus, lutulentæ & perturbatæ ſunt aquæ. Ei autem uiro tantum auctoritatis tribuebam, ut quidquid ipſe diceret, id eſſe ſequendum: quidquid ſtatueret, ei aſſentiendum arbitrarer. Talis igitur uiri ſententia ab illorum lectione abſtinui, nec quales eſſent inquirendum putaui: uidelicet, ne lingua inquinaretur, aut ſermo eſſet lutulentior: quẽ purum & liquidum eſſe debere, me docebant præceptores. Noueram autem è poetis Chriſtianis, excepto Prudentio, neminẽ: neq; eum magnifeciſſem, niſi Lipſiæ audiuiſſem Caſp. Bornerum, hymnos eius interpretantem eruditiſsimè: quam lectionem à uiro clariſsimo Petro Moſellano, ſibi quaſi per manus traditam, fideli poſſeſsione ad uſum publicum multos annos retinuit. Cum Viue, ſummo homine, non contendo: nam illas ipſas aquas, quas lutulentas & perturbatas dicit, ſalubres eſſe non negat. Concedamus igitur illi, cœnoſas & turbidas eſſe: tamen fontes ipſi, unde manant, puri limpidiq; ſunt: in quos etſi luti nonnihil aut ſordium eſt barbaris tempeſtatibus inuectum, tamen ſalubritas & medicina repudianda non fuit. In Cumano, Puteolano, Baiano fontes ſunt pingues, turbidi, ſeroſi, ferruginei: quorum colorem aliquando intuitus, ſatis mirari non potui: ſed illi ipſi fontes magnarum & præſentiſsimarum ſunt uirium. Non autem curant homines, qui eos adeunt, quòd limoſæ minusq; translucidæ aquæ ſunt: ſed ijs aut abluuntur, aut inſident, aut earum fumo ſudorem eliciunt: quia certis membris & artubus, aut toti corpori prompta quadam efficacitate medentur. Simili ratione ueritatẽ & cognitionẽ in Scriptoribus amplectamur, etiamſi deſint rerum aliarum pigmenta aut lenocinia: præſertim in ijs qui ſalutarem animis noſtris & planè cœleſtem adhibent medicinam. Non enim finis ſtudiorum & doctrinæ unicus eſt, ut linguã perpolitam & uolubilem habeas: ſed ut colatur & abundet rerum magnarum & utilium ſcientia animus. Omnino autem nullæ res maiores, fructuoſiores, digniores ſunt, quàm pietatis & religionis peritia, quæ peti ex his ſcriptoribus poteſt: in quibus etiamſi alia non excellunt, tamen Lectorem meliorem & ſanctiorem poſſunt dimittere.

Latiſsimus

Latissimus hic mihi aperitur campus, Scriptores sacros cũ prophanis: ueritatem uerbi Dei simplicem & inornatam, cum absoluta omnibus numeris & partibus eloquentia conferendi: sed cum non ingrediar, contentus illa admonitione, Vt adolescentes præcipuè nitantur & studeãt, ut sint Dei amantes, & morati, & ab ipso lacte incipiant amare uirtutem & disciplinam, & de uita æterna & beata cotidie cogitare, & ad eam suas actiones accommodare: eaq; legere & uersare, quibus informetur mens ipsa, & augeatur pietas, & stabiliatur erga Deum fides & obseruantia. cætera enim studia solummodo ornamenta sunt uitæ mortalis: hæc uerò fundamenta etiam sunt salutis & beatitudinis, quam assequi certè omnes cupiunt, non planè amentes, aut toti immersi curis & cupiditatibus mundi, breuissimè cum ipsis perituri. Scripta autem eorum quos isto uolumine coniungimus, nõ unius argumenti sunt, ut ipsa copia afferat delectationem: neq; omnia numerorum æqualium, ut simul & uarietas & eruditio sit iucunda. Hanc partem explicandam nunc omittimus, quam mediocriter in literis uersatus intelligit & dijudicat, & de ea in Commentarijs nostris breuiter agitur: alterã tantùm attingemus, ne quis tempus aut operã in legendo se perdere existimet. Materia historica est in illis, quæ de Initio mundi, de Ortu hominis, de Diluuio, de extinctis Sodomis, de Trãsitu maris rubri scribũtur: rebus omnium maximis, quæq; nullis alijs monumentis aut literis tradita uerè aut perspicuè sunt, quàm Ecclesiasticis. Materia eadem in his quæ de Christo, eiusq; discipulis & collegis, hoc est, de historia Euãgelica Iuuencus & Sedulius: & de Apostolica, ex ipso Luca Arator cõuertit & transtulit: quæ rursus admirabiles, nouas, stupendasq; res continet, quasq; non solùm scire & meminisse, uerumetiã sibi totas applicare, & secundum eas uitam Deo placentem, hominibus commodam, nobis ipsis salutarem instituere, est necesse. Iam quæ de Maccabęis Victorinus, de Ioanne Baptista Paulinus, de Hispanis alijsq; martyribus cecinit Prudentius, abundè testantur, non defuisse Ecclesię incredibilem uirtutem & solidam constantiã: neq; doctrinam nostram aut esse friuolam, aut inanem, quam tot tantiq; uiri fortunarum, dignitatis, capitis periculo testati sunt: quamq; nulli Imperatores aut Reges, omni sua potẽtia, summis uirib. ingeniorum, inauditis pœnis atq; tormentis, minuere aut delere potuerũt. Tales res, tamq; mirificas, & captũ rationis omnem superantes, aliæ nullæ historiæ tradunt: quarum quidem rerum non minus scientia, quàm fructus expetitur. Vitæ speculum antiqui nominarunt Historiam, minimè inepta similitudine. Speculorum autem modò tria genera cùm sint: antiquissima, uitrea & crystallina, quæ imagines reddunt uenustiores: à Germanis nuper inuẽta, chalybea, quæ effigies

referũt ampliores. Historiam totam gentilem uitreis & crystallinis comparare soleo. splendore enim & insignibus eloquentiæ est pulcherrima: sed quia utilitatem solùm habet cognitionis, uitri ipsius more est fragilis, aut crystalli speciosa. Sacra autem Ecclesiæ historia, reuera speculum est chalybeum, propter simplicitatem & ueritatem, sua ui atq; firmitudine inuicta: neq; solùm instruit animum sapientia, sed præterea sustentat immensa cõsolatione: nam Dei præsentiam in Ecclesia loquitur: piorum de tyrannis, morte, peccato, diabolo uictorias exponit: animorum perpetuitatem, & corporum resuscitationem testatur: præmia deniq; infinita, uitam cœlestem, & regnum sempiternũ credentibus promittit. Hæc ipsa Ecclesia nullo unquam seculo hostibus caruit & aduersarijs, tam externis quàm domesticis: ideo contra Symmachũ oratorem scribit Prudentius, contra Poetas uanos Mamertus. Contra plures hæreticos, filio Dei detrahentes, rursus Prudentius ἀποθέωσιν edidit: contra Marcionem Tertullianus primùm carmine, deinde oratione soluta contendit: cõtra ingratos, suis uiribus nimium tribuentes, Prosper disputauit. Quæ matera ἐλεγκτική quamuis exposita inuidiæ sit, temporibus tamen periculosis est prædicatione digna, moribus præfractis necessaria, & iaminde à prima antiquitate usurpata. Deum conditorẽ cœlorum & terræ, & totius uniuersi conseruatorem laudandum & inuocandũ nemo negat, nisi qui ipsum Deũ esse negat, eiq; & opem & gratiam mortales iuuandi adimit: quales è philosophis fuerunt Euemerus, Diagoras, Hippon, Democritus, Epicurus, Prodicus, Sosias, Theodorus, Protagoras: & hi ipsi, quod mirũ est, Græci omnes. Quamobrem hymnis psalmisq; tota undiq; personat Christianorum Ecclesia: in quo quidem laudis genere præ omnium scriptis palmam ipsa obtinet. Liber Psalmorum Dauidis, testimoniũ eius habet, cui contradici non potest: Hymni Hilarij, Ambrosij, Drepanij, Sedulij, Fortunati, Gregorij tales sunt, ut illis argumento simile nihil inueniatur. Itaq; scripta ἐγκωμιαστικά, si usquam, in Ecclesia sunt incorrupta: εὐχαριστικά nullis alijs hominibus, quàm Christianis, magis conuenientia: ex his autem duobus potissimùm cõstat Psalmorum & Hymnorũ materia. Ea uerò quæ διδακτικά nominantur, uel sparsa in his ipsis quæ recensui insunt: docent enim, qui res gestas scribunt, qui errores refutant, qui laudanda prædicant, qui beneficiorum merita extollunt. uel suum obtinent locum: qualis est liber Prudentij περὶ ἁμαρτιγενείας, Auiti de peccato originis, Prosperi epigrammatum. Fuerunt itidem in usu πανηγυρικά, à conuentibus hominum publicis dicta, & de utilitatibus publicis habita. ad ea refero, quæ de Christi Iesu beneficijs Helpidius, Victorinus, Paulinus, Merobaudes, quidã deniq; auctor incertus reliquerũt. Quis autem

unquam

unquam tribuit hominibus, quàm IESVS Christus homo & Deus omnipotēs, & Dei omnipotentis æternus filius, beneficia maiora? Ideo nemo est non modò hominum, sed ipsorum Angelorum, laudibus & præconijs dignior. Tantus rerum tam uariarum, tam bonarum, tam diuinarum thesaurus ex Antiquitate studiosè collectus, in hoc uolumen congestus est: qui ut Ecclesiæ Christi catholicæ, & pijs adolescentibus esset quàm maximè commendatus, ideo uerbis fui nonnihil prolixior: ut quàm maximè utilis, operam, laborem, industriam omnem adhibui. nam Auctores ipsos è uarijs codicibus emendaui, Sententias illustres in Scholas pueriles digessi, rerum uerborumq; obscuriorum Cōmentarium addidi. Inter tractandum autem hunc Thesaurū, cum uiris illis sanctissimis, & cum Dei filio iam uiuentibus, sæpissimè oraui, dolui, gauisus sum, exilui, & quasi gustum quendam beatæ illorum societatis & consuetudinis in animo percepi: quem motum animis afferre, perfectę eloquentię opus esse, ipsi Oratores non negant. Hos Scriptores, quos modò nominaui, omnes, Domine reuerēde, & Princeps illustriss. in Bibliothecam tuā trado: tua enim auctoritate amplissima munitos esse cupio. Nā pietatis & religionis studia prouehere, artium & literarum conseruare, eorumq; patrocinium tutelamq; suscipere, potentes familias decet atq; par est: & iam Saxonicę usitatum, ac ueluti propriū. Cum uiris autem illis pientissimis in ocio loqui, & eorum sermonibus aures dare attentas, pertinet cùm ad cognoscendum salutarem Ecclesiæ in sacra doctrina consensum, & ad animaduertendum quàm facilè & celeriter possint errores & schismata pullulascere: tum uerò etiam ad instruendos nos ipsos, quos conuenit atq; necessarium est in rebus sacris, & ad uitam æternam pertinentibus esse peritos & exercitatos. Quib. de rebus cum NICOLAVS SELNECCERVS, singulari pietate & præclara eruditione, magister tuus, loquatur cotidie: nihil est opus nunc me uerbis esse prolixiorē. Deus omnipotens ad Ecclesiæ & Reip. salutem, tuam Princeps ætatem conseruet incolumem: ut tuo Domine excelse ductu, exemploq; præclaro, nostri olim liberi Deum uerū, & filium eius IESVM Christum agnoscant & celebrent, cum Spiritu sancto ab ambobus procedente, Deum unum, æternum, omnipotentem, beneficum, castum, immēsum. E' ludo illustri Misenæ Hermundurorum, XIII. Cal. Mart. Anno à nato Christo, Dei & uirginis filio, M. D. LXII.

POETARVM VETERVM ECCLESIASTICORVM, SECVNDVM ARGVMENtorum materiam, Ordo & Catalogus.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS Vrbis præfecti
- Pſychomachia Lib.1.
- Cathemerinon Lib.1.
- Periſtephanon Lib.1.
- Apotheoſis Lib.1.
- Hamartigenia Lib.1.
- Contra Symmachum Lib.2.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLliani, presbyteri Carthaginienſis
- Aduerſus Marcionem Lib.5.
- De iudicio Domini Lib.1.

CAECILII CYPRIANI THASII, epiſcopi Carthaginienſis
- Geneſis Lib.1.
- Sodoma Lib.1.
- Lignum uitæ. Epigramma.

HILARII epiſcopi Pictauienſis
- Geneſis Lib.1.
- Eiuſdem Hym.3.

CL. MARII VICTORIS, oratoris Maſſilienſis
- In Geneſim Lib.3.
- Ad Salmonē Abbatem Epiſtola.

DRACONTII
- Hexaemeron, ſeu de Opere ſex dierum Lib.1.

AMBROSII epiſcopi Mediolanenſis
- Hexaemeron, ſeu de Opere creationis Hym.7.
- Variæ materiæ Hym.27.

ALCIMI AVITI archiepiſcopi Viennenſis
- De origine mundi Lib.1.
- De peccato originali Lib.1.
- De ſententia Dei Lib.1.
- De diluuio mundi Lib.1.
- De tranſitu maris rubri Lib.1.
- Ad Fuſcinam ſororem Lib.1.

MARII VICTORINI Rhetoris Afri
- Hiſtoriæ Maccabæorum Lib.1.

IVVENCI presbyteri Hiſpani
- Hiſtoriæ Euangelicæ Lib.4.

CAELII SEDVLII presbyteri Scoti,
- Operis paſchalis Lib.4.
- Veteris & noui teſtamēti collatio.
- Acroſtichidis Hym.1.

ARATORIS Subdiaconi Romani,
- Hiſtoriæ Apoſtolicæ Lib.2.

PROSPERI AQVITANICI, epiſcopi Regiolepidi,
- Epigrammatum Lib.1.
- Contra Pelagianos ſeu ingratos Lib.1.

VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTVNATI, epiſcopi Pictauienſis
- De partu Virginis Lib.1.
- De Chriſti Ieſu beneficijs Lib.1.
- De uita hominum Lib.1.
- De certaminibus & miraculis piorum Lib.1.

DREPANII FLORI
- Pſalmorum & hymnorum Lib.1.
- Ad amicos Epiſt.3.

PAVLINI, uiri conſularis
- De Ioanne Baptiſta Lib.1.
- Ad Auſonium Epiſt.3.

AMOENI
- Enchiridion ueteris & noui Teſtamenti.

HELPIDII RVSTICI Exquæſtoris
- Hiſtoriæ ueteris & noui Teſtamēti.
- De Chriſti Ieſu beneficijs.

COELII LACTANTII FIRMIANI
- De beneficijs Chriſti.

VICTORINI epiſcopi Pictauienſis,
- De Ieſu Chriſto Deo & homine.

MEROBAVDIS Hiſpani Scholaſtici,
- De Chriſto.

AVCTORIS INCERTI,
- De laudibus Domini.

PAVLINI epiſcopi
- Ad Deum omnipotentem
- Pro ſalute Auguſtorum, ad eundem.

GRE-

DE POETIS CHRISTIANIS, ADAMI SIBERI AD GEORGIVM FABRIcium Carmen.

Qui sacer ætherea Musæ uenit impetus aula,
Auctori debet fertilis esse suo:
Et memorare patrem rerum, cantuq; sonare
Illius in nostrum tot benefacta genus.
Hoc Linus in tenebris, hoc uidit Thracius Orpheus,
Carmine non notum qui cecinēre Deum.
Sed mage felici uiderunt lumine mentis,
Qui tracti ex rapido flumine nomen habet:
Et pastorali funda citharaq; decorus,
Secula cui uatem nulla tulere parem:
Dissectusq; senex querno de stipite serra,
Quiq; necem regis fleuit Amone sati.
Tum sacræ Erinnæ, pugnax Lapidothis, & aucta
Laudibus extollit quæ Samuele Deum:
Assyrijq; ducis secta ceruice superba,
Quæq; dedit partu uirgo parensq; Deum,
Viderunt Christi post nati tempora uates,
Quis sine quæ creuit nomine charta Dei?
Heu cadit, ingenium diuini numinis aura,
In quenquam tantum, quod mouet ipsa, scelus:
Conferat in uanas ut res, & carmine turpi

Fœda canens, uitijs pectora sancta paret.
Non hoc Septimius fecit, non prodigus ipso
Pro Christi uitæ nomine Cæcilius.
Non sacro gaudent quo præsule Pictones, & quo
Vrbs quæ lanigero de sue nomen habet.
Paulinique senes, quibus & Victoria, clarum
Cuique oris titulum lactea uena dedit.
Dicta canit Christi, uates & maxima Iberus
Facta, quibus miseris uita salusque datur.
Continuat Clemens hymnis noctesque diesque
Sacraque conculcat Roma deosque tuos.
Sedulius, quicunque dapes conuiua requiris
Paschales, præbet, quîs satiere, cibos.
Extusum è nihilo mundum canit Alcimus, ortum
Peccatique refert, iudiciumque Dei:
Tum pollutum undis ultricibus eluit orbem,
Et pelagi regem mergit in ima Phari.
Carmine Apostolicos actus describit Arator,
Gestaque Tharsensis Paule, itinerque tuum.
Pugnat in Ingratos, falsa & uirtute superbos,
Vnde docens Pietas Prosper, & unde Fides.
Quid Fortunatum, Mammertum, teque Draconti,
Te Drepani, Helpidium, Gregoriumque loquar?
Atque alios, chartis quîs cura intexere laudes
Numinis, & famam maxime Christe tuam?
Hos similesque sequi, nomen quicunque Poetæ
Captatis, par est, uos pietasque iubet.
Abijce non numeros, magni nec uerba Maronis,
Sed res: proque armis sacra Deumque cane.
Abijce lasciui turpes Nasonis amores,
Et dic nos quantum diligat ipse Deus.
Diuitias Christi sancto tibi congerat auro,
Qui culta eloquij uerba Tibullus habet.
Cynthia carminibus teneri laudata Properti,
Aeterno fundat uota precesque Deo.
Sint nostri exemplo, paruus quo se Aedera iactat,
Et cui Pelignas porrigit Ilmus aquas.
Nec non Oenotrij: cui nuncius aliger æstus
Munera fert castæ uirginis in gremium:
Quique homini partem diuinæ mentis inesse,
Præmia quæ maneant, & sua quenque refert.
Tum Patrem celebrare iuuat quem uersibus, à quo

Ex nihilo uates omnia facta canunt.
Tum qui bis genitum regem deducit ab ortu
Ad dextram ætherei, qui regit astra, Patris:
Parceret hic uita functos in uota uocare,
Nunc illo melior nemo poeta foret.
Nos quoq; (si sacros inter me ponere uates
Fama uolet scriptis non aliena meis)
Vota patrum, regumq; preces, diuina canendo
Et Latijs numeris carmina Iessiadæ.
Scribendi ex aliqua formamq; modumq; docemus
Parte, tibi quæ sint maxime grata Deus.
At tu, qui nobis non tantùm docte Georgi
Pindaricaq; pios diuidis aure modos:
Militiamq; canis sacram, cœliq; triumphos,
Hymnisona Christi suppliciumq; chely:
Eruta nunc etiam ueterum sed puluere uatum
Das scripta, ut passim docta per ora uolent:
Quàm bene de studijs rectis, cunctisq; mereris,
Quos iuuat Aonijs inuigilare choris.
O utinam nobis multos superesq; per annos,
Talibus & possis utilis esse libris:
Ex quibus addiscant pia dicere carmina Regi
Et seruatori uirq; puerq; Deo.

DE IISDEM POETIS, IACOBVS
Hertelius Curien. Variscus.

Prospiciens cœli Pietas de uertice nuper,
Priscorum uatum nobile uidit opus.
Quis, rogat, Auctorum nobis monumenta piorum
Vno tot studuit claudere, quæso, libro?
Hic ego: FABRICIVS, CHRISTI *instillare timorem*
Sincerum pueris, quem senibusq; iuuat:
Et nomen, multis hominum præ millibus, idem
Omnibus exoptat notius esse tuum.
Illa statim contrà: Nostri ergo pulsus amore
FABRICIVS, *librum tam dedit egregium?*
FABRICIO *tribuat dignas Ecclesia laudes,*
Cum puero grates dicat agatq; senex.
Ast ego, præsentis quæ præbeo munera uitæ,
Præmia non unquam quæ peritura fero:
Dux ero per miseræ discrimina plurima uitæ,
FABRICIO *ad* CHRISTI *gaudia uera meo.*

AVCTORVM NOMINA, SECVNDVM tempora, quibus uixerunt.

Tertullianus Afer		*Seuero.*		CCX.
Cyprianus Afer		*Valeriano.*		CCLVI.
Victorinus Pictauiensis		*ante Constantinum.*		
Iuuencus Hispanus		*Constantino.*		CCCXXXII.
Lactantius Firmianus		*eodem.*		
Auctor incertus de laudibus Domini		*eodem.*		
Victorinus Afer		*Constantio.*		CCCL.
Hilarius Gallus		*eodem.*		CCCLX.
Paulinus Consularis		*Gratiano.*		CCCLXXIII.
Damasus Romanus	*Vixit*	*Theodosio.*	*Anno*	CCCLXXXVI.
Ambrosius Mediolanensis	*impe rante*	*Honorio et Arcadio.*	*post Christum*	CCCXCIX.
Prudentius Hispanus		*eodem.*	*natũ*	CCCC.
Sedulius Scotus		*Theodosio iuniore.*		CCCCXXX.
Victor Gallus		*Valentiniano.*		CCCCLX.
Prosper Gallus		*Seuero.*		CCCCLXV.
Claudianus Mamertus Gallus		*Zenone.*		CCCCLXXX.
Auitus Gallus		*eodem.*		CCCCXC.
Helpidius Rusticus		*Anastasio.*		D.
Arator Italus		*Iustiniano.*		DLX.
Fortunatus Italus		*Iustino iuniore.*		DLXX.
Gregorius Magnus		*Mauricio.*		DXCVI.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, VRBI PRAEFECTI, IN ψυχομαχίαν PRAEFATIO.

Versus Iambici trimetri acatalecti.

∪– ∪– –– ∪– –– ∪–

A SEnex fidelis, prima credẽdi uia est,
Abram, beati seminis serus pater:
Adiecta cuius nomẽ auxit syllaba,
Abrã parenti dictus, Abrahã Deo.
Senile pignus q dicauit uictimæ,
Docens, ad aram cùm litare quis uelit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum prophanis gentibus
Suasit, suumq; suasor exemplum dedit:
Nec antè prolem coniugalem gignere,
Deo parente, matre Virtute editam,
Quàm strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis sæuientis uicerit.
Victum feroces fortè reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ & Gomorrhæ, quas fouebat aduena
B Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram sinistris excitatus nuncijs,
Audit propinquum sorte captum bellica,
Seruire duris barbarorum uinculis:
Armat trecentos terq; senos uernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere,
Quem gaza diues ac triumphus nobilis
Captis tenebat impeditum copijs.
Quin ipse ferrum stringit, & plenus Deo
Reges superbos mole prædarum graues
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, & rapinam liberat,
Aurum, puellas, paruulos, monilia,
Greges equarum, uasa, uestem, buculas.
Loth ipse ruptis expeditus nexibus
Attrita baijs colla liber erigit.
Abram triumphi dißipator hostici
Redit, recepta prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis peßimorum poßideret principum.
Adhuc recentem cæde de tanta uirum,
Donat sacerdos ferculis cœlestibus.
Dei sacerdos, Rex & idem præpotens,
Origo cuius fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit auctorem sui.
Melchisedech, qua stirpe, quis maioribus
Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox & triformis Angelorum trinitas
Senis reuisit hospitis mapalia.
Et iam uieta Sarra in aluo, fertilis
Munus iuuentæ, mater exanguis stupet,
Hærede gaudens, & cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata est linea,
Quam nostra recto uita rescalpit pede.
Vigilandum in armis pectorum fidelium:
Omnemq; nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ seruiat libidini,
Domi coactis liberandam uiribus.
Nos esse largè uernularum diuites,
Si quid trecenti bis nouenis additis
Poßint, figura nouerimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos uerus est,
Parente natus alto & inenarrabili,
Cibum beatis offerens uictoribus:
Paruam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem trinitatis hospitæ.
Animam deinde spiritus complexibus
Piè maritam, prolis expertem diu,
Faciet perenni fertilem de semine.
Tunc sera dotem poßidens puerpera,
Hærede digno patris implebit domum.

AVR. PRVDENTII V. C. PSYCHOMACHIAE, id est, de compugnantia animi, Liber.



CHRISTE, graues hominum semper miserate labores,
Qui patria uirtute cluis, propriaq;, sed una, (mine trino:
Vnum nanq; Deum colimus de no-
Non tamẽ & solum, quia tu Deus ex patre Christe:

Dissere Rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de pectoris antro:
Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atq; animum morborum rixa fatigat,
Quod tunc præsidium pro libertate tuenda,
Quæ'ue acies, furijs inter præcordia mixtis,
Obsistat meliore manu. nec enim bone ductor
Magnarum uirtutum inopes, neruisq; carentes
Christicolas uitijs populantibus exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas
Depugnare iubes: ipse excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens, tibi dimicet, & tibi uincat.
Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
Virtutum facies, & colluctantia contrà
Viribus infestis liceat portenta notare.

Pugna Fidei & Idololatriæ.

Prima petit campum, dubia sub sorte duelli,
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.
Nanq; repentinus laudis calor ad noua feruens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi:
Pectore sed fidens ualido, membrisq; retectis
Prouocat insani frangenda pericula belli.
Ecce lacessentem collatis uiribus audet
Prima ferire Fidem, ueterum cultura deorum.
Illa hostile caput, phalerataq; tempora uittis
Altior insurgens labefactat, & ora cruore
De pecudum satiata solo applicat, & pede calcat:
Elisos in mortem oculos, animamq; malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilemq; obitum suspiria longa fatigant.
Exultat uictrix legio, quam mille coactam
Martyribus regina Fides animarat in hostem.
Tunc fortes socios parta pro laude coronat
Floribus, ardentiq; iubet uestirier ostro.

Pudicitiæ & Libidinis.

Exin graminreo campo concurrere prompta
Virgo Pudicitia, speciosis fulget in armis:
Quam patrias succincta faces Sodomita Libido
Aggreditur, piceamq; ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaq; lumina flammis
Appetit, & tetro tentat suffundere fumo:
Sed dextram furiæ flagrantis, & ignea diræ
Tela lupæ saxo ferit imperterrita uirgo,
Excussasq; sacro tedas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos uomit illa uapores, A
Sanguine concretos cœnoso, spiritus inde
Sordidus exhalans uicinas polluit auras.
Hoc habet, exclamat uictrix Regina, supremus
Hic tibi finis erit, semper prostrata iacebis:
Nec iam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos famulas'ue Dei, quibus intima casti
Vena animi sola feruet de lampade Christi.
Te'ne, ô uexatrix hominum, potuisse resumptis
Viribus extincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum ceruix Olopherni
Cæsa, cupidineo madefactum sanguine lauit,
Gemmatumq; torum mœchi ducis aspera Iudith
Spreuit, & incestos compescuit ense furores,
Famosum mulier referens ex hoste trophæum
Non trepidante manu, uindex mea, cœlitùs audax.
At fortasse parum fortis matrona sub umbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat
Vera, quibus uirtus terrena in corpora fluxit,
Grande per infirmos caput excisura ministros.
Nunquid & intactæ post partum uirginis ullum
Fas tibi iam superest? post partum uirginis, ex quò B
Corporis humani naturam prisca propago
Deseruit, carnemq; nouam uis ardua seuit,
Atq; innupta Deum concepit fœmina Christum,
Mortali de matre hominem, sed cum patre numen.
Inde omnis iam diua caro est, quæ concipit illum,
Naturamq; Dei consorti fœdere sumit:
Verbum quippe caro factum, non destitit esse
Quod fuerat uerbum, carnis dum glutinat usum,
Maiestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet, quod semper erat: quod non erat, esse
Incipiens. nos, quod fuimus, iam non sumus, aucti
Nascendo in melius: mihi contulit, & sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia uexit.
Dona hæc sunt, quîs uicta iaces lutulenta Libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere iura.
Tu princeps ad mortis iter, tu ianua lethi,
Corpora commaculans, animas in Tartara mergis.
Abde caput tristi iam frigida pestis abysso,
Occide prostibulum, manes pete, claudere Auerno,
Inq; tenebrosum noctis detrudere fundum.
Te uoluant subter uada flammea, te uada nigra,

A Sulphureusq; rotet per stagna sonantia uortex.
Nec iam Christicolas, furiarum maxima, tentes,
Vt purgata suo seruentur corpora Regi.
Dixerat hæc, & læta Libidinis interfectæ
Morte Pudicitia, gladium Iordanis in undis
Abluit infectum, sanies cui rore rubenti
Hæserat, & nitidum macularat uulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluuiali docta lauacro
Victricem uictrix, abolens baptismate labem
Hostilis iuguli. nec iam contenta piatum
Condere uaginæ gladium, ne tecta rubigo
Occupet: ablutum scabrosa sorde nitorem
Catholico in templo diuini fontis ad aram
Consecrat, æterna splendens ubi luce nitescat.

Patientiæ & Iræ.

Ecce modesta graui stabat Patientia uultu,
Per medias immota acies, uariosq; tumultus:
Vulneraq;, & rigidis uitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens, spumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Vt belli exortem, teloq; & uoce lacessit,
B Impatiensq; moræ conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in uertice cristas.
En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore ferrum:
Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, & stridens sequitur conuicia pinus
Per teneros crispata notos, & certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoq; illiditur ictu:
Sed resilit duro loricæ excussa repulsu.
Prouida nam Virtus conserto adamante trilicem
Induerat thoraca humeris, squamosaq; ferri
Texta per intortos commiserat undiq; neruos.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, & non penetrabile durans:
Nec mota est iaculo monstri sine more furentis,
Opperiens proprijs perituram uiribus iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, & iaculorum
Nube superuacuam lassauerat irrita dextram,
Cùm uentosa leui cecidissent tela uolatu,
Ictibus & uacuis hastilia fracta iacerent:
Vertitur ad capulũ manus improba, et ense corusco
Connixa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumq; ferit librata cerebrum.
Aerea sed cocto cassis formata metallo
Tinnitum percussa refert, aciemq; retundit
Dura resultantem: frangit quoq; uena rebellis
Illisum chalybem, dum cedere nescia, cassos
Excipit assultus, ferienti & tuta resistit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina uidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas:
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisq; pudendi
Perfida signa abicit, monumentaq; tristia longè
Spernit, & ad proprium succẽditur effera lethum.
Missile de multis, quæ frustra sparserat, unum
Puluere de campi peruersos sumit in usus.
Rasile figit humi lignum, ac se cuspide uersa
Perfodit, & calido pulmonem uulnere transit.
Quam super assistens Patientia: Vicimus, inquit,
Exultans uitium, solita uirtute, sine ullo
Sanguinis ac uitæ discrimine: lex habet istud
Nostra genus belli, furias, omnemq; malorum
Militiam, & rabidas tolerando extinguere uires.
Ipsa sibi est hostis Vesania, seq; furendo
Interimit, moriturq; suis Ira ignea telis.
Hæc effata, secat medias impunè cohortes,
Egregio comitata uiro: nam proximus Iob
Hæserat inuictæ dura inter bella magistræ,
Fronte seuerus adhuc, & multo uulnere anhelus:
Sed iam clausa truci subridens ulcera uultu,
Perq; cicatricum numerum sudata recensens
Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.
Illum Diua iubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis & perdita quæq;
Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.
Ipsa globum legionum, & concurrentia rumpit
Agmina, uulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus una comes uirtutibus associatur,
Auxiliumq; suum fortis Patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init Virtute sine ista
Virtus: nam uidua est, quam non patientia firmat.

Superbiæ & Humilitatis.

Forte per effusas inflata Superbia turmas
Effreni uolitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & ualidos uillis onerauerat armos.
Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu,
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros

Congeries, celsumq; apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.
A' ceruice fluens tenui uelamine limbus
Concipit ingestas textis turgentibus auras.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obuertit terga, negata
Libertate fugæ, presisq; tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu uentosa uirago,
Inter utranq; aciem supereminet, & phaleratum
Circunflectit equum, uultuq; & uoceminatur,
Aduersum spectans cuneum, quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coëgerat armis
Mens humilis: Regina quidem, sed egens alieni
Auxilij, proprio nec sat confisa paratu,
Spem sibi collegam coniunxerat, edita cuius
Et suspensa ab humo est Opulentia diuite regno.
Ergo humilem postquàm malesana Superbia mentē
Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Aspicit, in uocem dictis se effundit amaris.
Non pudet ô miseri, plebeio milite claros
Attentare duces? ferroq; lacessere gentem
Insignem titulis, ueteres cui bellica uirtus
Diuitias peperit? lætos & gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc aduena nudus
Nititur antiquos (si fas est) pellere Reges.
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra uolunt: en qui nostros sulcare nouales,
Aruaq; capta manu popularier hospite aratro
Contendunt, duros & pellere Marte colonos?
Nempe ô ridiculum uulgus, natalibus horis
Totū hominē, et calidos à matre amplectimur art⁹:
Vimq; potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, & rudibus dominamur in ossibus oēs.
Quis locus in nostra tunc uobis sede dabatur,
Congenitis cùm regna simul ditionibus æquo
Robore crescebant? nati nam luce sub una
Et domus, & domini paribus adoleuimus annis.
Ex quo plasma nouum de consepto paradisi
Limite progrediens, amplum transfugit in orbem,
Pellitosq; habitus sumpsit uenerabilis Adam,
Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta sequutus.
Quis'nam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris,
Importunus, iners, infelix, degener, amens?
Qui sibi tam serum ius uindicat, hactenus exul.
Nimirum uacuæ credentur friuola famæ, A
Quæ miseros optare iubent, quandoq; futuri
Spem fortasse boni, læta ut solatia mollem
Desidiam pigro rerum medicamine palpent.
Quid ni illos spes palpet iners, quos puluere in isto
Tirones Bellona truci non excitat ære,
Imbellesq; animos uirtus tepefacta resoluit?
An'ne Pudicitiæ gelidum iecur utile bello est?
An tenerum Pietatis opus sudatur in armis?
Quàm pudet ô Mauors, & Virtus conscia, talem
Contra stare aciem, ferroq; lacessere nugas,
Et cum uirgineis dextram conferre choreis:
Iusticia est ubi semper egens, & pauper Honestas,
Arida Sobrietas, albo Ieiunia uultu,
Sanguine uix tenui Pudor interfusus, aperta
Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine uulnus,
Et prostrata in humum, nec libera iudice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego sub pedibus stipularum more teratur
Inualida ista manus: neq; enim perstringere duris
Dignamur gladijs, algenti & sanguine ferrum
Imbuere, & fragili uires fœdare triumpho.
Talia uociferans, rapidum calcaribus urget
Cornipedem, laxisq; uolat temeraria frenis,
Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
Sternere, deiectamq; supercalcare ruinam.
Sed cadit in foueam præceps, quam callida fortè
Fraus interciso suffoderat æquore furtim:
Fraus detestandis uitiorum è pestibus una,
Fallendi uersuta opifex, quæ præscia belli B
Planiciem scrobibus uiolauerat insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atq; agmina mersa uoraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, uirgis adopertas texerat oras,
Et superimposito simularat cespice campum.
At regina humilis, quamuis ignara manebat
Vlteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foueæ calcarat furta malignæ.
Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu,
Incidit, & cæcum subitò patefecit hiatum.
Prona ruentis equi ceruice inuoluitur, ac sub
Vectoris pressu fracta inter crura rotatur.
At uirtus placidi moderaminis, ut leuitatem
Perspicit obtritam monstri sub morte iacentis,
Intendit gressum mediocriter: os quoq; parcè
Erigit,

A Erigit,& comi moderatur gaudia uultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit,& offert
Vltorem gladium,laudisq; inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit,& faciem læua reuocante supinat.
Tunc caput orantis flexa ceruice resectum
Eripit,ac madido suspendit colla capillo.
Extinctum uitium sancto Spes increpat ore:
Desine grande loqui,frangit Deus omne superbũ:
Magna cadunt,inflata crepãt,tumefacta premũtur.
Disce supercilium deponere,disce cauere
Ante pedes foueam,quisquis sublime minaris.
Peruulgata uiget nostri sententia Christi:
Scandere celsa humiles,& ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris , animisq; Goliam
Inualida cecidisse manu:puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Transiectamq; cauo penetrauit uulnere frontem.
Ille minax,rigidus,iactans,truculentus,amarus,
Dum tumet indòmitùm,dum formidabilè feruet,
Dum sese ostentat clypeo,dum territat auras:
Expertus pueri quid poßint ludicra parui,
Succubuit teneris bellator turbidus armis.
Me tunc ille puer uirtutis pube sequutus,
Florentes animos sursum in mea regna tetendit,
Seruatur quâ certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini,meq; ad sublime uocantem
Victores cæsa culparum labe capessunt.
Dixit,& auratis perstringens aera pennis,
B In cœlum se uirgo rapit,mirantur euntem
Virtutes,tolluntq; animos in uota,uolentes
Ire simul,ni bella duces terrena retardent,
Confligunt uitijs,seq; ad sua præmia seruant.

Luxuriæ,& Sobrietatis.

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria,extinctæ iamdudum prodiga famæ,
Delibuta comas,oculis uaga,languida uoce,
Perdita delicijs:uitæ cui causa uoluptas,
Elumbem mollire animum,petulanter amœnas
Haurire illecebras,& fractos soluere sensus.
Ac tunc peruigilem ructabat marcida cœnam,
Sub lucem:quia fortè iacens ad fercula,raucos
Audierat lituos,atq; inde tepentia linquens
Pocula,lapsanti per uina & balsama gressu,
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes,sed curru inuecta uenusto
Saucia mirantum capiebat corda uirorum.
O' noua pugnandi species,non ales harundo
Neruo pulsa fugit,nec stridula lancea torto
Emicat amento,framea nec dextra minatur:
Sed uiolas lasciua iacit,folijsq; rosarum
Dimicat,& calathos inimica per agmina fundit.
Inde eblanditis uirtutibus,halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa uenenum:
Et malè dulcis odor domat ora,et pectora,et arma,
Ferratosq; toros obliso robore mulcet.
Deijciunt animos,ceu uicti,& spicula ponunt
Turpiter,heu dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum uaria gemmarum luce micantem
Mirantur,dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro preciosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus,& radiorum
Argento albentem seriem,quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua uersis transibat perfida signis,
Luxuriæ seruire uolens,dominæq; fluentis
Iura pati,& laxa ganeorum lege teneri.
Ingemuit tam triste nefas fortißima uirtus
Sobrietas,dextro socios decedere cornu,
Inuictamq; manum quondam sine cæde perire:
Vexillum sublime Crucis,quod in agmine primo
Dux bona prætulerat,defixa cuspide sistit,
Instauratq; leuem dictis mordacibus alam,
Instimulans animos,nunc probris,nũc prece mixta:
Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quò ruitis?cui colla datis?quæ uincula tandem,
Prô pudor,armigeris amor est perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo uernantes flore coronas,
His placet assuetas bello iam tradere palmas
Nexibus?his rigidas nodis innectier ulnas?
Vt mitra cæsariem cohibens aurata uirilem
Combibat infusum croceo religamine nardum:
Post inscripta oleo frontis signacula,per quæ
Vngentum regale datum est,& chrisma perenne.
Vt tener incessus uestigia syrmate uerrat,
Sericaq; infractis fluitent ut pallia membris,
Post immortalem tunicam,quam pollice docto
Texuit alma Fides,dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis,dederat quibus ipsa renasci.
Ite ad nocturnas epulas,ubi cantharus ingens

Despuit effusi spumantia damna Falerni,
Immensam cyathis stillantibus undam: ubi multo
Fulcra mero, veteriq; toreumata rore rigantur.
Excidit ergo animis heremi sitis: excidit ille
Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit, scissi salientem è vertice saxi?
Angelicusue cibus, prima in tentoria nostris
Fluxit avis, quem nunc sero felicior aevo
Vespertinus edit populus de corpore Christi.
His vos imbutos dapibus, iam crapula turpis
Luxuriae, ad madidum rapit importuna lupanar:
Quosq; viros non ira fremens, idolaq; bello
Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit.
State precor vestri memores, memores quoq; Christi:
Quae sit vestra tribus, quae gloria, quis Deus et Rex,
Quis Dominus, meminisse decet. Vos nobile Iudae
Germen ad usq; Dei genitricem, qua Deus ipse
Natus homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.
Excitet & Samuel, spolium qui diuite ab hoste
Attrectare vetat, nec victum vivere Regem
Incircuncisum patitur: neu praeda superstes
Victorem placidum recidiva in praelia poscat,
Parcere iam capto crimen putat ille tyranno:
At nobis contrà, vinci & succumbere votum est.
Poeniteat (per si qua movet reverentia summi
Numinis) hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi: si poenitet, haud nocet error.
Poenituit Ionathan ieiunia sobria dulci
Conuiolasse favo sumpto, mellisq; sapore
Heu malè gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat iuvenem, iurataq; sacra resoluit.
Sed quia poenituit, nec sors lachrymabilis illa est,
Nec tinxit patrias sententia saeva secures.
En ego Sobrietas (si conspirare paratis)
Pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries multo stipata satellite, poenas
Cum legione sua Christo sub iudice pendat.
Sic effata, crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadrigis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos: quod ut expavere feroces
Cornibus obpansis, & summa fronte coruscum,
Vertunt praecipitem caeca formidine fusi
Per praerupta fugam. fertur resupina reductis
Nequicquam loris auriga, comasq; madentes
Pulvere foedat humi. tunc & vertigo rotarum A
Implicat excussam dominam: nam prona sub axem
Labitur, & lacero tardat sufflamine currum.
Addit Sobrietas vulnus lethale iacenti,
Conijciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferae, quoniam sors obtulit, ictum
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti
Casus agit saxum, medij spiramen ut oris
Frangeret, & recavo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
Dilaniata gulam, frustis cum sanguinis implet.
Insolitis dapibus crudescit guttur, & ossa
Colliquefacta vorans revomit, quas hauserat, offas.
Ebibe iam propriũ post pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans: sint haec tibi fercula tandem
Tristia, praeteriti nimijs pro dulcibus aevi.
Lascivas vitae illecebras gustatus amarae
Mortis, & horrifico sapor ultimus asperat haustu.
Caede ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies. Iocus & Petulantia primi
Cymbala proijciunt: bellum nam talibus armis
Ludebant resono meditantes vulnera sistro.
Dat tergum fugitiuus Amor: lita tela veneno, B
Et lapsum ex humeris arcum, pharetramq; cadentẽ
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa ostentatrix vani splendoris, inani
Exuitur nudata peplo: discissa trahuntur
Serta venustatis, colliq; ac verticis aurum
Soluitur, & gemmas discordia dissona turpat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire Voluptatem: quoniam vis maior acerbam
Compellit tolerare fugam. formido pericli
Praedurat teneras iter ad cruciabile plantas.
Qua se cunque fugax trepidis fert cursibus agmen,
Damna iacent, crinalis acus, redimicula, vittae,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
His se Sobrietas, & totus Sobrietatis
Abstinet exuvijs miles, damnataq; castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
Conniuente oculos praedarum ad gaudia flectit.

Auaritiae & Miserationis.

Fertur Auaritia gremio praecincta capaci,
Quicquid luxus edax preciosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulchra ad ludibria vasto
Ore inhians, auriq; legens fragmenta caduci,
Inter arenarum cumulos: nec sufficit amplos
Impleuisse

A Impleuisse sinus. iuuat infarcire crumenis
Turpe lucrum, & grauidos furtis distēdere fiscos,
Quos læua cælante tegit, laterisq; sinistri
Velat oprimento: uelox nam dextra rapinas
Abradit, spolijsq; ungues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides uariè monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Auaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis
Germanus uidit commilito, non timet ensem
Exerere, atq; caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus uertice gemmas.
Filius extinctum belli sub sorte cadauer
Aspexit si fortè patris, fulgentia bullis
Cingula, & exuuias gaudet rapuisse cruentas:
Cognatam ciuilis agit discordia prædam,
Nec parcit proprijs amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatq; suos fames impia natos.
Talia per populos edebat funera uictrix
B Orbis Auaritia, sternens centena uirorum
Millia uulneribus uarijs, hunc lumine adempto,
Effoßisq; oculis uelut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perq; offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porrò alium capit intuitu, fallitq; uidentem,
Insigne ostentans aliquid: quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisq; sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur uitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator auarus.
¶ Omne hominū rapit illa genus, mortalia cūcta
Occupat interitu: neq; enim est uiolentius ullum
Terrarum uitium, quod tantis cladibus æuum
Mundani inuoluat populi, damnetq; gehennæ.
Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
Ausa sacerdotes Domini, qui prælia fortè
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnoq; implebant claßica flatu.
Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens gentis Leuitidis, una
Semper fida comes, clypeum obiectasset, & atræ
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti rationis ope, stant turbine ab omni
Immunes fortesq; animi, uix in cute summa
Perstringens paucos tenui de uulnere lædit
Cuspis Auaritiæ. stupuit lues improba castis
Heroum iugulis longè sua tela repelli:
Ingemit, & dictis ardens furialibus infit·
Vincimur heu segnes, nec nostra potētia perfert
Vim solitam, languet uiolentia sæua nocendi,
Sueuerat inuictis quæ uiribus omnia ubiq;
Rūpere corda hominū: nec enim tam ferrea quēquā
Formauit natura uirum, cuius rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aspera, dura,
Docta indocta simul, bruta & sapientia: necnon
Casta, incesta meæ patuerunt pectora dextræ,
Sola igitur rapui, quicquid Styx abdit auaris
Gurgitibus: nobis ditißima Tartara debent (est,
Quos retinēt populos: quòd uoluunt secula, nostrū
Quòd miscet mundus uesana negocia, nostrum est,
Quî fit, præualidas quòd pollens gloria uires
Deserit, & cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis rutilantis fulua monetæ
Effigies, sordent argenti emblemata, & omnis
Thesaurus nigrante oculis uilescit honore.
Quid sibi docta uolunt fastidia? non'ne triumphō
Egimus Iscarioth'? magnus qui discipulorum
Et conuiua Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquā ignarum, dextrāq; paropside tingit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus iugera collo. (tum
Viderat et Hiericho propria inter funera, quan-
Posset nostra manus, cùm uictor concidit Achan,
Cædibus insignis, murali & strage superbus,
Succubuit capto uictis ex hostibus auro:
Dum uetitis insigne legens anathema fauillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis auitæ
Iuuit Iuda parens, Christo quandoq; propinquō
Nobilis, & tali felix Patriarcha nepote.
Quîs placet exemplū generis, placeat quoq; forma:
Exitij sit pœna eadem, quibus & genus unum est.
Quid moror aut Iudæ populares, aut populares
Sacricolæ summi (summus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliqua, Martis congreßibus impar?
Nil refert, armis contingat palma, dolis'ue.

Dixerat,

Dixerat, & toruam faciem, furialiaq; arma
Exuit, inq; habitum ſeſe transformat honeſtum.
Fit uirtus ſpecie, uultuq;, & ueſte ſeuera:
Quam memorant frugi, parcè cui uiuere cordi eſt,
Et ſeruare ſuum: tanquam nil raptet auarè,
Artis adumbratæ meruit ceu ſedula laudem.
Huius ſe ſpecie mendax Bellona coaptat,
Non ut auara lues, ſed uirtus parca putetur:
Necnon & tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguineos, ut candida palla latentem
Diſsimulet rabiem, diroq; obtenta furori,
Quod rapere et clepere ē, auideq; abſcōdere parta,
Natorum curam dulci ſub nomine iactet.
Talibus illudens, malè credula corda uirorum
Fallit imaginibus, monſtrumq; ferale ſequuntur,
Dum credunt uirtutis opus: caput impia Erinnys
Conſenſu faciles, manicisq; tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatisq; maniplis,
Nutabat uirtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans quid amicum credat in illo,
Quidúe hoſtile uocet lethum, uerſatile & anceps
Lubricat incertus dubia ſub imagine uiſus.
Cum ſubitò in medium frendens Miſeratio campū
Proſilit auxilio ſocijs, pugnamq; capeſsit
Militiæ poſtrema gradu, ſed ſola duello
Impoſitura manum, ne quid tam triſte ſuperſit.
Omne onus ex humeris reiecerat, omnibus ibat
Nudata induuijs, multo & ſe faſce leuarat:
Olim diuitijs, grauibusq; oppreſſa talentis,
Libera nunc miſerādo inopum, quos larga benignè
Fouerat, effundens patrium bene prodiga cenſum.
Iam loculos ditata fide ſpectabat inanes,
Aeternam numerans redituro fœnore ſummam.
¶ Horruit inuictæ Virtutis fulmen, & impos
Mentis Auaritia ſtupefactis ſenſibus hæſit,
Certa mori. nam quæ fraudis uia reſtat, ut ipſa
Calcatrix mundi, mundanis uicta fatiſcat
Illecebris, ſpretoq; iterum ſeſe implicet auro?
Inuadit trepidam Virtus fortiſsima duris
Vlnarum nodis, obliſo & gutture frangit
Exanguem ſiccamq; gulam, compreſſa ligantur
Vincla lacertorum ſub mentum, & faucibus arctis
Extorquent animam, nullo quæ uulnere rapta
Palpitat, atq; aditu ſpiraminis intercepto
Incluſam patitur uenarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusq; & calcibus inſtans,
Perfodit & coſtas, atq; ilia rumpit anhela. A
Mox ſpolia extincto de corpore diripit, auri
Sordida fruſta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem, tineis etiam marſupia crebris
Exeſa, & uirides obducta ærugine nummos
Diſpergit ſeruata diu uictrix, & egenis
Diſsipat, ac tenues captiuo munere donat.
Tunc circunfuſam uultu exultante coronam
Reſpiciens, alacris media inter millia clamat:
¶ Soluite procinctum iuſti, et diſcedite ab armis:
Cauſa mali tanti iacet interfecta, lucrandi
Ingluuie pereunte, licet requieſcere ſanctis.
Summa quies, nil uelle ſuper, quàm poſtulet uſus
Debitus, ut ſimplex alimonia, ueſtis & una
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumq; modum naturæ non trahat extra.
Ingreſſurus iter peram ne tollito, néue
De tunicæ alterius geſtamine prouidus eſto:
Nec te ſollicitet res craſtina, ne cibus aluo
Deſuerit, redeunt eſcæ cum ſole diurnæ.
Nónne uides ut nulla auium cras cogitet, ac ſe
Paſcendam præſtante Deo, non anxia credat?
Confidunt uolucres uictum non defore uiles,
Paſſeribusq; ſubeſt modico uenalibus aſſe
Indubitata fides, Dominum curare potentem B
Ne pereant: tu cura Dei, facies quoq; Chriſti,
An dubitas, ne te tuus unquam deſerat auctor?
Ne trepidate homines, uitæ dator, et dator eſcæ eſt.
Quærite luciferum cœleſti dogmate paſtum,
Qui ſpem multiplicans alat inuiolabilis æui,
Corporis immemores: memor eſt, qui cōdidit illud,
Suppeditare cibos, atq; indiga membra fouere.
His dictis curæ emotæ, metus, & labor, & uis,
Et ſcelus, & placitæ fidei fraus inficiatrix
Depulſæ, uertêre ſolum. Pax inde fugatis
Hoſtibus alma abigit bellum, diſcinditur omnis
Terror, & auulſis exfibulat ilia zonis.
Veſtis ad uſq; pedes deſcendens defluit imos,
Temperat & rapidum priuata modeſtia greſſum.
Cornicinum curua æra ſilent, placabilis implet
Vaginam gladius, ſedato & puluere campi
Suda redit facies, liquidæ ſine nube diei,
Purpuream uideas cœli clareſcere lucem.
Agmina caſta ſuper, uultum ſenſere Tonantis
Arridere, hilares pulſo certamine turmæ,
Et Chriſtum gaudere ſuis uictoribus, arcem

Aetheris,

A Aetheris, ac portum famulis aperire profundum.
Dat ſignum fœlix Concordia, reddere caſtris
Victrices aquilas, atq; in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit ſpecies, nec par decus ulli
Militiæ, cùm diſpoſitis bifida agmina longè
Duceret ordinibus, peditum pſallente caterua.
  Aſt alia de parte equitum reſonantibus hymnis,
Non aliter cecinit reſpectans uictor hiantem
Iſraël rabiem ponti poſt terga minacis,
Cùm iam progrediens calcaret littora ſicco
Vlteriora pede, ſtridensq; per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigrosq; relapſo
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
Ac refluente ſinu iam redderet unda natatum
Piſcibus, & nudas præceps operiret arenas.
Pulſauit reſono modulantia tympana plectro
Turba Dei, celebrans mirum ac memorabile ſeclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus inciſis, & ſubſiſtente procella
Creſcere, ſuſpenſosq; globos potuiſſe teneri.
Sic expugnata uitiorum gente, reſultant
Myſtica dulcimodis uirtutum carmina pſalmis.
B Ventum erat ad fauces portæ caſtrenſis, ubi arctum
Liminis introitum biſori dant cardine clauſtra.
Naſcitur hic inopina mali lachrymabilis aſtu
Tempeſtas, placidæ turbatrix inuida Pacis,
Quæ tantum ſubita uexaret clade triumphum.

Concordiæ & Diſcordiæ.

  Inter confertos cuneos Concordia fortè
Dum ſtipata pedem iam tutis mœnibus infert,
Excipit occultum uitij latitantis ab ictu
Mucronem læuo in latere, ſqualentia quamuis
Texta catenato ferri ſubtegmine corpus
Ambirent, ſutis & acumen uulneris hamis
Reſpuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum ſinerent penetrare in uiſcera telum.
Rara tamen chalybem tenui tranſmittere puncto
Commiſſura dedit, quâ ſeſe extrema politæ
Squama ligat tunicæ, ſinus & ſibi conſerit oras.
Intulit hoc uulnus pugnatrix ſubdola uictæ
Partis, & incautis uictoribus inſidiata eſt.
Nam pulſa culparum acie Diſcordia, lætos
Intrarat cuneos, ſociam mentita figuram.
Sciſſa procul palla, & ſtructum ſerpente flagellum
Multiplici, media camporum in ſtrage iacebant.
Ipſa redimitos olea frondente capillos
Oſtentans, feſtis reſpondit læta choreis:
Sed ſicam ſub ueſte tegit, te maxima Virtus,
Te ſolam tanto è numero, Concordia triſti
Fraude petens. ſed non uitalia rumpere ſacri
Corporis eſt licitum: ſummotenus extima tactu
Læſa cutis, tenuem ſignauit ſanguine riuum.
  Exclamat Virtus ſubitò turbata: Quid hoc eſt?
Quæ manus hîc inimica latet? quæ pectora noſtra
Vulnerat, & ferrum tanta inter gaudia uibrat?
Quid iuuat indomitos bello ſedaſſe furores,
Et ſanctum uitijs pereuntibus omne receptum,
Si Virtus ſub Pace cadit? trepida agmina mœſtos
Conuertêre oculos, ſtillabat uulneris index
Ferrata de ueſte cruor, mox & pauor hoſtem
Cominus aſtantem prodit: nam pallor in ore
Conſcius audacis facti, dat ſigna reatus,
Et deprenſa tremit languens manus, & color albēs.
Circunſtat properè ſtrictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens feruente tumultu
Et genus, & nomen, patriam, ſectamq;, deumq;
Quem colat, & miſſu cuiatis uenerit. illa
Exanguis, turbante metu: Diſcordia dicor,
Cognomēto hæreſis: deus eſt mihi diſcolor, inquit,
Nunc minor, aut maior, modò duplex, et modò ſim-
Cùm placet aëreus, et de phantaſmate uiſus, (plex:
Aut innata anima eſt. quoties uolo ludere numen,
Eſt mihi præceptor Belial, domus eſt plaga mundi.
  Non tulit ulterius capti blaſphemica monſtri
Virtutum regina Fides: ſed uerba loquentis
Impedit, & uocis claudit ſpiramina pilo,
Pollutam rigida transfigens cuſpide linguam.
Carpitur innumeris feralis beſtia dextris,
Fruſtatim ſibi quiſq; rapit quod ſpargat in auras,
Quod canibus donet, coruis quod edacibus ultrò
Offerat, immundis cœno exhalante cloacis
Quod tradat, mōſtris quod mādet habere marinis.
Diſciſſumq; feris animalibus omne cadauer
Diuiditur, ruptis hæreſis perit horrida membris.
  Compoſitis igitur rerum morumq; ſecundis
In commune bonis: poſtquàm intra tuta morari
Contigit, ac ſtatione frui, ualloq; foueri
Pacificos ſenſus, & in ocia ſoluere curas.
Extruitur media caſtrorum ſede tribunal
Editiore loco, tumulus quem uertice acuto
Excitat in ſpeculam, ſubiecta undè omnia latè
Liber inoffenſo circumſpicit aëre uiſus.

Hunc ſincera Fides, ſimul & Concordia, ſacro
Fœdere iuratæ Chriſti ſub amore ſorores,
Conſcendunt apicem: mox & ſublime tribunal
Par, ſanctum, charumq́; ſibi, ſupereminet æquo
Iure poteſtatis, conſiſtunt aggere ſummo
Conſpicuæ, populosq́; iubent aſtare frequentes.
Concurrunt alacres caſtris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis ullo
Intercepta ſinu per conceptacula ſeſe
Degeneri languore tegat: tentoria apertis
Cuncta patent uelis, reſerantur carbaſa, ne quis
Marceat obſcuro ſtertens habitator operto.
Auribus intentis expectat concio, quid'nam
Victores poſt bella uocet Concordia princeps,
Quam uelit atq; Fides uirtutibus addere legem.
Erumpit primam in uocem Concordia, tali
Alloquio: cumulata quidem iam gloria uobis,
O' patris, ô domini fidiſsima pignora Chriſti,
Contigit: extincta eſt multo certamine ſæua
Barbaries, ſanctæ quæ circumſepſerat urbis
Indigenas, ferroq́; uiros, flammaq́; premebat.
Publica ſed requies priuatis, rure foroq́;
Conſtat amicitijs: ſciſſura domeſtica turbat
Rem populi, titubatq́; foris, quod diſsidet intus.
Ergo cauete uiri, ne ſit ſententia diſcors
Senſibus in ueſtris, ne ſecta exotica tectis
Naſcatur conflata odijs: quia ſciſſa uoluntas
Confundit uarijs arcana biformia fibris.
Quod ſapimus, coniungat amor: quod uiuimus, uno
Conſpiret ſtudio: nil diſſociabile firmum eſt.
Vtq́; homini atq; Deo medius interuenit Ieſus,
Qui ſociat mortale patri, ne carnea diſtent
Spiritui æterno, ſitq́; ut Deus unus utrunq;:
Sic quicquid gerimus, mentisq́; & corporis actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum uirtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti precium eſt, preciumq́; pericli.
Sidera pace uigent, conſiſtunt terrea pace:
Nil placitum ſine pace Deo. non munus ad aram
Cùm cupias offerre, probat, ſi turbida fratrem
Mens impacati ſub pectoris oderit antro:
Nec ſi flammicomis Chriſti pro nomine martyr
Ignibus inſilias, ſeruans inamabile uotum
Bile ſub obliqua, precioſam proſit Ieſu
Impendiſſe animam: meriti quia clauſula Pax eſt.
Non inflata tumet, non inuidet æmula fratri,
Omnia perpetitur patiens, atq; omnia credit. A
Nunquam læſa dolet, cuncta offenſacula donat.
Occaſum lucis uenia præcurrere geſtit
Anxia, ne ſtabilem linquat ſol conſcius iram.
Quiſq; litare Deo mactatis uult holocauſtis,
Offerat in primis pacem, nulla hoſtia Chriſto
Dulcior: hoc ſolo ſancta ad donaria uultum
Munere conuertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen & niueis tradit Deus ipſe columbis
Pennatum tenera plumarum ueſte colubrum
Rimante ingenio doctè internoſcere, mixtum
Innocuis auibus: latet & lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ouem ſub uellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac ſeſe occultant Fotinus & Arrius arte,
Immanes feritate lupi: diſcrimina produnt
Noſtra, recẽsq́; cruor, quamuis de corpore ſummo,
Quid poſsit furtiua manus: gemitum dedit omnis
Virtutum populus, caſu concuſſus acerbo.
Tunc generoſa Fides hæc ſubdidit: Immo ſecundis
In rebus ceſſet gemitus, Concordia læſa eſt,
Sed defenſa Fides: quin & Concordia ſoſpes
Germanam comitata Fidem, ſua uulnera ridet. B
Hæc mea ſola ſalus, nihil hac mihi triſte recepta.
Vnum opus egregio reſtat poſt bella labori,
O' proceres, regni quod tandem pacifer hæres
Belligeri, armatæ ſucceſſor inermis & aulæ,
Inſtituit Solomon: quoniam genitoris anheli
Fumarat calido regum de ſanguine dextra.
Sanguine nam terſo templum fundatur, & ara
Ponitur auratis Chriſti domus ardua tectis.
Tunc & Hieruſalem templo illuſtrata, quietum
Suſcepit iam diua Deum, circumuaga poſtquàm
Sedit marmoreis fundata altaribus arca.
Surgat & in noſtris templum uenerabile caſtris,
Omnipotens cuius ſanctorum ſancta reuiſat.
Nunquid terrigenis ferro pepuliſſe phalanges
Culparum prodeſt: hominis ſi filius arce
Aetheris illapſus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi ſplendentis egenus?
Hactenus alternis ſudatum eſt comminus armis:
Munia nunc agitet tacitæ toga candida Pacis,
Adq́; ſacri ſedem properet diſcincta iuuentus.
Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina ſuperbis
Deſilijt, tantiq́; operis Concordia conſors,
Metatura nouum iacto fundamine templum:

A Aurea planiciem ſpacijs percurrit arundo
Dimenſis, quadrent ut quatuor undiq; frontes,
Ne commiſſuris diſtantibus angulus impar
Argutam muttlet per diſſona ſymmetra normam.
Auroræ de parte, tribus plaga lucida portis
Illuſtrata patet, triplex aperitur ad auſtrum
Portarum numerus: tres occidualibus offert
Ianua trina fores, totidemq́; aquilonis ad axem
Panditur alta domus: nullum illic ſtructile ſaxum,
Sed caua per ſolidum, multoq́; forata dolatu
Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Veſtibulumq́; lapis panetrabile concipit unus.
Portarum ſummis inſcripta in poſtibus auro
Nomina Apoſtolici fulgent biſſena Senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, & electos uocat in præcordia ſenſus.
Quaq́; hominis natura uiget, qua corpore toto
Quadrua uis animæ trinis ingreßibus aram
Cordis adit, caſtisq́; colit ſacraria uotis.
Seu pueros ſol primus agat, ſeu feruor ephebos
Incendat nimius, ſeu conſummabilis æui
Perficiat lux plena uiros, ſiue algida Borêæ
B Aetas, decrepitam uocet ad pia ſacra ſenectam:
Occurrit trinum quadrina ad compita numen,
Quod bene diſcipulis diſponit Rex duodenis.
Quinetiam totidem gemmarum inſignia textis
Parietibus diſtincta micant, animasq́; colorum
Viuentes liquido lux euomit alta profundo.
Ingens chryſolithus natiuo interlitus auro,
Hinc ſibi ſapphirum ſociauerat, inde beryllum,
Diſtantesq́; nitor medius uariabat honores.
Hinc chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine uicino: nam fortè cyanea propter
Stagna lapis cohibens, oſtro fulgebat aquoſo.
Sardonychen pingunt amethyſtina, pingit iaſpis
Sardonium iuxtà appoſitus, pulcherq́; topazon.
Has inter ſpecies ſmaragdina gramine uerno
Prata uirent, uoluitq́; uagos lux herbida fluctus.
Te quoq; conſpicuum ſtructura interſerit ardens
Chryſopraſe, & ſidus ſaxis ſtellantibus addit.
Stridebat grauidis funalis machina uinclis,
Immenſas rapiens alta ad faſtigia gemmas.
At domus interior ſeptem ſubnixa columnis
Cryſtalli algentis, uitrea de rupe reciſis
Conſtruitur, quarum tegit edita calculus albens
In conum cæſus capita, & ſinuamine ſubter
Subductus conchæ in ſpeciem, quod mille talentis
Margaritum ingens opibusq́; & uiribus arte
Adductis animoſa Fides mercata pararat.
Hoc reſidet ſolio pollens Sapientia, & omne
Conſilium regni celſa diſponit ab aula,
Tutandiq́; hominis leges ſub corde retractat.
In manibus dominæ ſceptrum, non arte politum,
Sed lignum uiuum eſt, uiridi quod ſtirpe reciſum,
Quamuis nullus alat terreni ceſpitis humor,
Fronde tamen uiret incolumi: tum ſanguine tinctis
Intertexta roſis candentia lilia miſcet,
Neſcia marcenti florem ſubmittere collo.
Huius forma fuit ſceptri geſtamen Aaron,
Florigerum, ſicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum ſpe pubeſcente decorem,
Inq́; nouos ſubitò tumuit uirga arida fœtus.
Reddimus æternas indulgentißime doctor
Grates Chriſte tibi, meritosq́; ſacramus honores
Ore pio: nam cor uitiorum ſtercore ſordet.
Tu nos corporei latebroſa pericula operti,
Luctantisq́; animæ uoluiſti agnoſcere caſus.
Nouimus ancipites nebuloſo in pectore ſenſus
Sudare alternis conflictibus, & uariato
Pugnarum euentu, nunc indole creſcere dextram,
Nunc inclinatis ceruicibus ad iuga uitæ
Deteriora trahi, ſeſeq́; addicere noxis
Turpibus, & propriæ iacturam ferre ſalutis.
O' quoties animam, uitiorum peſte repulſa,
Senſimus incaluiſſe Deo: quoties tepefactus
Cœleſte ingenium poſt gaudia candida tetro
Ceßiſſe è ſtomacho. feruent bella horrida, feruent
Oßibus, atq; incluſa fremit diſcordibus armis
Non ſimplex natura hominis: nam uiſcera limo
Effigiata premunt animum: contrà ille ſereno
Editus afflatu nigrantis carcere cordis
Aeſtuat, & ſordes arcta inter uincla recuſat.
Spiritibus pugnant uarijs lux atq; tenebræ,
Diſtantesq́; animat duplex ſubſtantia uires:
Donec præſidio Chriſtus Deus adſit, & omnes
Virtutum gemmas componat ſede piata.
Atq; ubi peccatum regnauerat, aurea templi
Atria conſtituens, texat ſpectamine morum
Ornamenta animæ, quibus oblectata decoro
Aeternùm ſolio diues Sapientia regnet.

AVRELII PRVDENTII VRbi Præfecti, in Librum καθημερινῶν Præfatio.

Ode tricolos triſtrophos. Verſus omnes ſunt Choriambici, hoc modo:

— — —∪∪— ∪∪
— — —∪∪— —∪∪— ∪∪
— — —∪∪— —∪∪— —∪∪— ∪∪

PER quinquennia iam decem,
Ni fallor, fuimus: ſeptimus inſuper
Annum cardo rotat, dum fruimur ſole uolubili.
Inſtat terminus, & diem
Vicinum ſenio iam Deus applicat.
Quid nos utile tanti ſpacio temporis egimus?
Aetas prima crepantibus
Fleuit ſub ferulis: mox docuit toga
Infectum uitijs falſa loqui, non ſine crimine.
Tum laſciua proteruitas,
Ac luxus petulans (heu pudet, ac piget)
Fœdauit iuuenem nequitiæ ſordibus, ac luto.
Exin iurgia turbidos
Armarunt animos, & malè pertinax
Vincendi ſtudium ſubiacuit caſibus aſperis.
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium,
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Euectum pietas Principis extulit,
Aſſumptum propius ſtare iubens ordine proximo.
Hæc dum uita uolans agit,
Irrepſit ſubitò canities ſeni,
Oblitum ueteris me Saliæ conſulis arguens.
Sub quo prima dies mihi
Quàm multas hiemes uoluerit, & roſas
Pratis poſt glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Nunquid talia proderunt
Carnis poſt obitum uel bona, uel mala?
Cùm iã quicquid id eſt, quod fuerã, mors aboleuerit.
Dicendum mihi, quiſquis es:
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit:
Non ſunt illa Dei, quæ ſtuduit, cuius habeberis?
Atqui fine ſub ultimo
Peccatrix anima ſtulticiam exuat:
Saltem uoce Deum concelebret, ſi meritis nequit.
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla uacet, quin Dominum canat: A
Pugnet contra hæreſes, catholicam diſcutiat fidem,
Conculcet ſacra gentium,
Labem Roma tuis inferat idolis:
Carmen martyribus deuoueat, laudet apoſtolos.
Hæc dum ſcribo, uel eloquor,
Vinclis ô utinam corporis emicem
Liber, quò tulerit lingua ſono mobilis ultimo.

HYMNVS I. AD GALLI CANTVM.

Monocolos, tetraſtrophos. Verſus Iambici dimetri acatalecti.

— — ∪— — — ∪∪

ALès diei nuncius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitator mentium
Iam Chriſtus ad uitam uocat.
Auferte clamat lectulos
Aegros, ſopore deſides,
Caſtiq́; recti ac ſobrij
Vigilate, iam ſum proximus.
Poſt ſolis ortum fulgidi
Serum eſt cubile ſpernere,
Ni parte noctis addita B
Tempus labori adieceris.
Vox iſta, qua ſtrepunt aues
Stantes ſub ipſo culmine,
Paulo antè quàm lux emicet,
Noſtri figura eſt Iudicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratiſq́; opertos ſegnibus,
Suadet quietem linquere
Iam iamq́; uenturo die.
Vt cùm coruſcis flatibus
Aurora cœlum ſparſerit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad ſpem luminis.
Hic ſomnus ad tempus datus,
Eſt forma mortis perpetis:
Peccata ceu nox horrida
Cogunt iacere, ac ſtertere.
Sed uox ab alto culmine
Chriſti docentis præmonet,
Adeſſe iam lucem propè,
Ne mens ſopori ſeruiat.
Ne ſomnus uſq; ad terminos
Vitæ ſocordis, opprimat

Pectus

A Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.
Ferunt uagantes dæmonas
Lætos tenebris noctium:
Gallo canente exterritos
Sparsim timere, & cedere.
Inuisa nam uicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscij
Norunt repromissæ spei,
Qua nos soporis liberi
Speramus aduentum Dei.
Quæ uis sit huius alitis,
Saluator ostendit Petro,
Ter antè quàm gallus canat,
Sese negandum prædicans.
Fit namq; peccator prius,
Quàm præco lucis proximæ
Illustret humanum genus,
Finemq; peccandi ferat.
B Fleuit negator deniq;
Ex ore prolapsum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animusq; seruaret fidem.
Nec tale quicquam postea
Lingua loquutus lubrica est:
Cantuq; galli cognito,
Peccare iustus destitit.
Inde est quòd omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
Christum redisse ex inferis.
Tunc mortis oppressus rigor,
Tunc lex subacta est tartari,
Tunc uis diei fortior
Noctem coëgit cedere.
Iam iam quiescant improba,
Iam culpa furua obdormiat,
Iam noxa lethalis suum
Perpessa somnum marceat.
Vigil uicißim spiritus
Quodcunq; restat temporis
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
IESVM ciamus uocibus,
Flentes, precantes, sobrij:
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum uetat.
Sat conuolutis artubus
Sensum profunda obliuio
Preßit, grauauit, obruit,
Vanis uagantem somnijs.
Sunt nempe falsa & friuola,
Quæ mundiali gloria
Ceu dormientes egimus:
Vigilemus, hic est ueritas.
Aurum, uoluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quæcunq; nos inflant mala,
Fit mâne, nil sunt omnia.
Tu Christe somnum disijce,
Tu rumpe noctis uincula,
Tu solue peccatum uetus,
Nouumq; lumen ingere.

HYMNVS II. MATVTINVS.

Carminis genus idem.

Nox, & tenebræ, & nubila
Confusa mundi, & turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus uenit, discedite.
Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo:
Rebusq; iam color redit,
Vultu nitentis sideris.
Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisq; pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescit Deo.
Tunc non licebit claudere,
Quod quisq; fuscum cogitat:
Sed mâne clarescent nouo
Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem squallido
Impunè peccat tempore,
Sed lux dolis contraria
Latêre furtum non sinit.
Versuta fraus & callida,
Amat tenebris obtegi,
Aptamq; noctem turpibus
Adulter occultus fouet.

Sol ecce ſurgit igneus,
Piget, pudeſcit, pœnitet,
Nec teſte quiſquam lumine
Peccare conſtanter poteſt.
Quis mâne ſumptis nequiter
Non erubeſcit poculis,
Cùm ſit libido temperans,
Caſtumq; nugator ſapit?
Nunc nunc ſeuerum uiuitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes ſua
Vultu colorant ſerio.
Hæc hora cunctis utilis,
Qua quiſq;, quod ſtudet, gerat,
Miles, togatus, nauita,
Opifex, arator, inſtitor.
Illum forenſis gloria,
Hunc triſte raptat claßicum:
Mercator hinc, ac ruſticus
Auara ſuſpirant lucra.
At nos lucelli ac fœnoris
Fandiq; prorſus neſcij,
Nec arte fortes bellica,
Te Chriſte ſolum nouimus.
Te mente pura & ſimplici,
Te uoce, te cantu pio,
Rogare curuato genu
Flendo canendo diſcimus.
His nos lucramur quæſtibus,
Hac arte tantùm uiuimus:
Hæc inchoamus munera,
Cùm ſol reſurgens emicat.
Intende noſtris ſenſibus,
Vitamq; totam diſpice:
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.
Durare nos tales iube,
Quales remotis ſordibus
Nitere pridem iuſſeras,
Iordane tinctos flumine.
Quodcunq; nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu rex Eoi ſideris
Vultu ſereno illumina.
Tu Sancte, qui tetram picem
Candore tingis lacteo,
Ebenoq; cryſtallum facis,
Delicta terge liuida.
Sub nocte Iacob cærula
Luctator audax angeli
Eò, uſquedum lux ſurgeret,
Sudauit impar prælio.
Sed cùm iubar clareſceret,
Lapſante claudus poplite,
Femurq; uictus debile,
Culpæ uigorem perdidit.
Nutabat inguen ſaucium,
Quæ corporis pars uilior:
Longeq; ſub cordis loco,
Diram fouet libidinem.
Hæ nos docent imagines,
Hominem tenebris obſitum,
Si fortè non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum & tabidum
Dies oborta inuenerit.
Tandem faceſſat cæcitas
Quæ noſmet in præceps diu
Lapſos ſiniſtris greßibus
Errore traxit deuio.
Hæc lux ſerenum conferat,
Puroſq; nos præſtet ſibi:
Nihil loquamur ſubdolum,
Voluamus obſcurum nihil.
Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculiue peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator aſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actuſq; noſtros proſpicit,
A luce prima in ueſperum.
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur, quicquid eſt,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit iudicem.

HYMNVS III. ANTE CIBVM.

Monocolos pentaſtrophos. Verſus dactylici trimetri hypercatalecti.

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ ∪

O cru-

A O' Crucifer bone, lucisator
Omniparens, pie uerbigena,
Edite corpore uirgineo:
Sed prius in genitore potens,
Astra, solum, mare quàm fierent.
Huc nitido precor intuitu,
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus: & irradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni prius, atq; cibos
Christe tuus fauor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus & influat in pateras,
Seria, ludicra, uerba, iocos:
Deniq; quod sumus, aut agimus
Trina superna regat pietas.
Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor:
B Sed liquor influit ambrosius,
Nectareamq; fidem redolet
Fusus ab usq; patris gremio.
Sperne camœna leues ederas,
Cingere tempora quîs solita es,
Sertaq; mystica dactylico
Texere docta, liga strophio
Laude dei redimita comas.
Quod generosa potest anima,
Lucis & ætheris indigena,
Soluere dignius obsequium:
Quàm data munera si recinat
Artificem modulata suum?
Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus
Aëre, gurgite, rure creant,
Hæc mihi subdidit, & sibi me.
Callidus illaqueat uolucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
Illita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, & abire uetant.
Ecce per æquora fluctiuagos
Texta greges sinuosa trahunt?
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine uulnifico,
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Diues aristiferæ segetis,
Hic ubi uitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca uiret.
Hæc opulentia Christicolis
Seruit, & omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia, de nece quadrupedum:
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Pauerit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niueos
Vbere de gemino latices,
Perq; coagula densa liquor
In solidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente fauus,
Hæc opifex apis aërio
Rore liquat, tenuiq; thymo,
Nexilis inscia connubij.
Hinc quoq; pomiferi nemoris
Munera mitia proueniunt,
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo grauis imbre pluit,
Puniceosq; iacit cumulos.
Quæ ueterum tuba, quæ'ue lyra
Flatibus incita, uel fidibus,
Diuitis omnipotentis opus,
Quæq; fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat?
Te pater optime mâne nouo,
Solis & orbita cùm media est,
Te quoq; luce sub occidua
Sumere cum monet hora cibum,
Nostra Deus canet harmonia.
Quòd calet halitus interior,
Corde quòd abdita uena tremit,

Pulsat

Pulſat & incita quod reſonam
Lingua ſub ore latens caueam,
Laus ſuperi Patris eſto mihi.
Nos igitur tua ſancte manus
Ceſpite compoſuit madido,
Effigiem meditata ſuam:
Vtq; foret rata materies,
Flauit & indidit ore animam.
Tunc per amœna uireta iubet
Frondicomis habitare locis,
Ver ubi perpetuum redolet,
Prataq; multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.
Hæc tibi nunc famulentur, ait,
Vſibus omnia dedo tuis:
Sed tamen aſpera mortifero
Stipite carpere poma ueto,
Qui medio uiret in nemore.
Hic draco perfidus, indocile
Virginis illicit ingenium,
Vt ſocium maleſuada uirum
Mandere cogeret ex uetitis,
Ipſa pari peritura modo.
Corpora mutua noſſe nefas,
Poſt epulas inoperta uident,
Lubricus error & erubuit:
Tegmina ſuta parant folijs,
Dedecus ut pudor occuleret.
Conſcia culpa Deum pauitans
Sede pia procul exigitur.
Innuba fœmina quæ fuerat,
Coniugis excipit imperium,
Fœdera triſtia iuſſa pati.
Auctor & ipſe doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat:
Sic coluber muliebre ſolum
Suſpicit, atq; uirum mulier.
His ducibus uitioſa dehinc
Poſteritas ruit in facinus:
Dumq; rudes imitatur auos,
Faſq; nefaſq; ſimul glomerans,
Impia crimina morte luit.
Ecce uenit noua progenies,
Aethere proditus alter homo,
Non luteus, uelut ille prior:

A Sed Deus ipſe gerens hominem,
Corporeiſq; carens uitijs.
Fit caro uiuida, ſermo Patris,
Numine quem rutilante grauis
Non thalamo, neq; iure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium uetus illud erat,
Hoc erat aſpidis atq; hominis
Digladiabile diſsidium,
Quòd modò cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere nanq; Deum merita
Omnia uirgo uenena domat,
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger reuomit,
Gramine concolor in uiridi.
Quæ feritas modò non trepidat,
Territa de grege candidulo?
Impauidas lupus inter oues
Triſtis obambulat, & rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
B Agnus enim uice mirifica
Ecce leonibus imperitat:
Exagitanſq; truces aquilas
Per uaga nubila, perq; notos
Sidere lapſa columba fugat.
Tu mihi Chriſte columba potens,
Sanguine paſta cui cedit auis:
Tu niueus per ouile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub iuga tigridis ora premens.
Da locuples Deus hoc famulis
Ritè precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata leuent:
Neu piger immodicis dapibus
Viſcera tenta grauet ſtomachus.
Hauſtus amarus abeſto procul,
Nec libeat tetigiſſe manu
Exitiale quid, aut uetitum:
Guſtus & ipſe modum teneat,
Soſpitet ut iecur incolume.
Sit ſatis anguibus horrificis,
Liba quòd impia corporibus
Ac miſeram peperere necem:
Sufficiat ſemel ob facinus

Plaſma

A Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, uigor igneolus
Non moritur: quia flante Deo
Compositus, superoq; fluens
De solio patris artificis,
Vim liquidæ rationis habet.
Viscera mortua quinetiam
Post obitum reparare datur,
Deq; suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Puluereo coëunte situ.
Credo equidem (neq; uana fides)
Corpora uiuere more animæ:
Nam modò corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet,
Quæ redolentia funereo
Iussa quiescere sarcophago.
Dux parili rediuiuus humo
Ignea Christus ad astra uocat.

HYMNVS IIII. POST CIBVM.

B Monocolos tristrophos. Versus hendecasyllabi Phalætij.

— — — ∪ ∪ — ∪ — ∪ — ∪

Pastis uisceribus, ciboq; sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo patri rependat:
Patri, qui Cherubin sedile sacrum,
Necnon & Seraphim suum, supremo
Subnixus solio, tenet, regitq;.
Hic est, quem Zabaoth Deum uocamus,
Expers principij, carensq; fine,
Rerum conditor, & repertor orbis.
Fons uitæ liquida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
Mortis perdomitor, salutis auctor.
Omnes quòd sumus, ac uigemus, inde est:
Regnat Spiritus ille sempiternus,
A' Christo simul & Parente missus.
Intrat pectora candidus pudica,
Quæ templi uice consecrata rident,
Postquàm combiberint Deum medullis.
Sed si quid uitij doli'ue nasci
Inter uiscera iam dicata sensit:
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
Tetrum flagrat enim uapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumq; bonum niger repellit.
Nec solus pudor, innocensq; uotum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medij sinu ac recessu:
Sed ne crapula ferueat cauendum est,
Quæ sedem fidei cibis refertam
Vsq; ad congeriem coarctet intus.
Parcis uictibus expedita corda
Infusum melius Deum receptant,
Hic pastus animæ est, saporq; uerus.
Sed nos tu gemino fouens paratu,
Artus, atq; animas utroq; pastu
Confirmas pater, ac uigore comples.
Sic olim tua præcluens potestas,
Inter raucisonos situm leones
Illapsis dapibus uirum refouit.
Illum fusile numen execrantem,
Et curuare caput sub expolita
Aeris materia nefas putantem:
Plebs diræ Babylonis, ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant,
Sæuis protinus haustibus uorandum.
O' semper pietas, fidesq; tuta:
Lambunt indomiti uirum leones,
Intactumq; Dei tremunt alumnum.
Astant cominus, & iubas reponunt,
Mansuescit rabies, fameq; blanda
Prædam rictibus ambit incruentis.
Sed cùm tenderet ad superna palmas,
Expertumq; sibi Deum rogaret,
Clausus iugiter, indigensq; uictu:
Iussus nuncius aduolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit fortè procul dapes inemptas,
Quas messoribus Abacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Huius cæsarie manu prehensa,
Plenis (sicut erat) grauem canistris
Suspensum rapit, & uehit per auras.
Tum raptus simul ipse, prandiumq;
Sensim labitur in lacum leonum:
Et quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait, libensq; carpas

Quæ summus Pater, angelusq; Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumptis, Danielus excitauit
In cœlum faciem, ciboq; fortis
Amen reddidit, alleluia dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, & sacramus hymnos.
Tu nos tristifico uelut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis, & feram repellis,
Quæ circumfremit, ac uorare tentat,
Insanos acuens furore dentes,
Cùm te summe Deus precemur unum.
Vexamur, premimur, malis rotamur,
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt,
Iuncta est supplicijs fides iniquis.
Nec desit tamen anxijs medela:
Nam languente trucis leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.
Quas si quis sitienter hauriendo
Non gustu tenui, sed ore pleno,
Internis uelit implicare uenis:
Hic sancto sociatus ex propheta,
Iustorum capiet cibos uirorum,
Qui fructum Domino metunt perenni.
Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil quod plus hominem iuuare posit,
Quàm uatis pia præcinentis orsa.
His sumptis licet insolens potestas
Prauum iudicet, irrogetq; mortem:
Impasti licet irruant leones:
Nos semper Dominum patrem fatentes,
In te Christe Deus loquemur unum,
Constanterq; tuam crucem feremus.

HYMNVS V. AD INCENSVM
cerei Paschalis.

Monocolos tetrastrophos. Versus Choriambici tetrametri acatalecti.

— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — ∪ ∪

Inuentor rutili dux bone luminis,
Qui certis uicibus tempora diuidis:
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christe tuis redde fidelibus.
Quamuis innumero sidere regiam,
Lunariq; polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Hoc signas opere Conditor inclyte,
Lumen ueridicum mentibus omnium,
In Christo Domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur doctor egregius.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se uoluit petram,
Nostris igniculis unde genus uenit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis,
Quin & fila fauis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.
Viuax flamma uiget, seu caua testula
Succum linteolo suggerit ebrio:
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido uertice feruidum
Guttatim lachrymis stillat alentibus,
Ambustum quoniam uis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus Pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemq; diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero uicta fugit peplo.
Sed quis non rapidi luminis arduam,
Manantemq; Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifero in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
Felix, qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis solij uisere Principem,
Iussus nexa pedum uincula soluere,
Ne sanctum inuolucris pollueret locum.
Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Maiorum meritis tutus & impotens,
Suetus sub dominis uiuere barbaris,
Iam liber sequitur longa per auia:
Quà gressum tulerant, castraq; cærulæ
Noctis per medium concita mouerant,
Plebem peruigilem fulgere præuio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci littoris, inuido
Feruens felle, iubet præualidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasq; acies clangere classicum.

Sumunt

A Sumunt arma uiri, seq; minacibus
Accingunt gladijs, tristè canit tuba.
Hic fidit iaculis, ille uolantia
Præfigit calamis spicula Gnosijs.
Densatur cuneis turba pedestribus,
Currus pars, & equos, & uolucres rotas
Conscendunt celeres, signaq; bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hinc iam seruitij nescia pristini,
Gens Pelusiacis usta uaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert & ualidis prælia uiribus.
Moses porrò suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere greßibus.
Præbent rupta locum stagna uiantibus,
Riparum in faciem peruia, sistitur
Circunstans uitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
Pubes quinetiam decolor asperis
Irritata odijs, rege sub impio,
B Ebræum sitiens fundere sanguinem,
Audet se pelago credere concauo.
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia:
Sed confusa dehinc unda reuoluitur
In semet reuolans gurgite confluo.
Currus tunc, & equos, telaq; naufraga,
Ipsos & proceres, & uaga corpora
Nigrorum uideas nare satellitum,
Arcis iustitium triste tyrannicæ.
Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes Christe tuas? qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsidi
Cogis iusticiæ, uindice dextera?
Qui Pontum rapidis æstibus inuium
Persultare uetas, ut refluo in salo
Securus pateat te duce transitus,
Et mox unda rapax ut uoret impios.
Cui ieiuna eremi saxa madentibus
Exundant scatebris, & latices nouos
Fundit scissa silex, quæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqua, tristifico in lacu
Fit ligni uenia mel uelut Atticum.

Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius,
Nam præfixa cruci spes hominum uiget.
Implet castra cibus tunc quoq; ninguidus,
Illabens gelida grandine densius:
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sidereo Christus ab æthere.
Necnon imbrifero uentus anhelitu
Crassa nube leues inuehit alites,
Quæ difflata in humum cùm semel agmina
Fluxerunt, reduci non reuolant fuga.
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas numinis unici:
Cuius subsidio nos quoq; uescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.
Fessos ille uocat per freta seculi,
Discißis populum turbinibus regens,
Iactatasq; animas mille laboribus
Iustorum in patriam scandere præcipit.
Illic purpureis tecta rosarijs
Omnis fragrat humus, caltaq; pinguia
Et molles uiolas, & tenues crocos
Fundit fonticulis unda fugacibus.
Illic & gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraq; cinnama
Spirant, & folium, fonte quod abdito
Prælabens fluuius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suaue sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant & pedibus lilia candidis.
Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ,
Illa nocte, sacer qua redijt Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit:
Sed terris Domini de cruce tristibus
Maior sole nouum restituens diem.
Marcent supplicijs tartara mitibus,
Exultatq; sui carceris ocio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec feruent solito flumina sulphure.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem concilijs, uotaq; prospera
Certatim uigili congerimus prece,
Extructoq; agimus liba sacrario.

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma iacit uitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus,
Et qua Phosphoreum temo regit iugum
Passim purpureos spargier hesperos.
O'res digna, Deus, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil preciosius,
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux uera oculis, lux quoq; sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod famulans offero, suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine.
Per Christum genitum summe Pater tuum,
In quo uisibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde paraclitum.
Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
Maiestas, bonitas, & pietas tua
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis secula seculis.

HYMNVS VI. ANTE SOMNVM.

Monocolos, tetrastrophos. Versus Iambici dimetri catalecti.

v – v – v – v
– – v – v – v

Ades Pater supreme,
Quem nemo uidit unquam,
Patrisq; sermo Christe,
Et Spiritus benigne:
O'trinitatis huius
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroq; missus.
Fluxit labor diei,
Redit quietis hora,
Blandus sopor uicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,
Curisq; sauciata
Totis bibit medullis
Obliuiale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa uis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis
Deo iubente membris,
Vt temperet laborem
Medicabilis uoluptas.
Sed dum pererrat omnes
Quies amica uenas,
Pectusq; feriatum
Placat rigante somno:
Liber uacat per auras
Rapido uigore sensus,
Variasq; per figuras
Quæ sunt operta cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo cœlum,
Purusq; fons ab æthra
Iners iacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed sensa somniantûm
Dispar fatigat horror:
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.
Plerunq; dissipatis
Mendax imago ueris,
Animos pauore mœstos
Ambâge fallit atra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena uibrans
Res edocet latentes.
At qui coinquinatum
Vitijs cor impiauit,
Lusus pauore multo
Species uidet tremendas.
Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres approbauit.
Quorum reuersus unus,
Dat poculum tyranno:
Ast alterum rapaces

Fixum

A Fixum uorant uolucres.
Ipſum deinde regem
Perplexa ſomniantem,
Mouit famem futuram
Clauſis cauere aceruis.
Mox præſul ac tetrarches
Regnum per omne iuſſus
Sociam tenere uirgam,
Dominæ reſedit aulæ.
O' quàm profunda iuſtis
Arcana, per ſoporem
Aperit tuenda Chriſtus,
Quàm clara, quàm tacenda?
Euangeliſta ſummi
Fidiſsimus magiſtri,
Signata quæ latebant
Nebulis uidet remotis.
Ipſum Tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qui conſcium futuri
Librum reſignat unus.
Huius manum potentem
B Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrinq;
Duplicem minatur ictum.
Quæſitor ille ſolus
Animæq; corporiſq;,
Enſiſq; bis timendus
Prima ac ſecunda mors eſt.
Idem tamen benignus
Vltor, retundit iram,
Paucoſq; non piorum
Patitur perire in æuum.
Huic inclytus perenne
Tribuit pater tribunal,
Hunc obtinere iuſsit
Nomen, ſupra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichriſti,
Qui de furente monſtro
Pulchrum refert trophæum.
Quam beſtiam capacem,
Populoſq; deuorantem,
Quam ſanguinis charybdim,
Ioannes execratur.
Hæc nempe, quæ ſacratum
Præferre nomen auſa,
Imam petit gehennam,
Chriſto perempta uero.
Tali ſopore iuſtus
Mentem relaxat heros,
Vt ſpiritu ſagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat eſt quiete dulci
Feſſum fouere corpus,
Sat ſi nihil ſiniſtrum
Vanæ minentur umbræ.
Cultor Dei memento
Te fontis & lauacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te chriſmate innouatum.
Fac cùm uocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locumq; cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.
Procul ô procul uagantum
Portenta ſomniorum,
Procul eſto peruicaci
Præſtigiator aſtu.
O' tortuoſe ſerpens,
Qui mille per Meandros,
Fraudeſq; flexuoſas,
Agitas quieta corda:
Diſcede, Chriſtus hic eſt:
Hic Chriſtus eſt, liqueſce:
Signum, quod ipſe noſti,
Damnat tuam cateruam.
Corpus licet fatiſcens
Iaceat recliue paulum,
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabimur ſopore.

HYMNVS VII. IEIVNANTIVM.

Monocolos. Verſus ſunt Iābici trimetri acatalecti.

O' Nazarene, dux Bethlem, uerbum Patris,

Quem partus alui uirginalis protulit,
Adesto castis Christe parsimonijs,
Festumq; nostrum rex serenus aspice,
Ieiuniorum dum litamus uictimam.
Nihil hoc profectò purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur liuidi,
Intemperata quo domantur uiscera,
" Arruina putrem ne resudans crapulam
" Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subiugatur luxus, & turpis gula,
Vini atq; somni degener socordia,
Libido sordens, inuerecundus lepos,
Variæq; pestes languidorum sensuum,
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu & cibo,
Ieiuna ritè membra non coërceas:
Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusq; pigris stertat ut præcordijs.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Detersa ut intus emicet prudentia:
Sic excitato perspicax acumine,
Liberq; flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Elia tali creuit obseruantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi,
Fragore ab omni quem remotum & segregem
Spreuisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.
Sed mox in auras igneis iugalibus,
Curruq; raptus euolauit præpeti,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret uirum,
Olim probatis inclytum ieiunijs.
Non antè cœli principem septemplicis
Moses tremendi fidus interpres throni
Potuit uidere, quàm decem recursibus
Quater uolutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precantis solus in lacrymis fuit.
Nam flendo pernox, irrigatum puluerem
Humi madentis ore presit cernuo:
Donec loquentis uoce perstrictus Dei,
Expauit ignem non ferendum uisibus.
Ioannes huius artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit filium,

Parcũ
Sed vt Paruũ pastũ magis probem, fa cit Cornelij Celsi auctoritas, qui paruum cibũ dixit lib. iii. cap. xj. Maiore M. Varro lib. j. de re rustica cap. xxiij.

Curuos uiarum qui retorsit tramites, A
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc obsequelam præparabat nuncius,
Mox affuturo construens iter Deo,
Cliuosa planis, confragosa ut lenibus
Conuerterentur, néue quicquam deuium
Illapsa terris inueniret Veritas.
Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis iam uieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera:
Nec antè partu de senili effusus est,
Quàm prædicaret uirginem plenam Deo.
Pòst in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setis'ue tectus, hispida & lanugine,
Secessit, horrens inquinari & pollui
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentia,
Potum cibumq; uir seueræ industriæ
In usq; serum respuebat uesperum,
Paruum locustis & fauorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare. B
Hortator ille primus, & doctor nouæ
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lauit errorum notas:
Sed tincta postquàm membra defæcauerat, desiccauerat
Cœlo refulgens influebat spiritus.
Hoc ex lauacro labe dempta criminum,
Ibant renati non secus, quàm si rudis
Auri recocta uena pulchrum splendeat,
Micet metalli siue lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.
Referre prisci stemma nunc ieiunij
Libet, fideli proditum uolumine,
Vt diruendæ ciuitatis incolis
Fulmen benigni mansuefactum patris
Piè repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens iactantia
Pollebat olim, quam fluentem nequiter
Corrupta uulgò soluerat lasciuia:
Et inde bruto contumax fastidio,
Cultum superni negligebat numinis.
Offensa tandem iugis indulgentiæ
Censura, iustis excitatur motibus,
Dextram perarmat rhompheali incendio,

Nimbos

A Nimbos crepantes, & fragosos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.
Sed pœnitendi dum datur diecula,
Si fortè uellent improbam libidinem,
Veteresq; nugas condonare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paulumq; dicta substitit sententia.
Ionam prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuncius:
Sed nosset ille cùm minacem iudicem
Seruare malle, quàm ferire ac plectere,
Tectam latenter uertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem,
Vdo reuincta fune puppis soluitur.
Iter Itur per altum, fit procellosum mare,
Tum causa tanti quæritur periculi,
Sors in fugacem missa uatem decidit.
Iussus perire solus è cunctis reus,
Cuius uoluta crimen urna expresserat,
Præceps rotatur, & profundo immergitur,
Exceptus inde belluinis faucibus,
Alui capacis uiuus hauritur specu.
B Transmissa raptim præda, cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transuolans
Impunè linguam, ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent uiuidi,
Os omne transit, & palatum præterit.
Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino deuoratus gutture,
Errabat illic per latebras uiscerum,
Ventris recessus circumibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
Intactus exin tertiæ noctis uice,
Monstri uomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosq; candens spuma tundit pumices:
Ructatus exit, seq; seruatum stupet.
In Niniuitas se coactus percito
Gressu reflectit: quos ut increpauerat,
Pudenda censor imputans opprobria,
Impendet, inquit, ira summi uindicis,
Vrbemq; flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis & diræ struem,
Tectus flagellis multinodi germinis,
Nato & repentè perfruens umbraculo.
Sed mœsta postquàm ciuitas uulnus noui
Hausit doloris, heu supremùm palpitat,
Cursant per ampla congregatim mœnia
Plebs & senatus, omnis ætas ciuium,
Pallens iuuentus, ciulantes fœminæ.
Placet frementem publicis ieiunijs
Placare Christum, mos edendi spernitur,
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proq; gemma & serico
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.
Squallent recincta ueste pullati patres,
Setasq; plangens turba sumit textiles,
Impexa uillis uirgo bestialibus,
Nigrante uultum contegit uelamine,
Iacens harenis & puer prouoluitur.
Rex ipse, Coos æstuantem murices
Lænam reuulsa dissipabat fibula,
Gemmas uirentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat uinculum
Turpi capillos impeditos puluere.
Nullus bibendi, nemo uescendi memor,
Ieiuna mensas pubes omnis liquerat,
Quin & negato lacte uagientium
Fletu madescunt paruulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix denegat.
Greges & ipsos claudit armentalium
Sollers uirorum cura, ne uagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis néue fontis hauriat,
Vacuis querelæ personam præsepibus.
Mollitus his, & talibus, breuem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Properè sinistrum, prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Soluit reatum, fitq; fautrix flentium.
Sed cur uetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cùm grauatus artubus
IESVS, dicato corde ieiunauerit,
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emanuel est, siue nobiscum Deus.
Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumq; laxo sub uoluptatum iugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator seruientis plasmatis,
Regnantis antè uictor & cupidinis.

Inhospi-

Inhospitali nanq; secretus loco
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum uindicauit gratiam,
Firmans salubri scilicet ieiunio
Vas appetendis imbecillum gaudijs.
Miratus hostis, posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti,
Explorat arte sciscitator callida
Deus'ne membris sit receptus terreis:
Sed increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisq; nunc pro uiribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tuis dedisti Christe sectatoribus:
Vt cùm uorandi uicerit libidinem,
Latè triumphet imperator spiritus.
Hoc est, quod atri liuor hostis inuidet,
Mundi poliq; quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt niues:
Vt turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub ieiunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe & illud grande uirtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Vnam paremq; sortis humanæ uicem
Inter potentes atq; egenos ducere:
Satis beatus quisq; dextram porrigit,
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cuius sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatq; fructus fœnerantem centuplex.

HYMNVS VIII. POST IEIVNIVM.

Dicolos tetrastrophos. Versus tres priores hendecasyllabi Sapphici: quartus pentasyllabus Adonius.

–∪ –– –∪∪ –∪ –∪
–∪∪ –∪.

Christe seruorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, faciliq; septos
Lege coërces.

A
Ipse cùm portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Maior exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona summissum rotat hora solem,
Partibus uixdum tribus euolutis,
Quarta deuexo superest in axe
Portio lucis.
Nos breuis uoti dape uindicata
Soluimus festum, fruimurq; mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona uoluptas.
Tantus æterni fauor est magistri:
Doctor indulgens, ita nos amico
Lactat hortatu, leuis obsequela ut
Mulceat artus.
Addit &, ne quis uelit inuenusto
Sordidus cultu lacerare frontem:
Sed decus uultus, capitisq; pexum
Comit honorem.
Terge ieiunans, ait, omne corpus,
Néue subducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore. B
Rectius læto tegimus pudore,
Quicquid ad cultum patris exhibemus:
Cernit occultum Deus, & latentem
Munere donat.
Ille ouem morbo residem, gregiq;
Perditam sanat, malè dissipantem
Vellus affixis uepribus per hirtæ
Deuia syluæ.
Impiger pastor reuocat, lupisq;
Gestat exclusis, humeros grauatus,
Inde purgatam reuehens aprico
Reddit ouili.
Reddit & pratis, uiridiq; campo,
Vibrat implexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens.
Sed frequens palmis nemus, & reflexa
Vernat herbarum coma, tum perennis
Gurgitem uiui uitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi fide pastor,
Seruitus quæ'nam poterit rependi?

Nulla

A Nulla compenſant precium ſalutis
Vota precantum.
Quamlibet ſpreto ſine more paſtu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teq́; contemptis epulis rogemus
Nocte dieq́;:
Vincitur ſemper minor obſequentûm
Cura, nec munus genitoris æquat,
Frangit & cratem luteam laboris
Grandior uſus.
Ergo ne limum fragilem ſolutæ
Deſerant uires, & aquoſus albis
Humor in uenis dominetur, ægrum
Corpus eneruans:
Laxus ac liber modus abſtinendi
Ponitur cunctis, neq; nos ſeuerus
Terror impellit, ſua quenq; cogit
Velle poteſtas.
Sufficit, quicquid facias uocato
Numinis nutu prius, inchoare,
Siue tu menſam renuas, cibumq́;
Sumere tentes.
B Annuit dexter Deus, & ſecundo
Proſperat uultu: uelut hoc ſalubre
Fidimus nobis fore, quòd dicatas
Carpimus eſcas.
Sit bonum ſupplex precor, & medelam
Conferat membris, animumq́; paſcat
Sparſus in uenas cibus obſecrantûm
Chriſticolarum.

HYMNVS IX.
Omni hora atque die.
Monocolos, triſtrophos. Verſus trochaici
octonarij catalecti.
— ∪ — — — ∪ — — — ∪ — — — ∪ ∪

Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus
Dulce carmen & melodum: geſta Chriſti inſignia.
Hunc Camœna noſtra ſolū pangat, hūc laudet lyra.
Chriſtus eſt quē rex ſacerdos affuturū protinus
Infulatus concinebat uoce, chorda & tympano,
Spiritum cœlo influentem per medullas hauriens.
Facta nos & iam probata pangimus miracula,
Teſtis eſt orbis, nec ipſa terra quod uidit negat,
Comminus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde natus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha & ω cognominatur, ipſe fons & clauſula
Omnium quæ ſunt, fuerunt, quæq́; pòſt futura ſunt.
Ipſe iuſsit, & creata: dixit ipſe, & facta ſunt,
Terra, cœlum, foſſa ponti, trina rerum machina,
Quæq́; in his uigent ſub alto ſolis & lunæ globo.
Corporis formā caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret protoplaſti ex germine,
Merſerat quem lex profundo noxialis tartaro.
O' beatus ortus ille, uirgo cùm puerpera
Edidit noſtram ſalutem, fœta ſancto Spiritu,
Et puer redemptor orbis os ſacratum protulit.
Pſallat altitudo cœli, pſallat omnis angelus,
Quicquid eſt uirtutis uſquam pſallat in laudē Dei:
Nulla linguarum ſileſcat, uox & omnis conſonet.
Ecce quem uates uetuſtis concinebant ſeculis,
Quem prophetarum fideles paginæ ſpoponderāt,
Emicat, promiſſus olim: cuncta collaudent eum.
Cantharis infuſa lympha fit Falernum nobile,
Nunciat uinum miniſter eſſe promptum ex hydria,
Ipſe rex ſapore tinctis obſtupeſcit poculis.
Membra morbis ulceroſa, uiſcerum putredines
Mando ut abluātur, inquit: fit ratum quod iuſſerat,
Turgidam cutem repurgant uulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris iam ſepulta lumina
Illinis limo ſalubri, ſacri & oris nectare:
Mox apertis hac medela lux reducta eſt orbibus.
Increpas uentū furētem, quòd procellis triſtibus
Verrat æquor fundo ab imo, uexet & uagam ratē:
Ille iuſsis obſecundat, mitis unda ſternitur.
Extimum ueſtis ſacratæ furtim mulier attigit,
Protinus ſalus ſecuta eſt, ora pallor deſerit,
Siſtitur riuus, cruore qui fluebat perpeti.
Exitu dulcis iuuentæ raptum ephebum uiderat,
Orba quem mater ſupremis funerabat fletibus:
Surge, dixit: ille ſurgit, matri & aſtans redditur.
Sole iā quarto carentē, iam ſepulchro abſcōditū
Lazarum iubet uigere, reddito ſpiramine:
Fœtidum iecur reductus rurſus intrat halitus.
Ambulat per ſtagna pōti, ſumma calcat fluctuū,
Mobilis liquor profundi pendulam præſtat uiam,
Nec fatiſcit unda ſanctis preſſa ſub ueſtigijs.
Suetus antro buſtiali ſub catenis frendere, bustuali
Mentis impos efferatis percitus furoribus
Proſilit, ruitq́; ſupplex, Chriſtum adeſſe ut ſenſerat.
Pulſa peſtis lubricorum milleformis dæmonum,
Corripit gregis ſuilli ſordida ſpurcamina,
Seq́; nigris mergit undis, fit pecus lymphaticum.

Fert ter in qualis quaternis ferculorũ fragmina,
Affatim referta iam sunt accubantum millia
Quinque panibus peresis, & gemellis piscibus.
Tu cibus panisq; noster, tu perennis suauitas:
Nescit esurire in æuum, qui tuam sumit dapem:
Nec lacunam uentris implet, sed fouet uitalia.
Clausus aurium meatus, & sonorum nescius,
Purgat ad præcepta Christi crassa quæq; obstacula,
Vocibus capax fruendis ac susurris peruius.
Omnis ægritudo cedit, languor omnis pellitur,
Lingua fatur, quam ueterna uinxerant silentia,
Gestat & suum per urbem lætus æger lectulum.
Quin & ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat, fracta cedit ianua,
Vectibus cadit reuulsis cardo dissolubilis.
Illa prompta ad irruentes, ad reuertentes tenax,
Obice extrorsum recluso porta reddit mortuos
Lege uersa, et limen atrum iam recalcandum patet.
Sed Deus dum luce fulua mortis antra illuminat,
Dum stupentibus tenebris candidum præstat diem:
Tristia squallentis æthræ palluerunt sidera.
Sol refûgit, & lugubri sordidus ferrugine
Igneum reliquit axem, seq; mœrens abdidit,
Fertur horruisse mundus noctis æternæ chaos.
Solue uocẽ mens sonorã, solue linguã mobilem,
Dic trophæum passionis, dic triumphalem crucem,
Pange uexillum notatis quod refulget frontibus.
O nouum cæde stupenda uulneris miraculum,
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera,
Lympha nẽpe dat lauacrũ, tũ corona ex sãguine est.
Vidit anguis immolatam corporis sacri hostiam,
Vidit, & fellis perusti mox uenenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus sibilat.
Quid tibi, profane serpens, profuit rebus nouis
Plasma primum perculisse, uersipelli astutia?
Diluit culpam recepta forma mortalis Deo.
Ad breuem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum uinculis peccaminum.
Hunc patres, sanctiq; multi cõditorem præuium
Iam reuertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, deq; bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de fauillis aridis,
Frigidum uenis resumptis puluerem tepescere,
Ossa, neruos ac medullas glutino cutis tegi.
Post ut occasum resoluit uitæ, et hominẽ reddidit,
Arduum tribunal alti uictor ascendit patris, A
Inclitam cœlo reportans passionis gloriam.
Macte iudex mortuorum, macte rex uiuentium,
Dexter in parentis arce qui cluis uirtutibus,
Omnium uenturus inde iustus ultor criminum.
Te senes, & te iuuentus, paruulorum te chorus,
Turba matrum uirginumq;, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus, & undæ, littorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, aura, silua, nox, dies,
Omnibus te concelebrent seculorum seculis.

HYMNVS X.

Ad defunctorum exequias.

Monocolos tetrastrophos. Versus anapæstici trimetri catalecti.

υυ– υυ– υυ– –

Deus ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa,
Viuum simul ac moribundum,
Hominem pater effigiasti.
Tua sunt, tua rector utraque
Tibi copula iungitur horum:
Tibi dum uegetata cohærent, B
Spiritus simul & caro uiuit.
Rescissa sed ista seorsum,
Proprios reuocantur in ortus:
Petit alter æthera feruens,
Humus excipit arida corpus.
Rescissa sed ista seorsum
Soluunt hominem, perimuntq;:
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.
Quia cuncta creata necesse est
Tabefacta senescere tandem,
Compactaq; dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Vt dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior exstet,
Quæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte uoluntas
Luteum sapit, & graue captat:

Animus

A Animus quoq; pondere uictus,
Sequitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignis
Contagia pigra recuset,
Vehit hospita uiscera secum,
Pariterq; reportat ad astra.
Nam quòd requiescere corpus
Vacuum sine mente uidemus,
Spacium breue restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula, cùm iam
Socius calor ossa reuisat,
Animataq; sanguine uiuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
B Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaq; myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.
Quid nam sibi saxa cauata?
Quid pulchra uolunt monumenta?
Res quòd nisi creditur illis
Non mortua, sed data somno?
Hoc prouida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia uiua,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui iacta cadauera paßim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataq; funera nobis
Aliena in morte dolere.
Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac uenerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis
Ius prætulit exequiarum,
Iam stantibus ille ministris,
Cyathos & fercula liquit,
Studioq; accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Preciumq; rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis
Deus illita felle serenat.
Iam tunc docuit pater orbis,
Quàm sit rationis egena,
Mordax & amara medela,
Cùm lux animum noua uexat.
Docuit quoque non prius ullum
Cœlestia cernere regna,
Quàm nocte & uulnere tristi
Tolerauerit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est,
Quòd per cruciamina lethi
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere nouit.
Hæc quæ modò pallida tabo
Color albidus inficit ora:
Tunc flore uenustior omni,
Sanguis cute tinget amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neq; sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoq; pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter uincula mille.
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, iamq; perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos mouerat ipse dolores.
Quid turba superstes, inepta
Plangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita iura,
Luctu dolor arguit amens?
Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,

Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio uitæ est.
Sic semina sicca uirescunt
Iam mortua, iamq; sepulta,
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fouendum,
Gremioq; hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Feruens habitauit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor & auctor,
Proprijq; ænigmata uultus.
Veniant modò tempora iusta,
Cùm spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non si cariosa uetustas
Dissoluerit ossa fauillis,
Fueritq; cinisculus arens,
Minimi mensura pugilli.
Nec si uaga flumina, & auræ
Vacuum per inane uolantes,
Tulerint cum puluere neruos,
Hominem perijsse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atq; reformas,
Quâ nam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar,
Quem floribus undiq; septum
Diues procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta Redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per uestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam Paradisi:
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
Illic precor optime ductor, A
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul & errans.
Nos tecta fouebimus ossa
Violis, & fronde sequenti,
Titulumq; & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

HYMNVS XI. AD VIII. KALENdas Ianuarias.

Carmen simile superiori, Ales diei nuncius.

υ – υ – – – υ –

Quid est, quòd arctum circulum
Sol iam recurrens deserit?
Christus'ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quàm fugacem gratiam
Festina uoluebat dies:
Quàm penè subductam facem
Sensim recisa extinxerat.
Cœlum nitescat lætius,
Gratetur & gaudens humus, B
Scandit gradatim denuò
Iubar priores lineas.
Emerge dulcis pusio,
Quem matris edit castitas,
Parens, & expers coniugis,
Mediator, & duplex genus.
Ex ore quamlibet patris
Sis ortus, & uerbo editus:
Tamen paterno in pectore
Sophia callebat prius.
Quæ prompta cœlum condidit,
Solem, diemq;, & cætera.
Virtute uerbi effecta sunt
Hæc cuncta: nam uerbum Deus.
Sed ordinatis seculis,
Rerumq; digesto statu,
Fundator ipse & artifex
Permansit in Patris sinu.
Donec rotata annalium
Transuoluerentur millia,
Atq; ipse peccantem diu
Dignatus orbem uiseret.
Nam cæca uis mortalium

Venerans

A Venerans inanes nænias,
Vel æra, uel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum sequuntur, perfidi
Prædonis in ius uenerant,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impunè, ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit,
Vt excitato corpore
Mortis catenam frangeret,
Hominemq; portaret patri.
Hic ille natalis dies,
Quo te Creator arduus
Spirauit, & limo indidit,
Sermone carnem glutinans.
Sentis 'ne uirgo nobilis,
Matura per fastidia,
Pudoris intactum decus
B Honore partus crescere?
O' quanta rerum gaudia
Aluus pudica continet,
Ex qua nouellum seculum
Procedit, & lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit:
Nam tunc renatus sordidum
Mundus ueternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasq; harenas Syrtium
Fragrasse nardo & nectare.
Te cuncta nascentem puer
Sensere dura & barbara:
Victusq; saxorum rigor,
Obduxit herbam cotibus.
Iam mella de scopulis fluunt,
Iam stillat ilex arido
Sudans amomum in stipite,
Iam sunt myricis balsama.
O' sancta præsepis tui
Aeterne rex cunabula,
Populisq; per seclum sacra,
Mutis & ipsis credita.
Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet:
Adorat excors natio,
Vis cuius in pastu sita est.
Sed cùm fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, & quadrupes,
Sapiatq; quod brutum fuit:
Negat patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum:
Credas uenenis ebriam,
Furijs 'ue lymphatam rapi.
Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quicquam tibi
Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.
Hunc quem latebræ, & obstetrix,
Et uirgo fœta, & cunulæ,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus:
Peccator intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Deiectus ipse & irritis
Plangens reatum fletibus:
Cùm uasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis soluerit:
Insignis ipse, & præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam & tartarum.
Iudæa tunc fulmen crucis
Experta, qui sit senties,
Quem te furoris præside
Mors hausit, & mox reddidit.

HYMNVS XII. EPIPHANIAE.

Ratio carminis huius conuenit cum superiore.

Quicunq; Christum quæritis,
Oculos in altum tollite,
Illic licebtt uisere
Signum perennis gloriæ.
Hæc stella, quæ solis rotam
Vincit decôre ac lumine,
Venisse terris nunciat

Cum carne terrestri Deum.
Non illa seruit noctibus,
Sequuta lunam menstruam:
Sed sola cœlum poßidens,
Cursum dierum temperat.
Arctoa quamuis sidera
In se retortis motibus
Obire nolint: attamen
Plerunq; sub nimbis latent.
Hoc sidus æternùm manet,
Hæc stella nunquam mergitur,
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis cometa intercidat,
Et si quod astrum Sirio
Feruet uapore, iam Dei
Sub luce destructum cadat.
En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit ianuam,
Cernunt periti interpretes
Regale uexillum Magi.
Quod ut refulsit, cæteri
Cessere signorum globi,
Nec pulcher est ausus suam
Conferre formam lucifer.
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans,
Quem sic tremunt cœlestia,
Cui lux & æthra inseruiunt?
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo & chao.
Hic ille rex est gentium,
Populiq; rex Iudaici,
Promissus Abrahæ patri,
Eiusq; in æuum semini.
Aequanda nam stellis sua
Cognouit olim germina,
Primus sator credentium,
Nati immolator unici.
Iam flos subit Dauidicus
Radice Iessæa editus:
Sceptriq; per uirgam uirens,
Rerum cacumen occupat.
Exin sequuntur perciti
Fixis in altum uultibus,
Quà stella sulcum traxerat,
Claramq; signabat uiam.
Sed uerticem pueri suprà
Signum pependit imminens,
Pronaq; submissum face
Caput sacratum prodidit.
Vidêre quod postquàm Magi,
Eoa promunt munera:
Stratiq; uotis offerunt
Thus, myrrham, & aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis, ac regni tui
Puer ô, cui trinam Pater
Prædestinauit indolem.
Regem, Deumq; anunciant,
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis sepulchrum prædocet.
Hoc est sepulchrum, quo Deus
Dum corpus extingui sinit,
Atq; id sepultum suscitat,
Mortis refregit carcerem.
O' sola magnarum urbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere.
Altrice te, summo patri
Hæres creatur unicus,
Homo ex Tonantis spiritu,
Idemq; sub membris Deus.
Hunc & prophetis testibus,
Iisdemq; signatoribus,
Testator & sator iubet
Adire regnum, & cernere.
Regnum quod ambit omnia
Dia, & marina, & terrea,
A' solis ortu ad exitum,
Et tartara, & cœlum suprà.
Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israël regat,
Teneatq; Dauid regiam:
Exclamat amens nuncio,
Successor instat, pellimur:
Satelles i, ferrum rape,

A Perfunde cunas sanguine.
Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus,
Interq; materna ubera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethlem mihi
Puerperarum est omnium
Fraus, ne qua furtim subtrahat
Prolem uirilis indolis.
Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animasq; rimatur nouas.
Locum minutis artubus
Vix interemptor inuenit,
Quo plaga descendat patens,
Juguloq; maior pugio est.
O' barbarum spectaculum,
Illisa ceruix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosq; per uulnus uomit.
Aut in profundũ palpitans
B Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus
Singultat unda & halitus.
Saluete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi uictima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante & ipsam simplices
Palma & coronis luditis.
Quid proficit tãtum nefas?
Quid crimen Herodem iuuat?
Vnus tot inter funera
Impune Christus tollitur.
Inter coæui sanguinis
Fluenta, solus integer:
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit uirginis.
Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram præferens
Moses, receptor ciuium.
Cautum & statutum iusserat,
Quo non liceret matribus,
Cum pondus alui absolueret,
Puerile pignus tollere.
Mens obstetricis sedulæ
Pie in tyrannum contumax,
Ad spem potentis gloriæ
Furata seruat paruulum.
Quem mox sacerdotem sibi
Assumpsit orbis conditor,
Per quem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.
Licet'ne Christum noscere
Tanti per exemplum uiri?
Dux ille cæso Aegyptio
Absoluit Israël iugo.
At nos subactos iugiter
Erroris imperio graui,
Dux noster hoste saucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præliante exercitu,
Passis in altum brachijs,
Sublimis Amalech premit
Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe IESVS uerior,
Qui longa post dispendia,
Victor suis tribulibus
Promissa soluit iugera.
Qui ter quaternas deniq;
Refluentis amnis alueo
Fundauit & fixit petras,
Apostolorum stemmata.
Iure ergo se Iudæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Cum facta priscorum ducum
Christi figuram pinxerint.
Hic rex priorum iudicum,
Rexere qui Iacob genus,
Dominæq; rex ecclesiæ,
Templi & nouelli & pristini.
Hunc posteri Effraim colunt,
Hunc sancta Manassæ domus,
Omnesq; suspiciunt tribus,

Biſſena fratrum ſemina.
Quin & propago degener
Ritum ſequuta inconditum,
Quæcunq; dirum feruidis
Baal caminis coxerat:
Fumoſa auorum numina
Saxum, metallum, ſtipitem,
Raſum, dolatum, ſectile,
In Chriſti honorem deſerit.
Gaudete quicquid gentium eſt,
Iudæa, Roma, & Græcia,
Aegypte, Thrax, Perſa, & Scytha,
Rex unus omnes poßidet.
Laudate ueſtrum principem
Omnes, beati ac perditi,
Viui, imbecilli, ac mortui,
Iam nemo poſthac mortuus.

AVRELII PRVDENTII περὶ Στεφάνων, id eſt, de Coronis.

HYMNVS I. SANCTIS MARtyrib. Hemiterio & Chelcdonio Calagurritanis.

Carminis ratio eiuſmodi eſt, qualis Hymni, Da puer plectrum.

— υ — — — υ — — — υ — υ — υ — (la,

SCripta ſunt cœlo duorũ martyrũ uocabu
Aureis quæ Chriſt' illic annotauit literis,
Sanguinis notis eadẽ ſcripta terris tradi-
Pollet hoc felix per orbẽ terra Ibera ſtẽmate, (dit.
Hic locus dignus tenendis oßibus uiſus Deo,
Qui beatorum pudicus eſſet hoſpes corporum.
Hic calentes hauſit undas cæde tinctus duplici,
Illitas cruore ſancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obſecrantes uoce, uotis, munere.
Exteri nec non & orbis huc colonus aduenit:
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hîc patronos eſſe mundi quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogãdo fruſtrà cõgeßit preces.
Lætus hinc terſis reuertit ſupplicator fletibus,
Omne quod iuſtum popoſcit impetratum ſentiens.
Tanta pro noſtris periclis cura ſuffragantiũ eſt.
Non ſinant, inane ut ullus uoce murmur fuderit:
Audiunt, ſtatimq; ad aurem regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipſo dona terris influunt,
Supplicum cauſas petitis quæ medelis irrigant.
Nil ſuis bonus negauit Chriſtus unquam teſtibus. A
Teſtibus quos nec catenæ, dira nec mors terruit.
Vnicum Deum fateri ſanguinis diſpendio,
Sanguinis ſed tale damnum lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorũ eſt, hoc probis dignũ
Mẽbra morbis exedẽda texta uenis lãguidis, (uiris,
Hoſtico domare ferro, morte & hoſtem uincere.
Pulchrar, es ictum ſub enſe perſecutoris pati:
Nobilis per uulnus amplum porta iuſtis panditur,
Lota mens in fonte rubro ſede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris antè uitam duxerant
Milites, quos ad perenne cingulum Chriſtus uocat.
Sueta uirtus bello & armis, militat ſacrarijs.
Cæſaris uexilla linquunt, eligunt ſignum crucis:
Proq; uentoſis draconum quod gerebant pallijs,
Præferũt inſigne lignum, quod draconem ſubdidit.
Vile cenſent expeditis ferre dextris ſpicula,
Machinis murum ferire, caſtra foßis cingere,
Impias manus cruentis inquinare ſtragibus.
Fortè tunc atrox ſecundos Iſraelis poſteros
Ductor aulæ mundialis ire ad aram iuſſerat,
Idolis litare nigris, eſſe Chriſti refugas:
Liberam ſuccincta ferro peſtis urgebat fidem, B
Illa uirgas & ſecures, & biſulcas ungulas
Vltro fortis expetebat, Chriſti amore interrita.
Carcer illigata duris colla baijs impedit,
Barbaras forum per omne tortor exercet manus:
Veritas crimen putatur, uox fidelis plectitur.
Tunc & enſe cæſa uirtus triſte percußit ſolum,
Et rogis ingeſta mœſtis, ore flammas ſorbuit:
Dulce tunc iuſtis cremari, dulce ferrum perpeti.
Hîc duorum cara fratrum conualeſcunt pectora
Fida, quos per omne tempus iunxerat ſodalitas:
Stant parati ferre, quidquid ſors tuliſſet ultima.
Seu foret præbẽda ceruix ad bipennem publicã,
Verberum poſt uim crepantũ, poſt cataſtas igneas:
Siue pardis offerendum pectus, aut leonibus,
Nos'ne Chriſto procreati mammonæ dicabimur,
Et Dei formam gerentes ſeruiemus ſeculo?
Abſit ut cœleſtis ignis ſe tenebris miſceat.
Sit ſatis, quòd capta primo uita ſub chirographo,
Debitum perſoluit omne, functa rebus Cæſaris.
Tempus eſt Deo repẽdi, quidquid eſt propriũ Dei.
Ite ſignorum magiſtri, & uos tribuni abſiſtite,
Aureos auferte torques, ſauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum iam uocant ſtipendia.
Chriſtus

A Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames deos,
Vosq; qui ridenda uobis monstra diuos fingitis.
Hæc loquētes, obruuntur mille pœnis martyres,
Nexibus manus utrasq; flexus inuoluit rigor,
Et chalybs attrita colla grauibus ambit circulis.
O' uetustatis silentis obsoleta obliuio,
Inuidentur ista nobis, fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita secula,
Ordinem, tempus, modumq; paßionis proditum,
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerēt.
Hoc tamen solùm uetusta subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis an capillum pauerint.
Quo uiros dolore tortor, qua'ue pœna ornauerit.
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quòd sursum per auras euolarunt munera,
Quæ uiam patere cœli præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus,
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium:
Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri abscōditur,
B Ac diu uisum sequacem textilis candor fugit:
Subuehuntur usq; in astra, nec uidentur amplius.
Vidit hoc conuentus astans, ipse uidit carnifex,
Et manum repreßit hærens, ac stupore oppalluit:
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.
Iam'ne credis bruta quondā Vasconū gentilitas,
Quàm sacrum crudelis error immolarit sanguinē?
Credis in Deum relatos hostiarum spiritus?
Cerne q̃ palàm feroces hîc domantur dæmones,
Qui lupino capta ritu deuorant præcordia,
Strangulant mentes & ipsas, seq; miscent sensibus.
Tunc suo iam plenus hoste sistitur furens homo,
Spumeas efflans saliuas, cruda torquens lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor astat, eiulatus flebiles:
Scinditur per flagra corpus, nec flagellū cernitur,
Crescit & suspensus ipse uinculis latentibus.
His modis spurcū latronē martyrū uirtus quatit,
Hæc coërcet, torquet, urit, hæc catenas incutit,
Prædo uexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit,
Vngue ab imo usq; ad capillum salua reddit omnia,
Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola. (ra?
Quid loquar, purgata lōgis alba morbis corpo-
Algidus cùm decoloros horror artus concutit,
Hîc tumor uultum relinquit, hîc color uerus redit.
Hoc bonū Saluator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum cùm mēbra nostro consecrauit oppido,
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iberus alluit. (lis,
State nunc hymnistæ matres pro receptis paruu-
Coniugum salute læta uox maritarum strepet,
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

HYMNVS II. DIVO LAVRENTIO Hispano, Archidiacono Romano.

Mensura Carminis huius conuenit cum Hymno matutino, Ales diei.

ANtiqua fanorum parens,
Iam Roma Christo dedita,
Laurentio uictrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos uiceras,
Populosq; frenis presseras:
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperij iugum.
Hæc sola deerat gloria
Vrbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut spurcum Iouem.
Non turbulentis uiribus,
Coßi, Camilli, aut Cæsaris:
Sed martyris Laurentij
Non incruento prælio.
Armata pugnauit fides,
Proprij cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
Fore hæc sacerdos dixerat
Iam Xistus affixus cruci,
Laurentium flentem uidens
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoq;
Post hoc sequêris triduum.
Extrema uox Episcopi
Prænunciatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua uoce, quantis laudibus

Celebrabo mortis ordinem?
Quo paßionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hic primus è septem uiris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis gradu
Et cæteris præstantior.
Claustris sacrorum præerat
Cœlestis arcanûm domus,
Fidis gubernans clauibus,
Votasq; dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus urbi regiæ,
Minister insani ducis
Exactor auri & sanguinis.
Qua ui latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrarijs,
Cumulosq; congestos tegi.
Laurentium sisti iubet,
Exquirit arcam ditibus
Maßis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sæuire nos iustò amplius,
Cùm Christiana corpora
Plus quàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagito
Quòd spontè obire debeas.
Hunc esse uestris orgijs
Moremq; & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Astare fixos cereos.
Tunc summa cura est fratribus,
Vt sermo testatur loquax,
Offerre fundis uenditis
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendijs
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma uestrum est audio,
Suum quibusq; reddito:
En Cæsar agnoscit suum
Nomisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da, nempe iustum postulo,
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm ueniret, aureos
Secum Philippos detulit:
Præcepta sed uerbis dedit,
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quam uos per orbem uenditis:
Nummos libenter reddite,
Estote uerbis diuites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est diues, inquit, non nego,
Habetq; nostra Ecclesia
Opumq; & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem poßidens,
Cui nummus omnis scribitur:
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Preciosa quæ Christus tenet.
Vnum sed orans flagito,

Ænigmata denarior.

Indu-

A Induciarum paululum,
Quò fungar efficacius
Promißionis munere.
Dum tota digeſtim mihi
Chriſti ſupellex ſcribitur:
Nam calculanda primitùs,
Tunc ſubnotanda eſt ſummulæ.
Lætus tumeſcit gaudio
Præfectus, ac ſpem deuorat, Cicero pro L. Flacco.
Aurum, uelut iam conditum
Domi maneret geſtiens.
Pepigêre tempus tridui:
Laudatus inde abſoluitur
Laurentius, ſponſor ſui,
Et ſponſor ingentis lucri.
Tribus per urbem curſitat
Diebus, infirma agmina,
Omneſq; qui poſcunt ſtipem,
Cogens in unum congregat.
Illic utriſq; obtutibus
Orbes cauatos præferens
Baculo regebat præuio,
B Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco ſemipes,
Breuior ue planta ex altera,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt ulceroſis artubus
Qui tabe corrupta fluat:
Eſt cuius arens dextera
Neruos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, aſſuetos ali
Eccleſiæ matris penu,
Quos ipſe primus nouerat.
Recenſet exin ſingulos,
Scribens uiritim nomina,
Longo & locatos ordine
Aſtare pro templo iubet.
Præſcriptus & iam fluxerat
Dies, furebat feruido
Iudex auarus ſpiritu,
Promiſſa ſolui efflagitans.
Tum martyr: Aßiſtas uelim,
Coramq; diſpoſtas opes
Mirere, quas noſter Deus
Prædiues in ſanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere uaſis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet ſequi:
Ventum ad ſacratam ianuam,
Stabant cateruæ pauperum,
Inculta uiſu examina.
Fragor rogantum tollitur:
Præfectus horreſcit ſtupens,
Conuerſus in Laurentium,
Oculiſq; turbatis minax.
Contrà ille, quid frendens, ait,
Minitaris? aut: Quid diſplicet?
Num ſordida hæc, aut uilia?
Num deſpuenda exiſtimas?
Aurum quod ardenter ſitis,
Effoſſa gignunt rudera,
Et de metallis ſquallidis
Pœnalis excudit labor. Ad metalla damnati: et in opus metalli
Torrens uel amnis turbidis &
Voluens arenis implicat:
Quod terrulentum ac ſordidum,
Flammis neceſſe eſt decoqui.
Pudor per aurum ſoluitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipſæ intercidunt.
Quid tu uenenum gloriæ
Extollis, & magni putas?
Si quæris aurum uerius,
Lux eſt, & humanum genus.
Hi ſunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile:
Ne per ſalutem uiſcerum
Mens inſoleſcat turgida.
Cùm membra morbus diſſecat, diſſicit
Animus uiget robuſtior,
Membris uicißim fortibus
Vis ſauciatur ſenſuum.
Nam ſanguis in culpam calens
Minus miniſtrat uirium,
Si feruor effœtus malis
Elumbe uirus contrahat.
Si fortè detur optio,

Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus uiuere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues,
Carnis'ne morbus fœdior
An mentis & morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum uenusti innoxium
Languoris experti gerunt.
Vestros ualentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Erroŕq; mancum claudicat, Claudico
Et cæca fraus nihil uidet.
Quemuis tuorum principum, diuitū
Qui ueste & ore prænitet,
Magis probabo debilem,
Quàm quis meorum est pauperum.
Hunc qui superbit serico,
Quem currus inflatum uehit:
Hydrops aquosus lucido
Tendit ueneno intrinsecus.
Ast hic auarus contrahit,
Manus recuruas, & uolam
Plicans aduncis unguibus
Laxare neruos non ualet.
Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto & cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille feruens ambitu,
Sitiŕq; honoris æstuans,
Mersis'ne anhelat febribus, Mersus'ne
Atq; igne uenarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, & scalpit iecur,
Scabiemq; cordis sustinet.
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & liuida
Malignitatum uulnera?
Tute ipse qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio. A
Hi quos superbus despicis,
Quos execrandos iudicas,
Breui ulcerosos exuent
Artus, & incolumes erunt.
Cùm carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo uitæ statu
In arce lucebunt patris.
Non sordidati aut debiles,
Sicut uidentur interim:
Sed purpurantibus stolis
Clari, & coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes seculi
Velim recensendos dari.
Pannis uideres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum saliuis uuidum,
Lipposq; palpebra putri.
Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum aut putridum: B
Cruda est cicatrix criminum,
Oletq; ut antrum tartari.
Animabus inuersa uice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectauerat.
En ergo nummos aureos,
Quos proximè spoponderam,
Quos nec fauillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes,
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas uirgines,
Mireris intactas anus,
Primiq; post dannum thori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ,
His illa gemmis comitur,
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum uerticem.
Eccum talentum suscipe,

Ornabis

A Ornabis urbem Romulam,
Ditabis & rem principis,
Fies & ipse ditior.
Ridemur, exclamat furens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur, [Figuratæ locutiões.]
Et uiuit insanum caput.
Impune tantas furcifer
Strophas cauillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna uisa urbanitas
Tractare nosmet ludicris?
Egon' cachinnis uenditus
Acroama festiuum fui?
Adeo'ne nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam,
Votiua mors est martyri.
Est ista uobis, nouimus,
B Persuasionis uanitas.
Sed non uolenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus,
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum iugibus, [Moris pœnaz dixisset ni obstitisset lex carminis.]
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne feruor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu leui
Tormenta sensim temperet
Semustulati corporis.
Benè est quòd ipse ex omnibus
Mysteriarches incidat, [suppl. incidat in meis iudicii manus.]
Hic solus exemplum dabit
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum, [constructum]
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc stante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra & tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorq; circunfusus est.
Talem reuertens legifer
De monte uultum detulit:
Iudæa quem plebs aureo
Boue inquinata, & decolor
Expauit, & faciem retro
Detorsit, impatiens Dei.
Talemq; & ille prætulit
Oris corusci gloriam,
Stephanus per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub uelamine
Obducta, clarum non uidet.
Aegyptiæ plagæ in modum,
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret, Ebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quàm reddit cutis,
Diuersa utrosq; permouet,
His nidor, illis nectar est.
Idemq; sensus dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares uindice,
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus [Ignis Chrs. Paulus Epla ad Hebræos cap. 13]
(Nam Christus ignis uerus est)
Is ipse complet lumine
Iustos, & urit noxios.
Postquàm uapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Vltrò è catasta iudicem
Compellat affatu breui:
Conuerte partem corporis

Satis crematam iugiter:
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet.
Tunc ille: Coctum est, deuora,
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suauius.
Hæc ludibundus dixerat:
Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe numen unicum,
O splendor, ô uirtus patris,
O factor orbis & poli,
Atq; auctor horum mœnium:
Qui sceptra Romæ in uertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Seruire, & armis cedere:
Vt discrepantum gentium
Mores & obseruantiam,
Linguasq;, & ingenia, & sacra,
Vnis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum quo magis
Ius Christiani nominis,
Quodcunq; terrarum iacet
Vno illigares uinculo.
Da Christe, Romanis tuis
Sit Christiana ciuitas:
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia
Hinc inde membra in symbolum:
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.
Aduertat adiunctas plagas
Coire in unam gratiam:
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse iam credat Numa.
Confundit error Troicus,
Adhuc Catonum curiam,
Veneratur occultis focis

Vera Romanæ vltimæq; Monarchiæ ratio, quæ ab Eucherio quoq; Lugdunensiu Epo laudata ē, in Parenesi illa aureola ad Valerianu nepotē. repetitaq; es[t] F. J. a Prudentio aduersus Symmachū lib. posteriore. colūna 243

adiunctas: abiunctas

Phrygum penates exules.
Ianum bifrontem & Sterculum
Colit Senatus: horreo
Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.
Absterge Christe hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut uerum Deum
Errans Iuli cæcitas.
Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei:
Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes:
Alter uocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.
Discede adulter Iuppiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemq; iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id quod ipse armaueras
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoq;, qui seruos Dei
Tetris sacrorum sordibus
Seruire Romam non sinat.
Qui templa claudat uectibus,
Valuas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens aheno pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora:
Stabunt & æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem uinculi
Carnalis, erupit uolens
Vocem sequutus spiritus,
Vexere corpus subditis
Ceruicibus quidam patres,
Quos mira libertas uiri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles

Primam: Primus
seruos: seruus
idem: item

Afflarat

A Afflarat & coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium,
Plebs in sacellis rarior,
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius,
Non ense præcinxit latus
Hostile, sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.
Dum dæmon inuictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternùm iacet.
Mors illa sancti martyris,
Mors uera templorum fuit:
Tunc Vesta Palladios lares
Impunè sensit deseri.
Quicquid Quiritum sueuerat
Ornare res uanas Numæ,
Christi frequentans atria,
B Hymnis resultat martyrem.
Ipsa & Senatus lumina,
Quondam Luperci aut Flamines,
Apostolorum & martyrum
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles
Offerre uotis pignora
Clarißimorum liberûm.
Vittatus olim pontifex
Accitur in signum crucis,
Aedemq; Laurenti tuam
Vestalis intrat Claudia.
O ter quaterq;, ô septies
Beatus urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat oßium.
Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui uota fundit murmure.
Nos Vasco Iberus diuidit
Binis remotos Alpibus,
Trans Cottianorum iuga,
Trans & Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quàm plena sanctis Roma sit:
Quàm diues urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis uestigia
Videre coràm possumus:
Cœlum intuemur eminus.
Sic sancte Laurenti tuam
Nos paßionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Aeternæ in arce curiæ
Gestas coronam ciuicam.
Videor uidere illustribus
Gemmis coruscantem uirum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisq; supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Poscunt, licentur, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper aßies,
Tuosq; alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter ô Christi decus
Audi & poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco & scio
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium:
Et seruientem corpori,
Absolue uinclis seculi.

HYM-

HYMNVS III. DIVAE MARTYRI Eulaliæ, uirgini Lusitanæ.

Monocolos pentastrophos. Versus dactylici trimetri hypercatalecti.

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — ∪ ∪ ∪

Germine nobilis Eulalia,
Mortis at indole nobilior,
Emeritam sacra uirgo suam,
Cuius ab ubere progenita est,
Oßibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Vrbe potens, populis locuples:
Sed mage sanguine martyrij,
Virgineoq; potens titulo.
Curriculis tribus atque nouem
Treis hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat prius indicium,
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata thoro
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulua monilia respuere,
Ore seuera, modesta gradu,
Moribus & nimium teneris,
Caniciem meditata senum.
Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasq; cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis:
Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingenijq; ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Fœmina, prouocat arma uirûm.
Sed pia cura parentis agit
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure & ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in precium
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa, quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste mouet,
Septaq; claustra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ & uepribus,
Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens
Nocte uiam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
Non aliter pia uirgo uiam
Nocte sequuta diem meruit:
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cùm fugeret,
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa prius peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum:
Mâne superba tribunal adit,
Fascibus astat & in medijs.
Vociferans, Rogo quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq; negare Deum?
Quæritis ô miseranda manus
Christicolûm genus? en ego sum
Dæmonicis inimica sacris,
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil:
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit:
Friuola utraque, & utraq; nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat uoueatq; suis
Numinibus caput ipse suum:
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo,

Corpo-

A Corporibusq́; pijs inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor, adure, seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait: Rape præcipitem
Lictor, & obrue supplicijs,
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.
Quàm cuperem tamen, ante necem,
Si potis es, reuocare uiam
Torua puellula nequitiæ:
Respice gaudia quanta metas
Quæ tibi fert genialis honor?
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisq́; tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quòd occidis in tenero,
B Proxima dotibus & thalamo.
Non mouet aurea pompa thori,
Non pietas ueneranda senum,
Quos temeraria debilitas:
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris:
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterq́; ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere uirgo benigna uelis:
Pœna grauis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil, sed enim
Infremit, inq́; tyranni oculos
Sputa iacit: simulachra dehinc
Dißipat, impositamq́; molam
Thuribulis, pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant:
Et latus ungula uirgineum
Pulsat utrunq;, & ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi Domine,
Quàm iuuat hos apices legere?
Qui tua Christe trophæa notant,
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus & gemitu
Læta canebat, & intrepida.
Dirus abest dolor ex animo,
Membraq́; picta cruore nouo
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc
Non laceratio uulnifica
Cratetenus, nec arata cutis:
Flamma sed undiq; lampadibus
In latera stomachumq́; furit.
Crinis odorus & in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusq́; lateret honos,
Tegmine uerticis opposito.
Flamma crepans uolat in faciem,
Perq́; comas uegetata caput
Occupat, exuperatq́; apicem:
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ouans,
Templaq́; celsa petit uolucer.
Vidit & ipse satelles auem
Fœminæ ab ore meare palàm,
Obstupefactus & attonitus
Prosilit, & sua gesta fugit,
Lictor & ipse fugit pauidus.
Ecce niuem glacialis hiems
Ingerit, & tegit omne forum,
Membra tegit simul Eulaliæ,
Axe iacentia sub gelido,

Pallioli uice linteoli.
Cedat amor lacrymantûm hominum
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium,
Ipsa elementa iubente Deo
Exequias tibi uirgo ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit,& uiridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lauat.
Hic ubi marmore perspicuo
Atria luminat alta nitor
Et peregrinus & indigena:
Relliquias,cineresq; sacros
Seruat humus ueneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis:
Saxaq; cæsa solum uariant,
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas uiolas,
Sanguineosq; crocos metite,
Non caret his genialis hiems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus è folijs
Munera uirgo,puerq; date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic uenerarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum:
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosq; suos
Carmine propitiata fouet.

HYMNVS IIII. DECEM ET OCTO Martyribus Cæsaraugustanis.

Eiusmodi carminis genus, quale in Hymno, Christe seruorum.

Bis nouem noster populus sub uno
Martyrum seruat cineres sepulchro:
Cæsaraugustam uocitamus urbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus angelorum,
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda A
Munera Christo.
Cùm Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus ueniet rubente,
Gentibus iustam positurus æquo
Pondere libram:
Orbe de magno caput excitata
Obuiam Christo properanter ibit,
Ciuitas omnis preciosa portans
Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo Cypriane doctor:
Corduba Aciscium dabit,& Zoëllum,
Tresq; coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco,intexit cui Fructuosus
Sutile uinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est,
Emicant iuxta lapides gemelli:
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.
Parua Felicis decus exhibebit B
Artubus sanctis locuples Gerunda,
Nostra præstabit Calagurris ambos
Quos ueneramur.
Barcinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulo speciosa Narbo,
Teq; præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi.
Lusitanorum caput oppidorum
Vrbs, Adoratæ cineres puellæ
Obuiam Christo rapiens ad aram
Porriget ipsam.
Sanguinem Iusti,cui Pastor hæret,
Ferculum duplex,geminumq; donum
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis sua Cassianum
Festa, Massylûm monumenta regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad iuga Christi.
Singulis paucæ tribus aut duobus
Forsan & quinis aliquæ placebunt,
Testibus Christi prius hostiarum
Pignore functæ.

A Tu decem sanctos reuehes, & octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa uix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus inuidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror:
Pulsa nam pestis populum refugit,
Christus in totis habitat plateis,
Christus ubiq; est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris, chorus unde surgens
B Tendit in cœlum niueus togatæ
Nobilitatis.
Inde Vincenti tua palma nata est,
Clerus hinc tantum peperit triumphum,
Hinc sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sæuus antiquis quoties procellis
Turbo uexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrûm
Cessit, aut clari uacuus cruoris:
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.
Non'ne Vincenti peregrè necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt ciues, uelut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamuis procul hinc in urbe
Passus ignota, dederit sepulchro
Gloriam uictor, propè littus altæ
Forttè Sagunti.
Noster, & nostra puer in palæstra,
Arte uirtutis, fideiq; oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Nouerat templo celebres in isto
Octies partas, deciesq; palmas
Laureis doctus patrijs, eâdem
Laude cucurrit.
Hic & Encrati recubant tuarum
Ossa uirtutum, quibus efferati
Spiritum mundi uiolenta uirgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente uita
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Viuis in orbe.
Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis & cæsæ spolium retentans,
Tetra quàm sulcos habeant amaros
Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis precium peractum est,
Quæ uenenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine supremo.
Cruda te longùm tenuit cicatrix,
Et diu uenis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Inuidus quamuis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit:
Plena te martyr tamen ut peremptam
Pœna coronat.
Vidimus partem iecoris reuulsam,
Vngulis longè iacuisse pressis:
Mors habet pallens aliquid tuorum,
Te quoq; uiua.
Hunc nouum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Tumba uiuentis domus ut dicata
Martyris esset.

Ergo ter senis sacra candidatis
Diues Optato, simul & Luperco
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, cane Martialem,
Mors & Vrbani tibi concinatur,
Iuliam cantus resonet, simulq;
Quintilianum.
Publium pangat chorus, & reuoluat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus Euenti tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua Primitiue,
Cùm tuos uiuax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quatuor posthinc superest uirorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat uocatos
Prisca uetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum paruifacit, & loquendi
Cura de sanctis uitiosa non est,
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore iusto.
Octo tunc sanctos recolet, decemq;
Angelus, coràm Patre Filioq;,
Vrbis unius regimen tenentes
Iure sepulchri.
Quin ad antiquum numerum trahentur,
Viua post pœnæ specimen puella,
Morsq; Vincenti, cui sanguis hinc est
Fons & honoris.
Additis Caio (nec enim silendi)
Teq; Crementi, quibus incruentum
Ferre prouênit decus, ex secundo
Laudis agone.
Ambo confeßi Dominum, steterunt
Acriter, contrà fremitum latronum,
Ambo gustarunt leuiter saporem
Martyriorum.
Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris ueniam precatur
Turba, quam seruat procerum creatrix A
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absoluam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus
Tota sequêris.

HYMNVS V. DIVO VINCENTIO MARtyri *Cæsaraugustano.*

Carminis mensura eadem est. quæ fuit Hymni matutini, Ales diei.

Beate martyr prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi,
Corona Vincenti datur.
Hic te ex tenebris seculi
Tortore uicto & iudice,
Euexit ad cœlum dies,
Christoq; ouantem reddidit.
Nunc angelorum particeps, B
Luces in insigni stola,
Quam testis indomabilis
Riuis cruoris laueras.
Cùm te satelles idoli
Præcinctus atris legibus,
Litare diuis gentium
Ferro & catenis cogeret.
Ac uerba primùm mollia
Suadendo blandè effuderat
Captator, ut uitulum lupus
Rapturus, alludit prius.
Rex, inquit, orbis maximus,
Qui sceptra gestat Romula,
Seruire sanxit omnia
Priscis deorum cultibus.
Vos Nazareni aßistite,
Rudemq; ritum spernite,
Hæc saxa, quæ princeps colit,
Placate fumo & uictima.
Exclamat hîc Vincentius,
Leuita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem è columnis lacteis:

Tibi

A Tibi ista præsint numina,
Tu saxa, tu lignum colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.
Nos lucis auctorem patrem,
Eiusq; Christum filium,
Qui solus ac uerus Deus,
Datiane confitebimur.
Hic ille iam commotior:
Audes'ne non felix, ait,
Ius hoc deorum & principum,
Violare uerbis asperis?
Ius & sacratum & publicum,
Cui cedit humanum genus,
Nec te iubente feruidè
Instans periclum permouet.
Hoc nanque decretum cape:
Aut ara, thure & cespite
Precanda iam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.
Respondet ille altrinsecus:
Age ergo quicquid uirium,
B Quicquid potestatis tibi est,
Palam reluctor, exere.
Vox nostra quæ sit, accipe:
Est Christus, & pater Deus,
Serui huius ac testes sumus:
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensq; flammis lamina,
Atq; ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.
O' uestra inanis uanitas,
Scitumq; brutum Cæsaris,
Condigna uestris sensibus
Coli iubetis numina.
Excisa fabrili manu,
Cauis recocta & follibus,
Quæ uoce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumptuosa splendido
Delubra crescunt marmore:
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.
Assunt & illic spiritus,
Sed sunt magistri criminum,
Vestræ & salutis auspices
Vagi, impotentes, sordidi:
Qui nos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare iustos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt & ipsi, ac sentiunt
Pollere Christum & uiuere,
Eiusq; iam mox affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi è latebris corporum,
Virtute Christi & nomine,
Diuiq; & ijdem dæmones.
His intonantem martyrem
Index profanus non tulit,
Conclamat: Os obtrudite,
Ne plura iactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimq; lictores date,
Illos reorum carnibus
Pastos, manuq; exercitos.
Iam faxo ius prætorium
Conuiciator sentiat,
Impunè ne nostris sibi
Dijs destruendis luserit.
Tibi ergo soli contumax
Tarpeia calcentur sacra?
Tu porrò solus obteras
Romam, Senatum, Cæsarem?
Vinctum retortis brachijs,
Sursum ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Diuulsa, membratim crepet.
Post hinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Vt per lacunas uulnerum
Iecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles dei,
Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundius
Intraret artus ungula.
Ac iam omne robur fortium
Euiscerando cesserat,
Nisusq; anhelos soluerat
Fessos lacertorum toros.

Aſt ille tanto lætior,
Omni uacantem nubilo
Frontem ſerenam illuminat,
Te Chriſte præſentem uidens.
Quis uultus iſte, prò pudor?
Datianus aiebat furens,
Gaudet, renidet, prouocat,
Tortore tortus acrior.
Nil illa uis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in iſto proficit,
Ars & dolorum uincitur.
Sed uos alumni carceris,
Pars ſemper, inuictam mihi
Cohibete paulùm dextram,
Reſpiret ut laſſus uigor.
Præſicca rurſus ulcera,
Dum ſe cicatrix colligit
Refrigerati ſanguinis,
Manus reſulcans diruet.
His contrà Leuites refert:
Si iam tuorum perſpicis
Languere uirtutem canum,
Age ipſe maior carnifex:
Oſtende quo pacto queant
Imos receſſus ſcindere,
Manus & ipſe interſere,
Riuosq; ferue tes bibe.
Erras cruente, ſi meam
Te rere pœnam ſumere,
Cùm membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Homo alter eſt intrinſecus,
Violare quem nullus poteſt,
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum triſtium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris uiribus,
Vas eſt ſolutum ac fictile,
Quocunq; frangendum modo.
Quinimo nunc enitere
Illum ſecare ac plectere,
Qui perſtat intus, qui tuam
Calcat tyranne inſaniam.
Hunc hunc laceſſe, hunc diſcute
Inuictum & inſuperabilem,
Nullis procellis ſubditum,
Soliq; ſubiectum Deo.
Hæc fatur, & ſtridentibus
Laniatur uncis denuò,
Cui prætor ore ſubdolo
Anguina uerba exſibilat.
Si tanta callum pectoris
Prædurat obſtinatio,
Puluinar ut noſtrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librosq; opertos detege,
Quò ſecta prauum ſeminans
Iuſtis crematur ignibus.
His martyr auditis, ait:
Quem tu maligne myſticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipſe hoc iuſtius.
Romphæa nam cœleſtium
Vindex erit uoluminum:
Tanti ueneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides fauillas indices
Gomorrheorum criminum:
Nec Sodomus latet cinis,
Teſtis perennis funeris.
Exemplar hoc ſerpens tuum eſt,
Fuligo quem mox ſulphuris,
Bitumen & miſtum pice
Imo implicabunt tartaro.
His perſecutor ſaucius
Pallet, rubeſcit, æſtuat,
Inſana torquens lumina,
Spumasq; frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,
Decernit, extrema omnium
Ignis grabato & laminis
Exerceatur quæſtio.
Hæc ille ſeſe ad munera
Gradu citato proripit,
Ipſosq; pernix gaudio
Pœnæ miniſtros præuenit.
Ventum ad palæſtram gloriæ,
Spes certat & crudelitas,
Luctamen anceps conſerunt
Hinc martyr, illinc carnifex.

Serrata

A Serrata lectum regula
Dente infrequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Viuum uaporat halitum.
Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito,
Ceu iam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet:
Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctisq; feruens stridulis
Sparsim per artus figitur.
A' ruina posthinc igneum
Impressa cauterem lauit,
Vis undè roris fumidi
In membra sensim liquitur.
Hæc inter immotus manet
Tanquam dolorum nescius,
Tenditq; in altum lumina:
Nam uincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur:
B Ne liber usus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Aeterna nox illic latet,
Expers diurni sideris,
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conijcit
Truculentus hostis martyrem,
Lignoq; plantas inserit
Diuaricatis cruribus.
Quin addit & pœnam nouam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum iubet
Hirta impolitis angulis
Acuminata, informia
Tergo iacentis sternerent.
Totum cubile spiculis
Armant dolores anxij,
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obuio.
Hæc ille uersutus, uafra
Meditatus arte struxerat:
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexq; morsus stipitis
Ruptis cauernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
Adesse quod sperauerat,
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
Iam testularum, mollibus
Vestire semet floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin & frequentes angeli
Stant ac loquuntur cominus,
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis uirum:
Exurge martyr inclyte,
Exurge securus tui,
Exurge, & almis cœtibus
Noster sodalis addere.
Decursa iam satis tibi
Pœnæ minacis munia,
Pulchroq; mortis exitu
Omnis peracta est passio.
O' miles inuictissime,
Fortissimisq; fortior,
Iam te ipsa sæua & aspera
Tormenta uictorem tremunt.
Spectator hæc Christus Deus
Compensat æuo intermino,
Proprieq; collegam crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum uasculum
Compage textum terrea,
Quod dissipatum soluitur,
Et liber in cœlum ueni.
Hæc ille, sed clausas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuisq; per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hoc cùm stuperet territus

Obsessor

Obſeſſor atri liminis,
Quem cura pernox manſerat
Seruare feralem domum.
Pſallentis audit inſuper
Prædulce carmen martyris,
Cui uocis inſtar æmulæ
Conclaue reddit concauum.
Pauens deinde introſpicit,
Admota quantum poſtibus
Acies per arctas cardinum
Intrare iuncturas poteſt.
Vernare multis floribus
Stramenta teſtarum uidet,
Ipſumq; uulſis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo:
Flet uictus, & uoluit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus, inquit, carcere,
Paulùm benignis fotibus
Recreetur, ut paſtum nouum
Pœnis refectus præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda uulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat oſculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Pleriq; ueſtem lineam
Stillante tingunt ſanguine,
Tu tamen ut ſacrum ſuis
Domi reſeruent poſteris.
Tunc ipſe manceps carceris,
Et uinculorum ianitor,
Vt fert uetuſtas conſcia,
Repentè Chriſtum credidit.
Hic obſeratis uectibus
Denſæ ſpecum caliginis
Splendore lucis aduenæ
Micuiſſe clauſum uiderat.
At uerò poſtquam lectuli
Martyr quietem contigit,
Aeger morarum tædio,
Et mortis incenſus ſiti: A
Si mors habenda huiuſmodi eſt,
Quæ corporali ergaſtulo
Mentem reſoluit liberam,
Et reddit auctori Deo:
Mentem piatam ſanguine,
Mortis lauacris inclytam,
Quæ ſemet ac uitam ſuam
Chriſto immolandam præbuit.
Ergo ut recline mollibus
Reiecit auleis caput,
Victor relictis artubus
Cœlum capeſſit ſpiritus.
Cui recta celſo tramite
Reſeratur ad patrem uia,
Quam fratre cæſus impio
Abel beatus ſcanderat.
Stipant euntem candidi
Hinc inde ſanctorum chori,
Pariq; miſſus carcere
Baptiſta Ioannes uocat.
At Chriſtiani nominis
Hoſtem coquebant irrita B
Fellis uenena, & liuidum
Cor efferata exuſſerant.
Sæuire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Euaſit exultans, ait,
Rebellis & palmam tulit.
Sed reſtat illud ultimum
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadauer tradere,
Canibus'ue carpendum dare.
Iam nunc & oſſa extinxero,
Ne ſit ſepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumq; figat martyris.
Sic frendit, & corpus ſacrum
Profanus (ah dirum nefas)
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut beſtiarum, aut alitum,
Audet trophæum gloriæ
Fœdare tactu ſqualido.
Quin ſi qua clangens improbè

A Circumuolaret eminus,
Trucis uolucris impetu
Depulsa uertebat fugam.
Nam coruus Eliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulò,
Et irremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosq; pennis uerberans,
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Ceßisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans
Leui uolatu exterritus,
Prædamq; uisam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia
Datiane tunc sensus tibi?
Quantis gementem spiculis
B Figebat occultus dolor?
Cùm te perempti corporis
Virtute uictum cerneres,
Ipsis & impar oßibus,
Vacuisq; iam membris minor?
Sed quis tyranne pertinax
Hunc impotentem spiritum
Determinabit exitus,
Nullus' ne te franget modus?
Nullus, nec unquam desinam.
Nam si ferina immanitas
Mansuescit, & clementia
Coruos uoraces mittigat:
Mergam cadauer fluctibus,
Insana nunquam naufragis
Ignoscit unda, & spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur fluctibus,
Squamosa pascens agmina:
Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter receßus scrupeos
Discissa rumpent uiscera.
Ecquis uirorum, strenuè
Cymbam peritus pellere,
Remo, rudente & carbaso,
Secare qui pontum queas?
Rapias palustri è cespite
Corpus, quod intactum iacet,
Leuiq; uectum lembulo
Amplum per æquor auferas.
Sed complicatum sparteus
Claudat cadauer culleus,
Quem fune connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
Rorante præceps palmula,
Donec relictum longior
Abscondat aspectus solum.
Hæc iussa quidam militum,
Eumorphio nomen fuit,
Violentus, audax, barbarus,
Furore feruens arripit.
Funale textum conserit,
Suto quod implet corpore,
Emensus & multum freti
Inter procellas excutit.
O' præpotens uirtus Dei,
Virtus creatrix omnium,
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo strauerat:
Vt terga calcans æquoris
Siccis mearet paßibus,
Plantas nec undis tingeret
Vasti uiator gurgitis.
Hæc ipsa uirtus iusserat
Rubrum salum dehiscere,
Patente dum fundo aridum
Secura plebs iter terit.
Nec non & ipsa nunc iubet
Seruire sancto corpori
Pontum quietis lapsibus
Ad curua pronum littora.
Saxum molaris ponderis
Vt spuma candens innatat,
Tantiq; custos pignoris
Fiscella fertur fluctibus.
Cernunt stupentes nautæ

A

Vectam remenso marmore,
Labi retrorsum leniter
Aestu secundo & flamine.
Certant & ipsi concito
Pontum phaselo scindere:
Longè sed artus præuolant
Telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
Humus quieta suscipit,
Quàm pulsa summis nisibus,
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Recessus ille, qui sacra
Fouens harenis uiscera
Vicem sepulchri præbuit.
Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloq; corpus creditum
Vitæ reseruat posteræ.
Sed mox subactis hostibus,
Iam pace iustis reddita,
Altar' quietem debitum
Præstat beatis ossibus.
Subiecta nam sacrario,
Imamq; ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
Perfusa subter hauriunt,
Sic corpus: ast ipsum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Maccabæis fratribus,
Secto Isaiæ proximum.
Simplex sed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præstitit
Mortis supremus exitus.
Quid tale sector ausus est?
Truncata nunquid corporis
Segmenta post serram feris
Obiecit, aut uinclis dedit?
Num Maccabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptam'ue pellem uerticis
Auibus cruentis obtulit?
Tu solus ô bis inclyte,
Solus, brabij duplicis
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.
In morte uictor aspera,
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui,
Per uincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testium,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum:
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si ritè solennem diem
Veneramur ore & pectore:

B

Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
Paulisper huc tu illabere,
Christi fauorem deferens,
Sensu grauati ut sentiant
Leuamen indulgentiæ.
Sic nulla iam restet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus,
Virtute perfunctam pari.
Vt quæ laborum particeps
Commune discrimen tulit,
Sit & cohæres gloriæ
Cunctis in æuum seculis.

HYMNVS VI. BEATIS MARTYRIBVS
Fructuoso, episcopo Tarraconensi: Augurio & Eulogio eius diaconis.

Conuenit carminis genus cum hymno post cibum, Pastis uisceribus, hoc modo:

— — — ∪ ∪ — ∪ — ∪ — ∪

Felix Tarraco Fructuose uestris
Attollit caput ignibus coruscum,
Leuitis geminis procul relucens.

Hispanos

A Hispanos Deus aspicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Iberam
Trino martyre trinitas coronat.
Ardens Augurius capeßit æthram,
Necnon Eulogius simul supernum
Christi lucidus ad sedile tendit.
Dux & præuius, & magister illis
Ad tantum decus, ex episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
Accitus quia præsidis repentè
Iussu, uenerat ad forum sacerdos
Leuitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream uiros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat:
Gaudet currere Fructuosus ultrò.
Ac ne quis socios timor feriret,
Præceptor uehemens eundo firmat,
Incenditq; fidem calore Christi:
Mecum state uiri, uocat cruentus
Ad pœnam coluber, Dei ministros:
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
B Carcer prouehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt specum reorum,
Exercent ibi mysticum lauacrum,
Et purgamina, quæ stupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis,
Fratres tergeminos tremunt catastæ.
Iudex Emilianus imminebat,
Atrox, turbidus, insolens, profanus,
Aras dæmonicas coli iubebat.
Tu qui doctor, ait, seris nouellum
Commenti genus: ut leues puellæ
Lucos destituant, Iouem relinquant:
Damnes, si sapias, anile dogma:
Iussum est Cæsaris ore Gallieni, ut
Quod princeps colit, hoc colamus omnes.
Hæc fanti placidus refert sacerdos:
Aeternum colo principem, dierum
Factorem, Dominumq; Gallieni:
Et Christum Patre prosatum perenni,
Cuius sum famulus, gregisq; pastor.
Subridens ait ille, Iam fuisti.
Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sæuis destinat ignibus cremandos:
Exultant, prohibentq; flere uulgum.
Quosdam de populo uidet sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes:
Ieiunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora:
Nunquam conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resoluet.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare uolens, sitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Conclusum cauea, madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat:
Cùm spectacula perstrepunt cruenta,
Ac uilis gladiator ense duro
Percussus cadit, & fremit uoluptas.
Hic flammante pyra, niger minister
Ardens supplicium parare iussus,
Construxit facibus rogum supremis.
Qui cùm corpora concremanda soluit,
Feruentes animas amore lucis
Fracto carceris expediret antro:
Certant officijs pij sodales,
Plantis calceamenta dissolutis,
Pronus detrahere studebat unus.
Sed sanctus uetat ora Fructuosus
Inclinata premi: Faceßite, inquit:
Nec nostram grauet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes resoluam,
Ne uestigia præpedita uinclis
Tardis greßibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur uestri memor ut siem rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, uelut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans:
Non calcare sacram cremationem,
Aut astare Deo prius licebat,
Quàm uestigia pura figerentur.
Stabat calce mera, resultat ecce
Cœlo spiritus, & ferit loquelam
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est (credite) pœna quam uidetis,
Quæ puncto tenui citata transit,

Nec uitam rapit illa, ſed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celſa ſcandere contigit Tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter, rapidis focos crepantes
Intrant paßibus, & minantur ipſi
Flammarum trepidantibus caminis.
Nexus deniq;, qui manus retrorſus
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt aduſti.
Non auſa eſt cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad patrem leuandas,
Soluit brachia quæ Deum precentur.
Priſcorum ſpecimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes ſtupuit tremens tyrannus.
Illis ſed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore paßionis apto,
Nec mortis decus inchoante Chriſto:
Hos cùm defugeret uaporus ardor,
Orant, ut celer ignis aduolaret,
Et finem daret anxijs periclis.
Exorata ſuos obire tandem
Maieſtas famulos iubet caducis
Mißis corporibus, ſibiq; reddi.
Vidit Præſidis ex domo ſatelles
Cœlum martyribus patêre apertum,
Inſignesq; uiros per aſtra ferri.
Quin & filiolæ monens herili
Oſtendit ſceleris notam paterni,
Cœlo uiuere, quos forum peremit.
Hæc tum uirginitas palàm uidere
Per ſudum meruit, patente cœlo,
Vt crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus ſacris fauillæ,
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſq; uindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus.
Sed ne relliquias reſuſcitandas,
Et mox cum Domino ſimul futuras,
Diſcretis loca diuidant ſepulchris:
Cernuntur niueis ſtolis amicti,
Mandant reſtitui, cauoq; claudi
Mixtim marmore, puluerem ſacrandum.

O' triplex honor, ô triforme culmen, A
Quo noſtræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Iberis.
Exultare tribus libet patronis,
Quorum præſidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumſtet chorus ex utroq; ſexu,
Heros, uirgo, puer, ſenex, anicla,
Veſtrum pſallite ritè Fructuoſum.
Laudans Augurium reſultet hymnus,
Miſtis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camœnas.
Hinc aurata ſonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Cùm te Tarraco Fructuoſus acri
Soluet ſupplicio tegens ab igni.
Fors dignabitur & meis medelam
Tormentis dare, proſperante Chriſto,
Dulces hendecaſyllabos reuoluens.

HYMNVS VII. QVIRINO MARTYRI, & Epiſcopo Siſciano Illyrico. B

Monocolos pentaſtrophos. Verſus ſunt Choriambici trimetri catalecti.

— — — ∪ ∪ — ∪ ∪

Inſignem meritis uirum
Quirinum, placitum Deo,
Vrbis mœnia Siſciæ
Conceſſum ſibi martyrem
Complexu patrio fouent.
Hic ſub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos ſinus
Vrgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illuſtraſſe per exitum.
Non illum gladij rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant:
Sed lymphis fluuialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert uitreo æquore,
An de flumine ſanguinis
Tingat paßio martyrem,
Aequè gloria prouenit
Fluctu quolibet uuida.

Summo-

A Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis episcopus
In præceps fluuio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Deiectum placidißimo
Amnis uertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris uasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus è solo
Doctorem pauidi greges:
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus ut eminens
Os circuntulit, heu suos
Exemplo trepidos uidet,
Nil ipse proprij memor
Inter stagna periculi,
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
B Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga uehunt uadis:
Nec substrata profunditas
Saxoq; & laqueo, & uiro
Audet sponte dehiscere.
Sensit martyr episcopus
Iam partam sibi præripi
Palmam mortis & exitus,
Ascensumq; negarier
Aeterni ad solium patris.
Iesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita aut noua,
Calcare & fremitum maris,
Prona & flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum,
Cùm uestigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subiecisse salum solo.
Iordanem quoq; nouimus

Tortis uorticibus uagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis Domine, ut modò
Suspendar, leue prænatans,
Summo gurgite fluminis,
Cùm collo scopulum traham.
Iam plenus titulus tui est,
Et uis prodita nominis,
Qua gentilis hebet stupor.
Absoluas precor optime
Huius nunc animæ moras.
Quid posis, probat amnicus
Qui uectat silicem liquor.
Hoc iam quod superest, cedò
(Quo nil est preciosius)
Pro te Christe Deus mori.
Orantem simul halitus,
Et uox deserit, & calor,
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus graue saxeum,
Corpus suscipiunt aquæ.

HYMNVS VIII. IMPERFECTVS. DE loco duorum Martyrum, ubi nunc Baptisterium est.

Versus Elegiaci, qui constant ex heroico & pentametro nota dimensione, pedibus Dactylo & Spondeo.

Electus Christo locus est, ubi corda probata
Prouehat ad cœlum sanguine, purget aqua.
Hîc duo purpureum, Christi pro nomine cæsi,
Martyrium pulchra morte tulêre uiri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac ueteres maculas diluit amne nouo.
Qui cupit æternum cœli conscendere regnum,
Huc ueniat sitiens, ecce parata uia est.
Antè coronati scandebant ardua testes,
Atria nunc lotæ celsa petunt animæ.
Spiritus æterno solitus descendere lapsu,
Vt dederat palmam, sic tribuit ueniam.
Haurit terra sacros aut fonte aut sanguine rores,
Exundatq; suo iugiter unda Deo.
Ipse loci est Dominus, laterum cui uulnere utroq;
Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex.

Ibitis hinc, ut quisq; potest per uulnera Christi,
Euectus gladijs alter, & alter aquis. *

HYMNVS IX. SANCTO CASSIANO Martyri Forocorneliano.

Dicolos distrophos. Versus primus est heroicus: ut, Electus Christo locus est. Alter Iambicus Senarius: ut, O Nazarene dux Bethlem.

Sylla forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi cùm peterem te rerum maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum fore.
Stratus humi, tumulo aduoluebar, quẽ sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dũ lacrymãs mecũ reputo mea uulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contrà
Fucis colorum picta imago martyris:
Plagas millẽ gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circùm pueri (miserabile uisu)
Confossa paruis membra figebant stilis:
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Aedituus consultus ait: Quod prospicis hospes,
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram uetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studijs puerilibus, & grege multo
Septus, magister litterarum sederat.
Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,
Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta, & tristia uisa,
Impube uulgus mouerant ira & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce fidem quatiens tempestas sæua, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis, quòd aris supplicare spreuerat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu?
Respondent: Agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare uerba signis imbuens.
Ducite conclamat, captiuum, ducite, & ultrò
Donetur ipsis uerberator paruulis:
Vt libet illudant, lacerent impunè, manusq; A
Tingant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis uolupe est ut præbeat ipse
Doctor seuerus, quos minis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisq; odij tacita conceperat ira,
Effudit ardens felle tandem libero.
Coniiciunt alij lapides, inq; ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata genis impacta cruentis,
Rubetq; ab ictu curua tundens pagina.
Inde alij stimulos & acumina ferrea uibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur:
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur:
Pars uiscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixère ducentæ,
Totidemq; guttæ uulnerum stillant simul.
Maior tortor erat, qui summa pupugerat infans,
Quàm qui profunda perforarat uiscera.
Ille leuis, quoniam percussor morte negata B
Sæuire solis scit dolorum spiculis.
Hic quantò interius uitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ, dum necem propè applicat.
Este precor fortes, & uincite uiribus annos:
Quod desit æuò, suppleat crudelitas.
Sed malè conatus tener infirmusq; laborat,
Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam: tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, & armasti manus.
Reddimus ecce tibi iam millia multa notarum,
Quæ stando, flendo, te docente excepimus.
Non potes irasci quòd scribimus, ipse iubebas
Nunquam quietum dextera ut ferret stilum.
Non petimus toties te præceptore negatas,
Auare doctor, iam scholarum ferias.
Pangere puncta libet, sulcisq; intexere sulcos,
Flexas catenis impedire uirgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine uersus,
Mendosa fortè si quid errauit manus.
Exerce imperium, ius est tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notauit segnius.
Talia ludebant pueri per membra magistri,
Nec longa fessum pœna soluebat uirum.

A Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
Iubet resolui pectoris ligamina:
Difficilesq; moras animæ, ac retinacula uitæ
Relaxat, arctas & latebras expedit.
Sanguis ab interno uenarum fonte, patentes
Vias sequutus, deserit præcordia:
Totq; foraminibus penetrati corporis exit,
Fibrarum anhelans ille uitalis calor.
Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus, hospes,
Miraris, ista est Caßiani gloria.
Suggere, si quod habes iustum, uel amabile uotum:
Spes si tibi est qua, si quid intus æstuas:
Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit, quas uidet probabiles.
Pareo, cõplector tumulum, lacrymas quoq; fundo:
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro:
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri sorte nutantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris succeßibus utor:
Domum reuertor, Caßianum prædico.

B HYMNVS X. DIVO ROMANO MARtyri Antiocheno.

Monocolos, pentastrophos. Carminis eadem ratio est, quæ fuit Præfationis Psychomachiæ, Senex fidelis.

Romane, Christi fortis assertor Dei,
Elinguis oris organum fautor moue:
Largire comptum carmen infantißimo,
Fac ut tuarum mira laudum concinam:
Nam scis & ipse posse mutos eloqui.
Plectrum palati & faucium, sæuus tibi
Tortor reuulsit: nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox ueritatis testis extingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.
Sic noster hærens sermo linguæ debili
Balbutit, & modis laborat absonis:
Sed si superno rore respergas iecur,
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.
Euangelista scripsit ipsum talia
Præcepta Mesian dedisse Apostolis:
Nolite uerba, cùm sacramentum meum
Erit canendum, prouidenter quærere:
Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram.
Sum mutus ipse, sed potens facundiæ
Mea lingua Christus luculenter disseret:
Ipse explicabit, quos supremo spiritu
Dæmon, tumultus dum domatur, mouerit,
Furore pestis peior in nouißimo.
Sic uulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, & dolore sæuior
Quassando preßis immoratur dentibus:
Hastile fixum sed manet profundius,
Nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius orbis fortè Romani statum
Ductor regebat (ut refert antiquitas)
Immitis, atrox, asper, implacabilis:
Edicta latè mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisq; mallet uiuere.
Hæc ille serpens ore dictat regio,
Qui mortuorum de sepulchris exiens
Clamat: Quid ante tempus aduentu cito
Mea regna soluis? parce fili altißimi,
Vel poßidere corda porcorum iube.
Præfectus istis imminens negocijs
Asclepiades, ire mandat milites,
Ecclesiatenusq; de sacrarijs
Raptare plebem, mancipandam uinculis,
Ni disciplinam Nazarenam respuat.
Mox ipse templum cogitans irrumpere,
Et dißipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus præparabat impijs
Altaris aram funditus pessundare,
Foresq; & ipsas in ruinam soluere.
Præcurrit index his repentè cognitis
Romanus, heros excellentiæ sacræ:
Venire in armis perduelles nunciat,
Animos pauentum præstruens hortatibus,
Stent ut parati, ne'ue cedant turbini.
Conspirat uno fœderatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum,
Matrum, uirorum, paruulorum, uirginum:
Fixa & statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, uel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanum ducem,
Flagrare cunctos peruicaci audacia,
Iugulos retectos obstinatè opponere,
Quò gloriosa morte fortes oppetant.

A

Præceps iubetur inde Romanus rapi,
Solusq;,ut incitator & fax omnium,
Pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens,seq; uinciri petit,
Flexas & ultro torquet in tergum manus.
Amor coronæ penè præuenit trucem
Lictoris artem,sponte nudas offerens
Costas,bisulcis execandas ungulis.
Irrumpit altum limen,& præconibus
Stupore mutis,ipse tortorem trahit.
Astanti ob ora,sic tyrannus incipit:
Infame monstrum,uilis,intestabilis,
Tu uentilator urbis,& uulgi leuis
Procella,mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriæ
Illiterata credidit frequentia,
Vt se per æuum consecrandos autument,
Si bella diuis ceu gigantes inferant,
Victiq; flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti perdite spectaculum
Cladis cruentæ de necandis ciuibus,
Quos ut profanos,impiati & seculi
Reos,necesse est te magistro interfici:
Tu causa mortis,tu malorum signifer.
Ni fallor,æquum est, ut quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti,ut carnifex
In te recurrat:proq; tantis cædibus
Quæ mox futuræ,primus exitium luas,
Feras & ipse quod ferendum suaseras.
His ille contrà reddit ore libero:
Amplector ô præfecte,nec me subtraho,
Vt pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta,si me consulas,
Quæcunque uestra iusserit crudelitas.
Intrare seruis idolorum ac dæmonum,
Sanctam salutis non licet nostræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus:
Confido sancto Spiritu,nunquam tibi
Dandum,ut beatum limen attingas pede,
Ni fortè noster factus,in nostrũ gregem
Mereare sumi:quod pater faxit Deus.
Incensus his Asclepiades, iusserat
Euiscerandum corpus eculeo eminus
Pendere,& uncis ungulisq; crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum uetusta nobilem prosapia,
Meritisq; multis esse primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem stipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet uirum.
Tundatur,inquit,tergum crebris ictibus,
Plumboq; ceruix uerberata extuberet:
Persona quæq; competenter plectitur,
Magniq; refert uilis,an sit nobilis
Gradu reorum,forma tormentis datur.
Pulsatus ergo martyr illa grandine,
Postquàm inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus infit: Absit ut me nobilem
Sanguis parentum præstet,aut lex curiæ:
Generosa Christi secta nobilitat uiros.
Si prima nostris quæ sit in cunabulis
Origo,textu stemmatis recenseas:
Dei parentis esse ab ore cœpimus.
Cui quisq; seruit,ille uerè est nobilis:
Patri rebellis,inuenitur degener.
Honos deinde stemmati accedit nouus,
Et splendor ingens,ut magistratus uenit,
Si confitendi nominis testem probum
Signent iniusta ferri & ignis uulnera, B
Et uim dolorum mors sequatur inclita.
Caue benignus esse peruerse ut uelis,
Nec mi remissus leniter peperceris:
Incumbe membris tortor,ut sim nobilis.
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris matrisq; flocciscecero.
Hæc ipsa uestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nónne cursim transeunt
Fasces,secures,sella,prætextæ,toga,
Lictor,tribunal,& trecenta insignia:
Quibus tumetis,moxq; detumescitis?
Cùm consulatum initis,ut uernæ solent,
(Pudet fateri) farre pullos pascitis,
Aquila ex eburna sumit arrogantiam
Gestator eius,ac superbit belluæ
Inflatus osse,cui figura est alitis.
Iam si sub aris ad sigillorum pedes
Iaceatis,infra sectilem quercum siti,
Quid esse uobis æstimem proiectius?
Nudare plantas,ante carpentum scio
Proceres togatos,matris Ideæ sacris.
Lapis nigellus euehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet,

Quem

A Quem dum ad lauacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis usque peruenitis riuulum.
Quid illa turpis pompa?nempe ignobiles
Vos esse monstrat,cùm Luperci curritis:
Quem seruulorum non rear uilißimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas uerbere ictas ludicro?
Miseret tuorum me sacrorum,& principum,
Morumq; Roma,seculi summum caput.
Age explicemus,si placet,mysteria
Præfecte uestra:iam necesse est audias,
Nolis uelis,ne quid colatis sordium.
Nec terret ista,qua tumes,uesania,
Quòd ultuosus,quòd supinus,quòd rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi:
Si me mouere rebus ullis niteris,
Ratione mecum,non furore dimica.
Iubes relictis Patris & Christi sacris,
Vt tecum adorem fœminas,ac mille mares,
Deos deasq;,deq; sexu duplici
Natos,nepotes,abnepotes editos,
B Ac tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellæ,sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus:
Incesta feruent,furta mœchorum calent,
Fallit maritus,odit uxor pellicem,
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende quæso,quas ad aras præcipis
Veruece cæso fumet ut cespes meus?
Delphos'ne pergam?sed uetat palæstrici
Corrupta ephebi fama,quem uester Deus
Effœminauit gymnadis licentia.
Mox fleuit impuratus occisum graui
Disco,& dicauit florulentum succubam.
Conductus idem pauit alienum pecus:
Furem deinde perditi paßus gregis
Segnis bubulcus,tela & ipsa perdidit.
An ad Cybellis ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem,
Per triste uulnus,perq; sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ:
Per multa matri sacra plorandus spado.
Sed credo magni limen amplectar Iouis,
Qui si citetur legibus uestris reus,
Laqueis minacis implicatus Iuliæ,
Luet seueram uictus & Scantiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim,dum reformidat malum:
Quem si beatè uiuere audit Iuppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dißidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa uirtus,si colatur Lemnius.
Iunonis iram sentiet,quisque ut Deum
Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dices,licenter hæc Poëtas fingere:
Sed sunt & ipsi talibus mysterijs
Tecum dicati:quodq; describunt,colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris te uidente id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita.
Saltat Tonantem tauricornem Lydius.
Spectator horum pontifex summus sedes,
Ridesq;:& ipse nec negando diluis,
Cùm fama tanti polluatur numinis,
Cur tu sacrate per cachinnos solueris,
Cùm se maritum fingit Alcmenæ Deus?
Meretrix Adonin uulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palàm.
Nec te lupanar Cypridis sanctæ mouet?
Quid? quòd sub ipsis ueritas signis patet,
Formata in ære criminum uestigijs.
Quid uult sigillum semper affixum Ioui
Auis ministræ? nempe uelox armiger
Leno,exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta ueste prætendit Ceres:
Cur,si deorum nemo rapuit uirginem,
Quam nocte quærens,mater errat peruigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium:
Cur? si Neæræ non fuit ludibrio?
Quid rusticorum monstra detestor Deûm?
Faunos,Priapos,fistularum præsides,
Nymphas natantes,incolasq; aquatiles,
Sitas sub alto,more ranarum,lacu,
Diuinitatis ius in algis uilibus?
Ad hæc colenda me uocas censor bone?
Potes'ne quicquam tale,si sanùm sapis,
Sanctum putare? nónne pulmonem mouet
Derisus,istas intuens ineptias,

Quas uinolentæ somnijs fingunt anus?
Aut si quid usquam est uanitatis mysticæ,
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Promiscuè adora quicquid in terris sacri est,
Deos Latinos, & deos Aegyptios,
Quîs Roma libat, quîs Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare & simiam:
Placet sacratus aspis Aesculapij?
Crocodilus, ibis, & canes cur displicent?
Appone porris relligiosas arulas,
Venerare acerbum cepe, & mordax allium.
Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata holuscula?
Aut unde maior esse maiestas focis,
Quàm plantæ in hortis sarculatis creditur:
Si numen ollis, numen & porris inest?
Sed pulchra res est, forma in ære sculptilis:
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, Polycleti malleus,
Natura uestrûm est atq; origo cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Iouis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, & corymbos Liberi,
Et dum Mineruæ pectus hydris asperat:
Iniecit atram territis formidinem,
Vt fulmen æris ceu Tonantis horreant,
Tremant uenenum sibilantis Gorgonæ:
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cùm sit ebrius.
Tum quòd Dianam mollè succinctam uident,
Venantis arcum pertimescunt uirginis:
Si fortè uultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clauam minari, ni colatur, creditur.
Iam quis pauentum corda terror occupat?
Iunonis iram si politè expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Auertat ora delitantis hostia,
Lapis seuera fronte mentitur minas.
Miror quòd ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum & aras ipse Phidias habet,
Fabri deorum, uel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Iuppiter conflatilis.
Non erubescis stulte, pago dedite, A
Te tanta semper perdidisse obsonia?
Quæ dijs ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, peluis, cantharus, sartagines,
Fracta & liquata contulerunt uascula.
Ignosco fatuis hæc tamen uulgaribus,
Quos lana terret discolori stipite,
Quos sæpè falsus circulator decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pauẽdum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.
Vos eruditos miror, & doctos uiros,
Perpensa uitæ quos gubernat regula,
Nescire, uel diuina, uel mortalia
Quo iure constent: quanta maiestas regat
Quicquid creatum est, quæ creauit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non uidendo clauditur:
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi uisibus nostris ualet,
Extraq; & intus implet ac superfluit.
Intemporalis ante quàm primus dies,
Esse & fuisse semper unus obtinet:
Lux ipse uera, ueri & auctor luminis, B
Cùm lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus huic est filius.
Vis una Patris, uis & una est Filij,
Vnusq; ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine:
Natura simplex pollet unius Dei,
Et quicquid usquam est, una uirtus condidit.
Cœlum, solumq;, uim marini gurgitis,
Globos dierum noctiumq; præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, niues,
Fontes, pruinas, & metalla, & flumina:
Prærupta, plana, montium conuallia,
Feras, uolucres, reptiles, natatiles,
Iumenta, pecora, subiugales belluas,
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæq; uernant esui.
Hæc non labore & arte molitus Deus,
Sed iußione, quam potestas protulit:
Mandauit esse, facta sunt quæ non erant,
Verbo creauit omniformem machinam,
Virtus paterna semper in uerbo fuit.
Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite

Ritum

A Ritum modumq́; : quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ uota poscat, quos sacerdotes uelit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Aedem sibi ipse mente in hominis condidit
Viuam, serenam, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, uenustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresq́; primas uirgo custodit Fides,
Innexa crines uinculis regalibus,
Poscit litari uictimas Christo & Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices:
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Oris quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,
Ieiuniorum parcitatem sobriam,
Spem non iacentem, semper & largam manum.
Ex his amœnus hostijs surgit uapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum:
B Sublatus inde, cœlum adusq; tollitur,
Et prosperatum dulcè delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus uetat,
Vetat probatum uiuere, & sanctum sequi,
Vetat uigorem mentis altè intendere,
Nostriq́; acumen ignis ad terram uocat,
Nec excitari uim sinit prudentiæ.
O' mersa limo cæcitas gentilium,
O' carnulenta nationum pectora,
O' spissus error, ô tenebrosum genus:
Terris amicum, deditum cadaueri,
Subiecta semper intuens, nunquam suprà.
Furor'ne summus, ultima & dementia est,
Deos putare, qui creantur nuptijs?
Rem spiritalem terrulentè quærere,
Elementa mundi consecrare altaribus:
Id quod creatum est, conditorem credere?
Deasciato supplicare stipiti,
Verris cruore scripta saxa spargere,
Aras ofellis obsecrare bubulis:
Homines fuisse cùm scias, quos consecras,
Vrnas, reorum morticinas, lambere?
Desiste iudex seculi, tantum nefas
Viris iubere fortibusq́; & liberis:
Nil est amore ueritatis celsius.
Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pauori, mors & ipsa subiacet.
Dudum coquebat differente martyre
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longùm silet,
Bilemq́; tectis concipit præcordijs,
Tandem latentis uim furoris euomit:
Prò Iuppiter, quid est, quod ex hoc audio?
Stat inter aras, & deorum imagines,
Et quod fateri cogor, in medio foro,
Tacente memet hic perorat perditus,
Quicquid sacrorum est ore fœdans impio.
O' fas priorum, moris ô prisci status,
Inuenta regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt secula.
Quis hos sophistas error inuexit nouus,
Qui non colendos esse diuos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur,
Post euolutos mille demùm Consules
Ab urbe Roma: ne retexam Nestoras.
Quicquid nouellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
Vbi iste uester tunc erat summus Deus,
Diuûm fauore cùm puer Mauortius
Fundaret arcem septicollem Romulus?
Quòd Roma pollet auspicatò condita,
Ioui Statori debet, & dijs cæteris.
Hoc sanctum ab æuo est, hoc ab atauis traditũ,
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloriam
Procinctus: utq́; subiugatis hostibus
Ductor quietum frenet orbem legibus.
Accingere ergo quisquis es nequissime
Pro principali ritè nobiscum deos
Orare uita: uel, quod hostem publicum
Pati necesse est, solue pœnam sanguine:
Spreuisse templa, respuisse est principem.
Tunc ille: Nunquam pro salute, & maximis
Fortissimisq́; principis cohortibus
Aliter precabor, quàm fidelè ut militent,
Christiq́; lymphis ut renascantur Patri,
Capiant & ipsum cœlitùs paraclitum:
Vt idolorum respuant caliginem,
Cernant & illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,

Nec corporales per fenestras emicans,
Puris, sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resoluendum est, uidet:
Liquidis uidendis aptus est animæ liquor,
Natura feruens sola, feruentissimæ
Diuinitatis uim coruscantem capit.
Hoc opto lumen Imperator nouerit
Tuus, meusq;, si uelit fieri meus:
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis Imperator non erit:
Scelus iubenti, crede, nunquam seruiam.
Statis ministri, clamitans iudex ait,
Statis? manusq; continetis uindices?
Non rupta sulcis dissecatis uiscera?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erumpit unde uox profana in principem?
Scindunt utrunq; milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus uiri:
Sulcant per artus longa tractim uulnera,
Obliqua rectis, recta transuersis secant:
Et iam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Cùm sit quietus heros in quem sæuiunt.
Hæc inter, addit spontè Romanus loqui:
Si quæris ô præfecte uerum noscere,
Hoc omne quicquid lancinamur, non dolet:
Dolet, quòd error pectori insidet tuo,
Populos trahis tecum quòd istos perditos.
Currunt frequentes undiq; ad spectaculum
Gentile uulgus, heu gemenda corpora,
Crudumq; nostræ sortis exemplum tremunt.
Audite cuncti, clamo longè ac prædico,
Emitto uocem de catasta celsior:
Christus paternæ gloriæ splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps,
Spondet salutem perpetem credentibus.
Animæ salutem, sola quæ non occidit,
Sed iugè durans, dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur.
Christum sequuta patris intrat gloriam,
Disiuncta Christo mancipatur tartaro.
Curanda mercis qualitas, quæ nam mihi
Contingat olim perpetis substantiæ:
Nam membra paruipendo quo pacto cadant,
Casura certè lege naturæ suæ.

Instat ruina: quod resoluendum est, ruat. A
Nec distat, ignis an fidiculæ sæuiant,
An corpus ægrum languor asper torqueat:
Cùm sæpè morbos maior armet sæuitia.
Non ungularum tanta uis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulsat pleuresis.
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle uenas excedit:
Vel summa pellis ignis obductus coquit,
Papulasq; feruor æstuosus excitat:
Crèdas cremari stridulis cauteriis.
Miserum putatis, quòd retortis pendeo
Extentus ulnis, quòd reuelluntur pedes,
Compago neruis quòd sonat crepantibus:
Sic eiulantes ossa clamant diuidi,
Nodosa torquet quos podagra, & arthresis.
Horretis omnes hasce carnificum manus:
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sæuit Hippocratica?
Viuum secatur uiscus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter: B
Non est amarum, quo reformatur salus.
Videntur isti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus uiuidis.
Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis, ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, dolet,
Inflatur ira, soluitur libidine:
Plerunq; felle tincta liuores trahit.
Aurum regestum non'ne carni acquiritur?
Illusa uestis, gemma, bombyx, purpura,
In carnis usum mille quæruntur dolis:
Luxus uorandi carnis aruinam fouet,
Carnis uoluptas omne per nefas ruit.
Medere quæso carnifex tantis malis,
Concìde, carpe fomitem peccaminum:
Fac ut resecto debilis carnis situ
Dolore ab omni mens supersit libera,
Ne gestet ultra quod tyrannus amputet.
Nec terrearis turba circunstantium:
Hoc perdo solum, quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperiq; & diuiti:
Sic uernularum, sic senatorum caro
Tabescit, imo cùm sepulchro condita est.

Iactura

A Iactura uilis mordet, & damnum leue:
Si quo carendum eſt, perdere extimeſcimus,
Cur quod neceſſe eſt non uoluntas occupat?
Natura cur non uertit in rem gloriæ?
Legale damnum deputemus præmijs.
Sed præmiorum forma quæ ſit fortibus,
Videamus: illa nempe quæ nunquam perit.
Cœlo refuſus ſubuolabit ſpiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Chriſto ſtans in arce regia.
Quandoq; cœlum ceu liber plicabitur,
Cadet rotati ſolis in terram globus,
Sphæram ruina menſtrualem deſtruet:
Deus ſuperſtes ſolus, & iuſti ſimul
Cum ſempiternis permanebunt Angelis.
Contemne præſens utile, ô prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum eſt tibi:
Omitte corpus, rem ſepulchri & funeris,
Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum:
Agnoſce qui ſis, uince mundum & ſeculum.
Vixdum eloquutus martyr hanc peregerat
Orationem, cùm furens interſerit
B Aſclepiades: Vertat ictum carnifex
In os loquentis, inq; maxillas manum,
Sulcosq; acutos & fidiculas transferat.
Verboſitatis ipſe rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus,
Quibus ſonandi nulla lex ponit modum:
Ipſa & loquentis uerba torqueri uolo.
Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaſſat ambas ungulis ſcribentibus
Genas, cruentis & ſecat faciem notis:
Hirſuta barbis ſoluitur carptim cutis,
Et mentum aduſq; uultus omnis ſcinditur.
Martyr fluentem fatur inter ſanguinem:
Grates tibi ô præfecte magnas debeo,
Quòd multa pandens ora, iam Chriſtum loquor:
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes inuenit uox edita,
Multisq; fuſa rictibus reddit ſonos
Hinc inde plures, & profatur undiq;
Chriſti Patrisq; ſempiternam gloriam:
Tot ecce laudant ora, quot ſunt uulnera.
Tali repreſſus cognitor conſtantia,
Ceſſare pœnam præcipit, tunc ſic ait:
Per ſolis ignes iuro, qui noſtros dies
Reciprocatis adminiſtrat circulis,
Cuius recurſu lux & annus ducitur:
Ignis parandus iam tibi triſtis rogi,
Qui ſine digno corpus iſtud deuoret,
Quod perſeuerans tam reſiſtit nequiter
Sacris uetuſtis, nec dolorum ſpiculis
Victum fatiſcit, fitq; pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori iniecit ſtupor?
Mens obſtinata eſt, corpus omne occalluit,
Tantus nouelli dogmatis regnat furor:
Hic nempè ueſter Chriſtus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipſe ſuffixum cruci.
Hæc illa crux eſt omnium noſtrum ſalus,
Romanus inquit, hominis hæc redemptio eſt:
Scio incapacem te ſacramenti impie,
Non poſſe cæcis ſenſibus myſterium
Haurire noſtrum: nil diurnum nox capit:
Tamen tenebris proferam claram facem:
Sanus uidebit, lippus oculos obteget.
Remouete lumen, dicet inſanabilis,
Iniurioſa eſt nil uidenti claritas:
Audi prophane, quod grauatus oderis.
Regem perennem rex perennis protulit,
In ſe manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet: nam fons retro
Exordiorum eſt, & dierum & temporum,
Ex patre Chriſtus, hoc pater quod filius.
Hic ſe uidendum præſtitit mortalibus,
Mortale corpus ſumpſit immortalitas:
Vt dum caducum portat æternus Deus,
Tranſire noſtrum poſſet ad cœleſtia:
Homo eſt peremptus, & reſurrexit Deus.
Congreſſa mors eſt membra geſtanti Deo:
Dum noſtra tentat, ceſſit immortalibus.
Stultum putatis hoc ſophiſtæ ſeculi:
Sed ſtulta mundi ſummus elegit Pater,
Vt ſtultus eſſet ſeculi, prudens Dei.
Antiquitatem Romuli, & Mauortiam
Lupam renarras, primum & omen uulturum:
Si res nouellas reſpuis, nil tam recens:
Vix mille faſtis implet hanc ætatulam
Curſus dierum, conditore ab augure.
Sexcenta poſſum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, ſi ſit ocium,

A
Multo antè clara, quàm capellam Gnosiam
Suxisse fertur Iuppiter, Martis pater:
Sed illa non sunt, hæc & olim non erunt.
Crux ista Christi, quam nouellam dicitis,
Nascente mundo factus ut primùm est homo
Expressa signis, expedita est litteris,
Aduentus eius mille per miracula
Prænunciatus ore uatum consono.
Reges, prophetæ, iudices & principes,
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stilo,
Non destiterunt pingere hanc formam crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est prius,
Crucem uetusta combiberunt secula.
Tandem retectis uocibus propheticis,
Aetate nostra comprobata antiquitas,
Coràm refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret ueritas dubia fide,
Si non patêret teste uisu cominus.
Hinc nos & ipsum non perire credimus
Corpus, sepulchro quod uorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus cruci
Secum excitatum uexit ad solium patris,
Viamq; cunctis ad resurgendum dedit.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus,
Nobis peremptus Christus, & nobis Deus
Christus reuersus, ipse qui moriens homo est,
Natura duplex: moritur, & mortem domat:
Reditq; in illud, quod perire nesciat.
Dixisse pauca sit satis de mysticis
Nostræ salutis, deq; processu spei.
Iamiam silebo, margaritas spargere,
Christi uetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed quia profunda non licet luctarier
Ratione tecum, consulamus proxima,
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sine arte sensuum scientia,
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum, aut minus,
Qui sit fauoris liber, & non oderit
Quenquam, nec ullum mentis in uitium cadat,
Periclitemur quid recens infantia
Dicat sequendum, quid nouus sapiat uigor.
Hanc ille sancti martyris uocem libens
Amplexus, unum de caterua infantium
Paruum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captumq; adesse præcipit: Quiduis roga,
Inquit, sequamur quod probarit pusio.
Romanus ardens experiri innoxiam
Lactantis oris indolem: Filiole, ait,
Dic quid uidetur esse uerum, & congruens,
Vnum ne Christum colere, & in Christo Patrem,
An comprecari mille formarum deos?
Arrisit infans, nec moratus rettulit:
Est quicquid illud, quod ferunt homines Deum,
Vnum esse oportet, & quod uni est unicum:
Cùm Christus hoc sit, Christus est uerus Deus:
Genera deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec uim decebat innocenti ætatulæ
Inferre legis, nec loquenti talia
Furor sinebat efferatus parcere:
Quis auctor, inquit, uocis est huius tibi?
Respondit ille: Mater, & matri Deus.
Illa ex parente spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula:
Ego ut gemellis uberum de fontibus
Lac paruus hausi, Christum & hausi credere.
B
Ergo ipsa mater adsit, exclamat cedò
Asclepiades, disciplinæ & exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,
Malè eruditi torqueatur funere
Infantis orba, quemq; corrupit fleat.
Absit ministros uilis ut muliercula
Nostros fatiget: quantulus est autem dolor?
Vexabit artus, mortis auxilio breuis.
Oculi parentis punientur acrius,
Quàm si cruentæ membra carpant ungulæ.
Vix hæc profatus, pusionem præcipit
Sublime tollant, & manu pulsent nates,
Mox & remota ueste uirgis uerberent,
Tenerumq; duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis quàm cruoris defluat.
Quæ cautes illud perpeti spectaculum,
Quis ferre posit æris aut ferri rigor?
Impacta quoties corpus attigerat salix,
Tenui rubebant sanguine uda uimina,
Quem plaga ferret roscidis liuoribus.
Ferunt minaces uerberantium genas
Illachrymasse, sponte dimanantibus
Guttis per ora barbarûm frementia,
Scribas & ipsos, & coronam plebium,
Proce-

A Proceresq́; siccis non stetisse uisibus.
At sola mater hisce lamentis caret,
Soli sereno frons renidet gaudio:
Stat impiorum corde pietas fortior,
Amore Christi contumax doloribus,
Firmatq́; sensum mollis indulgentiæ.
Sitire sese paruus exclamauerat,
Animæ æstuantis ardor in cruciatibus
Hoc exigebat, lymphæ ut haustum posceret:
Quem torua mater eminus tristè intuens,
Vultu & seueris uocibus sic increpat:
Puto imbecillo nate turbaris metu,
Et te doloris horror afflictum domat:
Non hanc meorum uiscerum stirpem forè
Deo spopondi, non in hanc spem gloriæ
Te procreaui, cedere ut letho scias.
Aquam bibendam postulas, cùm sit tibi
Fons ille uiuus præsto, qui semper fluit,
Et cuncta solus irrigat uiuentia,
Intus forisq́; spiritum, & corpus simul,
Aeternitatem largiens potantibus.
Venies ad illud mox fluentum, si modò
B Animo ac medullis solus ardor æstuet,
Videre Christum: quod semel potum affatim
Sic sedat omnem pectoris flagrantiam,
Vita ut beata iam sitire nesciat.
Hic hic bibendus nate nunc tibi est calix,
Mille in Bethleem quem biberunt paruuli,
Oblita lactis, & papillarum immemor
Aetas amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella sumpsit sanguinis.
Exemplum ad istud nitere, ô fortis puer,
Generosa proles, matris & potentia,
Omnes capaces esse uirtutum pater
Mandauit annos: neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens uagitibus.
Scis, sæpe dixi, cùm docenti alluderes,
Et garrulorum signa uerborum dares,
Isaac fuisse paruulum patri unicum:
Qui cùm immolandus, aram & ensem cerneret,
Vltro sacranti colla præbuerit seni?
Narraui & illud nobile ac memorabile
Certamen, una matre quòd septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis uiri:
Hortante eâdem matre, in ancipiti exitu
Pœnæ & coronæ, sanguini ut ne parcerent.
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec mouebatur parens,
Lætata quoties aut oliuo stridula
Sartago frixum torruisset puberem,
Dira aut crepasset laminarum impreßio.
Comam cutemq́; uerticis reuulserat
A fronte tortor, nuda testaret tegmine
Ceruicem adusq́; dehonestaret caput.
Clamabat illa: Patere, gemmis uestiet
Apicem corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari iusserat,
Vni ex ephebis mater aiebat: Satis
Iam parta nobis gloria est, pars optima
Deo immolatur, ecce nostri corporis
Digna est fidelis lingua quæ sit hostia:
Interpres animi, enunciatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemptix prima membrorum omnium,
Ducem dicatam mox sequentur cætera.
His Maccabæos incitans stimulis parens,
Hostem subegit subiugatum septies,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta:
Me partus unus ut feracem gloriæ
Mea uita præstet, in tua est situm manu.
Per huius alui fida conceptacula,
Per hospitalem mense bisquino larem,
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia:
Persiste, & horum munerum auctorem assere.
Qua nam arte nobis uiuere intus cœperis,
Nihilumq́; & illud, unde corpus, nescio:
Nouit animator solus, & factor tui:
Impendere ipsi, cuius ortus munere es,
Bene in datorem, quod dedit, refuderis.
Talia canente matre, iam lætus puer
Virgas strepentes, & dolores uulnerum
Ridebat. hic tum cognitor pronunciat:
Claudatur infans carcere, & tanti mali
Romanus auctor torqueatur acrius.
Illum recentes per cicatricum uias
Denuò exarabant: quaq́; acutum traxerant
Paulò antè ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas,
Quos iam superbus uictor ignauos uocat.
O' non uirile robur, ô molles manus,

Vnam

Vnam labantis dissipare tandiu
Vos non potesse fabricam corpusculi?
Vix iam cohæret: nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadauer dentibus carpunt canes,
Longeq; morsus uulturum efficacior
Ad deuorandas carnis ossas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis:
Gula est ferina, sed socors edacitas.
Exarsit istis turbida ira iudicis,
Seq; in supremam concitat sententiam.
Si te morarum pœnitet, finem citum
Subeas licebit, ignibus uorabere
Damnatus, & fauilla iam tenuis fies.
Abiens at ille, cùm foro abriperent uirum
Truces ministri, ponè respectans ait:
Appello ab ista perfide ad Christum meum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed ut probetur esse nil quod iudicas.
Quid differo, inquit ille, utrosq; perdere,
Puerum ac magistrum, complices sectæ impiæ?
Gladius recîdat uile uix hominis caput
Infantis, istum flamma uindex concremet,
Sit his sub uno fine dispar exitus.
Peruentum ad ipsum cædis implendæ locum,
Natum gerebat mater amplexu & sinu,
Vt primitiuum crederes fœtum geri,
Deo offerendum, sancti Abelis ferculo,
Lectum ex ouili puriorem cæteris.
Puerum poposcit carnifex, mater dedit:
Nec immorata est fletibus, tantùm osculum
Impressit unum: Vale, uale dulcissime:
Et cùm beatus regna Christi intraueris,
Memento matris, ait, patrone ex filio.
Dixit, deinde dum ferit ceruiculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis Dauidici:
Preciosa sancti mors sub aspectu Dei,
Tuus ille seruus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusq; tendebat sub ictu & sanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum:
Excepit, & charo applicauit pectori.
At parte campi ex altera, immanem pyram
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mistim subdita & fœni struem A
Spargens, liquato rore feruentis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Etiam retortis brachijs furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo:
Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi,
Sed restat ingens quod fiat miraculum.
Hæc eius orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis, nimbus undatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit,
Alunt oliuo semicombustas faces,
Sed uincit imber iam madentem fomitem.
Trepidare teter carnifex rebus nouis,
Turbatus, & qua posset arte insistere,
Versare torres cum fauillis humidis,
Prunas maniplis confouere stuppeis,
Et semen ignis inter undas quærere.
Quod cùm tumenti nunciatum iudici,
Commouit iram fellis implacabilis.
Quousq; tandem summus hic nobis magus
Illudit, inquit, Thessalorum carmine,
Pœnam peritus uertere in ludibrium? B
Fortasse ceruix, si secandam iussero,
Flecti sub ensem non patebit uulneri:
Vel amputatum plaga collum diuidens,
Rursus coibit, ac reglutinabitur,
Humerisq; uertex eminebit additus.
Tentemus igitur antè partem quampiam
Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla criminosus multiplex
Cadat, uel una perfidus cæde oppetat,
Quot membra gestat, tot modis pereat uolo.
Libet experiri Lerna, sicut traditur,
Vtrum renatis pullulescat artubus,
Ac se imminuti corporis damnis nouum
Instauret, ipse præsto tunc erit Hercules,
Hydrina suetus ustulare uulnera.
Iam nunc secandi doctus assit artifex,
Qui cuncta norit uiscerum confinia,
Vel nexa neruis disparare uincula:
Date hunc reuulsis qui medetur ossibus,
Aut fracta nodis sarciens compaginat.
Linguam priorem detrahat radicitùs,
Quæ corpore omni sola uiuit nequior,
Illa & procaci pessima in nostros Deos

Inuecta

A Inuecta motu, fas profanauit uetus,
Audax & ipsi non pepercit principi.
Aristo quidam medicus accitus uenit,
Proferre linguam præcipit: profert statim
Martyr retectam, & pandit ima faucium.
Ille & palatum tractat, & digito exitum
Vocis pererrans, uulneri explorat locum.
Linguam deinde longè ab ore protrahens,
Scalpellum in usq; guttur insertans agit.
Illo secante fila sensim singula,
Nunquam momordit martyr, aut os dentibus
Compreßit arctis, aut cruorem sorbuit,
Immotus & patente rictu constitit,
Dum sanguis extrà defluit scaturiens,
Perfusa pulcher menta rubro stemmate
Fert, & cruenti pectoris spectat decus,
Fruiturq; & ostro uestis ut iam regiæ.
Præfectus ergo ratus elinguem uirum
Cogi ad sacrandum posse, cùm uerbis carens
Nil in deorum obblacteraret dedecus:
Iubet reduci iam tacentem ac debilem,
Multo loquentis turbine olim territus.
B Reponit aras ad tribunal denuò,
Et thus, & ignem uiuidum in carbonibus,
Taurina & exta, uel suilla abdomina:
Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu ui deret dæmonas.
Irridet hoc Asclepiades lætior,
Addit deinde: nunquid inclementius,
Sicut solebas, es paratus dicere?
Effare quoduis, ac per ora ediſſere.
Permitto, uocem liberè exercere te.
Romanus alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, & sic orsus est:
Christum loquenti lingua nunquam defuit:
Nec uerba quæras quo regantur organo,
Cùm prædicatur ipse uerborum dator.
Qui fecit ut uis uocis expressa intimo
Pulmone, & oris torta sub testudine,
Nunc ex palato det repercussos sonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitq; his agendis lingua plectrum mobile:
Si mandet idem, faucium sic fistulas
Spirare flatu concinentes consono,
Vt uerba in ipsis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc pressa parcè labra, nunc hiantia:
Dubitas'ne uerti posse naturæ statum?
Cui facta forma est, qualis esset primitùs,
Hanc nempe factor uertere, ut libet, potest,
Positasq; leges texere, ac retexere,
Linguam loquela ne ministram postulet.
Vis scire nostri numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris preßit pede,
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit:
Qui dispar illis legibus, quîs condita est,
Solet natatus ferre, fert uestigia.
Habet usitatum munus hoc diuinitas,
Quæ uera nobis colitur in Christo & Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis insuetæ diem.
Hæc si quis amens fabulosa existimat,
Vel ipse tute, si parum fidelia
Rebare pridem, uera cognoscas licet:
Habes loquentem, cuius amputaueras
Linguam, probatis cede iam miraculis.
Horror stupentem persecutorem subit,
Timorq; & ira pectus in caliginem
Vertêre: nescit uigilet, an'ne somniet:
Miratur hærens quod sit ostenti genus,
Formido frangit, armat indignatio.
Nec uim domare mentis effrenæ potest,
Nec quò furoris tela uertat inuenit,
Postremò medicum sæuus insontem iubet
Reum citari, nundinatum hunc arguit
Mercede certa pactus, ut colluderet.
Aut ferrum in ore nil agens, & irritum
Versasse frustra: seu retunsis tactibus,
Aut arte quadam uulnus illatum breue,
Quod sauciata parte linguam læderet,
Neruos nec omnes usquequaq; abscinderet.
Manere saluam uocis harmoniam probè,
Non posse inani concauo uerba exprimi,
Quæ concrepare lingua moderatrix facit.
Esto ut resultet spiritus uacuo specu,
Echo sed exit inde, non oratio.
Veris refutat medicus hanc calumniam,
Scrutare uel tu nunc latebras faucium,
Intraq; dentes curiosum pollicem
Circumfer, haustus uel patentes inspice,
Lateat ne quicquam quod regat spiramina.

Quanquam forassem fortè si puncto leui,
Tenui'ue linguam contigissem uulnere,
Titubante plectro fatus esset debilis:
Nam cùm magistra uocis in uitium cadit,
Vsus necesse est & loquendi intercidat.
Fiat periclum, si placet, cuiusmodi
Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
Elinguis & quem porca grunnitum strepat,
Cui uox fragosa, clamor est inconditus:
Probabo mutam nil sonare stridulum.
Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, iudex optime,
Seruisse iußis absq; fraude publicis:
Sciat hic, quis illi uerba sugillet Deus,
Ego, unde mutus sit disertus, nescio.
His sese Aristo purgat: at contrà impium
Nil hæc latronem Christianorum mouent,
Magis magisq; fertur in uesaniam:
Quærit num alienus sanguis illum asperserit
Virum, suo'ne effluxerit de uulnere?
Respondit his Romanus: Ecce præstò sum:
Meus iste sanguis uerus est, non bubulus:
Agnoscis illum, quem loquor miserrime
Pagane, uestri sanguinem sacrum bouis,
Cuius litata cæde permadescitis.
¶ Summus sacerdos, nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa uittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.
Tabulis supernè strata texunt pulpita,
Rimosa rari pægmatis compagibus:
Scindunt subinde uel terebrant aream,
Crebroq; lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torua & hispida,
Sertis reuinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Necnon & auro frons coruscat hostiæ,
Setasq; fulgor bractealis inficit.
Hic ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrato diuidunt uenabulo,
Eructat amplum uulnus undam sanguinis
Feruentis, inq; texta pontis subditi
Fundit uaporum flumen, & latè æstuat.
Tum per frequentes mille rimarum uias
Illapsus imber, tabidum rorem pluit, A
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subiectans caput,
Et ueste, & omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obuias offert genas,
Supponit aures, labra, nares obijcit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus:
Nec iam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquàm cadauer sanguine egesto rigens,
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde pontifex, uisu horridus,
Ostentat udum uerticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atq; amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagijs,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant, atq; adorant eminus:
Vilis quòd illum sanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem sub cauernis lauerint.
Addamus illam, si uis, Hecatonben tuam:
Centena ferro cùm cadunt animalia,
Variaq; abundans cæde restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus B
Poßint meare per profundum sanguinis.
Sed quid macellum pingue puluinarium,
Quid maximorum lancinatores gregum,
Euiscerata carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando uosmetipsi exciditis,
Votiuus & cùm membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos excrit fanaticus,
Sectisq; Matrem brachijs placat deam. Deûm
Furere ac rotari ius putatur mysticum,
Parta ad secandum dextra fertur impia:
Cœlum meretur uulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigant ab inguine:
Offert pudendum semiuir donum deæ,
Illam reuulsam masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.
Vterq; sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus,
Mas esse cessat ille, nec fit fœmina.
Felix deorum Mater imberbes sibi
Parat ministros leuibus nouaculis.
Quid? cùm sacrandus accipit sphragitidas,
Acus minutas ingerunt fornacibus,

A His membra pergunt urere, ut igniuerint:
Quancunq; partem corporis feruens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde cùm reliquit spiritus,
Et ad sepulchrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ,
Insignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo, quod perustum est ignibus.
Has ferre pœnas cogitur gentilitas,
Hac dij coërcent lege cultores suos:
Sic dæmon ipse ludit hos, quos ceperit,
Docet execrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex uestra fluit
Crudelitate, uos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora:
Si uos sinatis, incruentè uiuimus,
At si cruentè puniamur, uincimus.
Sed iam silebo, finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Iam non licebit improbè, ut licuit modò,
Torquere nostra uel secare uiscera:
B Cedas necesse est uictus, & iam desinas.
Cessabit equidem tortor & sector, dehinc
Iudex minatur, sed peremptoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium:
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quàm tubam si fregero.
Dixit, foroq; protrahi iussit uirum,
Trudi in tenebras noxialis carceris.
Elidit illic fune collum martyris
Lictor nefandus. sic peracta est passio:
Anima absoluta uinculis, cœlum petit.
Gesta intimasse cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem uoluminum,
Seriemq; tantæ digerens tragœdiæ:
Lætatus, omne crimen in fasces refert fastos
Suum tyrannus, chartulis uiuacibus.
Illas sed ætas conficit diutina,
Fuligo fuscat, puluis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit:
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in cœlis apex.
Excepit astans angelus coram Deo,
Et quæ loquutus martyr, & quæ pertulit:
Nec uerba solùm disserentis condidit,
Sed ipsa pingens uulnera expressit stilo,
Laterum, genarum, pectorisq; & faucium.
Omnis notata est sanguinis dimensio,
Vt quanq; plagam sulcus exarauerit,
Altam, patentem, proximam, longam, breuem:
Quæ uis doloris, qui'ue segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regestis est liber cœlestibus, Regesta
Monumenta seruans laudis indelebilis,
Relegandus olim sempiterno iudici
Libramine æquo, qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.
Vellem sinister inter hœdorum greges
Vt sum futurus, eminus dignoscerer,
Atq; hoc precante diceret rex optimus:
Romanus orat, transfer hunc hœdum mihi,
Sit dexter agnus, induatur uellere.

HYMNVS XI. BEATO HIPPOLYTO
Martyri, ad Valerianum episcopum.
Carmen Elegiacum: quale illud suprà,
Electus Christo locus est.

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
Vidimus, ô Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, tu singula quæris
Nomina, difficile est ut replicare queam:
Tantos iustorum populos furor impius hausit,
Cùm coleret patrios Troia Roma deos.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen, tacitas claudentia tumbas,
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta uirûm iaceant congestis corpora aceruis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub una,
Relliquias memini me didicisse hominum:
Quorum solus habet comperta uocabula Christus,
Vtpote quos propriæ iunxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, & sicubi fortè latentes
Rerum apices, ueterum per monumenta sequor:
Inuenio Hippolytum, qui quondam schisma Nouati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans:
Vsq; ad martyrij prouectum insigne, tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicij.
Nec mirere senem peruersi dogmatis, olim
Munere ditatum catholicæ fidei.
Cùm iam uesano uictor raperetur ab hoste,

Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat,
Consultus quæ nam secta foret melior,
Respondit: Fugite ô miseri execranda Nouati
Schismata, catholicis reddite uos populis.
Vna fides uigeat, prisco quæ condita templo est:
Quam Paulus retinet, quamq; cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget, uenerabile martyr
Cerno, quod à cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit læuo de tramite plebem,
Monstrauitq; sequi quà uia dextra uocat:
Seq; ducem recti spretis anfractibus idem
Præbuit, erroris qui prius auctor erat:
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia uexanti per Tiberina uiros.
Illo nanq; die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum, celsæ intrà mœnia Romæ,
Tingere iustorum cædibus assiduis.
Ianiculum cùm iam madidũ, fora, rostra, Suburam
Cerneret eluuie sanguinis affluere.
Protulerant rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæq; loca æquoreus proxima portus habet.
Inter carnifices & constipata sedebat
Officia, extructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandiq; rebelles
Idolij, ardebat dedere perfidiæ.
Carcereo crinita situ stare agmina contrà
Iusserat horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, uirgarum concrepitare fragor.
Vngula fixa cauis costarum cratibus altos
Pandere secessus, & lacerare iecur.
Ac iam lassatis iudex tortoribus ibat
In furias, cassa cognitione fremens.
Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
Supplicia, auderet qui uitiare animam.
Inde furens quæsitor ait: Iam tortor ab unco
Desine: si uana est quæstio, morte agito.
Huic abscinde caput, crux istum tollat in auras,
Viuentisq; oculos offerat alitibus.
Hos rape præcipites, & uinctos conijce in ignem:
Sit pyra, quæ multos deuoret una reos.
En tibi quos properes rimosæ imponere cymbæ,
Pellere & in medij stagna profunda freti.
Quos ubi susceptos rapidum malesuta per æquor
Vexerit, & tumidis cæsa lauarit aquis, A
Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
Conceptumq; bibant undiq; naufragium.
Squamea cœnoso præstabit uentre sepulchrum,
Bellua consumptis cruda cadaueribus.
Hæc persultanti, celsum subitò antè tribunal
Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circùm iuuenes clamore fremebant,
Ipsum Christicolis esse caput populis:
Si foret extinctum properè caput, omnia uulgi
Pectora Romanis spontè sacranda deis.
Insolitum lethi poscunt genus, & noua pœna est
Inuenta, exemplo quo trepident alij.
Ille supinata residens ceruice: Quis, inquit,
Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat turbetq; iugales,
Intereatq; feris dilaceratus equis.
Vix hæc ille, duo cogunt animalia freni
Ignara, insueto subdere colla iugo:
Non stabulis, blandi'ue manu palpata magistri,
Imperiumq; equitis antè subacta pati:
Sed campestre uago nuper pecus è grege captum,
Quod pauor indomito corde ferinus agit. B
Iamq; reluctantes sociarant uincula bigas,
Oraq; discordi fœdere nexuerant.
Temonis uice funis inest, qui terga duorum
Diuidit, & medius tangit utrunq; latus:
Deq; iugo in longum se post uestigia retrò
Protendens trahitur, transit & ima pedum.
Huius ad extremum, sequitur quà puluere summo
Cornipedum refugas orbita trita uias:
Crura uiri innectit laqueus, nodoq; tenaci
Astringit plantas, cumq; rudente ligat.
Postquàm composito satis instruxêre paratu
Martyris ad pœnam, uerbera, uincla, feras:
Instigant subitis clamoribus, atq; flagellis,
Iliaq; infestis perfodiunt stimulis.
Vltima uox audita senis uenerabilis hæc est:
Hi rapiunt artus, tu rape Christe animam.
Prorumpunt alacres, cæco & terrore feruntur,
Quà sonus atq; tremor, quà furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus, & fragor urget:
Nec cursus uolucer mobile sentit onus.
Per siluas, per saxa ruunt: non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sepes, & cuncta obstacula rumpunt:
Prona,

A Prona, fragoſa petunt, ardua tranſiliunt.
Sciſſa minutatim labefacto corpore fruſta,
Carpit ſpinigeris ſtirpibus hirtus ager.
Pars ſummis pendet ſcopulis, pars ſentibus hæret:
Parte rubent frondes, parte madeſcit humus.
Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis uiget umbris,
Effigians tracti membra cruenta uiri.
Rorantes ſaxorum apices uidi, optime Papa,
Purpureaſq́; notas uepribus impoſitas.
Docta manus uirides imitando effingere dumos
Luſerat, & minio roſſeolam ſaniem.
Cernere erat, ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos ſparſa iacêre ſitus.
Addiderat caros, greſſu lacrymiſq́; ſequentes,
Deuia qua fractum ſemita monſtrat iter.
Mœrore attoniti, atq; oculis rimantibus ibant:
Implebantq́; ſinus uiſceribus laceris.
Ille caput niueum complectitur, ac reuerendam
Caniciem molli confouet in gremio.
Hic humeros, trūcaſq́; manus, & brachia, & ulnas,
B Et genua, & crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ ſiccantur harenæ,
Ne quis in infecto puluere ros maneat.
Si quis & in ſudibus recalenti aſpergine ſanguis
Inſidet, hunc omnem ſpongia preſſa rapit.
Nec iam denſa ſacro quicquam de corpore ſilua
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequijs.
Cumq́; recenſitis conſtaret partibus, ille
Corporis integri qui fuerat numerus:
Nec purgata aliquid deberent inuida toto
Ex homine, exterſis frondibus & ſcopulis:
Metando eligitur tumulo locus: Oſtia linquunt,
Roma placet, ſanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomeria uallo
Merſa latebroſis crypta patet foueis.
Huius in occultum gradibus uia prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas nanq; fores ſummotenus intrat hiatu,
Illuſtratq́; dies limina ueſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigreſcere uiſa eſt
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum:
Occurrunt cæſis immiſſa foramina tectis,
Quæ iaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus,
Arcta ſub umbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter caua uiſcera montis,
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibuſq́; frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa ſacramenti donatrix menſa, eademq́;
Cuſtos fida ſui martyris appoſita:
Seruat ad æterni ſpem iudicis oſſa ſepulchro,
Paſcit item ſanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara:
Spes hominum placida proſperitate iuuat.
Hîc corruptelis animiq́; & corporis æger
Oraui quoties ſtratus, opem merui.
Quòd lætor reditu, quòd te uenerande ſacerdos
Complecti licitum eſt, ſcribo quòd hæc eadem:
Hippolyto ſcio me debere, Deus cui Chriſtus
Poſſe dedit, quod quis poſtulet annuere.
Ipſa illas animæ exuuias, quæ continet intus
Aedicula, argento fulgurat ex ſolido.
Præfixit tabulas diues manus æquore læui
Candentes, recauum quale nitet ſpeculum.
Nec Parijs contenta aditus obducere ſaxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mâne ſalutatum concurritur, omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt ſolis adusq; obitum.
Conglobat in cuneum Latios ſimul ac peregrinos
Permiſtim populos, relligionis amor.
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo:
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cùm ſe renouat decurſis menſibus annus,
Natalemq́; diem paſsio feſta refert:
Quanta putas ſtudijs certantibus agmina cogi,
Quæ ue celebrando uota coire Deo?
Vrbs auguſta ſuos uomit, effunditq́; Quirites,
Vnà & patricios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus uariarum hinc inde uiarum,
Indigena & Picens, plebs & Hetruſca uenit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, iamq́; Nolanus adeſt.
Quiſq; ſua lætus cum coniuge, dulcibus & cum

Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis denſa cohors ſpacijs.
Anguſtum tantis illud ſpecus eſſe cateruis,
Haud dubium eſt, ampla fauce licet pateat.
Stat ſed iuxta aliud quod tanta frequentia templum
Tunc adeat cultu nobile regifico,
Parietibus celſum ſublimibus, atq; ſuperba
Maieſtate potens, muneribusq; opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Suſtinet, auratis ſuppoſitus trabibus:
Adduntur graciles tecto breuiore receſſus,
Qui laterum ſeriem iugiter exinient.
At medios aperit tractus uia latior alti
Culminis, exurgens editiore apice.
Fronte ſub aduerſa, gradibus ſublime tribunal
Tollitur, antiſtes prædicat unde Deum.
Plena laborantes ægrè domus accipit undas,
Arctaq; confertis æſtuat in foribus,
Maternũ pandens gremium quo condat alumnos,
Ac foueat fœtos accumulata ſinus.
Si bene cõmemini, colit hũc pulcherrima Roma
Idibus Auguſti menſis, ut ipſa uocat
Priſco more diem, quem te quoq; ſancte magiſter
Annua feſta inter dinumerare uelim.
Crede ſalutigeros feret hic uenerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia reſtituens:
Inter ſolennes Cypriani, uel Cheledonij,
Eulaliæq; dies, currat & iſte tibi.
Sic te pro populo, cuius tibi credita uita eſt,
Orantem Chriſtus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ouili,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me gramineo remanentem denique campo,
Sedulus ægrotam paſtor ouem referas.
Sic cùm lacteolis caulas compleueris agnis,
Raptus & ipſe ſacro ſis comes Hippolyto.

HYMNVS XII. BEATIS PETRO ET Paulo apoſtolis, & martyribus.

Dicolos diſtrophos. Verſus Archilochij, è iambico & trochaico compoſiti.

— v v — v v — — — v v — v — v — v
— — v — — — v — v — v

Plus ſolito coëunt ad gaudia, dic amice quid ſit,
Romam per omnem curſitant, ouantq;.
Feſtus apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore. A
Vnus utrunq; dies, pleno tamen innouatus anno,
Vidit ſuperba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quæ flumine lambitur propin-
Binis dicatum ceſpitem trophæis, (quo
Et crucis, & gladij teſtis, quibus irrigans eaſdem
Bis fluxit imber ſanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit ſententia, legibus Neronis,
Pendêre iuſſum præminente ligno.
Ille tamen ueritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam magiſtri,
Exigit ut pedibus uerſum caput imprimant ſupinis,
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola uerſus in cacumẽ,
Hoc mente maior, quo minor figura.
Nouerat ex humili cœlum citius ſolere adiri,
Deiecit ora, ſpiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diemq; eundem ſol reduxit ortus:
Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem,
Iubet feriri gentium magiſtrum.
Ipſe prius ſibimet finem citò dixerat futurum:
Ad Chriſtum eundum eſt, iam reſoluor, inquit. B
Nec mora protrahitur, pœnæ datur, ĩmolatur enſe:
Non hora uatem, non dies fefellit.
Diuidit oſſa diuûm Tibris, ſacer ex utraq; ripa,
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliua, murmurans fluento.
Nanque ſupercilio ſaxi liquor ortus, excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem,
Nunc precioſa ruit per marmora, lubricatq; cliuũ
Donec uirenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars eſt ubi, lapſibus ſonoris
Stagnum niuali uoluitur profundo.
Omnicolor uitreas pictura ſupernè tingit undas,
Muſci relucent, & uireſcit aurum.
Cyaneusq; latex umbram trahit imminẽtis oſtri,
Credas moueri fluctibus lacunar.
Paſtor oues alit, ipſe illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluenta Chriſti.
Parte alia titulum Pauli uia ſeruat Oſtienſis,
Quâ ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum.
Regia põpa loci eſt, princeps bonus has ſacrauit ar-
Clauſitq; magnis ambitum talentis. (ces,
Bracteolas trabibus ſubleuit, ut omnis aurulenta

A Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu.
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tũ camurus hyalo inſigni uariè cucurrit arcus:
Sic prata uernis floribus renident.
Ecce duas fidei ſummo patre conferente dotes,
Vrbi colendas quas dedit togatæ.
Aſpice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus feruet una feſtis.
Nos ad utrũq; tamẽ greſſu properemus incitato,
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius quâ fert uia pontis Hadriani,
Leuam deinde fluminis petemus.
Tranſtiberina prius ſoluit ſacra peruigil ſacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatq; uota.
Hæc didiciſſe ſat eſt Romæ tibi: tu domũ reuerſus,
Diem biſfeſtum ſic colas memento.

HYMNVS XIII. BEATO CYPRIANO Epiſcopo & martyri Carthaginienſi.

Monocolos. Verſus eiuſdem menſuræ cuius fuit primus Hymni antecedentis.

— ∪ ∪   — ∪ ∪   — —   — ∪ ∪   — ∪   — ∪   — ∪

B Punica terra tulit, quo ſplendeat omne quicquid uſquam eſt,
Inde domo Cyprianũ, ſed decus orbis, & magiſtrũ.
Eſt propri⁹ patriæ martyr, ſed amore, et ore noſter,
Incubat in Libya ſanguis, ſed ubiq; lingua pollet:
Sola ſuperſtes agit de corpore, ſola obire neſcit,
Dũ gen⁹ eſſe hominũ Chriſtus ſinet, et uigere mũdũ,
Dum liber ullus erit, dum ſcrinia ſacra litterarum:
Te leget omnis amans Chriſtũ, tua Cypriane diſcet,
Spiritus ille dei, qui fluxerat auctor in prophetas,
Fontibus eloquij te cœlitùs actus irrigauit.
O' niue candidius linguæ genus, ô nouum ſaporem,
Vt liquor ambroſius, cor mitigat, imbuit palatum,
Sedẽ animæ penetrat, mẽtẽ fouet, et pererrat artus:
Sic Deus interius ſentitur, & inditur medullis.
Vnde bonum ſubitum terris dederis pater reuela.
Deerat apoſtolicis ſcriptis opulentus executor,
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæq; uoluminibus Pauli famulata diſputaret,
Quò mage cruda hominũ præcordia ꝑpolita noſſẽt
Siue timoris opus, ſeu myſtica, uel profunda Chriſti.
Vnus erat iuuenum doctiſſimus, artibus ſiniſtris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil ſacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamẽ inire per ſepulchra,
Quo geniale tori ius ſolueret æſtuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repentè Chriſtus,
Diſcutit & tenebras de pectore, pellit & furorem,
Implet amore ſui, dat credere, dat pudere facti,
Iamq; figura alia eſt, quàm quæ fuit oris & nitoris,
Exuitur tenui uultus cute, tranſit in ſeuerum,
Deflua cæſaries compeſcitur ad breues capillos,
Ipſe modeſta loqui, ſpem quærere, regulam tenere,
Viuere iuſticiæ Chriſti, & penetrare dogma noſtrũ.
His igitur meritis digniſſimus uſq; epiſcopale
Prouehitur ſolium doctor, capit et ſedile ſummum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus,
Conſtituere ſimul pœnam capitis deum fatenti.
Millia terrigenûm ſpurciſſima iuſſerant ſacrari:
Contrà animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregiæ uirtutis honore diſcreparet,
Neu fidei precium quis ſumere degener timeret.
Eſſe leuem cruciatum, ſi modò conferat futura,
Quæ Deus ipſe uiris intermina fortibus ſpopondit.
Merce doloris emi ſpem luminis, & diẽ perennem.
Omne malum uolucri cũ tẽpore trãſuolare curſim:
Nil graue quod peragi finis facit, & quiete donat:
Se fore principium pulchræ necis, & ducẽ cruoris,
Seq; caput gladio ſubmittere, ſanguinem dicare,
Qui ſociare animã Chriſto uelit, ut comes ſequatur.
His ubi corda uirûm Chriſto calefacta præparauit,
Ducitur ante alios Proconſule perfurente uinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis, abditis repoſta,
Conſcia tartareæ caliginis, abdicata ſoli:
Clauſus in his ſpecubus ſanctus Cyprianus, et catena
Nexus utrãq; manũ, nomen patris inuocat ſupremi:
Omnipotẽs genitor Chriſti Deus, & creator orbis,
Chriſte parens hominis, quẽ diligis, & uetas perire:
Ille ego uipereis, quem tu bonus oblitum uenenis,
Criminibus uarijs tinctum, miſeratus abluiſti,
Iamq; tuum fieri mandas fio Cyprianus alter,
Et nouus ex ueteri, nec iam reus, aut nocens, ut antè,
Si luteum facili chriſmate pectus expiaſti:
Viſe libens tenebris ergaſtula cæca diſſipatis,
Eripe corporeo de carcere, uinculiſq; mundi
Hanc animam: liceat fuſo tibi ſanguine immolari.
Ne' qua ferum reprimat clementia iudicem tyranni,
Neu ſciat inuidia miteſcere, gloriam negare.
Da quoq; ne' quis iners ſit de grege, quẽ tuũ regebã;
Ne cadat impatiens pœnæ, titubet' ue quis tuorum,
Incolumẽ ut numerũ reddam tibi, debitumq; ſoluã,
Vocibus

Vocibus his dominum permouerat, influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenij, ſtimulis ut pectora ſubditis calerent
Ad decus egregium diſcrimine ſanguinis petẽdum,
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore uinci,
Laudis amore rapi, Chriſtũ ſapere, & fidem tueri.
Fama refert, foueam campi in medio patêre iuſſam,
Calce uaporifera ſummos prope margines refertã,
Saxa recocta uomunt ignem, niueuſq; puluis ardet,
Vrere tacta potens, & mortifer ex odore flatus:
Appoſitam memorant aram fouea ſtetiſſe ſumma,
Lege ſub hac, ſalis aut micam, iecur aut ſuis litarent
Chriſticolæ, aut mediæ ſponte irruerẽt in ima foſſæ.
Proſiluere alacres curſu rapido ſimul trecenti,
Gurgite puluereo merſos liquor aridus uorauit,
Præcipitemq; globum fundotenus implicauit imo.
Corpora candor habet, cãdor uehit ad ſuperna mẽ-(tes,
Cãdida maſſa dehinc dici meruit p omne ſeclũ.
Lætior interea iam Thaſcius ob diem ſuorum,
Siſtitur indomiti proconſulis eminus furori.
Dogmatis atq; loci iuſſus genus: Chriſtianus, inquit,
Seruo ſalutiferi myſteria conſecrata Chriſti.
Ille ſub hæc: Satis eſt iam criminis, ipſe confitetur
Thaſcius, ipſe Iouis fulmen negat, expedite ferrum,
Carnificis gladio pœnam luat hoſtis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Fleuit obire uirum mœſta Africa, quo docente, facta
Cultior, eloquio cuius ſibi docta gloriatur.
Mox tumulũ lachrymãs ſtruxit, cineresq; conſecra-(est
Deſine flere bonum tantũ: tenet ille regna cœli, (uit.
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
Diſſerit, eloqtur, tractat, docet, inſtruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantum regit, exituſq; in ortũ
Solis, & uſque obitũ: Gallos fouet, imbuit Britanos,
Præſidet Heſperiæ, Chriſtũ ſerit ultimis Iberis. (nis;
Deniq; doctor humi eſt, idẽ quoq; martyr in ſuper-
Inſtruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

HYMNVS XIIII. DIVAE AGNETI
Martyri, Virgini Romanæ.
Monocolos. Verſus dactylici acatalecti.

— — ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ ∪

Agnes ſepulchrum eſt Romulea in domo
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conſpectu in ipſo condita turrium
Seruat ſalutem uirgo Quiritium:
Nec non & ipſos protegit aduenas,
Puro ac fideli pectore ſupplices. A
Duplex corona eſt præſtita martyri,
Intactum ab omni crimine uirginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt iugali uix habilem toro,
Primis in annis fortè puellulam
Chriſto calentem, fortiter impijs
Iuſsis reniſam, quò minus idolis
Addicta, ſacram deſereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi iudicis illice,
Nunc ſæuientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,
Corpuſq; duris excruciatibus
Vltro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus: Si facile eſt, ait,
Pœnam ſubactis ferre doloribus,
Et uita uilis ſpernitur: at pudor
Charus dicatæ uirginitatis eſt.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum eſt, ad aram ni caput applicet,
Ac de Minerua iam ueniam roget,
Quam uirgo pergit temnere uirginem. B
Omnis iuuentus irruat, & nouum
Ludibriorum mancipium petat.
Haud, inquit Agnes, immemor eſt ita
Chriſtus ſuorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deſerat:
Præſto eſt pudicis, nec patitur ſacræ
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis ſanguine, ſi uoles:
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam, publicitùs iubet
Flexu in plateæ ſiſtere uirginem.
Stantem refugit mœſta frequentia,
Auerſa uultus, ne petulantius
Quiſquam uerendum conſpiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat ſacram
Spectare formam lumine lubrico.
En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens, atq; oculos ferit:
Cæcus coruſco lumine corruit,
Atq; in plateæ puluere palpitat.
Tollunt ſodales ſeminecem ſolo,
Verbiſq; deflent exequialibus.

Ibat

A Ibat triumphans uirgo, Deum Patrem
Christumq́; sacro carmine concinens,
Quòd sub profani labe periculi
Castum lupanar, nec uiolabile
Experta uictrix uirginitas foret.
Sunt qui rogatam rettulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem iacenti: tum inuenit halitum
Vitæ innouatum uisibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur
Ascensus: iram nam furor incitat
Hostis cruenti: Vincor, ait gemens,
Astringe ferrum miles, & exere
Præcepta summi regia principis.
Vt uidit Agnes stare trucem uirum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quòd potius uenit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger:
Quàm si ueniret languidus ac tener,
Mollisq́; ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
B Hic hic amator iam fateor placet,
Ibo irruentis greßibus obuiam,
Nec demorabor uota calentia,
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusq́; ad imum uim gladij traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
Omnes tenebras, æthere celsior.
Aeterne rector diuide ianuas
Cœli, obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem Christe animam uoca,
Cùm uirginalem, tum patris hostiam.
Sic fata, Christum uertice cernuo
Supplex adorat, uulnus ut imminens
Ceruix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu,
Vno sub ictu nam caput amputat.
Sensum doloris mors cita præuenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberq́; in auras exilit. Angeli
Sepsêre euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetq́; solis quòd rota circuit,
Quod mundus omnis uoluit, & implicat:
Rerum quòd atro turbine uiuitur:
Quòd uana secli mobilitas rapit
Reges, tyrannos, imperia & gradus,
Pompasq́; honorum stulta tumentium:
Argenti & auri uim rabida siti
Cunctis petitam per uarium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
Illusa pictæ uestis inania,
Iram, timorem, uota, pericula:
Nunc triste longum, nunc breue gaudium.
Liuoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum, & decus,
Et quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat Agnes, ac pede proterit,
Stans, & draconis calce premens caput:
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit uenenis, mergit & inferis.
Nunc uirginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec uictus audet tollere uerticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubæ:
Vnam decemplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit,
Centenus extat fructus in altera.
O uirgo fœlix, ô noua gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluuionibus
Vultum gemello cum diademate:
Cui posse soli cunctiparens dedit
Castum uel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si iecur impleas:
Nil non pudicum est, quod pia uisere
Dignaris, almo uel pede tangere.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS ἀποθέωσις, id est, De diuinitate.

PRAEFATIO.


Est tria summa Deus, trinum specimen, uigor unus: (ipse est.
Corde Patris genita est Sapiētia, Filius ipse est.
Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore,
Tempore nec senior Pater est, nec numine maior:
Nam sapiens retro semper Deus, edidit ex se
Per quod semper erat gignenda ad secula Verbum.

Edere sed uerbum Patris est: at cætera uerbi
Assumptum gestare hominem, reparare perẽptum,
Conciliare patri, dextraq; in sede locare,
Spiritus ista Dei complet, Deus ipse fideles
In populos charisma suum diffundere promptus,
Et Patris & Christi uirtutem in corpora transfert.

REPREHENSIO INFIDELIVM.
Carmen Epodon, distrophon: constans senario Iambico, cui additus est dimeter Iambicus. qui sic se habent:

— — ∪ — ∪ — ∪ — — — ∪ —
— — ∪ — — — ∪ —

Est uera secta, te magister consulo?
Rectam'ne seruamus fidem?
An uiperina non cauemus dogmata?
Et nescienter labimur?
Arctam salutis uix uiam discernere est,
Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus,
Obliqua quà se conferunt diuortia
Hinc inde textis orbitis.
Quas si quis errans ac uagus sectabitur,
Rectum relinquens tramitem:
Scrobis latentis pronus in foueam ruet,
Quam fodit hostilis manus.
Manus latronum quæ uiantes obsidet,
Iter sequentes deuium.
Quid non libido mentis humanæ struat?
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Vt quisq; lingua nequior:
Soluunt, ligantq; quæstionum uincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis,
Væ uersipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Idcircò mundi stulta delegit Deus,
Vt concidant sophistica:
Deq; imbecillis subiugauit fortia,
Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem uanitas.
Signum cauenti, non cauenti scandalum:
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
Incurrit id quod obuium est.
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
Vt recta sint uestigia.
Quis in tenebris hostis errantes tamen
Pulsat, trahitq; & proterit,
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
Frumenta sæuus deuorat,
Qui læta Christi culta fur interpolat,
Addens auenas æmulas.
Quas de ueneni lacte in herbam fertilem
Patitur colonus crescere:
Ne fortè culmum fibra inanis spiceum
Simul reuulsa internecet.
Expectat ergo dum dolosa, & farrea
Feruens coquat maturitas.
Dat uentilabro lecta quæque ut horreis
Vrat recrementum focis.
Refert sed ipsa nosse, quæ messem necant
Zizaniorum semina.

CONTRA NOETIANAM HAERESIM, quę Patrem passum affirmat.

Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculẽt malè prodita linguã.
Ille patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pauet ipsum
Obiectare neci, duroq; affigere ligno.
Passibilis'ne Deus? cuius species & imago
Nulli uisa unquam: nec enim comprendier illa
Maiestas facilis, sensu'ue, oculis'ue, manu'ue.
Ioannis magni celebris sententia præstò est,
Haud unquam testata Deum potuisse uideri.
Ille Pater, quem nulla acies uiolenta tuendo
Eminus ardentis penetrauit acumine uisus,
Qui se forma hominis non induit, & deitatis
Immensum assumpto non temperat ore, modo'ue,
Aut Euangelici pietas spernenda libelli
Iam blaspheme tibi est: aut nunquam uisa beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis:
Sed tamẽ & Patris est specimẽ, quod cernere fas sit,
Humanis aliquando oculis concurrere promptum:
Quod quamuis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentiq; acie potuit nebulosus adire,
Quisq; hominũ uidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum

A Infuſum uidit gnatum: nam filius hoc eſt,
Quod de patre micans ſe præſtitit inſpiciendum,
Per ſpecies quas poſſet homo comprendere uiſu.
Nam mera maieſtas eſt infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni ſe moderamine formet.
Hoc uidit princeps generoſi ſeminis Abram,
Iam tunc dignati terras inuiſere Chriſti
Hoſpes homo, in triplicem numen radiaſſe figurã.
Hoc colluctantis tractarunt brachia Iacob.
Ipſe dator legis diuinæ accedere coràm
Iuſſus, amicitiæ collato qui ſtetit ore
Cominus, & ſacris coniunxit uerba loquelis,
Carnis in effigie Chriſtum ſe cernere ſenſit,
Sed maiora petens, animum per uota tetendit
Inconceſſa homini, pluſquàm mortale laborans,
Ipſum quantus erat ſine corpore uiſere Chriſtum.
Deniq; poſt multi ſermonis mutua, poſtq;
Conſpectum præſentis heri & conſortia longa,
Quæſo, ait, ut liceat te nunc Deus optime noſſe.
Reſpondit Dominus: Mea, non me, cernere iuſtis
Poſteriora dabo. Quid apertius, abſq; aliena
Quàm ſumat facie uerbum non poſſe uideri?
B Poſſe tamen, cùm malit idem, nunquam patre uiſo,
Terrenis oculis, habitu ſe oſtendere noſtro:
Sæpè & in angelicas & mortales memoratum eſt
Induci ſpecies, queat ut ſub imagine cerni.
Hoc Verbum eſt, quod uibratũ Patris ore benigno
Sumpſit uirgineo fragilem de corpore formam.
Inde figura hominis nondum ſub carne, Moyſi
Obiecta, effigiem noſtri ſignauerat oris:
Quod quandoq; Deus uerbi uirtute coactum
Sumpturus corpus, faciem referebat eandem.
Sed tamen & ſentûm uiſa eſt excita cremare
Flamma rubum, Deus in ſpinis uolitabat acutis,
Vulnificasq; comas innoxius ignis agebat:
Eſſet ut exemplo, Deus illapſurus in artus
Spiniferos, ſudibus quos texunt crimina denſis,
Et peccata malis hirſuta doloribus implent.
Inculto nam ſtirpe, frutex uitioſus iniquis,
Luxuriem uirgis inhoneſto effundere ſucco
Cœperat, & nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat ſteriles ſubitò ſplendeſcere frondes,
Accenſisq; citum folijs magno impete latè
Collucere Deum, nec ſpinea lædere texta,
Lambere ſanguineos fructus, & poma cruenta,
Stringere mortiferi uitalia germina ligni.
Quandoquidem triſtes purgantur ſanguine culpæ,
Quem contorta rubus denſis cruciatibus edit.
Ergo nihil uiſum, niſi quod ſub carne uidẽdum
Lumen, imago Dei, uerbum Deus, & Deus ignis,
Qui ſentum noſtri peccamen corporis implet.
Nam lucis genitor, uerbi ſator, auctor & ignis,
Creditur extra oculos, ut Apoſtolus edocet auctor,
Qui negat intuitu fontem deitatis adiri.
Credite, nemo Deum uidit, mihi credite, nemo.
Viſibilis de fonte Deus, non ipſe Deus fons
Viſibilis: cerni potis eſt qui naſcitur, at non
Innatus cerni potis eſt: latet os Patris illud,
Vnde Deus, qui uiſibilem ſe præſtitit olim,
Tale aliquid formans in ſeſe, quale ſequuta eſt
Paßio, quæ corpus ſibi uendicat: ardua nam uis
Eſt impaßibilis: quoniam natura superni
Ignis ad horrificas neſcit deſcendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari,
Pura, ſerena micans, liquido prælibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum.
Cui non principium de tempore, ſed ſuper omne
Tempus, & ante diem maieſtas cum Patre ſummo,
Imò animus Patris, & ratio, & uia conſiliorum,
Quæ non facta manu, nec uoce creata iubentis,
Protulit imperium patrio ructata profundo.
Hanc igitur non flagra ſecant, non ſputa ſaliuis
Aſpergunt, alapis non uexat palma reliſis:
Nec perfoſſa cruci clauorum uulnera figunt,
His affecta caro eſt hominis, quã fœmina prægnãs
Enixa eſt ſub lege uteri, ſine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, & haurit acetum:
Ille pauet mortis faciem, tremit ille dolorem.
Dicite ſacrilegi doctores, qui Patre ſummo
Deſertum iacuiſſe thronum contenditis, illo
Tempore quo fragiles Deus eſt illapſus in artus:
Ergo Pater paſſus? Quid non malus audeat error?
Ille puellari conceptus ſanguine creuit,
Ipſe uerecundæ diſtendit uirginis aluum,
Et iam falſiloqua eſt diuini pagina libri,
Quæ uerbum in carnis loquitur fluxiſſe figuram?
At non qui uerbi pater eſt, caro factus habetur:
Fige gradum ſcriptura tuum, nil mobile, & anceps
Affirmaſſe decet: Pater eſt, quem cernere nulli
Eſt licitum: Pater eſt, qui nuquam uiſus in orbe eſt,
Nec mundana inter radiauit lumina coràm.
Verbum conſpicuum miſit, miſſumq; recepit,

Cùm noluit, uerbo præstrinxit uiscera puræ
Virginis, & uerbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris, uirtute & numine præsens
Semper adest, quocunq; loci, nec pars uacat ulla
Maiestate patris, nusquam est genitor Deus absens,
Per uerbum sed semper adest. atq; inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum iam tempore uersor,
Et patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
Est inuisibilis donum patris, edere natum
Visibilem, per quem ualeat pater ipse uideri.
Nec solis sanctorum oculis, sed lumine caßis
Cæcorum: cæcos loquor, atra socordia quorum
Corde tenebroso uerum perpendere nescit.
Quem si perspicuum mortalibus inficiaris,
Fare age, quem uideat Babylonis ab arce tyrannus
Innocuas inter flammas procul inspaciantem,
Calcantem rapidos inadustis fratribus ignes.
Nempe, ait, ô proceres tres uasta incendia anhelis
Accepere uiros fornacibus, additus unus
Ecce uaporiferos ridens intersecat ignes:
Filius ille Dei est, fateor, quem & uictus adoro.
Irrisas remouete faces, tedasq; tepentes.
Subtrahite, en friget succensi sulphuris ardor.
Filius, haud dubium est, agit hæc miracula rerum,
Quem uideo Deus ipse, Dei certißima proles,
Imperat immensis ardoribus, & domat iras,
Insultans famulante rogo, piceosq; furores
Comprimit, & rabiem flammarum algescere cogit.
Barbaricos calida aura sinus non tangere iussa
Præterit, & tenues stridens transcurrit amictus:
Ipse per Assyrias metuit uapor ire tiaras,
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro.
Hæc ait, & uarios iubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosq;, tubasq;,
Stulta superstitio tacuit, uox festa quieuit,
Quæ malè conspicuæ celebrabat imaginis aurum.
Carmina sanctorum resonant iam sola uirorum,
Concentu triplici regem laudantia cœli.
Qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,
Ignibus & medijs securos texit alumnos:
Semper in auxilium sermo patris omnipotentis
Descendit, seruando homini, mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curauit amore,
Vt socianda caro, dominoq; implenda perenni,
Degenerem uitam, quam tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret heri, similesq; per artus
Cernere consortem terreni assuesceret oris, A
Participemq; suum uisu uelut obside nosse,
Et consanguineo paulatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam, nunc spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum, mortalia uiuificantem.
Nunc noua materies solidata intercute flatu,
Materies, sed nostra tamen de uirgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia uitæ,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.
Filius ille hominis, sed filius ille Tonantis,
Iam solus uultum patris aspicit, & uidet ipsum.
Nemo patrem nouit nisi filius, & cui monstrat
Filius, & nostri mediator, & Omnipotentis.
Deniq; concludam breuis ut compendia summæ:
Non pater in carnem descendit, sed patris arcem
Sumpta caro ascendit, natus per utrunq; cucurrit.

CONTRA HAERESIM VNIONITARUM, seu Sabellianam.

Cede profanator Christi, iam cede Sabelli,
Depositorq; patris, natiq; insane negator.
Nónne patrem uiolas, dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet: B
Nec uocitare patrem potis es, quē germine fraudas?
Sed fortasse uelis patriæ pietatis honore
Dispoliare Deum, contentus nomine nudo
Quod deus est, adimasq; decus patris, et generis uim.
Ecquis in idolio recubans, inter sacra mille,
Ridiculosq; deos uenerans sale, cespite, thure,
Nō putat esse Deum summum, et super omnia solū?
Quamuis Saturnis, Iunonibus, & Cytheræis,
Portentisq; alijs fumantes consecret aras:
Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno
Constituit ius omne Deo, cui seruiat ingens
Virtutum ratio uarijs instructa ministris.
Quæ gēs tā stolida est animis? tā barbara linguis,
Quæ'ue superstitio tam sordida, quæ caniformem,
Latrantemq; throno cœli præponat Anubim?
Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra deabus
Dat solium, quamuis solidam persoluat acerram,
Sacrilegisq; molam manibus, rimetur & exta.
Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule & hircosos Cynicos, quos somniat, & quos
Texit Aristoteles torta uertigine neruos.
Hos omnes quamuis anceps labyrinthus, & error
Circunflexus agat, quamuis promittere & ipsi
Gallinam

A Gallinam ſolcant, aut gallum, Clinicus ut ſe
Dignetur præſtare Deus morientibus æquum:
Cùm uentum tamen ad normam rationis & artis,
Turbidulos ſenſus, & litigioſa fragoſis
Argumenta modis concludunt numen in unum.
Cuius ad arbitrium ſphera mobilis, atq; rotunda
Voluatur, ſeruentq́; ſuos uaga ſidera curſus:
Non recipit natura hominis (modò quadrupes ille
Non ſit, & erecto ſpectet cœleſtia uultu)
Non recipit, neget ut regimen pollere ſupremum.
Iſtud & ipſe Numæ tacitus ſibi ſenſit aruſpex,
Semifer & Gothus ſentit cane milite peior.
Sed nos qui Dominum libris, et corpore, iam bis
Vidimus: antè fide, mox carne & ſanguine coràm,
Quiq́; uoluminibus uatum, cruce teſte probatis,
Rimantes digitos coſtarum in uulnera cruda
Merſimus, & manum uiſu dubitante lacunas
Scrutati, æternum regem cognouimus IESVM:
Abiurare Deo titulum nomenq́; paternum
Credimus eſſe nefas, qui regem protulit ex ſe,
Non regem populi Parthorum, aut Romulidarum:
Sed regem ſummæ, & mediæ rationis, & imæ,
B Atq́; ideo rerũ Dominum, & ſuper omnia Regem,
Carnis habet mediũ, ſummum patris, & Stygis imũ:
Defluit his gradibus, rurſusq́; reuoluitur in ſe:
Eſt Deus, eſt & homo: fit mortuus, & Deus idẽ eſt,
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
Vt rurſum patris in gremium replicata reportet
Mortua quæ fuerant, ipſos quoq; ſubuehat artus.
Hæc fore cùm ueterum ceciniſſent organa uatum,
Nos oculis, manibus, congreſſu, uoce, lòquela
Experti, heroum tandem intelleximus orſa
Priſcorum, & uiſo patefacta oracula Chriſto.
Hæc eſt noſtra ſalus, hinc uiuim⁹, hinc animamur,
Hoc ſequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem, patris & ſine nomine nunquam
Natum noſſe Deum, nunquam niſi ſanctus, & unus
Spiritus interſit, natumq́; patremq́; uocare:
Sic tamen hæc conſtare tria, ut ne ſepare ductu
Tres faciam, tribus his ſubſiſtat ſed Deus unus.
Nec pater ipſe autem, qui filius, ut quia natum
Scimus ab innato, uerè pater, & ſata uerè
Sit ſoboles: nec ſit genitor ſibi filius ipſe,
Siue pater natus fuerit, ſiue ipſe repentè
Perquàm ridiculum eſt, & futile, natus ut ex ſe
Naſcendi noua materies, ac ſe Deus ultro
Ediderit, natumq́; ſibi ſe fecerit ipſum.
Nil falſum aut mendax diuina uocabula fingunt.
Qui pater eſt, gignendo pater, tum filius ex hoc
Filius, auctore ut genitus quòd ſit patre ſummo:
Sũm⁹ et ipſe tamẽ, nec enim minor, aut patre diſpar
Vnde in utroq; operis forma indiſcreta, niſi omnem
Vim maieſtatis patriæ generoſus haberet
Filius, idq́; Deus genitor, quod filius eſſet.
Pergunt ulterius ſcrutantes, quid ſit id ipſum
Gignere, ſi fas eſt humanos tendere ſenſus
Vſq; ad ſecretum, quod tempora cuncta, dieſq́;
Præuenit antiquos, & principium ſuper ipſum
Eminet, & quodcunq; poteſt homo quærere trãſit.
Cùm ſit difficilis uia noſcere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quid nam
Vltra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit uerbum, quod principio caret omni?
Hoc ſolum ſcimus, quod traditur eſſe Deus, quem
Non genitus genitor generauerit, unus & unum,
Integer integrum, non cœptum, ſed tamen ortum,
Et comperpetuum patris, retrò ſed patre natum.
Sed nec deciſus pater eſt, ut pars patris eſſet
Filius, extendens nec ſe ſubſtantia tractim
Produxit, minuit ue aliquid de numine pleno,
Dum mutata nouum procudit portio natum.
Non conuertibilis, nec demutabilis unquam
Eſt deus, aut gignendo aliquid ſibi detrahit: atqui
Totus & ex toto Deus eſt, de lumine lumen.
Quando autem lumen ſine lumine? quando refulgẽs
Lux fulgore caret? quando eſt ut proditus ignis
Ignem deminuat? quando pater, & deus, & lux,
Non lucis deus & pater eſt? qui ſi pater olim
Non fuit, & ſerum genuit poſt tempora natum:
Fit nouus, inq́; nouum ius proficit. abſit, ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et deus, & genitor, lumenq́; & gloria ſemper
Ille fuit, nec poſt ſibi contulit ut pater eſſet.
Sic fit ut æternum credamus cum patre Chriſtum,
Illo auctore ſatum, cui nullus præfuit auctor.
Hæc tu ſi dubitas nati myſteria Chriſti
Perdite, catholica non es de plebe, ſed unus
De grege thurifero uenerator, Deucalionum
Deuotus cippo, ficulni & ſtipitis unctor.
Quin potius ſcrutare Dei ſignacula in ipſo
Fonte uetuſtatis: percurre & ſcrinia primi
Scriptoris, quem non bardus pater, aut auus augur,

Fabula nec ueteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sago clangore loquax, & stridula cornix
Rem docuere Dei: sed coràm proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, seq; ac sua summa retexit.
Nimirum meminit scriptor doctißimus illo
Orbis principio non solum, nec sine Christo
Informasse patrem facturæ plasma nouellæ.
Fecit, ait, condens hominem Deus, & dedit olli
Ora Dei. quid nam est aliud, quàm dicere, solus
Non erat? atq; Deo Deus aßistebat agenti,
Cùm Dominus faceret Domini sub imagine plasma?
Christus forma Patris, nos Christi forma & imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post secula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Ni refugis, quæ te doceant, non in Patre solo
Vim maiestatis positam, sed cum Patre Christum
Esse Deum: uelut ille inquit Genealogus idem,
A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas.
Quis Dominus? de quo Domino? si solus ab arce
Siderea spectat Pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam Domini Patris, ignibus iram
Spargebat Dominus, sunt unum fulmen uterque.

CONTRA IVDAEOS, CHRISTI IN carnem aduentum non concedentes.

Hæc si Iudaicos sic intellecta rigassent
Auditus, stupidas aut possent tangere fibras:
Audissent Dominum uirtutum, qui pereuntes
Venerat ut seruaret oues. sed ab auribus omnis
Fluxerat ornatus, caput & iam coctile Baal
Finxerat, auriculasq; suo spoliarat honore.
Dux populi peccantis adest de monte corusci
Luminis, alloquioq; Dei tabulasq; tremendo
Incisas digito, cæca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs, non uisura profundæ
Legis in effigie scriptum per ænigmata Christum,
Infelix quæ luce oculos præstricta pauentes
Texerit, & presso faciem uelarit amictu.

At nos detecto Christum uelamine, coràm
Cernimus, atq; Deum uultu speculamur aperto.
Nec sub lege graui depressa fronte iacemus:
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu frondosa prius ramis felicibus arbor,
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis:
Ecce tibi inserto reuirescit nunc oleastro
Truncus, & externi uestitur cortice libri. A
Iam miserere tui, non se siluestris oliui
Surculus, exultans alieno stipite iactat,
Sed monet ut generis proprij memor, unguine ama
Contristare comas desuescas, stirpe nec imo (ro
Inuideas mißis in celsa cacumina uirgis.

Blasphemas Dominum gens ingratißima Christũ,
Pascha tuum dic, dic cuius de sanguine festum
Tam solenne tibi est? quis tandem cæditur agnus
Anniculus, sacer ille tibi redeuntibus annis?
Sed sacer, in pecude est stultum sic credere sacrum
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lasciuire coris similaginis, azymon esse,
Cùm fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis imprudens nostrum te effingere Pascha,
Legis & antiquæ præductis pingere sulcis?
Omne sacramentum retinet, quod paßio uera:
Paßio quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corporeamq; domum signato collinit ore.
Hanc fugit exclusis Aegyptia plaga flagellis,
Hæc regis Pharij regnum ferale resoluit,
Deq; potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe, & gente fideli. B
Abrahæ genus est uerum, cui sanguis in ore
Creditur, inscriptusq; rubet cui uisus in orbe,
Haud dubitante fide Deus est, Deus ex Patre uerus.
Ille Deum uidit, uisum mox credidit: at tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus implet
Interior: nec enim lex cœlo carnea fluxit
Quam tu carne colis, sed Christo fœta, meamq;
Spem paritura utero. quam spem? nisi numinis almũ
Lumen, & aduentum Domini quem uiderat Abræ
Prima fides, nostrisq; pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, & legis uoce probandum.
Nec solùm legis: nam quæ iam littera Christum
Non habet, aut quæ non scriptorum armaria Christi
Laude referta, nouis celebrant miracula libris?
Ebræus pangit stylus, Attica copia pangit,
Pangit & Ausoniæ facundia tertia linguæ.
Pilatus iubet ignorans, tu scriba tripictis
Digere uersiculis, quæ sit suffixa potestas,
Fronte crucis titulus sit triplex, triplice lingua.
Agnoscat Iudæa legens, & Græcia norit,
Et ueneratа Deum percenseat aurea Roma.
Aere cauo quidquid reboans tuba curua remugit,

Quicquid

A Quicquid ab arcano uomit ingens spiritus haustu,
Quicquid casta chelys, quicquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Aemula pastorum quod reddunt uocibus antra:
Christum cõcelebret, Christũ sonet, omnia Christũ,
Muta etiam, fidibus sanctis animata, loquantur.
O' nomen prædulce mihi, lux, & decus, & spes,
Præsidiumq; meum, requies ô certa laborum,
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera uoluptas.
Si gens surda negat sibi tot præconia de te,
Tam multas rerum uoces, elementaq; tantæ
Nuncia lætitiæ, stolidas intrare per aures:
Audiat insanum bacchantis energima monstri,
Quod rabidus clamat capta inter uiscera dæmon,
Et credat miseranda suis: torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina uerbi
Ferre potest, agitant miserum tot uerbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini, Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime uexas,
B Desine, Christus adest, humani corporis ultor,
Non licet ut spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi uentose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter uoces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iuppiter ignes.
Ecce Gerassenos legio irruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas,
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamarat, sed ab ore hominis: cognoscimus Iesu
Nate Deo, nate & sceptris & germine Dauid,
Qui sis, quid uenias, qua nos uirtute repellas
Nouimus, aduentusq; tui terrore iacemus.
Hæc Iudæa tuas uox non peruenit ad aures?
Peruenit, mentem sed non penetrauit egenam
Lucis, & à primis foribus disclusa refugit.
Audijt aduentum Domini, quem solis Iberi
Vesper habet roseus, & quem nouus excipit ortus.
Laxauit Scythicas uerbo penetrante pruinas
Vox Euangelica Hircanas quoque feruida brumas
Soluit, ut exutus glacie, iam mollior amnis:
Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus,
Mansueuere Getæ, feritasq; cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.

Nouit & Atlantis prideni plaga perfida Mauri,
Dedere crinitos ad Christi altaria reges:
Ex quo mortalem præstrixit spiritus aluum,
Spiritus ille Dei, Deus, & se corpore matris
Induit, atq; hominem de uirginitate creauit.
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina regit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanos mendax Dodona uapores,
Mortua iam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon,
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructaq; templa
Imperio cecidisse ducum: iam purpura supplex
Sternitur Aeneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillumq; crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen è cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor & legum, celeberrimus ore manuq;,
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Relligionis, amans tercentum millia diuûm.
Perfidus ille Deo, quamuis non perfidus urbi,
Augustum caput ante pedes curuare Mineruæ
Fictilis, & soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui, genua incuruare Dianæ.
Quin & Apollineo frontem submittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Fortè litans Hecaten placabat sanguine multo,
Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina uaccarum steterant, uitulasq; reuinctâ
Fronte, coronatas umbrabat torta cupressus.
Iamq; insertato reserabat uiscera cultro
Vittatus de more senex, manibusq; cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras,
Postremosq; animæ pulsus in corde tepenti
Callidus interpres, numeris & fine notabat.
Cùm subitò exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus, en quid ago? maius Rex optime, maius
Numen, nescio quod nostris interuenit aris,
Quàm sufferre queant spumantia cymbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum, uerbena, coronæ,
Accitas uideo longè dispergier umbras.
Territa Persephone uertit uestigia retrò,
Extinctis facibus tracto fugitiua flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos reuocat nulla hostia manes.

Non'ne uides ut thuribulis frigentibus ignis
Marceat? ut canis pigrescat pruna fauillis?
Ecce Palatinus pateram retinere minister
Non ualet, elisa destillant balsama dextra.
Flamen & ipse suas miratur uertice laurus
Cedere, & incertum frustratur uictima ferrum.
Nescio quis certè subrepsit Christicolarum (mne
Huc iuuenũ: tremit hoc hominũ genus infula, & o-
Puluinar diuûm: lotus procul absit, & unctus.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, & exanguis collabitur: ac uelut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum.
Ipse quoq; exanimis posito diademate princeps
Pallet, & astantes circunspicit, ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros,
Armiger è cuneo puerorum flammicomantum
Purpurei custos lateris deprenditur unus,
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Proijcit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosilijt pauidus deiecto antistite princeps,
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum,
Dum tremefacta cohors, dominiq; oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atq; inuocat IESVM.
Iam'ne piget facti? iam pœnitet? en tibi Christum
Infelix Iudæa Deum, qui sabbata soluens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumpsit,
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Possidet, imperij dominam sibi cedere Romam
Compulit, & simulacra deûm Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo uindice tandem
Vana superstitio, lex & carnaliter acta
Plectatur, cuius uirtus te proterat ultrix.
Destructo'ne iacent Salomonia saxa metallo,
Aedificata manu? iacet illud nobile templum?
Cur iacet? artificis quia dextra solubilis illud
Cemento struxit: resolubile, iure solutum est,
Et iacet, in nihilum quoniam redit omne politum:
Quod fieri recipit, recipit quandoq; perire.
Si nostrum contrà quod sit, uis discere templum:
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies pinus'ue dolata
Texuit, exciso quod nunquam marmore creuit:
Cuius onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curuato tenui super arte pependit:
Sed uerbo factum Domini, non uoce sonora,
Sed uerbo quod semper erat, uerbum caro factũ est. A
Hoc templũ æternũ est, hoc finem non habet: hoc tu
Expugnare uolens, flagris, cruce, felle petisti.
Destructum iacuit pœnis uexantibus, esto:
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.
Sed quod morte breui materna ex parte solutũ est,
Maiestate Patris uiuum lux tertia reddit.
Vidisti angelicis comitatum cœtibus, altè
Ire meum, cuius seruor munimine, templum:
Illius æternæ suspendunt culmina portæ,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, & gradibus lucet uia candida summis.
At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ:
Quid mereare Titus docuit, docuêre rapinis
Pompeianæ acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagiq; plagas tua membra feruntur.
Exilijs uagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquàm patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christiq; negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.
En quò priscorum uirtus defluxit auorum?
Seruit ab antiquis delapsa fidelibus hæres
Nobilitas, sed iam non nobilis. illa recentem B
Suspectat captiua fidem: uis tanta nouellæ
Crudelitatis inest: Christum confessa, triumphat
Gens infida prius, Christi sed uicta negatrix
Subditur imperio, dominos sortita fideles.

CONTRA EBIONEM, SEV Homuncionitas, asserentes Christum tantùm fuisse hominem.

Sunt qui Iudaico cognatum dogma furori
Instituunt, media Christum ratione sequnti:
Hoc tantùm, quòd uerus homo est, at cœlitus illum
Affirmant non esse Deum: pietate fatentur,
Maiestate negant: morum pro laude sacratum
Concelebrant, adimunt naturæ summa supernæ.
Omne opus egregium, per quod solertia pollens
Emicat, ingenij est, aut roboris: illud acuto
Corde uiget, duris excellet uiribus istud.
Mortale est sed utrunq; homini: nam cana senescũt
Ingenia, & ualidos consumunt secla lacertos.
Hæc nos in Domini uirtute & laude perenni
Non sequimur, sequimur nullo quod semine terra
Germinat in mundum: quod non de labe uirili
Sumit principium. tener illum seminat ignis,
Non caro, nec sanguis patrius, nec fœda uoluptas.
Intactam

A Intactam thalami uirtus diuina puellam
Sincero afflatu per uiſcera caſta maritat,
Incomperta ortus nouitas, iubet ut deus eſſe
Credatur Chriſtus ſic conditus, innuba uirgo
Nubit ſpiritui, uitium nec ſentit amoris.
Pubertas ſignata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica,
Iam mater, ſed uirgo tamen, maris inſcia mater.
Quid renuis? qd inane caput nō credule quaſſas?
Angelus hoc ſancto pronunciat ore. placétne
Credere, & angelicis aurem reſerare loquelis?
Ipſa coruſcantis monitus ſacra uirgo miniſtri
Credidit, atq; ideo concepit credula Chriſtum:
Credentes nam Chriſtus adit, dubitabile pectus
Sub titubante fide, refugo contemnit honore.
Virginitas, & prompta fides Chriſtum bibit aluo
Cordis, & intactis condit paritura latebris.
Crede, quod emiſſus ſolio patris, angelus infit,
Vel ſi concretus liquidam de ſidere uocem
Non capit auditus, mulier quid coniuge prægnans
Clamet anus credens, & tandem ſobrius audi.
Mira fides, utero puer interceptus anili
Virgineum dominum materno ex ore ſalutat,
B Primus & infantem non natus nuntiat infans,
Iam noſtrum uagire ſibi, nam puſio nondum
Norat, & ora deo reſerabat garrula Chriſto.
Promite ſecretos faſtos, date pandite librum,
Euomuit ſpirante deo quem ſanctus Eſaias,
Percenſere libet, calamiq; reuoluere ſulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices ſubmiſſus adoro,
Dū lachrymans ueneror, dumq; oſcula dulcia figo,
Gaudia concipiunt lachrymas, dant gaudia fletum,
Aduênit promiſſa dies, quam dixerat iſte
Affore uerſiculus, cùm uirgo puerpera teſte
Haud dubiè ſponſo, pacti cui cura pudoris
Edidit, Emanuelq; meum me cernere fecit.
Eſt'ne deus, iam noſter homo? uerſatur & aſtat
Nobiſcum, nomenq; probat, uerſumq; uetuſtis
Obſcurum ſeclis præſenti illuminat ore.
Eſt'ne deus, cuius cunas ueneratus Eous,
Lancibus auratis regalia fercula ſupplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus, rapidoq; ſimillimus auſtro
Nuntius, Auroræ populos, atq; ultima Bactra
Attigit, illuxiſſe diem lactantibus horis,
Qua tener innupto pendêret ab ubere Chriſtus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per ſidera ferri,
Et ſuper antiquos ſignorum ardeſcere tractus,
Diriguit trepidans Chaldæo in uertice pernox
Aſtrologus, ceſſiſſe Anguem, fugiſſe Leonem,
Contraxiſſe pedes lateris manco ordine Cancrum,
Cornibus infractis domitum mugire Iuuencum,
Sidus & hircinum laceris marceſcere uillis.
Labitur hinc pulſus puer Hydrius, inde ſagittæ
Palantes Geminos fuga ſeparat, improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quiq; alij horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere nouum, rota lurida ſolis
Hæret, & excidium ſentit iamiamq; futurum,
Seq; die medio uelandum tegmine glauco,
Splendoremq; poli periturum nocte diurna
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego nō cumulē, myrrhæq;, et thuris, et auri
Muneribus? ſcio quē uideam, quæ dona rependam.
Hunc ego non uenerer? qui cœlo uiſus, humiq;
Inuentus rex atq; deus, moderatur utrunq;
Naturæ regimen, tumuloq; inferna refringens
Regna, reſurgentes ſecum iubet ire ſepultos,
Cœlum habitat, terris interuenit, abdita rumpit
Tartara, uera fides deus eſt, qui totus ubiq; eſt.
Nunquid uana uiros, aut mens, aut lingua fefellit?
Nunquid fortuitis fruſtrantia dona dederunt
Caſibus, aut cæco uotum ſub honore dicarunt?
Quæ porrò cauſa, aut ratio ſubmittere colla
Ante pedes Mariæ, pueriq; crepundia parui?
Si tantùm mortalis erat, nec ſumma poteſtas
Implebat teneros diuinis flatibus artus?
Sed iam tolle Magos, thus, aurum, myrrhea dona,
Quæ uerum docuere deum, præſepia, pannos,
Matris adoratum gremium, face ſideris ardens.
Ipſa deum uirtus factorū, & mira loquantur.
Inſanos uideo ſubitò miteſcere uentos
Cùm iubeat Chriſtus: uideo luctantia magnis
Aequora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Chriſti: uideo calcatus eundem
Cùm patitur gurges, tergum ſolidante liquore.
Ipſe ſuper fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, ac preſſo firmat ueſtigia fluctu,
Increpat ipſe notos, & flatibus otia mandat.
Quis iubeat ſæuis aquilonibus, ite, ſilete,
Carceribus ueſtris, amploq; faceſſite ponto,

Sit nisi cœlipotens, aquilonum conditor idem?
Ninguidus agnoscit boreas, atque imbrifer eurus
Nimborum dominum, tempestatumq; potentem,
Excitamq; hiemem uerrunt ridente sereno.
Quis pelagi calcarit aquas? quis per uada glauca
Greßibus impreßis spaciatus, triuerit udum
Non submersus iter, sola pendulus, & pede sicco:
Aequoreæ nisi factor aquæ? qui spiritus olim
Ore superfusus patrio uolitabit in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis,
Sustinuit gressum domini famulus liquor, ac se,
Mobilitate carens, solidos substrinxit ad usus.
Quid diuersa dei memorem facta inclyta Christi?
Altius inspecta quem maiestate negator
Haud dubitans hominem, tute ipse fatebere numen,
Illeuit cæcos oculos, & lumina limo
Reddidit, humectam sacro sputamine terram
Contrectans digitis, luteum medicamen operta
Nox habuit, tenebras obducta uligo remouit.
Insuper ostendit quonam caligo lauacro
Expurganda foret, uarijs Siloa refundit
Momentis latices, nec fluctum semper anhelat:
Sed uice distincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum sitiunt spem fontis auari,
Membrorum maculas puro abluitura natatu.
Certatim interea roranti pumice raucas
Expectant scatebras, & sicco margine pendent.
Hoc limum iubet impositum de fonte lauari
Christus, & infusa uultum splendescere luce.
Norat enim limo sese informasse figuram
Antè tenebrosam, proprij medicamen & oris
Adiecisse nouo, quem primum finxerat, Adæ.
Nam sine diuino domini perflamine summi
Arida terra fuit, nulli prius apta medelæ:
Sed postquàm liquidus cœlesti spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est:
Inde trahit succum, lentoq; humore salutem
Illinit, infunditq; diem baptismate lota.
Cæcus adest, oculis iam Christi ex ore retectis,
Seq; luto & nitidis lucem sumpsisse fluentis
Clamat, et auctorē stupefacta per oppida monstrat,
Auctorem lucis, largitoremq; dierum,
Non dedignatum medicæ purgamen aquai
Corpore ubi proprio monstrare errantibus ægris.
Millibus è multis paucißima quæq; retexam,
Summatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinque in deserto panes iubet, & duo pisces

A Apponi in pastum populis, qui forte magistrum
Non reuocante fame stipabant undique septum,
Immemoresq; cibi, uicos, castella, macellum,
Oppida, mercatus, & conciliabula, & urbes
Respuerant, largo contenti dogmate uesci.
Multa uirûm strato feruent conuiuia fœno,
Centenos simul accubitus iniere sodales,
Seq; per innumeras infundunt agmina mensas.
Pisciculis iam crede deum saturanda duobus,
Et paucis crescente cibo per fragmina crustis,
Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implent
Post cœnam cophinos, crudus conuiua resudat
Congeriem uentris, genit & sub fasce minister.
Quis cumulare potest epulas in grandia paruas?
Quis? nisi qui corpus, pastumq; & corporis omnē
Condens, ex nihilo nulla existente creauit
Mundum materia: non sicut sculptor ab æris
Rudere, decoctam consuescit fingere massam.
Sed deus omnipotens orbem sine semine finxit,
Nil erat omne quod est, nil id procedere & esse,
Atque nouum fieri, mox & grandescere iussum est.
Paruum de nihilo primum fuit, addita paruo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis. B
Ergo ego cùm uideam manibus sic crescere Christi
Parua alimenta hominū: poßum dubitare per ipsū
Exiguas rerum species, elementaq; mundi
Ex nihilo primum modica, & mox grandia sensim
Creuisse, ex modicis quæ consummata uidemus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Néue relicta lupis, aut uulpibus, exiguisue
Muribus in prædam nullo custode iacerent:
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
Seruarent grauidis procul ostentata canistris.
Sed quid ego hæc autem titubanti uoce retexo,
Indignus qui tanta canam? procede sepulchro
Lazare, dic cuius uocem tellure sub ima
Audieris, quæ uis penetrauerit abdita lethi?
Quod cùm te Christus penitus nigrante profundo
Immersum uocat, ut redeas, ceu proximus audis,
Nec remoratus ades: quæ tam uicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Coniungit superis? ubi Tænara tristia uasto
In præceps deiecta chao? latebrosus & ille
Amnis inexpletis uoluens incendia ripis?
Ante fores tumuli, quas saxa immania duro

Obice

A Obice damnarant, ſcopulis ſubſtructa cauatis
Stat dominus, nomenq; ciet frigentis amici.
Nec mora, funereus reuolutis rupibus horror
Euomit exequias gradiente cadauere uiuas.
Soluite iam lætæ redolentia uincla ſorores,
Solus odor ſparſi ſpiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem ſordida tabo
Aura refert, oculos ſanie ſtillante ſolutos
Priſtinus in ſpeculum decor excitat, et putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura ueſtit.
Quis potuit fluidis animam ſuffundere membris?
Nimirum qui membra dedit, qui fictilis uluæ
Perflauit uenam madidam, cui tabida gleba
Traxit ſanguineos infecto humore colores.
O mors auritis iam mitis legibus, ô mors
Surda prius, iam docta ſequi quacunq; iuberis,
Cui tantum de te licuit? conuicta fatêre
Eſſe deum ſolum, qui me tibi præripit Ieſum.
Abde negatores Chriſti, nemo inuidet, abde,
Vtere ſorte tua blaſphemis nocte tenendis,
Perpetuam plebem iſtorum capta reſolue:
Qui norunt hominem atq; deũ ſic dicere Chriſtũ,
Vt uerus ſummusq́; deus mortalia geſtet.
B Ipſe gerit, quod ſtruxit opus, nec ferre pudeſcit
Factor quod peperit, corpus loquor, atque animæ
Finxerat hoc digitis, animã ſufflauerat ore: (uim,
Totum hominẽ deus aſſumit, quia totus ab ipſo eſt,
Et totum redimit quem ſumpſerat, omne reducens
Quicquid homo eſt, iſtud tumulis, aſt illud abyſſo.
Occurrit dubitans hîc diſſertator, & illud
Obijcit, an'ne fides capit, ut ſubſtantia flante
Inſpirata deo cruciatum ſentiat, atq;
Inferni petat ima poli, barathroq́; coquatur.
Crede animam non eſſe deum. ſed crede creatis
Maiorem cunctis, ipſam quoq; crede creatam:
Formata eſt nanq; ore dei, quæ non erat antè,
Sed formata habitu pulcherrima, pictaq́; rebus
Diuinis, & plena deo, ſimilisq́; creanti,
Non tamen ipſa deus, quoniam generatio non eſt,
Sed factura dei eſt, ſolus de corde parentis
Filius emicuit, uerus deus ille, ſed iſtud
Collatum eſt animæ ſubitò, ut quæ non erat, eſſet.
Ille coæternus patri eſt, & ſemper in ipſo eſt,
Nec factus, ſed natus, habet quodcũq; paternũ eſt.
Hæc ſimilis uelut umbra dei eſt, ſic ipſe loquutus
Factor, utroq; hominem meditãs de figmine iunctũ
Aedificare ſui ſimilem, ſed non habet umbra
Quod corpus ſolidum: cuius imitatio in umbra eſt,
Atque aliud uerum eſt, aliud ſimulatio ueri:
Eſt ſimilis, ſeclis quod non conſumitur ullis,
Quod ſapiens, iuſtiq́; capax, reginaq́; rerum
Imperat, antè uidet, perpendit, præcauit, infit,
Verborum, morumq́; opifex, inſtructaq́; mille
Artibus, & cœlum ſenſu percurrere docta.
His animam ſimilẽ ſibi conditor effigiauit, (eſt,
Cætera diſsimilẽ, quippe hãc cõprendere prõptum
Quam modus, & ſpecies determinat, at deus ingẽs
Atque ſuperfuſus trans omnia, nil habet in ſe
Extremum, ut claudi ualeat, ſenſu'ue teneri,
Incomprenſa manet uirtus, cui linea deſit
Vltima, quam ſpacium non menſurabile tendit.
Ergo animam factam, magno et factore minorem,
Maioremq́; alijs, atq; omnibus imperitantem,
Corruptela putris naſcentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfuſam
Participat de fece ſua, fit miſta deinde
Peccandi natura luto cum ſimplice flatu:
Sed fortaſſe animam, domini, quia fluxit ab ore
Compoſitam, factamq́; neges, uelut ipſa dei pars:
Quod dictu ſcelus eſt, tetras trahat oblita culpas,
Et preſſum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa dei non abnuo, pars tamen illa
Haudquaquam dicẽda dei eſt, quæ tempore cœpit,
Nec prior, aut ſenior, quàm primũ plaſma putãda
Tũc etenim factã uideo, cum cordis amici (eſt,
Intrauit germana domum, limiq́; recentis
Hoſpita, & ipſa recens fraterna ſedit in aula.
Illa quidem flatus domini eſt, ſed ſpiritus, & uis
Non eſt plena dei, tanto moderamine miſſa,
Quanto flans uoluit flandi ſeruare tenorem.
Eſt impoſsibile ſpectare profunda ſabaoth:
Sed ſpeculum deitatis homo eſt, in corpore diſcas
Rem non corpoream ſollers, interprete Chriſto,
Qui patrem propriũ mortali in corpore mõſtrat.
Perſpice quàm uarios fundamus ab ore uapores,
Spiramus quoties animæ ſufflabilis auras,
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans.
Cùm libet in gelidum flabrali frigore uentum
Spiritus exiſtit tenuis, & ſibilat aêr.
Adde & diſtinctum quem muſica tibia flatum
Concipit, aut ille eſt preſſo modulamine parcus,

Aut tumidum largo ſublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos,aut lene ſuſurrat,
Aut exile trahens ſonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum ſublidit uoce minuta.
Hæc cùm te uideas mortali in corpore poſſe,
Cur non æternum potuiſſe infundere credas
Qualẽ animã uoluit?præſcriptis quã quia cõdens
Efflauit fuditq; modis,ſit facta neceſſe eſt.
Deniq; multa ſapit,ſed non ſapit omnia,noſtræ
Vis animæ,certum ſapere,ac prænoſcere iuſſa.
Iam cui certus ineſt modus,& cui noſſe negatũ eſt
Omnia,factura eſt:nã condita,& aucta probatur.
Collige de ſimili ſit'ne hæc factura,creauit
Nempe manus domini corpus mortale,lutumq;
Compoſuit digitis,nunquid manus articulatim
Eſt digeſta dei?nunquid uola?nunquid & ungues
Claudere flexibiles?patulam ſeu tendere palmam?
Iſta figura manus noſtræ eſt, quam non habet in ſe
Incircumſcriptus dominus, ſed tradita forma eſt,
Humanis quæ nota animis daret intellectum:
Vt per corpoream ſpeciem plaſmaſſe feratur
Corporis effigiem,ſic eſt plaſmata uiciſſim
Flatu incorporeo res flabilis,oris & eſſe
Fertur opus,tenuis per quod conſtructa refulſit
Forma animæ,atq; rudi factam ſe munere ſenſit.
Si non eſt factura manus caro noſtra,nec oris
Eſt factura anima,flatu & ſpiramine cœpta,
Inq; locum deducta aliquẽ: nanq; omne quod hora
Natalis profert,locus accipit,& locus ullus (ſum.
Quod cohibere poteſt,modicum eſt,nec in oĩa fu/
Et quod tam modicum eſt,ut certa ſede locetur,
Iam titubare poteſt,& quod titubauerit,intra
Naturam uitij eſt,uitioſum deniq; triſtem
Recidit in pœnam,deus hoc mihi credite non eſt.
Aut ſi maieſtas animæ eſt,oſtendite quid ſit,
Quod lapſam Chriſtiq; inopẽ noua gratia inũdat,
Spiritus & ſanctus baptiſmate iuſtificatam
Nobilitat,famulæq; decus quod defuit,addit.
Quod quia præſtatur meritis, meritisq; negatur,
Abſurde fertur deus,aut pars eſſe dei,quæ
Diuinum ſummumq; bonum de fonte perenni
Nũc bibit obſequio,nũc culpa,aut crimine perdit,
Et modò ſupplicium recipit,modò libera calcat.
Miraris peccare animam,quæ carne coactam
Sortita eſt habitare domum,cùm peccet & ipſe
Angelus,hoſpitium qui neſcit adire caducum,
Cratis tabifluæ:peccat,quia factus & ipſe eſt, A
Non genitus,quocunq; modo ſit factus,id unus
Scit factor dominus,factum mihi credere ſat ſit.
Solus labe caret peccati conditor orbis,
Ingenitus,genitusq; deus:pater,& patre natus,
Solus & exceptus tormentum admittere triſte
Inuiolatus agit,nec quicquam ſentit acerbi.
Exortem dic eſſe animam crucis,atq; doloris,
Si culpæ immunem,uacuamq; à crimine noſti,
Quæ peccare ualet,ualet & ſuccumbere pœnæ.
Ipſa quidem ſincera fuit,dum conditur olim,
Quæ collata rudem fecit uiueſcere limum:
Vtpote de liquido naturæ ſemine primos
Accipiens habitus,ſuperoq; expreſſa ſereno:
Sed mox ut grauido iuſſa eſt innectier aruo,
Suauibus illecebris nimium blandita refrixit,
Deq; uolutabris pretioſum polluit ignem,
Dum tranſgreſſa dei poſitum fas improba calcat.
Hæc prima eſt natura animæ,ſic cõdita ſimplex,
Decidit in uitium,per ſordida fœdera carnis,
Exin tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum , quod pullulat inde,
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas,nec quiſquam naſcitur in- B
Vitandus tamẽ error erit,ne traduce carnis (ſons.
Transfundi in ſobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo,cui texta propagine uena eſt.
Non animas animæ pariunt,ſed lege latenti
Fundit opus natura ſuum,quo paruula anhelent
Vaſcula,uitaliſq; adſit ſcintilla coactis:
Quæ quamuis infuſa nouum penetret noua ſemper
Figmentum,uetus illa tamen de crimine auorum
Ducitur,illoto quoniam concreta ueterno eſt:
Inde ſecunda redit generatio,& inde lauatur
Naturæ illuuies,iterumq; renaſcimur intus
Perfuſi,ut ueterem ſplendens anima exuat Adam.
Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis
Conſociata trahit,nec non ſimul ipſa ſodali
Eſt incentiuum peccaminis,implicat ambas
Vindex pœna reas,peccantes mente ſub una,
Peccandiq; cremat ſocias cruciatibus æquis:
His crucibus Chriſtus nos liberat,incorruptæ
Matris,& innocui geſtator corporis,unus
Naturam pœnæ expoſitam,ſed non uitiorum
Naturam expoſitam contactibus induit Ieſus.
Atq; ideo pœnæ nil debuit,intemeratus,

Fraude

A Fraude carens, omni culparum aſpergine liber.
Quid peccatorum proſapia corpore in illo,
Quid Chriſti in membris peccati ſæua ſatelles
Pœna ageret? quid mors homini ſine crimine poſ-
Nimirum caßis conatibus, & ſine neruis (ſet?
Concideret ſterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpa, culpam qui non habet, ipſo
Paſtus defectu mortem conſumit inanem.
Sic mors in domini cõſumpta eſt corpore Chriſti,
Sic perijt ſolitum dum non habet arida paſtum.
Suſpice quapropter ſolum inculpabile numen,
Virtutem patris & Chriſti, & iam deſine noſtræ
Inuidiam conflare animæ, quod ſit deus, aut quod
Portio parua dei, cũ Chriſto abſcindere quicquã,
Et reſecare deo partem, uel carpere tantum
Numen non liceat, plenum ſibi ſemper, & in ſe.

CONTRA MANICH. SEV PHAN-
taſmaticos, qui Chriſtum uerũ ho-
minis corpus habuiſſe negant.

EST operæpretium nebuloſi dogmatis umbram
Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Inſtituunt, ſed caſſa cadit, uentoq́; liqueſcit
Aßimilis, fluxu nec ſe ſuſtentat inani.
B Aërium Manichæus ait, ſine corpore uero
Peruolitaſſe deum, mendax phantaſma, cauamq́;
Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
Ac primùm ſpecta an deceat quicquam ſimulatum
Aßignare deo, cuius mera gloria falſi
Nil recipit, membris hic ſe fallacibus aptans
Fingeret eſſe hominem uentoſa ſubdolus arte?
Mentitus toties, cùm diceret, inueteratis
Do ueniam morbis, ſimul & peccata remitto.
Filius eſt hominis, peſtem qui pellere carnis,
Et ſcelerum nexus laxare, & ſoluere poßit.
Surge ualens, ſurge innocuus, iam tolle grabatum,
Filius hoc hominis iubeo: dignus' ne uidetur
Qui teſtis ſibi ſit, ſeq́; ac ſua carnea norit?
Quid? cùm diſcipulos hominis quid filius eſſet
Paſſurus, fido iam præſcius ore monebat?
Non' ne fatebatur ſe, cum uirtute paterna
Eſſe hominem uerum? quod ſi non, credo fefellit.
Si natura dei quæ ſit, Manichæe requiris,
Omne quod eſt, uerũ eſt; nã ſi mendoſus agit quid,
Nec deus eſt, mendum diuinus non capit uſus.
Obijcis æterno domino, quòd lubricus ad nos
Venerit, aßimulans aliud quàm uerus habebat.

Obmuteſce furor, linguam canis improbe morde
Ipſe tuam, lacero conſumens uerba palato.
Latranti obſiſtit Matthæus, & ora refellit,
Qui notat omne genus carnalis ſtirpis, aduſq́;
Corporeum Chriſtum, per ſex ſeptena uirorum
Nomina deſcendens, & uenam ſanguinis alti
Ex atauis longo texens per ſtemmata filo.
Septimus hebdomadi uênit ſuperaddere ſextæ,
Hunc numerũ Chriſtus, placidũ qui conficit annũ
Cuncta remittentem contractibus illaqueata
Multimodis, hominẽq́; hominis de morte leuantẽ:
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc,
Vir ſolus perfectus adeſt atq; integer Ieſus,
Cui nihil ex ſeptem ſeptenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus uirtute perenni.
Hic ille eſt, nobis qui ſeptima ſabbata complet,
Vt caro noſtra deo tandem ſociata quieſcat,
Quam bis terna malis uexabant ſabbata noxis,
Curramus notis gradibus, regumq́; ſequamur
Progeniem, Chriſtum inuenies de carne parentum
Effluxiſſe hominum, qui ſit de ſemine Dauid,
Stirpe recenſita numerandus ſanguinis hæres.
Quid cùm ſanctiloquus reuoluto germine Lucas
Surſum uerſus agit ſeriem, ſcandente nepotis
Corpore, perq́; atauos curſum relegente uetuſtos
Septenos decies conſcendit Chriſtus in ortus,
Et duo: nam totidem doctores miſit in orbem:
Deſcenſos naſcendo gradus redeundo retexit
Actus ad uſq; apicem terreni corporis Adam.
Inde parens deitas recipit ſua, noſtraq́; miſtim,
Fitq́; dei ſummi per Chriſtum filius Adam.
Reſtat, ut aëriam pingas ab origine gentem,
Aërios proceres, Leuin, Iudam, Simeonem,
Aërium Dauid, magnorum corpora regum
Aëria, atq; ipſam fœcundæ uirginis aluum
Aëre fallaci, nebuliſq́; & nube tumentem:
Vaneſcat ſanguis perflabilis, oſſa liqueſcant
Mollia, neruorum pereat textura uolantum.
Omne quod eſt geſtum, notus auferat irritus, auræ
Diſpergant tenues, ſit fabula quod ſumus omnes,
Et quid agit Chriſtus, ſi me non ſuſcipit? aut quem
Liberat infirmum, ſi dedignatur adire
Carnis onus, manuumq́; horret monumẽta ſuarũ?
Indignum' ne putat luteum conſciſcere corpus?
Qui non indignum quondam ſibi credidit ipſum
Pertractare lutum, cum uas componeret aruo.

Nondum uiscereo, sed inertis glutine limi
Impressoq; putres sub pollice duceret artus.
Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri.
Dignatur præpinguis humi cōprendere mollem
Diuinis glebam digitis, nec sordida censet
Hærentis massæ contagia: iusserat ut lux
Confieret, facta est ut iusserat, omnia iussu
Imperitante nouas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit domini formabile dextra
Os capere, & flabro deitatis figmine nasci.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, ut domini manibus tractatus, honora
Arte sacer fieret, tactu iam nobilis ipso?
Decrerat quoniam Christum deus incorrupto
Admiscere solo, sanctis quod fingere uellet
Dignum habuit digitis, & charum cōdere pignus.
Destituit natura quidem destructa coactæ
Telluris formam, mortiq; obnoxia cessit:
Sed natura dei nunquam soluenda, caducam
Tellurem nostro uitiatam primitus usu
Esse suam uoluit, ne iam uitiabilis esset.
Christus nostra caro est, mihi soluitur, & mihi sur
Soluor morte mea, Christi uirtute resurgo, (git:
Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur,
Me uideo: e tumulo cum iam remeabilis astat
Cerno deum, si membrorum phātasma meorū est,
Et phantasma dei est, mendax in utraq; necesse est
Sit Christus specie, si Christus fallere nouit.
Si nō uerus homo est, quē mors hominē probat ip
Nec uerus deus est, operis quē gloria prodit (sa,
Esse deum, uel crede mori, uel adesse refelle,
Et gemina uerum Christum ratione negato.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus?
Et redit, illa dei uirtus memorabilis est, ut
Occisus redeat superis, surgatq; sepultus.
Quisq; deum Christum uult dicere, dicat eundem
Esse hominem, ne maiestas sua fortia perdat.

CONTRA MARCIONEM, QVI tantum animam, non corpus simul suscitatum iri nugabatur.

Nosco meū in Christo corpus cōsurgere, qd me
Desperare iubes? ueniam quibus ille reuenit
Calcata de morte uijs, quod credimus, hoc est,
Et totus ueniam, nec enim minor, aut alius quàm
Nūc sum restituar: uultus, uigor, et color idem
Qui modò uiuit, erit, nec me uel dente, uel ungue A
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulchri.
Qui iubet ut redeam, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est, (sit,
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hau
Quod truncauit edax senium populante ueterno:
Omne reuertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors uicta fidem, ne fraude sepulchri
Reddat curtum aliquid, quamuis iā curta uorarit
Corpora, debilitas tamen & uiolentia morbi
Virtus mortis erat, reddat quod particulatim
Sorbuerat, quocunq; modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metū mea mēbra, et credite uosmet
Cum Christo reditura deo, nam uos gerit ille
Et secum reuocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulchra
Despuite, exurgens quò Christus prouocat, ite.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, ἁμαρτιγένεια, id est, de Origine peccati.

PRAEFATIO.

Fratres ephebi, fossor & pastor, duo, B
Quos fœminarū prima primos procre
Sistunt, dară de laborum fructibus, (at,
Deo sacranda munera in primordia:
Hic terrulentis, ille mitis fungitur,
Certante uoto discrepantes immolant,
Fœtum bidentis alter, est alter scrobis. scrofæ
Deus minoris comprobauit hostiam,
Reiecit illam, quam parauit grandior.
Vox ecce summo missa persultat throno,
Cain quiesce: nanq; si recte offeras,
Oblata nec tu lege recta diuidas,
Peruersa nigram uota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ sanctitatis æmulus,
Germana curuo colla frangit sarculo,
Mundum recentem cæde tingit impia,
Serò expiandum iam senescentem sacro
Cruore Christi, quo peremptor concidit.
Mors prima cœpit innocentis uulneris,
Cessit deinde uulnerato innoxio,
Per crimen orta, dissoluta est crimine,
Abel quod antè perculit, Christum dehinc,
Fini-

A *Finita & ipsa est, finis exortem petens.*
Ergo ex futuris prisca cœpit fabula,
Factoq; primo res notata est ultima,
Vt ille mortis inchoator rusticus
Insulsa terræ deferens libamina,
Deumq; rerum mortuarum deputans
Rastris redacta digna sacris crederet.
Viuentis atrox æmulator hostiæ.
Agnosco nempe, quem figura hæc denotet,
Quis fratricida, quis peremptor inuidus
Praue sacrorum disciplinam diuidit,
Mactare dum se uota censet rectius.
Marcion arui forma corruptißimi,
Docet Duitas discrepare à spiritu
Contaminatæ dona carnis offerens,
Et segregatim numen æternum colens,
Qui si quiescat, nec monentem negligat,
Pacem quietam diligat germanitas,
Vnum atque uiuum fassa uiuorum deum.
Hic se caduco dedicans mysterio,
Hic qui caduci rem laboris offerens,
Summam profanus diuidit substantiam,
Malum bonumq; ceu duorum separans
B *Regnum, deorum sceptra committit duo:*
Deum eße credens quem fatetur peßimum,
Cain cruentus, unitatis inuidus,
Mundi colonus, immolator squallidus,
Cuius litamen sordet, & terram sapit,
Terram caduci corporis, uenam putrem,
Humore denso conglobatam & puluere.
Natura cuius fraude floret fertili,
Fœcunda fundens noxiorum crimina,
Animæq; uitam labe carnis enecat,
Caro in sororem tela mentem dirigit:
Mens illecebro uentilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit
Madens ueneno corporis lymphatico.
Deum perennem findit in duos deos,
Audet secare numen insecabile.
Cain peremptor denegans unum deum,
Cain triumphat, morte fratris alitus.

CONTRA HAERESIM DVITArum seu Marcionis, qui duos deos esse affirmat.

Q*Vo te præcipitat rabies tua, perfide Cain,*
Diuisor blaspheme dei? tibi conditor unus
Non liquet, & bifidæ caligant nubila lucis.
Insincera acies duo per diuortia semper
Spargitur, in geminis uisum frustrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Diuiduum regnare deum super æthera credas.
Bina boni atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus, domino sed cœlum obtemperat uni.
Non idcirco duos retinent cœlestia reges,
Quod duo sint opera humanas agitantia curas:
Exterior terrenus homo est, qui talia cernens
Conijcit esse duo uariarum numina rerum,
Dum putat esse deum, qui praua effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat esse deos natura dispare summos.
Quæ tandem natura potest consistere duplex? constare biformis
Aut regnare diu? quam fons diuisus ab arce
Separat, alternaq; apicum ditione recidit.
Aut unus deus est, rerum cui summa potestas,
quia *Aut quæ iam duo sunt, minuuntur dispare summo:*
Porrò nihil summum, nisi plenis uiribus unum,
Distantes quoniam proprium dum quisq; reuulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.
Ius uarium non est plenum, quia non habet alter
Quicquid dispar habet, cumulum discretio carpit.
Nos plenum sine parte deum testamur, & unum,
In quo Christus inest, idem quoq; plenus, & unus,
Qui uiget, & uiguit super omnia, quiq; uigebit,
Participem nullum collato fœdere passus.
Summa potestatum, simplex dominatio rerum,
Virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisq; & originis auctor.
Ex quo cuncta fluunt, & lux, & tempora, et anni,
Et numerus, qui post aliquid dedit esse secundum,
Vnus enim princeps numeri est, nec dinumerari
Tantum unus potis est. sic cum pater, ac deus alter
Non sit, item Christus non sit genitore secundus,
Anterior numero est, cui filius unicus uni est,
Ille deus, meritoq; deus, quia primus & unus,
In uirtute sua primus, tum primus in illo
Quē genuit, quid enim differt generatio simplex?
Vnum semper erit gignens, atque unus ab uno
Ante chaos genitus, numeroq; & tempore liber.
Quis dixisse duos rem maiestate sub una
Regnantem, propriamq; sibi, retroq; perennem
Ausit, & unius naturæ scindere uires?
Nunquid adoptiuum genitor sibi sumpsit, ut alter

Externi generis numerum præstare duorum
Debeat, & geminum distans inducere numen?
Forma patris ueri uerus stat filius, ac se
Vnum rite probat, dum formam seruat eandem,
Non amor ascitus sociat, nec iungit utrunque
Coniurata fides, pietas sed certa, genusq́;
Vnum, quod deus est, summam reuocatur ad unam.
Hæc tibi Marcion uia displicet, hæc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ? quis somnus inerti
Incubat ingenio? cui per phantasmata duplex
Occurrit species, biuio dispersa superno?
Si uim mentis hebes stupor obsidet, aspice saltem
Obuia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta dei dignata est prodere signis.
Hanc hæresin præsaga patris præuiderat olim
Maiestas fore, quæ rectorem lucis & orbis
Scinderet in partes, geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumq́; oculis, ne quis duo numina credat
Imperitare uagas mundi per inania formas.
Vna per immensam cœli caueam resolutos reparatos
Præbet flamma dies, rexit sol unicus annum,
Triplex ille tamen nullo discrimine, trina
Subnixus ratione uiget, splendet, uolat, ardet,
Motu agitur, feruore cremat, tum lumine fulget:
Sunt tria nempe simul, lux, & calor, & uegetamẽ,
Vna eademq́; tamen rota sideris indiscreti tim
Fungitur his, uno seruat tot munera ductu,
Et tribus una subest mistim substantia rebus:
Non conferre deo uelut æquiparabile quicquam
Ausim, nec domino famulum componere signum:
Ex minimis sed grande suum uoluit pater ipse
Coniectare homines, quibus ardua uisere non est.
Paruorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quærere uerum.
Nemo duos soles nisi sub glaucomate uidit,
Aut si fusca polum suffundit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus & aër,
Est glaucoma, aciem quod tegmine uelat aquoso,
Libera ne tenerum penetret meditatio cœlum,
Né ue deum rapidis comprendat sensibus unum.
Spargitur in bifidas malesana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus extruit aras.

Si duo sunt igitur, cur non sunt multa deorum A
Millia? cur numero deitas contenta gemello est?
An non in populos dispersa examina diuûm
Fundere erat melius, mundumq́; implere capacem
Semideis paßim nullo discrimine monstris?
Quis fera barbaries perituros mactat honores,
Dissona discretum retinent si numina cœlum?
Conuenit & nebulis, & fontibus, & reboanti
Oceano, & siluis, & collibus, & speluncis,
Fluminibus, uentis, fornacibus, atq; metallis
Aßignare deos proprios, sua cuiq; iura. iura & sua cuiq;
Vel si gentiles sordet uenerarier umbras, sua iura cuiq;
Et placet esse deos sceptris socialibus æquos,
Dic age quis terras ditionis sorte retentet?
Quis regat æquoreas æterna lege procellas?
Ede cohæredum distinctum ius dominorum?
Vnus, ais, tristi residet sublimis in arce,
Auctor nequitiæ, scelerum deus, asper, iniquus,
Qui, quodcunq; malum uitioso feruet in orbe,
Seuit, & anguino medicans noua semina succo,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipse opifex mundi, terram, mare, sidera fecit,
Condidit ipse hominem, lutulenta et mẽbra coëgit,
Effigians quod morbus edat, quod crimine multo B
Sordeat, informi tumulus quod tabe resoluat.
Ast alij pietatis amor, placidumq́; medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia seruans,
Testamenta duo fluxerunt principe utroque,
Tradidit iste nouum melior, uetus illud acerbus.
Hæc tua Marcion grauis, & dialectica uox est.
Immo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri.
Nouimus esse patrem scelerum, sed nouimus ipsum
Haudquaquã tamen eße deum, quin immò gehennæ
Mancipium, Stygio qui sit damnandus auerno.
Marcionita deus, tristis, ferus, insidiator,
Vertice sublimis, cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput, & fumo stipatur, & igni,
Liuentes oculos suffundit felle perusto.
Inuidia impatiens iustorum gaudia ferre,
Hirsutos iuba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, & uirides allambunt ora cerastæ.
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum reuocat, faciliq́; ligamine tortas
Innectit pedicas, neruosq; in uincula tendit.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis, retinacula deniq; cæcis

Indeprensa

A Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille est uenator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non cessat plectere Nimroth.
Qui mundum curuis anfractibus, & siluosis
Horrentem scopulis, uersuto circuit astu.
Fraude alios, tectisq; dolis innectere adortus,
Porrò Giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos laté exercere triumphos.
Improba mors quid non mortalia pectora cogis?
Ipse suam (pudet heu contempto principe uitæ)
Perniciem ueneratur homo, colit ipse cruentum
Carnificem, gladijq; aciem iugulandus adorat.
Intantum miseris peccati nectare captis
Dulce mori est, tanta in tenebris de peste uoluptas,
Qui mala principio genuit, deus esse putatur,
Quiq; bona infecit uitijs, & candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse deas Febrem Scabiemq;, sacellis.
Inuentor uitij non est deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.
Qui prius augustum radiabat sidus, & ingens
Ex nihilo splendor, nutrito ardebat honore:
Ex nihilo nam cuncta retro, factūq; quod usquā est.
B At non ex nihilo deus, & sapientia uera,
Spiritus & sanctus, res semper uiua, nec unquam
Cœpta, sed aërios etiam molita ministros.
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox, nimijs dum uiribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatq; suos licito iactantius ignes:
Persuasit proprijs genitum se uiribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nasciq; suum sine principe cœptum.
Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam,
Quæ docet é tenebris subitum micuisse tyrannum,
Qui uelut æterna latitans sub nocte retrorsum
Vixerit, & tecto semper regnauerit æuo,
Aemulus (ut memorant) opera ad diuina repente
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet unam
Infirmare fidem, sacro quæ tradita libro est.
Nil ait absq; deo factum, sed cuncta per ipsum,
Cuncta, nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
Proditus, & primo generis de fonte serenus,
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit inuidia, stimulisq; instigat amaris:
Arsit enim scintilla odij de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflauit iniquum.
Viderat argillam, simulachrum & structile, flatu
Concaluisse dei, dominum quoq; conditione,
Qui cunctū proprio regeret moderamine mundū,
Impositum, natura soli pelagiq;, poliq;,
Vt famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, & effusum terreno addicere regi.
Inflauit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deq; acidis uim traxit acerba medullis,
Bestia, corde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis enodem seruabat recta iuuentam:
Complicat ecce nouos sinuoso pectore nexus,
Inuoluens nitidam spiris torquentibus aluum.
Simplex lingua prius, uaria micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale caput uitiorum, principe ab illo
Fluxit origo mali, qui se corrumpere primum,
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.
Vltimus exitium subuerso præside mundus
Sortitur, mundiq; omnis labefacta supellex.
Non aliter quàm cùm incautum spoliare uiantem
Forte latro aggressus prædæ prius immemor, ipsū
Ense ferit dominum, pugnæ nodumq; moramq;,
Quo pereunte trahat captiuos uictor amictus,
Iam non obstanti locuples de corpore prædo:
Sic hominis subiecta domus, ditißimus orbis
Scilicet in facilem domino peccante ruinam
Lapsus, herilemalum iam tunc uitiabilis hausit.
Tunc lolium, lappasq; leues per adultera culta
Ferre malignus ager, glebis male pinguibus ausus
Triticeam uacuis segetem uiolauit auenis.
Tunc etiam innocuo uitulorum sanguine pasci,
Iamq; iugo edomitos rictu laniare iuuencos
Occiso pastore truces didicere leones,
Necnon & querulis balatibus irritatus
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens sollertia furti
Imbuit, & tortos acuit fallacia sensus.
Quamuis maceries florentes ambiat hortos,
Sæpibus & densis uallentur uitea rura,
Aut populator edit gemmantia germina bruchus,
Aut auibus discerpta feris lacerabitur uua.
Quid loquar herbarum fibras, medicante ueneno
Tinctas, lethiferi fudisse pericula succi?

Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cùm prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roscidus & uiridem qui uestit flos rhododaphnen
Pabula lasciuis dederit sincera capellis.
Ipsa quoq; appositum distructo fœdere certo
Transcẽdunt elementa modum, rapiuntq;, ruuntq;
Omnia, legirupis quassantia uiribus orbem:
Frangunt umbriferos aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis silua extirpata procellis.
Parte alia uiolentus aquis torrentibus amnis
Transilit obiectæ præscripta repagula ripæ,
Et uagus euersis latè dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
Conditor instituit, sed laxa licentia rerum
Turbauit placidas rupto moderamine leges.
Nec mirum, si membra orbis concussa rotantur,
Si uitijs agitata suis mundana laborat
Machina, si terras lues incentiua fatigat,
Exemplum latura hominum, quo cætera peccet
Vita hominum, cui quicquid agit, uesania et error
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa uoluptas
Diffluat, impuro feruescat ut igne libido,
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges auaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem uota talentis.
Auri nanq; fames parto fit maior ab auro,
Inde seges scelerum, radix et sola malorum,
Dum scatebras fluuiorum omnes, et operta metalla
Eliquat ornatus, soluendi leno pudoris:
Dum uenas squallentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foueis radiantes fortè lapillos
Rimata inueniat, nec enim contenta decôre
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.
Ac uelut artificis domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sculptilibus redimitæ frontis in arce.
Colla uel igneis sincera incingere sertis,
Auribus aut grauidis uirides suspendere baccas,.
Nectitur & nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisq; riget coma texta catenis.
Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,.
Muneribus dotata dei, quæ plasmata fuco
Inficiunt, ut figmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus malè fortis agit, cui pectore in arcto
Mens fragilis facili uitiorum fluctuat æstu.

Quid? quòd et ipse caput muliebris corporis, & A
Qui regit inualidã propria de carne resectam (rex
Particulam, qui uas tenerum ditione gubernat,
Soluitur in luxum? cernas mollescere cultu
Heroas uetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, & rigidos durauerat ossibus artus.
Sed pudet esse uiros, quærunt uanissima quæq;
Quis niteant, genuina lues, ut robora soluant
Vellere non ouium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spolijs, fluitantes sumere amictus
Gaudent, & durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Illudant uarias distincto stamine formas.
Vt quæq; est lanugo feræ mollissima tactu,
Pectitur, hunc uideas lasciuas præpete cursu
Venantem tunicas, auium quoq; uersiculorum
Indumenta nouis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, & peregrino
Puluere fœmineas spargentem turpiter auras.
Omnia luxus habet nostræ uegetamina uitæ,
Sensibus in quinq; statuens quæ condidit auctor.
Auribus, atque oculis, tum naribus, atq; palato
Quæritur infectus uitiosis artibus usus.
Ipse etiam toto pollet qui corpore tactus, B.
Palpamen tenerum blandis è fotibus ambit.
Prò dolor ingenuas naturæ occumbere leges,
Captiuasq; trahi regnante libidine dotes.
Peruersum ius omne uiget, dũ quicquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria uertunt.
Idcircóne rogo speculatrix pupula molli
Subdita palpebræ est, ut turpia semiuirorum
Membra theatrali spectet uertigine ferri.
Incestans miseros fœdo oblectamine uisus?
Aut ideo spirant, mediaq; ex arce cerebri
Demittunt geminas sociata foramina nares.
Vt bibat illecebras malè conciliata uoluptas?
Quas pigmentato meretrix iacit improba crine.
Num propter Lyricæ modulamina uana puellæ,
Neruorumq; sonos, & conuiuale calentis
Carmen nequitiæ, patulas deus addidit aures?
Perq; cauernosos iussit penetrare meatus
Vocis iter? nunquid madido sapor inditus ori
Viuit ob hanc causam medicata, ut fercula pigram
Ingluuiem uetitamq; gulam ganeonis inescent?
Per uarios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem, lassetq; grauem sua crapula uentrem?
Quid

A Quid durũ, quid molle foret, quid lene, q̃d horrẽs,
Quid calidum, gelidúm ue, deus cognoscere nosmet
Attactu uoluit palpandi, interprete sensu.
At nos delicias plumarum, & linea texta
Sternimus, atq; cutem fulcro attenuante polimus.
Felix qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumq́; modum seruare fruendi.
Quem locuples mundi species, & amœna uenustas,
Et nitidis fallens circunflua copia rebus
Non capit ut puerum, nec inepto addicit amori,
Qui sub adumbrata dulcedine triste uenenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis sanctumq́; bonumq́;
Principio rerum Christus cùm conderet orbem:
Vidit enim deus esse bonum, uelut ipse Moyses
Historicus mundi nascentis testificatur.
Vidit, ait, deus esse bonum quodcunq; creauit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,
Inspirante deo, quod sanctus uaticinator
Prodidit antiquæ recolens primordia lucis,
Esse bonum quicquid deus, & sapientia fecit.
Conditor ergo boni pater est, & cũ patre Christus,
Nam deus, atq; deus, pater est & filius unum:
B Quippe unum natura facit, quæ constat utriq;
Vna uoluntatis, iuris, uirtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices, quoniam generis dißensio nulla est.
Atq; ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenij, peperitq́; bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ uiolatur origine uenæ:
Sed dum liuentes liquor incorruptus harenas
Prælambit, putrefacta inter contagia sordet.
Nunquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, oliuum,
In se uim sceleris cùm formarentur habebant?
Quod iugulatur homo, non ferrum causa furoris,
Sed manus est: nec equum uesania feruida Circi
Auctorem leuitatis habet, rapidi'ue fragoris,
Mens uulgi rationis inops, non cursus equorum
Perfurit, infami studio perit utile donum.
Sic Lacedæmonias oleo maduisse palestras
Nouimus, & placidum seruire ad crimina succum.
Inde per aërium pendens audacia funem,
Ardua securis scandit proscenia plantis.
Inde feras uolucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisq́; inter discrimina ludunt,
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consessus, legesq́; iubent uenale parari
Suppliciũ, quo membra hominũ discerpta cruentis
Morsibus, oblectent hilarem de funere plebem.
Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi
Percensere piget, quæ ueri oblita Tonantis
Humanum miseris uoluunt erroribus æuum.
Nemo animum summi memorem genitoris in altum
Excitat, ad cœlum mittit suspiria nemo:
Nec recolens apicem solij natalis ad ipsum
Respicit auctorem, nec spem super aëra librat:
Sed mentem, grauidis contentam stertere curis,
Indigno subdit domino, perituraq́; pronus
Diligit, & curuo quærit terrestria sensu.
Hoc pulchrũ quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica, commendat quod perniciosa uoluptas,
Quod uelut excitus difflato puluere uentus
Præterit, exemplo tenuis quod transuolat umbræ.
His ægras animas morborum pestibus urget
Prædo potens, tacitis quem uiribus intersusum
Corda bibunt hominum, serit ille medullitus omnes
Nequitias, spargitq́; suos per membra ministros.
Nanq; illic numerosa cohors sub principe tali,
Militat, horrendisq́; animas circumsidet armis:
Ira, superstitio, mœror, discordia luxus,
Sanguinis atra sitis, uini sitis, & sitis auri,
Liuor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies, habituq́; minaces,
Ambitio uentosa tumet, doctrina superbit,
Personat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto.
Hinc gerit Herculeam uilis sapientia clauam,
Ostentatq́; suos uicatim gymnosophistas.
Incerat lapides fumosos idololatrix
Relligio, & surdis pallens aduoluitur aris.
Heu quãtis mortale premit genus improbus ho-(stis
Armigeris, quanto ferrata satellite ductor
Bella gerit, quanta uictos ditione triumphat?
Surgit in auxiliũ Chananæus, & agmina denset
Caßide terribilis setarum ponderamento
Concutiẽs, dextramq́; graui cum cuspide quassans:
Ast alia de patre furens exercitus ardet
Regis Amorrhei, tum millia Gergeseorum
Effundunt aciem toto uolitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt cominus illi:
Ecce Gebusaicæ feruent ad prælia turmæ,

Aurea tela quibus, de ſanguine tincta draconis
Mortifero ſplendore nitent, radiantq́; , micantq́; .
Necnon terrificas pilis armare cateruas
Te Cethæe iuuat? ſed gens Ferezea ſagittis
Inſultat uirtute pari, ſed diſpare ferro.
Poſtremum cuneum rex promouet Heuæorum,
Squamoſum thoraca gerens de pelle colubri.
His ſubnixa uiris ſcelerum peruerſa poteſtas
Edomat inualidas mentes, quæ ſimplicitate
Indociles, belliq́; rudes ſub fœdere falſo
Triſtis amicitiæ primum ſocia agmina credunt,
Mammoneamq́; fidem pacis ſub amore ſequuntur.
Mox faciles ad uincla rapi iuga dura uolentes
Addictis ſubeunt ceruicibus, & nebulonum
Spirituum iuſsis ſeruire ferocibus optant.
Ille ſuperuacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisq́; inhians contempto limite agellis:
Ducitur innexus manicis, & mille catenis
Ante triumphales currus poſt terga reuinctus,
Nec ſe barbaricis addictum ſentit habenis.
Hic qui uentoſæ ſcandit faſtigia famæ,
Inflaturq́; cauo pompæ popularis honore,
Qui ſummum, ſolidumq́; bonum putat ambitionis
Creſcere ſucceſſu, præconum uoce trementes
Exanimare reos, miſerorum in corpore faſces
Frangere, terribiles legum exercere ſecures:
In laqueum iam colla dedit, iam compede dura
Nectitur, & pedibus ſeruilia uincula limat.
Credite captiui mortales, hoſtica quos iam
Damnatos cohibent ergaſtula, quos famulatu
Pœnarum uirtus non intellecta coercet.
Hæc illa eſt Babylon, hæc tranſmigratio noſtræ
Gentis, & horribilis uictoria principis Aſſur.
Carmine luctifico quam deflens Hieremias,
Orbatam proprijs ululauit ciuibus urbem.
Num latet, aut dubium eſt animas de ſemine Iacob
Exilium gentile pati, quas Perſica regna
Captiuas retinent, atq; in ſua fœdera cogunt?
Illic natali deſueſcunt uiuere ritu,
Moribus & patrijs exutæ, in barbara iura
Degenerãt, linguamq́; nouam, ueſtemq́; ſequũtur,
Deq́; profanato diſcunt ſordeſcere cultu,
Nutricemq́; abolent petulanti è pectore Sion.
Iam patriæ meminiſſe piget, iam myſtica frangunt
Organa, & externi laudant anathemata regni.
Nónne fuit melius ſæuum Memphitidis aulæ
Imperium toleraſſe patres, penitusq́; ſiniſtris A
Aſſediſſe focis? poſitos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo & paleis ſeruire paratos,
Carnis & immodicæ ſpurco ructamine crudos?
Quô tantum auxilij per prodigialia ſigna
Effudit dominus, populum dum fortè rebellem
Seruat ope immerita, uinclis dum ſubdita colla
Soluit, & Aegyptum uirga ſerpente coërcet?
Quid iuuat æquoreum pelago cedente profundũ
Puluerea calcaſſe uia, cum conſcia ponti
Saxa ſub ignoto patuerunt prodita cœlo,
Aruit & medio ſitiens ſub gurgite limus?
Si uictor uirtute dei, mediasq́; tenebras
Luce columnari ſcindens exercitus olim,
Perdidit inuenti uallem botryonis opimam?
Si neſcit uerſare ſolum, cui melle perenni
Gleba fluens niueos permiſcet lactea riuos?
Si domitam Hierichon lituis, atq; ære canoro
Rurſus in antiquos patitur conſurgere muros?
Si ripis reflui Iordanis pellitur, & iam
Deſerit aſſcriptam dimenſa in iugera ſortem?
Deniq; ſi ſtructam tantis ſudoribus urbem,
Et quæ nubigenas tranſcendunt culmina nimbos,
Defenſare nequit: ſi neſcit, quis lapis ille eſt B
Hoſtibus obſiſtens, quod inexpugnabile turris
Præſidium, quẽ nõ fragor hoſticus arietis, aut quẽ
Vis impacta quatit, non æris machina roſtro
Arietat inſiliens, nec ferrea uerbera quaſſant.
Angulus hic portæ in capite eſt, hic cõtinet omnẽ
Saxorum ſeriem, conſtructaq́; limina firmat,
Quem qui rite ſuis per propugnacula muris
Nouerit inſertum, ſeq́; ac ſua mœnia uallo
Præcingit triplici, celſa ſtans eminus arce
Fretus amore petræ, caſtis & peruigil armis:
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus,
Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis.
Quin ſi fulmineos cogens ad bella gigantes
Allophylus tua caſtra uelit delere tyrannus:
Tutus eris, nec te firma ſtatione mouebit
Ipſe Charon mundi, numen Marcionis, ipſe
Qui regit aërio uanas ſub ſole tenebras.
Nam uanum quicquid ſol aſpicit, ex elementis
Cuncta ſolubilibus, fluxoq́; creamine conſtant:
Fallo, creaturam niſi doctor Apoſtolus omnẽ
Subiectam uanis non ſponte laboribus orſus,
Periuro

A Periuro ingemuit miserans seruire latroni:
Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis,
Et carne, & uenis feruentibus, & uitioso
Felle putat, calidisq; animam peccare medullis:
Non mentẽ sua mẽbra premunt, nec terrea uirtus,
Oppugnat sensus liquidos, bello 've lacessit:
Sed cum spiritibus tenebrosis, nocte dieq;
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cœlũ inter, & infima terræ,
Quod patet, ac uacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum uariarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, ut sacra nobis
Oris apostolici testis sententia prodit.
Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans
Corporis accuset, facile est frenare rebelles
Affectus carnis, nimiosq; retundere pulsus
Materiæ fragilis, & uiscera uicta domare:
Quippe animus longè præstantior, utpote summo
Aethere demissus, subiectos si uelit artus
Imperio quassare graui, iussisq; seueris
Dedere, regnanti domino uis nulla resistit.
B Maior inest uis illa homini, quæ flatile uirus
Ingerit, & tenuem tenui ferit aëre mentem.
Parthica non æquè uentos transcurrit harundo,
Cuius iter nullus potis est comprendere uisus,
Præpes enim uolucris dum pẽnis transuolat auras,
Improuisa uenit: nec stridor nunciat ante
Aduentum lethi, quàm pectoris abdita rumpit,
Securam rapiens medicato uulnere uitam.
Sed magis aligera est, magis & medicata sagitta
Quam iacit umbrosi dominatio lubrica mundi,
Eludens excussa oculos, calamiq; uolantis
Præpete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animæ est, aut tarda cauendi
Vulneris, ignitum quoniam deus indidit olli
Ingenium, purum, sapiens, subtile, serenum,
Nobile, sollicitum, uelox, agitabile, acutum.
Factorem modò facta suum ueneretur, & ipsi
Militet, ac uictum proculcet sobria mundum:
Nil de pestiferis opibus, uel falsificatis
Terrarum spolijs stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce iacens alieno, & dedita regno
Non queat argutas hostis uitare sagittas.
Sed qđ ego omne malũ mũdiq; hominũq;, maligni
Hostis ad inuidiam detorqueo? cum mala nostra
Ex nostris cõcreta animis, genus, & caput, et uim
Quid sint, quid ualeant, sumant de corde parentes
Ille quidem fomes nostrorum, et causa malorũ est.
Sed tantum turbare potest, aut fallere, quantum
Nos uolumus, qui decrepito suggesta leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat.
Gignimus omne malũ proprio de corpore nostrũ,
Vt genuit Dauid, aliâs pater optimus, unum
Crimen Abessalon tetrum, pater ille, sed unum
Innocuas inter soboles genuit patricidam,
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum,
Ah pietas, signis contraria signa paternis
Egit, & unius commisit sanguinis arma.
Nostra itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt, uersis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum uiuere pœnis:
Depopulantur enim nimium fœcunda parentum
Viscera, & interitu genitalis stirpis aluntur.
Progeniem uerum ille suam rex utpote summus,
Atq; dei uates, pariture & uirginis auctor,
Tristibus atq; pijs uariauerat, ut Salomonis
Frater Abessalon misceret crimina iustis
Pignoribus, dulcemq; domum turbaret amaris.
Nos dignum Salomone nihil, nos degener implet
Solus Abessalon lacerans pia uiscera ferro.
Si licet ex ethicis quicquam præsumere, uel si
De physicis exempli aliquid. sic uipera (ut aiunt)
Dentibus emoritur fusæ per uiscera prolis.
Mater morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta uterum. sed cum calet igni
Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum
Ore sitit patulo, caput inserit ille trilingue
Coniugis in fauces, atq; oscula feruidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale uenenum.
Nupta uoluptatis ui saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Infusasq; bibit caro pereunte saliuas.
His pater illecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles, nã postquàm semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parua latebris
Serpere, motatumq; uterum uibrata ferire:
Aestuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemq; gemit damnati conscia sexus,
Progeniem septi rumpentem obstacula partus.

Nam quia nascendi nullus patet exitus, aluus
Foetibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atq; uiam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis, prodit grex ille dolorum
Ingressum uitæ uix eluctatus, & ortum
Per scelus exsculpens, lambunt natale cadauer
Reptantes catuli, proles dum nascitur orba
Haud experta diem, miseræ nisi posthuma matri.
Non dispar nostræ conceptus mentis, ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa uenenum
Coniuge Beliadæ, sic oscula deuorat haustu,
Interiusq; rapit, sic felle libidinis ardens
Impletur uitijs, perituro mista marito.
Tunc prægnans lethale genus, concepta maligni
Fert opera ingenij, de semine complicis hydri,
Quem pœnis pensare prius sua facta necesse est
Corruptæ pro stupro animæ, proq; orbe perēpto.
Ipsam porrò animam crudelia uulnera carpunt
Mille puerperijs, soboles dum parturit, ex se
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, & partos materno funere natos.
Hinc illa est domini iusta obiurgatio Christi:
Nónne pater dæmon uos increpo peccatores
Concubitu carnis semen sitientis iniquum
Vos genuit? sanctum lector percurre uolumen,
Quod loquor inuenies dominum dixisse, profanis
Vera obiectantem mortalibus, ex patre nam uos
Esse deo genitos, pietas ait ipsa probaret,
Ac pietatis opus: prò cæca libido, quid hoc est?
Quod cùm se thalamis despōsam mens bona iustis
Nouerit, inq; thorum regis nuptura uocetur,
Et regis semper iuuenis, senioq; repulso
Diuinum decus æterno seruantis in ore:
Malit adulterium, furuo & se munere uilem
Vendat nocticolæ spurcis complexibus Indi,
Aspernata dei fusam per uirginis artus
Progeniem, dulcesq; uocans in fornice natos?
Sentio quam contra moueat pellacia litem,
Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
Nosq; lacessito uocet ad luctamina uero.
Si non uult deus esse malum, cur non uetat? inquis,
Nil refert auctor fuerit, factorq; malorum,
An'ne opera in uitium sceleris pulcherrima uerti,
Cùm possit prohibere, sinat? quòd si uelit omnes
Innocuos agere omnipotens, nec sancta uoluntas
Degeneret, nec se facto manus inquinet ullo.

Condidit ergo malū dominus, quod spectat ab alto, A
Et patitur, fieriq; probat, tanquam ipse crearit,
Ipse creauit enim, quod cùm discludere possit,
Non abolet, longoq; sinit grassarier usu.
Damna aures Pater alme meas, & claude meatus
Obbrutescentis capitis, ne peruia tales
Concipiat flexura sonos: est perdere tanti
Extinctum uitæ officium de parte cerebri,
Immunem modò sese anima, expertemq; nefandi
Auditus, felix stolida conseruet ab aure.
Quis ferat hæc iniecta deo conuitia? qui se
Diuinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, uel sola benignum
Res probat esse deum, uetiti quòd amore perēptos
Excitat è tumulis homines, regniq; per æuum
Participes iubet esse sui: qui si foret auctor,
Seruatorq; mali, nunquam post damna salutis,
Peccantumq; obitus, rediuiuam ferre medelam
Vellet, & amissos opere instaurare secundo.
Labi hominis, seruare dei est: meritis perit iste,
Ille abolet pereuntis opus, meritumq; resoluit.
Argumentum ingens, dominū, qui talia præstet,
Nolle malum, nec quod pòst abluit, antè probare.
Inuitóne aliquis potis est peccare Tonante? B
Cui facile est in corde hominis componere sensus
Quos libeat, fibrasq; omnes animare pudicis
Pulsibus, & totum uenis infundere honestum.
Nescis stulte tuæ uim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescisq; ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas?
Et super ingenio proprio, laxeq; soluto
Iure potestatis, liceat cui uelle, sequiq;
Quod placitum, nulliq; animū subiungere uinclo?
An cùm te dominum cunctis quæcunq; crearat
Præficeret, mundumq; tuis seruire iuberet
Imperijs: cumq; arua, polum, mare, flumina, uentos
Dederet, arbitrium de te tibi credere auarus
Nollet ut indigno, libertatemq; negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Nā quis honos domini est, cuius mens libera nō est,
Vna sed impositæ seruit sententia legi?
Quæ laus porrò hominis, uel quod meritū, sine cer
Inter utranq; uiam discrimine uiuere iustè? (to
Non fit sponte bonus, cui nō est prompta potestas
Velle aliud, flexosq; animi conuertere sensus.

Atqui

A Atqui nec bonus est, nec collaudabilis ille
Qui non sponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla uenit, sordetq; ingloria uirtus.
Nec tamen est uirtus, ni deteriora refutans
Emicet, & meliore uiam petat indole rectam.
Vade, ait ipse parens, opifexq;, & conditor Adæ,
Vade homo, & afflatu nostri prænobilis oris,
Insubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et iudex mentis propriæ: mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subiectio & ipsa soluto
Libera iudicio. non cogo, nec exigo per uim,
Sed moneo iniustum fugias, iustumq; sequaris.
Lux comes est iusti, comes est mors horrida iniqui,
Elige rem uitæ, tua uirtus temet in æuum
Prouehat, æternum tua damnet culpa uicißim,
Præstet & alterutram permissa licentia sortem.
Hac pietate uigens, & tanto munere abundans,
Transit propositum fas, & lethalia prudens
Eligit atq; uolens, illud magis utile retur,
Quod prohibente deo persuasit callidus anguis:
Persuasit certè hortatu, non impulit acri
Imperio, hoc mulier rea criminis exprobranti
Respondit domino, suadelis se malefabris
B Illectam, suasisse uiro: uir & ipse libenter
Consensit. licuit'ne hortantem spernere recti
Libertate animi? licuit, nanq; & deus antè
Suaserat, ut meliora uolens sequeretur, at ille
Spernens consilium sæuo plus credidit hosti.
Nunc inter uitæ dominum, mortisq; magistrum
Consistit medius, uocat hinc deus, inde tyrannus
Ambiguum, atq; suis se motibus alternantem.
Accipe gestarum monumenta insignia rerum,
Prælusit quibus historiæ spectabile signum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
Pignora chara domus properabat, sede relicta
Nubibus urbicremis subducere, sulphure cùm iam
Nimboso ignitus cœlum subtexeret aër,
Flagrantemq; diem crepitans incenderet imber.
Angelus hanc hospes legem præscripserat ollis,
Emissus uirtute dei sub imagine dupla:
Omnis ut è portis iret domus, utq; in apertum
Dirigeret constans oculos, nec ponè reflexo
Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremandi
Vt semel è muris greßum promouerit, ore (est,
Post tergum uerso, respectet funera rerum.

Loth monitis sapiens obtemperat, at leuis uxor
Mobilitate animi, torsit muliebre retrorsus
Ingenium, Sodomisq; suis reuocabilis hæsit.
Traxerat Eua uirum diræ ad consortia culpæ:
Hæc peccans sibi, sola perit, solidata metallo
Diriguit fragili, saxumq; liquabile facta.
Stat mulier sicut steterat prius, omnia seruans,
Caute sigillati longum salis effigiata
Et decus, & cultum, frontemq;, oculosq;, comamq;,
Et flexam in tergum faciem, paulumq; relata
Menta retro, antiquæ monumenta rigentia noxæ.
Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda.
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio, quantumq; armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamq; cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix fœmina sisti,
Infirmum fluidumq; animum per lubrica soluens
Consilia, & fragilis iussa ad cœlestia: uoti
Propositum contrà non commutabile seruat,
Loth ingressus iter, nec mœnia respicit, alto
In cinerem collapsa rogo, populumq; perustum,
Et mores populi, tabularia, iura, forumq;,
Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
Et Circum cum plebe sua, madidasq; popinas.
Quicquid agũt homines Sodomorũ, incendia iustis
Ignibus inuoluunt, & Christo iudice damnant.
Hæc fugisse semel satis est, non respicit ultra
Loth noster, fragilis sed coniux respicit, & quæ
Fugerat, inuerso mutabilis ore reuisit,
Atq; inter patrias perstat durata fauillas.
En tibi signatum libertatis documentum,
Quòd uoluit nos scire deus, quodcũq; sequendũ est,
Sub nostra ditione situm, paßimq; remissum
Alterutram calcare uiam, duo cedere iußi
De Sodomis, alter se proripit, altera mussat,
Ille gradum celerat fugiens, contrà illa renutat:
Liber utriq; animus, sed dispar utrique uoluntas,
Diuidit huc illuc rapiens sua quenq; libido.
Talem multa sacris speciem notat orbita libris.
Aspice Ruth generis Moabitidis, & simul Orphã,
Illa socrum Noëmin fido comitatur amore,
Deserit hæc atqui thalamis, & lege iugali
Exutæ, Ebræisq; thoris, sacrisq; uacantes,
Iure fruebantur proprio: sed pristinus Orphæ
Eanorum ritus præputia barbara suasit

Malle, & ſemiferi ſtirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per ſtipulas agreſti amburitur æſtu,
Fulcra Booz meruit, caſtoq́; aſſcita cubili
Chriſtigenam fœcunda domũ, & Dauidica regna
Edidit, atq; deo mortales miſcuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Perueniſſe ſimul biuium, nutante iuuenta,
Et dubitaſſe diu bifido ſub tramite, quónam
Eſſet iter melius, cùm dextrum ſpinea ſilua
Sentibus arctaret, ſcopuloſaq́; ſemita longè
Duceret aërium cliuoſo margine callem.
At læuum, nemus umbriferum per amœna uireta
Ditibus ornaret pomis, & lene iacentem
Planicies daret ampla uiam: ſquallentibus unum
Contentum ſpinis reptaſſe per ardua ſaxa,
Porrò alium campo ſeſe indulſiſſe ſiniſtro:
Illum ſideribus caput immiſcere propinquis,
Hunc in cœnōſas ſubitò cecidiſſe paludes.
Omnibus una ſubeſt natura, ſed exitus omnia
Non unus peragit placitorum ſegrege forma.
Haud ſecus, ac ſi olim per ſudum lactea fortè
Lapſa columbarum nubes, deſcendat in aruum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoq́; illeuit uimina uiſco,
Sparſit & inſidias ſiliquis, uel farre doloſo.
Illiciunt alias fallentia grana, gulamq́;
Innectunt auidam tortæ retinacula ſetæ,
Molle uel implicitas gluten circumligat alas:
Aſt aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Greſſibus innocuis ſterili ſpaciantur in herba,
Suſpectamq́; cauent oculos conuertere ad eſcam.
Mox ubi iam cœlo reuolandũ, pars petit æthram
Libera ſideream, plaudens ſuper aëra pennis:
Pars captiua iacet, laceris & ſaucia plumis
Pugnat humi, et uolucres nequicquã ſuſpicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicolores
Infundit natura ſolo, ſed ſuauibus iſtic
Deuinctæ illecebris retinentur, & æthera paucæ
Conſcendunt reduces, multas uiſcoſus ineſcat
Paſtus, & ad ſuperas percurrere non ſinit auras.
Præſcius inde pater liuentia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasq́; bitumine foſſas
Infernalis aquæ, furuo ſuffodit auerno,
Et Phlegethonteo ſub gurgite ſanxit edaces
Perpetuis ſcelerum pœnis inoleſcere uermes.
Norat enim flatu ex proprio uegetamen ineſſe
Corporibus noſtris, animamq́; ex ore perenni A
Formatam non poſſe mori, non poſſe uiciſsim
Pollutam uitijs rurſum ad conuexa reuerti,
Merſandam penitus puteo feruentis abyſsi,
Vermibus, & flammis, & diſcruciatibus, æuum
Immortale dedit, ſenio ne pœna periret
Non pereunte anima: carpunt tormenta, fouentq́;
Materiem ſine fine datam, mors deſerit ipſa
Aeternos gemitus, & flentes uiuere cogit.
At diuerſa procul regionibus in paradiſi
Præmia conſtituit, maieſtas gnara futuri
Spiritibus puris, & ab omni labe remotis,
Quiq́; Gomorrhæas non reſpexere ruinas.
Auerſis ſed rite oculis, poſt terga tenebras
Liquerunt miſeri properanda pericula mundi,
Ac primùm facili referuntur ad aſtra uolatu:
Vnde fluens anima ſtructum uegetauerat Adam.
Nam quia naturam tenuem decliuia uitæ
Pondera nõ reprimunt, nec tardat ferrea compes:
Concretum celeri relegens ſecat aëra lapſu,
Exuperatq́; polum feruens ſcintilla remenſum,
Carcereos exoſa ſitus, quibus hæſerat exul.
Tunc poſtliminio redeuntem, ſuſcipit alto
Cana fides gremio, tenerisq́; oblectat alumnam B
Delitijs, multos poſt diuerſoria carnis
Ore renarrantem querulo quos paſſa labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili,
Floribus æternis ſpirantes libat odores,
Ambroſiumq́; bibit roſeo de gramine rorem.
Aſt aliæ quas dira lues, errorq́; malignus
Immerſit tenebris, uaſtoq́; obſedit auerno:
Haud impune pijs, ah, ſemet abeſſe fatentur
Concilijs, meritas ferre & per ſecula pœnas.
Quîs patris antiqui aut ægri reuerentis abyſſo
Excluſis, mundiq́; bonis cum morte potitis
Ditibus, & longo fumantibus interuallo,
Fluminaq́;, & totos cœli ſitientibus imbres
Implorata, negat digitum inſertare palato,
Flammarumq́; apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis longè diſtantibus inter
Damnatas iuſtasq́; animas concurrere uiſus
Conſpicuos, meritasq́; uices per magna notari
Interualla, polus medio quæ diuidit orbe.
Erat quiſq; animas noſtrorum ſine oculorum
Aeſtimat, inuoluit uitreo quos lucida palla
Obice, quîs ſpeculum concreta coagula texunt,

Impe-

A Impediuntq; uagas obducto humore fenestras.
Numne animarum oculis denso uegetamine guttæ
Voluuntur teretes? aut palpebralibus extra
Horrescunt setis, cilióue umbrante teguntur?
Illis uiua acies, nec pupula parua, sed ignis
Traiector nebulæ, uasti & penetrator operti est.
Nil ferrugineum solidúmue tuentibus obstat,
Nocturnæ cedunt nebulæ, nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aërios uisu transmittit hiatus
Spiritus, oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atq; ultima littora Thyles
Transadijt, uolucresq; oculos in tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, & cæco delentur tempore formæ.
Nunquid & exutæ membris ac uiscere, perdunt
Agnitione notas rerum, uel greßibus errant?
Vna animas semper facies habet, & color unus
Aëris, ut cuiq; est meritorum summa, sinistri
Seu dextri, alternas nec commutabile tempus
Conuertit uariatq; uices, longum atq; perenne est
Quicquid id est, unus uoluit sua secula cursus,
Expertos dubitas animas percurrere uisus?
B Abdita corporeis oculis, cùm sæpe quietis
Rore soporatis, cernat mens uiua remotos
Distantesq; locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens, nec enim se segregat ipsa
Ante obitum uiuis ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis & carnis penetralia, seq; medullis
Exuit, abductámue abigit de pectore uitam:
Viscerea sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus, & quá circuntulit acrem
Naturæ leuis intuitum, nullo obice rerum
Disclusa, ante oculos subiectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Obiacet interea tellus, nec uisibus obstat,
Quin si stelligerum uultus conuertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Peruigilis animæ, quamuis densata grauentur
Nubila, & opposito nigrescat uellere cœlum.
Sic arcana uidet tacitis cooperta figuris,
Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitũ, sensúq;, oculisq; peragrans,
Ordine dispositos uenturis solibus annos,
Procinctum uidet angelicum, iam iamq; cremandi
Orbis in excidium, raucos & percipit aure
Mugitus, grauium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente uidebat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis inuolucris tumulo frigente repostis?
Certa fides, rabidos sub tetra nocte caminos,
Qui pollutam animam per secula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remotis
Pauperis expositos, nec secius aurea dona
Iustorum dirimente chao, rutilasq; coronas
Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc paradisicolæ post ulcera dira beato
Proditur, infelix ululans in peste reatus
Spiritus, inq; uicem meritorum mutua cernunt.

PRVDENTII
preces.

O dee cũctiparẽs, animæ dator, ó dee Christe,
Cuius ab ore deus subsistit spiritus unus:
Te moderante regor, te uitam principe duco,
Iudice te pallens trepido, te iudice eodem
Spem capio, fore quicquid ago, ueniabile apud te,
Quamlibet indignum uenia faciamq; loquarq;.
Confiteor, dimitte libens, & parce fatenti:
Omne malum merui, sed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora fauens largire precanti,
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis huius
Liquerit hospitium, neruis, cute, sanguine, felle,
Oßibus extructum, corrupta quód incola luxu
Heu nimium complexa fouet: cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, & conclamata iacebit
Materies, oculisq; suis mens nuda fruetur:
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronũ,
Immitem, rabidum, uultuq;, & uoce minaci
Terribilem, qui me maculosum aspergine morum
In præceps ut prædo trahat, nigrisq; ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus adusq;
Quadrantem minimum, damnosæ debita uitæ.
Multa in thesauris patris est habitatio Christe,
Disparibus discreta locis: non posco beata
In regione domum, sint illic casta uirorum
Agmina, puluereum quæ dedignantia censum
Diuitias petiere tuas: sit flore perenni
Candida uirginitas, animum castrata recisum:
At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, auidæ nec flamma gehennæ

Deuoret hanc animam, merſam fornacibus imis.
Eſto, cauernoſo quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporea, triſtis me ſorbeat ignis auerno:
Saltem mitificos incendia lenta uapores
Exhalent, æſtuq; calor languente tepeſcat:
Lux immenſa alios, & tempora uincta coronis
Glorificent, me pœna leuis clementer adurat.

AVRELII PRVDENTII CONtra Symmachum urbi præfectum in librum primum Præfatio.

Carminis gen⁹, quale iſtud, Inuictor rutili dux bone luminis.

PAulus præco Dei, qui fera gentium
Primus corda ſacro perdomuit ſtilo,
Chriſtum per populos ritibus aſperis
Immanes, placido dogmate ſeminans:
Immanſueta ſuas ut ceremonias
Gens pagana deo ſperneret agnito.
Actus turbinibus forte nigerrimis
Hibernum pelagus iam rate debili,
Et uim naufragi pertulerat noti.
Sed cùm cœrulei prælia gurgitis
Iußiſſet domini dextra quieſcere:
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponitq; ſolo littoris uuidi
Contractos pluuio frigore remiges,
Tunc de littoreis ſæpibus algidi
Arentum propere brachia palmitum
Conuectant, rapidos unde focos ſtruant,
Faſcem quiſq; ſuum congerit ignibus,
Expectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere ſurculos
Et denſare foci congeriem ſtudet,
Incautam cumulis inſeruit manum,
Torpebat glacie pigra ubi uipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quæ poſtquàm intepuit fomite fumeo,
Laxauitq; ferox colla rigentia,
Iam flecti facilis, rettulit ad manum
Vibrato capite ſpecula dentium.
Hærentem digiti uulnere mordicus,
Pendentemq; gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alij, quòd cute liuida
Virus mortiferum ſerpere crederent.
At non intrepidum terret Apoſtolum
Triſtis tam ſubiti forma periculi,
Attollens oculos ſidera ſuſpicit,
Chriſtum ſub tacito pectore murmurans,
Excuſſumq; procul decutit aſpidem.
Abiectus coluber uerberat aëra,
Atq; oris patuli ſoluit acumina.
Mox omnis ſanies deſerit, & do lor,
Ceu nullo laceram uulnere dexteram,
Siccatusq; perit uipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arſurum medijs intulit ignibus.
Sic nunc poſt hiemem, uimq; trucis freti,
Quo iactata ratis tunc ſapientiæ eſt,
Cùm ſub ſacricolis territa regibus,
Vix panſo poterat currere carbaſo,
Afflictosq; ſuos turbine ſeculi
Vectarat, rapidis fluctibus innatans.
Morſum uulnificum lex pia pertulit:
Occultabat enim ſe prius abditum
Virus, nec grauidum protulerat caput,
Contentum inuolucris atq; cubilibus,
Subter quo premeret clauſa ſilentia.
Sed dum fortè latens impietas riget,
Dextram iuſtitiæ pigra momorderat,
Succenſi ſtomacho fellis inæſtuans.
Heu quàm catholicam nil propè profuit
Puppim naſſe ſacri remigio ſtili.
Quem Paulus uarijs gentibus edidit,
Vix portu placido tuta quieuerat
Victrix, edomitis nulle furoribus.
Vix aſtricta ſuis iam retinaculis
Vectores ſtabili condiderat ſolo,
Erumpit ſubito triſte periculum.
Nam dum præcalidos igniculos ſibi
Soluendis adolent, & ſenio, & gelu:
Dum uirgas ſteriles atq; ſuperfluas
Flammis de fidei palmite concremant,
Vt concreta uagis uinea crinibus
Siluoſi illuuiem poneret idoli,
Palpauit nimius perniciem tepor,
Spes inſueta ſubit, ſerpere flexibus,
Et uibrare ſagax eloquij caput.
Sed dextra impatiens uulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effuſum ingenij uirus inaniter,
Summa Chriſticolis in cute ſubſtitit.
Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis ueniam das pereuntibus,
Qui nullum ſtatuis non operis tui.
Mortalem, facili quem releues manu,
Huius, ſi potis eſt, iam miſereſcito,

Præru-

A Præruptam in foueam præcipitis uiri:
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Errorésque suos indocilis fouet.
Obtestor iubeas, ne citus impetus
Arsurum medijs inferat ignibus.

AVRELII PRVDENTII CLEmentis aduersus Symmachum, Liber primus.

CRedebam uitijs ægram gentilibus urbem
Iam satis antiqui pepulisse pericula morbi,
Nec quicquam restare mali, postquam medicina
Principis immodicos sedarat in arce dolores
Sed quoniam renouata lues turbare salutem
Tentat Romulidûm, patris imploranda medela est,
Ne sinat antiquo Romam squallere ueterno,
Néue togas procerum, fumoq; & sanguine tingi.
Inclytus ergo parens patriæ, moderator & orbis,
Nil egit, prohibendo uagas ne pristinus error
Crederet esse deum nigrante sub aëre formas,
Aut elementorum naturam, quæ patris ars est
Omnigeni, summa pro maiestate sacraret:
Vir solus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga, cicatricem summa leuiter cute clausam
B Duceret, & latebram tabentis uulneris altè
Impressam, penitusq; putri de pure peresam,
Iuncta superficies medico fallente foueret.
Sed studuit quo pars hominis generosior intus
Viueret, atque animam lethali peste piatam
Nosset ab interno tutam seruare ueneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, uidere
Qui status ante oculos præsentibus, ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
Heu malè de populo meriti, malè patribus ipsis
Blanditi, quos præcipites in tartara mergi
Cum Ioue siuerunt, multa & cum plebe deorum.
Ast hic imperium protendit latius æuo
Posteriore, suis cupiens sancire salutem:
Nimirum pulchre quidam doctissimus, esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, uel regnarent sapientes.
Est' ne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti ætheriæ coluerunt dogma sophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentiq; togatæ
Dux sapiens: felix nostræ res publica Romæ
Iustitia regnante uiget, parete magistro
Sceptra gubernanti, monet, ut teterrimus error,
Vtq; superstitio ueterum procul absit auorum,
Nec putet esse deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magniq; immensa creauerit orbis.

De Saturno.

Num melius Saturnus auos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informauit
Agrestes animos, & barbara corda uirorum?
Sum deus, aduenio fugiens, præbete latebras,
Occultate senem, nati feritate tyranni
Deiectum solio: placet hic fugitiuus & exul,
Vt lateam, genti atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incuruum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon & mœnia uestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia uobis.
Vos nemus, appositasq; meo sub honore sacrantes,
Sum quianam cœlo genitus, celebrabitis aras.
Inde deos, quorum patria spectata sepulchra
Scimus, in ære hebetes informauere minores,
Aduena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ, Thuscis nanq; ille puellis
Primus adhinniuit simulato numine mœchus.

De Ioue.

Mox patre deterior siluosi habitator Olympi
Iuppiter, incestas spurcauit labe Lacænas,
Nunc boue subuectam rapiens ad crimen amatam,
Nunc tenera pluma leuior, blandosq; susurros
In morem, recinens suauè, immorientis oloris,
Capta quibus uolucrum uirguncula ferret amorem:
Nunc foribus surdis, sera quas, uel pessulus arctis
Firmarat cuneis, per tectum diues amator
Imbricibus ruptis, undantis desuper auri
Infundens pluuiam gremio, excipientis amicæ.
Armigero modò sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserum afficiens catamitum
Pellice iam puero magis indignante sorore.
Hæc causa est & origo mali, quòd secla uetusto
Hospite regnante, crudus stupor aurea finxit,
Quodq; nouo ingenio uersutus Iuppiter, astus
Multiplices, uariosq; dolos texebat, ut illum,
Vertere cùm uellet pellem faciemq;, putarent
Esse Bouem, prædari Aquilam, cõcumbere Cycnũ,
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.
Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
Stulta uirûm, pecudes inter rictusq; ferinos?
Dedere sueta animum, diuæ rationis egenum,
In quancunq; fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.

De Mercurio.

Successit Iouis imperio corruptior ætas,
Quæ docuit rigidos uitijs seruire colonos,
Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius, Maia genitus: nunc magnus habetur
Ille deus, cuius dedit experientia fures:
Nec non Thessalicæ doctißimus ille magiæ
Traditur extinctas sumptæ moderamine uirgæ
In lucem reuocasse animas, Cocytia lethi
Iura resignasse, sursum reuolantibus umbris.
Ast alias damnasse neci, penitusq; latenti
Immersisse chao, facit hoc ad utrunq; peritus
Vt fuerit, geminoq; amarit crimine uitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atq; sepulchrales scitè incantare fauillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia nouit.
Artificem scelerum simplex mirata uetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisq; leues pedibus transcurrere uentos.

De Priapo.

Ecce deum in numero formatus et æneus astat
Graius homo, augustaq; Numæ præfulget in
Strenuus exculti dominus quodã fuit agri, (arce.
Hortorumq; opibus memorabilis, hic tamen idem
Scortator nimius, multaq; libidine suetus
Ruricolas uexare lupas, interq; salicta,
Et densas sæpes obscœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperq; paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat ocia uenis.
Hic deus è patrio prænobilis Hellesponto
Venit adusq; Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis & hæc uotorum liba quotannis
Accipit, ac ruris seruat uineta Sabini,
Turpiter affixo pudeat quem uisere ramo.

De Hercule.

Herculeus mollis pueri famosus amore
Ardor, et in transtris iactatæ efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemeæa pelle fouere
Cõcubitus, & Hylan pereuntem quærere cœlebs.
Nunc Salijs cantuq;, domus, Pinaria templum
Collis Auentini conuexa in sede frequentat.

De Libero, qui & Bacchus.

Thebanus iuuenis superatis fit deus Indis,
Successu dum uictor ouans lasciuit, & aurum
Captiuæ gentis reuehit, spolijsq; superbus
Diffluit in luxum cum semiuiro comitatu,
Atq; auidus uini, multo se proluit haustu A
Gemmantis pateræ spumis, multoq; Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis, Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & uirides discindunt ore chelydros
Qui Bromiũ placare uolunt: quod & ebria iã tũc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas, inflãmãte mero in scelus omne rotatas.
Hoc circumsaltante choro, temulentus adulter
Inuenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregij scortum, quod perfidus illic
Liquerat, incesto iuuenis satiatus amore,
Hanc iubet assumptam, feruens post uina, Neærã,
Secum in delicijs fluitantis stare triumphi,
Regalemq; decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnæus stellis cœlestibus ignis
Additur, hoc precium noctis persoluit honore
Liber, ut ætherium meretrix illuminet axem.

IN VETERVM TEMPORA CORrupta, qui omnes Reges inter Deos numerarunt.

Tantum posse omnes illo sub tempore reges,
Indocilis fatui ducebat ineptia uulgi, B
Vt transire suis cum sordibus induperator
Poßit in æternum cœli super ardua regnum.
Regia tunc omnis uim maiestatis & omnis
Parua licet, cœli imperium retinere potestas
Credita, thure etiam ducibus, paruoq; sacello
Impertitus honos, quẽ dũ metus, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris proceßit in æuum
Mos patrius, cœpit falsæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes:
Tum quia quæ uiuis ueneratio regibus antè
Contigerat, functis eadem iam munere lucis
Ceßit, & ad nigras altaria transtulit urnas.
Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtiuus amor iuuenum, & deprensa iugalis
Corruptela thori, quoniam regalibus aula
Feruere tunc uitijs solita est, nec perdita luxu
Diuorum soboles sancti meminisse pudoris.

De Marte, Venere, Iunone & Cybele.

Atq; ut Roma tuos cœlesti ex sede parentes,
Quis te semideam iactant auctoribus ortam,
Perstringam breuiter, Gradiuum, uel Cytheræam:
Ille

A Ille ſacerdotem uiolat, contrà illa marito
Succubuit Phrygiò, coitus fuit impar utriq;,
Nec terreſtre deam decuit mortale ſubire
Coniugium, nec cœlicolam deſcendere ephebum
Virginis ad uitium, furtiuoq; igne calere.
Sed Venus auguſto de ſanguine fœmina, uili
Priuatoq; uiro uetitum per dedecus hæſit.
Et ſi Rhea ſacram laſciui Martis amore
Luſa pudicitiam, fluuiali amiſit in ulua:
Crediderim generoſæ aliquem ſtirpis, ſed eundem
Moribus infamem, compreſſa uirgine per uim
Se dixiſſe deum, ne ſtuprum numinis ullus
Obijcere auderet turpi miſeræq; puellæ.
Hæc Italos induxit auos uel fama, uel error,
Martia Romuleo celebrarent ut ſacra campo,
Vtq; Palatinis Capitolia condita ſaxis
Signarent titulo proaui Iouis, atq; Pelaſgæ
Palladis, & Libyca Iunonem ex arce uocarent.
Cognatos de Marte deos, Veneris quoq; nudum
Accirent proceres Erycino è uertice ſignum.
Vtq; deûm mater Phrygia ueheretur ab Ida,
Bacchica de uiridi peterentur ut Orgia Naxo:
Facta eſt terrigenæ domus unica maieſtatis,
B Et tot templa deûm Romæ, quot in urbe ſepulchra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noſter populus ueneratus adorat.
Hos habuere deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus,
Talia Pergameas fugerunt numina flammas.
Sic Veſta eſt, ſic Palladium, ſic umbra penatum,
Talis & antiquum terror ſeruauit Aſylum.

Error à patribus propagatus ad poſteros.

Vt ſemel obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Aetatum per mille gradus, tener horruit hæres,
Et coluit, quidquid ſibimet uenerabile cani
Monſtrarant ataui: puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit, guſtauerat inter
Vagitus: de farre molæ ſaxa illita ceris
Viderat, unguentoq; lares humeſcere nigros,
Formatum fortunæ habitum cum diuite cornu,
Sacratumq; domi lapidem conſiſtere paruus
Spectarat, matremq; illic pallere precantem.
Mox humeris poſitus nutricis, triuit & ipſe
Impreßis ſilicem labris: puerilia uota
Fudit, opesq; ſibi cæca de rupe popoſcit,
Perſuaſumq; habuit, quid quis uelit, inde petendũ.
Non qui oculos animumq; leuans rationis ad arcẽ
Rettulit, inſulſum tenuit ſed credulus uſum,
Priuatos celebrans agnorum ſanguine diuos:

De urbis ſimulacro.

Iamq; domo egrediens, ut publica feſta, diesq;,
Et ludos ſtupuit, celſa & capitolia uidit,
Laurigerosq; deûm templis aſtare miniſtros,
Ac ſacram reſonare uiam mugitibus, ante
Delubrum Romæ: colitur nam ſanguine & ipſa
More deæ, nomenq; loci ceu numen habetur,
Atq; urbis Venerisq;, pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus.
Vera ratus, quæcunq; fiant auctore Senatu.

DE SIMVLACRO HERCVLIS, GEminorum, & regum Italiæ.

Contulit ad ſimulacra fidem, dominosq; putauit
Aetheris, horrifico qui ſtant ex ordine uultu.
Illic Alcides, ſpoliatis Gadibus hoſpes
Arcadiæ fuluo ære riget: gemini quoq; fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturniq; equites, celſæ duo numina Romæ
Impendent retinentq; ueru, magniq; triumphi
Nuncia, ſuffuſo figunt ueſtigia plumbo.
Aßiſtunt etiam priſcorum inſignia regum,
Dux Italus, Ianusq; bifrons, genitorq; Sabinus,
Saturnusq; ſenex, maculoſo & corpore Picus,
Coniugis epotum ſparſus per membra uenenum.
Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique ſordens
Arula, Iano etiam celebri de menſe litatur
Auſpicijs, epulisq; ſacris, quas inueterato
Heu miſeri ſub honore agitant, & gaudia ducunt
Feſta calendarum, ſic obſeruatio creuit,
Ex atauis quondam malè cœpta, deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſerisq; nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Mosq; tenebroſus uitioſa in ſecula fluxit.

DE SIMVLACRO AVguſti.

Hunc morem ueterum docili iam ætate ſecuta
Poſteritas, mẽſe, atq; adytis et flamine, et aris
Auguſtum coluit, uitulo placauit, & agno.
Strata ad puluinar iacuit, reſponſa popoſcit,
Teſtantur tituli, produnt conſulta ſenatus,
Cæſareum Iouis ad ſpeciem ſtatuentia templum.

De ſimulachro Liuiæ Auguſtæ.

Adiecere ſacrum, fieret quo Liuia Iuno,
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quàm cùm fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu uacuauerat aluum,
Conceptamq́; uiri ſobolem paritura gerebat
Pronuba, iam grauidæ fulcrum geniale paratur,
Iam ſponſus, ſaliente utero nubentis, amicos
Aduocat, haud ſterilem certus fore iam ſibi pactā,
Vitricus anteuenit tardum præferuidus ortum
Priuigni nondum geniti, mox editur inter
Feſcennia, nouo proles aliena marito.
Idq́; deûm ſortes, & Apollinis antra dederunt
Conſilium, nunquam melius nam cedere tedas
Reſpōſum eſt, q̃ cùm prægnās noua nupta iugatur.
Hanc tibi Roma Deā titulis, et honore ſacratam,
Perpetuò Floras inter Venereſq́; creaſti.
Nec mirum, quis enim ſapiens dubitauerat illas
Mortali de ſtirpe ſatas uixiſſe, & eaſdem
Laude uenuſtatis claras, in amoribus uſq;
Ad famæ excidium formæ nituiſſe decore?

De cultu Hadriani & Antinoi.

Quid loquar Antinoum cœleſti ſede locatum?
Illum delicias nunc diui Principis, illum
Purpureo in gremio ſpoliatum morte uirili? marte
Adrianiq́; Dei Ganymedem, non cyathos dijs
Porgere, ſed medio recubantem cum Ioue fulcro,
Nectaris ambroſij ſacrum potare Lyæum,
Cumq́; ſuo in templis uota exaudire marito.
Ergo his auſpicibus, Traianus, Nerua, Seuerus,
Et Titus, & fortes geſſerunt bella Nerones:
Quos terrena uiros illuſtres gloria fecit,
Et uirtus fragilis prouexit in ardua famæ
Aſſcitæ terris, ſub religione iacentes.
Quàm pudet hoc illis perſuaſum, talibus ut ſe,
Romanáſq; acies cenſerent Martis amore
Poſſe regi, dum ſe Paphiæ malè blandus adulter
Venditat, Aeneadáſq; ſuos ſucceſsibus auget.
Felices, ſi cuncta deo ſua proſpera Chriſto
Principe diſpoſita ſciſſent, qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorúmq; triumphis
Creſcere, & impletis uoluit ſe infundere ſeclis.
Sed caligantes animas, & luce carentes,
In Iouis, Auguſtiq́; adytis, templiſq́; duarum
Iunonum, Martiſq́; etiam, Veneriſq́; ſacellis A
Mactatas, tetro lethi immerſere barathro,
Supremum regimen craßis in partibus orbis
Efferati, merſóq; poli conſiſtere fundo.

De cultu Elementorum ſub alijs nominibus.

Quicquid humus, pelagus, cœlū mirabile gignūt,
Id duxere deos: colles, freta, flumina, flammas,
Hæc ſibi per uarias formata elementa figuras
Conſtituere patres, hominúmq; uocabula mutis
Scripſerunt ſtatuis, uel Neptunum uocitantes
Oceanum, uel cyaneas caua flumina Nymphas,
Vel ſiluas Driadas, uel deuia rura Napæas.
Ipſe ignis, noſtrum factus qui ſeruit ad uſum,
Vulcanus perhibetur, & in uirtute ſuperna
Fingitur, ac delubra deus, & nomine, & ore
Aßimulatus habet, necnon regnare caminis
Fertur, & Aeolia ſummus faber eſſe ſub Aetna.

De cultu Solis, quem credunt Apollinem.

Eſt qui conſpicuis ſuperos quæſiuit in aſtris,
Auſus habere deum Solem, cui tramite certo
Conditio impoſita eſt, uigilem tolerare laborem, B
Viſibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretiq́; globo per inane uolantem,
Et quod nemo negat, mundo cœloq́; minorem.
Area maior enim, quam qui percurrit in illa,
Et longè campi ſpacium diffuſius, in quo
Emicat, ac uolucri feruens rota uoluitur axe.
Quamuis nonnullis placeat, terram breuiorem
Dicere circuitu quàm ſit pulcherrimus ille
Circulus, & flammas immenſi ſideris, ultra
Telluris normam, porrecto extendere gyro,
Númnc etiam cœli minor, & contractior orbis?
Cuius planiciem longo tranſmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille deus uerus, quo non eſt grandior ulla
Materies, qui fine caret, qui præſidet omni
Naturæ, qui cuncta ſimul concludit, & implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus uarijs diſtinguitur, aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu, latet aut ſub nocte recurrens,
Nec torquere facem potis eſt ad ſigna trionum,
Orbe nec obliquo portas aquilonis adire,
Nec ſolitum conuerſus iter reuocare retrorſum.

Hic erit

A Hic erit ergo deus præscriptis lege sub una
Deditus officijs? libertas laxior ipsi
Concessa est homini, formam cui flectere uitæ,
Atq; uoluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu læuo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere deo, siue in contraria uerti.
Ista ministranti regimen solenne dierum,
Haudquaquam soli datur à factore potestas:
Sed famulus subiectus agit, quodcunq; necesse est.
Hoc sidus, currum rapidasq; agitare quadrigas
Commenti, & capitis radios & uerbera dextræ,
Et frenos, phalerasq;, & equorum pectora anhela
Aeris inaurati, uel marmoris, aut orichalci,
Iusserunt nitido fulgere polita metallo.
Post trabeas, & eburnam aquilam, sellamq; curulē,
Cernuaq; ora senex barbatus, & oscula figit
Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum,
Immotasq; rotas, & flecti nescia lora,
Aut ornat redimita rosis, aut thure uaporat.

De cultu Lunæ, quam & Dianam credunt.

B Hoc tamē utcūq; est tolerabile, quid? quod et istos
Dant tibi Roma deos, inferni gurgitis umbræ?
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad tartarei thalamum Proserpina regis.
Et si quando suos dignatur adire Quirites,
Placatur uaccæ sterilis ceruice resecta,
Et regnare simul cœloq;, hereboq; putatur.
Nunc bigas frenare boues, nunc sæua Sororum
Agmina uiperco superis immittere flagro.
Nunc etiam uolucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terq; suas eadem uariare figuras.
Deniq; cùm Luna est, sublustri splendet amictu:
Cùm succincta iacit calamos, Latonia uirgo est:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniunx,
Imperitat Furijs, & dictat iura Megeræ.
Si uerum quæris, Triuiæ sub nomine dæmon
Tartareus colitur, qui te modò raptat ad æthram,
Sidereoq; deum uenerandum suadet in astro.
Per siluas modò mortiferi discurrere mundi,
Erroresq; sequi subigit, nemorumq; putare
Esse deam, quæ corda hominum pauitantia figat,
Quæq; feras perimat lethali uulnere mentes,
Depressos modò subter humum formidine sensus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Seq; potestati committant noctis opertæ.

De uictimis Ditis et Charontis in theatris.

Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infaustis fusus gladiator harena.
Heu male lustratæ Phlegetontia uictima Romæ.
Nam quid uæsani sibi uult ars impia ludi?
Quid mortes iuuenū? quid sanguine pasta uoluptas?
Quid puluis caueæ semper funebris, & illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ?
Nempe Charon, iugulis miserorum se duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine sacro.
Hæ sunt deliciæ Iouis infernalis, in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit auerni.
Nónne pudet regem populis sceptrisq; potentem
Talia pro patriæ censere litanda salute?
Relligionis opem subternis poscere ab antris?
Euocat heu pœnis tenebrosa ex sede ministrum
Interitus, speciosa hominum cui funera soluat.
Incassum arguere iam Taurica sacra solemus:
Funditur humanus latiali in munere sanguis,
Confessusq; ille spectantum soluit ad aram
Plutonis fera uota sui: quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?
An'ne fides dubia est tibi, sub caligine cæca
Esse deum, quem tu tacitis timeris in umbris?
Ecce duos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrū monumenta probant, dijs Manibus illic
Marmora secta lego quæcunq; Latina uetustos
Custodit cineres, densisq; Salaria bustis.

Ad urbem Romam.

Dic quibus hūc scribis titulū? nisi quod trucis orci
Imperium, ueræ ceu maiestatis adoras?
En quibus implicita squallebat regia summi
Imperij, tractis maiorum ab origine sacris.
Cùm princeps gemini bis uictor cæde tyranni
Pulchra triumphali respexit mœnia uultu,
Nubibus obsessam nigrantibus aspicit urbem,
Noctis obumbratæ caligine, turbidus aër
Arcebat liquidum septena ex arce serenum.
Ingemuit miserans, & sic ait, exue tristes
Fida parens habitus, equidem prædiuite cultu
Illustrata cluis, spolijsq; insigne superbis
Attollis caput, & multo circunfluis auro.

Sed nebulis propteruolitantibus, obsitus alti
Verticis horret apex, ipsas quoq; liuida gemmas
Lux hebetat, spissusq; dies, & fumus ob ora
Suffusus, rutilum frontis diadema retundit.
Obscuras uideo tibi circunferrier umbras,
Cœruleasq; animas, atque idola nigra uolare.
Censeo sublimem tollas super aëra uultum,
Sub pedibusq; tuis nimbosa elementa relinquas,
Omne quod ex mūdo est, tibi subiacet, hoc deus ipse
Constituit, cuius nutu dominaris, & orbi
Imperitas, & cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, ut submissa oculos Regina caducum
Contemplere solum, maiestatemq; requiras,
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
Non patiar, ueteres teneas ut me duce nugas,
Vt cariosorum uenereris monstra deorum.
Si lapis est, senio dissoluitur, aut crepat ictu
Percussus tenui: mollis si bractea gypsum
Texerit, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ lamnis commisit ahenis
Lima terens, aut in partem caua membra grauato
Pondere curuantur, scabra aut ærugo peresam
Conficit effigiem, crebroq; foramine rumpit.
Nec tibi terra deus, cœli nec sit deus astrum,
Nec deus oceanus, nec uis quæ subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris:
Sed nec uirtutes hominum deus, aut animarum,
Spirituúmue, uagæ tenui sub imagine formæ.
Absit ut umbra deus tibi sit, geniúsue, locúsue,
Aut deus aërias uolitans phantasma per auras.
Sint hæc Barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes, omne sacrū est, quicqd formido tremē
Suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt (dum
Credere monstra deos, quos sanguinolentus edendi
Mos iuuat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, uisceribus multa inter uina uorandis.
At te, quæ domitis leges ac iura dedisti
Gentibus, instituens magnus quà tenditur orbis,
Armorum morumq; feros mansuescere ritus,
Indignum ac miserum est, in relligione tenenda
Id sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiunt, nullaq; rudes ratione sequuntur.
Seu nos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in urbe:
Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,

In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget, A
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Crucis potentia.

Hoc signo, inuictus transmissis Alpibus ultor
Seruitium soluit miserabile Constantinus.
Cùm te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Vt scis ipsa, patres, aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroq; satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter uincla luebat.
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patrumq; ergastula sæui
Principis: abducta genitor si uirgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit.
Vim libertatis nimiæ, patriumq; dolorem.
Testis Christicolæ ducis aduentantis ad urbem
Moluius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quá nam uictricia uiderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera uindex
Prætulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro B
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarißimus ordo,
Qui tunc concreto proceßit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede uasta,
Complexusq; pedes uictoris, ad inclyta flendo
Procubuit uexilla iacens: tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christiq; uerendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.
Ergo caue egregium caput orbis, inania post hæc
Prodigia, esse deos solito tibi fingere cultu,
Atq; experta dei uirtutem spernere ueri.
Deponas iam festa uelim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoq; indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lauate
O proceres, liceat statuas consistere puras
Artificū magnorū opera, hæc pulcherrima nostra
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor usus
In uitium uersæ monumenta coinquinet artis.
Talibus edictis urbs informata refugit
Errores ueteres, & turbida ab ore uieto
Nubila discußit, iam nobilitate parata

Aeternas

A Aeternas tentare uias, Christumq; uocantem
Magnanimo ductore sequi, & spem mittere in æuũ.
Tunc primùm senio docilis sua secula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox ubi contiguos fossis muralibus agros
Sanguine iustorum innocuo maduisse recordans,
Inuidiosa uidet tumulorum millia circum
Tristis iudicij mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis, nimiæq; sacris pro turpibus iræ.
Compensare cupit teterrima uulnera læsæ
Iustitiæ, sero obsequio, ueniaq; petenda,
Ne tanto imperio maneat pietate repulsa
Crimen sæuitiæ, monstrata piacula quærit,
Inq; fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea uictoris Marij minus utilis urbi,
Cùm traheret Numidã populo plaudẽte Iugurthã:
Nec tantum Arpinas consul tibi Roma medelæ
Contulit, extincto iusta inter uincla Cethego:
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Prospexit tribuitq; boni: multos Catilinas
Ille domo pepulit, non sæua incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,
B Internoq; hominum strauit tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumq; forum, & Capitolia celsa tenebant,
Qui coniuratas ipsa ad uitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente ueneno
Consuerant, tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus,
Clara trophæa refert sine sanguine, rẽq; Quirini
Assuescit supero pollere in secula regno.
Deniq; nec metas statuit, nec tempora ponit,
Imperium sine fine docet, ne Romula uirtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.

Senatus ad Christum conuersio.

Exultare patres uideas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumq; senum gestire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere, & exuuias deponere pontificales.
Iamq; ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis
Ad syncera uirum penetralia Nazareorum,
Atq; ad apostolicos Euandria curia fontes,
Aeneadum soboles, et pignora clara proborum.
Fertur enim ante alios generosus Anitius, urbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olibriaci generisq; & nominis hæres, Olibrius Cos
Adiectus fastis, palmata insignis abolla,
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitauit
Prompta fides dare se Christo, stirpemq; superbam
Gentis patriciæ uenturo attollere seclo.
Iam quid plebicolas percurram carmine, Gracchos
Iure potestatis fultos, & in arce senatus
Præcipuos, simulachra deûm iussisse reuelli?
Cumq; suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet, ad Christi signacula uersas,
Turpis ab idolij uasto emersisse profundo,
Si persona aliqua est, aut si status urbis, in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo:
Hi faciunt, iuncta est quoties sententia plebis,
Atq; unum sapiunt plures, simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est ubi publica, cellam,
Vix pauca inuenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat seruare tenebras,
Splendentemq; die medio non cernere solem.

Plebis ad Christum conuersio.

Post hinc ad populũ cõuerte oculos, quota pars (est
Quæ Iouis infectam sanie non despuit aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula uulgus,
Quiq; terit silicem uarijs discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis: Panis gradilis - Hadr. Tur.
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi Christe dicatam
In leges transisse tuas? omniq; uolentem
Cum populo, & summis cum ciuibus, ardua magni
Iam super astra poli, terrenum extendere regnum?
Nec moueor, quòd pars hominũ rarissima, clausos
Non aperit sub luce oculos, & gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, & sanguine clari,
Præmia uirtutum, titulis, & honoribus aucti.
Ardua rettulerint fastorumq; arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas,

Atque inter ueteres cera numerentur & ære:
Attamen in paucis iam deficiente caterua,
Nec perſona ſita eſt Patriæ, nec curia conſtat,
Et quodcunq; fouet ſtudij priuata uoluntas,
Ac iam rara tenet, ſed publica uota reclamant,
Diſſenſu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic conſulta Patrũ ſubſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore, quàm ſi
Tercentum ſenſiſſe ſenes legerentur in unum.
Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, paruaq; in parte ſileſcat.

Ad Symmachum.

Aſpice quàm pleno ſubſellia noſtra ſenatu
Decernant infame Iouis puluinar, & omne
Idolium, longe purgata ex urbe fugandum:
Quà uocat egregij ſententia principis, illuc
Libera cum pedibus, tum corde frequentia tranſit.
Nec locus inuidiæ eſt, nullum uis aſpera terret,
Ante oculos, ſic uelle patet, cunctiq; probatum
Non iuſſum, ſola capti ratione ſequuntur.
Deniq; pro meritis terreſtribus æqua rependens
Munera ſacricolis, ſummos impertit honores
Dux bonus, & certare ſinit cum laude ſuorum:
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire uiros prohibet: quoniam cœleſtia nunquam
Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant.
Ipſe magiſtratum tibi conſulis, ipſe tribunal
Contulit, auratumq; togæ donauit amictum,
Cuius relligio tibi diſplicet: ô pereuntum
Aſſertor diuûm, ſolus qui reſtituendos
Vulcani, Martisq; dolos, Venerisq; peroras,
Saturniq; ſenis lapides, Phœbiq; furores,
Iliacæ matris Megaleſia, Bacchica Nyſi,
Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſyrim
Mimica, ridendaq; ſuis ſolennia caluis,
Et quaſcunque ſolent Capitolia claudere laruas.
O linguam miro uerborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipſe
Tullius, has fundit diues facundia gemmas.
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare deum: cui ſordida monſtra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine uocem.
Haud aliter, quàm ſi raſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum uerſare ſolum, limoq; madentes
Excolere aureolis ſi forte ligonibus uluas.
Splendorem dentis nitidi ſcrobis inquinat atra,
Et precioſa acies, ſquallenti ſordet in aruo. A
Non uereor, ne me nimium confidere quiſquam
Arguat, ingenijq; putet luctamen inire.
Sum memor ipſe mei, ſatis & mea friuola noui:
Non auſim conferre pedem, nec ſpicula tantæ
Indocilis fandi coniecta laceſſere linguæ.
Illæſus maneat liber, excellensq; uolumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam:
Sed liceat tectum ſeruare à uulnere pectus,
Oppoſitaq; uolans iaculum depellere parma.
Nam ſi noſtra fides ſeclo iam tuta quieto,
Viribus infeſtis, hoſtiliq; arte petita eſt:
Cur mihi fas non ſit, lateris ſinuamine flexi
Ludere uentoſas iactu pereunte ſagittas?
Sed iam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum ſine fine ferat faſtidia carmen.

AVRELII PRVDENTII
CONTRA SYMMACHVM VRBI
præfectum, in librum ſecundum
Præfatio.

Genus carminis ſimile illi, Inſignem meritis uirum.

Simon, quem uocitant Petrum, B
Summus diſcipulus dei,
Lucis forte ſub exitu,
Cum ueſper croceus rubet,
Curuam uulſerat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et tranſnare uolens fretum:
Nox uentum mouet obuium
Fundo, qui mare miſceat,
Iactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens atq; ululans ferit,
Cum ſtridore rudentium,
Nec quicquam ſuberat ſpei,
Mergendis prope naufragis,
Cum Chriſtum procul aſpicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare:
Ac ſi per ſolidam uiam,
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri
Vectores pauidi ſtupent.
Solus non trepidus Petrus

Agnoſcit

A Agnoſcit dominum poli,
Terræq́;, & maris inuij,
Cuius omnipotentiæ eſt
Plantis æquora ſubdere.
Tendit ſuppliciter manus,
Notum ſubſidium rogat.
Aſt ille placidè annuens,
Puppi ut deſiliat iubet,
Iuſsis obſequitur Petrus,
Sed ueſtigia fluctibus
Summis tingere cœperat,
Et lapſante gradu pedes
Peſſum mergere lubricos.
Mortalem deus increpat,
Qui ſit non ſtabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Chriſtum ualeat ſequi.
Tum dextra famulum leuat,
Siſtitq́;, & docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me tuta ſilentia
Egreſſum, dubijs loquax
Infert lingua periculis,
B Non ut diſcipulum Petrum
Fidentem & merito & fide,
Sed quem culpa frequens, leuem
Voluat per freta naufragum.
Sum planè temerarius,
Qui noctis mihi conſcius,
Quam uitæ in tenebris ago
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam uiri:
Quo nunc nemo diſertior,
Exultat, fremit, intonat,
Ventuſq́; eloquij tumet.
Cui merſare facillimum eſt
Tractandæ indocilem ratis,
Ni tu Chriſte potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat,
Sed ſenſim gradiens, uadis
Inſiſtam fluitantibus.

CONTRA SYMMACHVM LIBER ſecundus.

HActenus et ueterũ cunabula prima deorũ, (eſt
Et cauſas, quibus error hebes conflatus in orbe
Diximus, & noſtro Romam iam credere Chriſto.
Nunc obiecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Vnde igitur cœpiſſe ferunt, aut ex quibus orſum,
Quo mage ſancta ducũ corda illice flecteret arte?

SYMMACHVS.

QVis ita familiaris eſt barbaris, ut aram Victoriæ non requirat: Cauti in poſterum ſumus, & talium rerum oſtenta uitamus: reddatur ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt, multa Victoriæ debet æternitas ueſtra, & adhuc plura debebit. Auerſentur hãc poteſtatem, quibus nihil profuit: uos amicũ triumphis patrocinium, nolite deſerere. Cunctis potentia iſta uotiua eſt: nemo colẽdam neget, quam profitetur optandam.

PRVDENTIVS.

Armorum dominos uernantes flore iuuentæ,
Inter caſtra patris genitos, ſub imagine auitæ
Eductos, exempla domi congeſta tenentes,
Orator catus inſtigat, ceu claſsica belli
Clangeret, exacuitq́; animos, & talia iactat,
Si uobis uel parta uiri Victoria cordi eſt,
Vel parienda dehinc, templum dea uirgo ſacratum
Obtineat, uobis regnantibus: ecquis amicus
Hoſtibus, hanc ſanctè ueſtro negat eſſe colendam
Imperio? cui ſemper adeſt, quod laudibus implet.
Hæc ubi legatus, reddunt placidiſsima fratrum
Ora ducum: ſcimus quàm ſit Victoria dulcis
Fortibus, Auſoniæ uir facundiſsime linguæ:
Sed quibus illa modis, qua ſit ratione uocanda
Nouimus, hac primùm pueros pater imbuit arte,
Hanc genitore ſuo didicit puer ipſe magiſtro,
„ Non aris, non farre molæ Victoria felix
„ Exorata uenit, labor impiger, aſpera uirtus,
„ Vis animi, excellens, ardor, uiolentia, dura,
„ Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
„ Quæ ſi defuerint bellantibus, aurea quamuis
„ Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
„ Explicet, & multis ſurgat formata talentis,
„ Non aderit, uerſiſq́; offenſa uidebitur haſtis.
Quid miles proprijs diffiſus uiribus, optas
Irrita fœmineæ tibimet ſolatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela uirorum.

Vincendi quæris dominam? sua cuiq; dextra est,
Et deus omnipotens: non pexo crine uirago,
Nec nudo suspensa pede, strophioq; recincta,
Nec tumidas fluitante sinu uestita papillas.
At uos pictorum docuit manus, aßimulatis
Iure poëtarum numen componere monstris,
Aut lepida ex uestro sumpsit pictura sacello,
Quod uarijs imitata notis, ceraq; liquenti
Duceret in faciem, socijq; poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, sic cassa figuris
Somnia concipiunt & Homerus, & acer Apelles,
Et Numa, cognatumq; malum pigmēta, Camœnæ.
Idola conflauit fallendi docta potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra uobis
Ex tabulis cerisq; poëtica fabula præstet?
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, cùm pulcher sese castrauerit Atys?
Cur etiam templo Triuiæ, lucisq; sacratis
Cornipedes arcētur equi, cùm Phœdra pudicum
Raptarit iuuenem uolucri per littora curru?
Idq; etiam paries tibi uersicolorus adumbret?
Desine si pudor est, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris.
Desine, terga hominis plumis obducere frustra.
Fertur auis mulier, magnusq; eadem dea uultur.
Vis decorare tuum ditißima Roma Senatum?
Suspende exuuias, armis & sanguine captas,
Congere cæsorum uictrix diademata regum,
Frange repulsorum fœda ornamenta deorum.
Tunc tibi non terris tantùm Victoria parta,
Sed super astra etiam media seruabitur æde.
Talia principibus dicta interfantibus, ille
Prosequitur, magnisq; tubam concentibus inflat,
Allegat morem ueterum, nil dulcius esse
Affirmat solitis, populosq; homínesq; teneri
Lege sua: sicut uariæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, sic urbibus affert
Hora diesq; suum, cùm primum mœnia surgunt,
Aut fatum, aut genium, cuius moderamine regnent,
Addit & arcanum rerum, ueriq; latebras
Prosperitate aliqua deprendi posse, secundi
Per documenta boni, si sint felicia, quæ quis
Experiendo probet, ceßisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, & pede dextro
Enumerat longi uim temporis, excitat ipsam:

Crinibus albentem niueis, & fronte uietam, A
Ore reposcentem querulo sua numina Romam.
Libera sum, liceat proprio mihi uiuere more.
Ecquis erit, qui mille meos reprehenderit annos?
Vno omnes sub sole siti, uegetamur eodem
Aëre, communis cunctis uiuentibus aura.
Sed qui sit, qualisq; deus, diuersa sequuti
Quærimus, atq; uijs longè distantibus, unum
Imus ad occultum: suus est mos cuiq; genti
Per quod iter properās, eat ad tā grāde profundū.
His tam magnificis, tantaq; fluentibus arte,
Respondit uel sola fides, doctißima primum
Pandere uestibulum ueræ ad penetralia sectæ.
Nam cùm diuinis agimus de rebus, & illum
Qui uel principio caruit, uel fine carebit,
Quiq; chao anterior fuerit, mundumq; crearit:
Coniectare animo contendimus, exigua est uis
Humani ingenij, tantoq; angusta labori:
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare dei secreta supremi.
Quis dubitet uicto fragilem lassescere uisu,
Vimq; fatigatæ mentis sub pectore paruo
Turbari, inualidisq; hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei uia prouocat omnipotentem B
Credere, qui bona non tantùm præsentia donat,
Sed uentura etiam, longisq; intermina seclis
Promittit, nec totus eam resolutus inane
In nihilum, pereamq; breuem post luminis usum,
Muneris auctores ipso de munere pendas.
Aeterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis, diuina deus, peritura caducus.
Omnia quæ tempus peragit, quæq; exitus aufert,
Vilia sunt breuitate sui, nec digna perenni
Largitore, cui propria est opulentia, nunquam
Desinere, idq; homini dare, quod nō desinet unquā.
Nam si corruptum corrumpendùm ue deus quid
Præstat, habetq; nihil quod sit preciosius istis,
Pauper, & infirmus, summoq; indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
Hac ratione fides sapienter conijcit, immò
Non dubitat uerū esse deū, qui quod sumus, et quod
Viuimus, ille sum semper fore, si mereamur,
Nos sperare iubet: cœlestia si placet inquit
Scandere, terrenas animo depellite curas:
Nam quantum subiecta polo tellus iacet infra,
Diuiditurq; ab humo conuexi regia cœli:

A Tantum uestra meis distant mundena futuris,
Dira bonis, scelerata pijs, tenebrosa serenis.
Quicquid obire potest fugitiis censeo, quicquid
Naturæ ratione capit uitium, atq; senescit,
Pro nihilo, in nihilum, quia sunt reditura, putetis.
Cuncta quidē quæ gignit humus, quæ continet, ipse
Principio institui, nitidoq; insignia mundo
Ornamenta dedi, spaciosaq; semina finxi.
Sed tamen esse modum uolui, parcisq; fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus & æger
Corporis, ac uitæ uolucris sibi posceret usus:
Non ut captus homo studijs & inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum
Et specie tenui, quas currere tempore iussi,
Atq; æuum statui, sub quo generosa probarem
Pectora, ne torpens, & non exercita uirtus,
Robur eneruatum gereret sine laude palæstræ,
Eneruare suum corrupta per ocia robur
Posset, & in nullo luctamine pigra iaceret:
Illecebrosus enim sapor est, & pestifer horum,
Quæ dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas uinctasq; tenent: uincenda uoluptas,
Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
B Mollibus ac lentis nexa, & captiua prematur.
Luctandum summis conatibus, inter acerba
Sectandum uirtutis iter, ne suauia fluxæ
Conditionis amet nimium: ne congerere aurum,
Nec uarios lapidum cupidē spectare colores
Ambitiosa uelit, ne se popularibus auris
Ostentet, pulchroq; inflata tumescat honore.
Ne natale solum, patrij ne iugera ruris
Tendat, et externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod uult, aut quod agit, ne præferat utile iusto,
Omnem spemq; in me statuat: nunquam peritura
Quæ dedero, longoq; die mea dona manebunt.
Hæc igitur spondente deo, quis fortis, & acer,
Virtutisq; capax, breue, quidq; perennibus in se
Prætulerit? uel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quàm uiuæ præmia mentis?
Nónne hominem ac pecudem distātia separat una?
Quòd bona quadrupedū ante oculos sita sunt, ego
Spero, q extra aciē lōgū seruatur in æuū. (cōtrà
Nam si tota mihi cum corpore uita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quicquā:
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis deus? aut quæ iam meritò metuenda potestas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues auidus spoliabo clientes,
Longæuam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum, falluntur publica iura,
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum,
Aut si res pateat, iudex corrumpitur auro.
Rara reos iusta percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor? reuocat deus ecce seuera
Maiestate minax, negat interitura meorum
Per mortē monumēta operum: non occidit, inquit,
Interior qui spirat homo, luet ille perenne
Supplicium, quòd subiectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circundare flammis
Naturam, quamuis perflabilis illa feratur
More noti: capiam tamen, & tormenta adhibebo,
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ uirtutis, in ipsis
Seminibus, natura docet reuirescere cuncta
Post obitum, siccantur enim pereunte uigore
Quo uixere prius, tunc sicca & mortua sulcis,
Aut foueis mandata latent, & more sepulchri
Obruta, de tumulis rediuiuo germine surgunt.
Nunquid nosse potes, uel coniectare, quis istud
Tam sollers opifex struat? aut quæ uis agat intus?
Ne uos ò miseri Physicorum dogmata fallant.
En ego gignendi dominus, ac restituendi
Quod perijt fluxitq;, potens arentia quæq;
In ueteres formas, aut flore, aut frondē reduco.
Idq; ipsum quandoq; homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraq; pristina constet,
Quæ mihi pro meritis uel per tormenta rependat
Crimina, uel summæ uirtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacunq; in sorte manebit.
Interea, dum mista uiget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprij, ueneretur, & oret
Artificem submissa suum: non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter.
Nec bona præsentis uitæ numerosa gubernant

Numina, non alius segetes, et spicea farra
Suppeditat deus, aut alius dat musta racemis,
Purpureumq́; graui fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, uirides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus ·
Gignere amat sobolē, generisq́; propagine gaudet,
Quem uos lasciuis uiolatis amoribus ignem,
Et stupra uestra deæ Veneris prætexitis umbra.
Vnus ego ipse elementa rego, nec mole laboris
Vt miser infirmus'ue aliquis, fragilis'ue fatigor.
Lux immensa mihi est, nec morte solubilis ætas,
Sensibus & uestris haud intellecta uetustas.
Inde ministerijs ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes, sociosq́; requiro.
Porrò autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, & quæ natura creatis
Subsistat, qualesq́; mihi seruentur ad usus.
Tu me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parēre meis uirtutibus, ut me
Per uarias partes minuas, cui nulla recidi
Pars, aut forma potest, quia sum substātia simplex,
Nec pars esse queo solis diuisio rebus.
Compositis, factisq́; subest: me nemo creauit,
Vt scindi ualeam, cunctorum conditor unus
Crede, quod ex nihilo formaui, pars mea non est.
Quare age mortalis, soli mihi construe templum,
Meq́; unum uenerare deum, cementa remitte,
Et quæ saxa Paros secat, & quæ Punica rupes, Marmora nobilia
Quæ uiridis Lacedæmō habet, maculosaq́; Synna,
Natiuum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.
Templum mentis amo, non marmoris, aurea in illo
Fundamenta manent fidei, structura niuali
Consurgit pietate nitens, tegit ardua culmen
Iustitia, interius spargit sola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, & atria seruat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima se/
Accipit, æterno, cœlestiq́; hospite digna. (des
Nec nouus hic locus est fluxit mea gloria in artus,
Vt lux uera dei, deus illustrauit alumnam
Materiem, corpusq́; parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito ut possēt requiescere templo.
Condideram perfectū hominē, spectare superna
Mandaram, totis conuersum uiribus in me
Recto habitu, celsoq́; situ, & sublime tuentem:
Sed respexit humum, seq́; inclinauit ad orbis A
Diuitias, pepulitq́; meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet, submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, & edita limo
Viscera, diuinis uirtutibus informauit.
Iamq́; hominē assumptū summus deus in deitatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire uelim præcepta patris, quibus auribus hæc
Accipias, Italæ censor doctißime gentis. (tu
An ueterum tantum morem ratione relicta
Eligis, & dici id patitur sapientis acumen,
Ingeniumq́; uiri? potior mihi pristinus est mos,
Quàm uia iustitiæ, pietas quàm prodita cœlo,
Quamq́; fides ueri, rectæ quàm regula sectæ.

SYMMACHVS.

Suus cuiq; mos, suus cuiq; ritus est. Iam si longa ætas autoritatem religionibus faciat, seruanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter sequuti sunt suos.

PRVDENTIVS.

Si quicquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sanctè colere, ac seruare necesse est:
Omne reuoluamus sua per uestigia seclum
Vsq; ad principium, placeat damnare gradatim
Quicquid posterius successor repperit usus. B
Orbe nouo, nulli subigebant arua coloni,
Quid sibi aratra uolūt? quid cura superflua rastris?
Ilignis melius saturatur glandibus aluus.
Primi homines cuneis scindebant fißile lignum,
Decoquat in massam feruens strictura secures
Rursus, & ad proprium restillet uena metallum.
Induuias cæsæ pecudes, & frigida paruas
Præbebat spelunca domos, redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi feritate subacta
Edomiti, iam triste fremant, iterumq́; ferinos
In mores redeant, atq; ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate, uietum
Votiuo de ponte patrem, sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusq́; truces resonent uagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum, regalia fœno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem uilloso corpore gestent:
Talia Trinacrius ductor, uel Thuscus habebat.

Roma

A Roma antiqua ſibi non conſtat, uerſa per æuum,
Et mutata ſacris ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit ſub rege Quirino:
Inſtituit quædam melius, nonnulla refigit,
Et morem uariare ſuum non deſtitit, & quæ
Pridem condiderat iura, in contraria uertit.
Quid mihi tu ritus ſolitos Romane Senator
Obiectas? cùm ſcita patrum populiq; frequenter
In tabulis placiti ſententia flexa nouarit?
Nunc etiam quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritosq; habitus cultu damnare retenti.
Gaudemus compertum aliquid, tandemq; retectum,
" Quod latuit: tardis ſemper proceßibus aucta
" Creſcit uita hominis, & longo proficit uſu.
Sic æui mortalis habet ſe mobilis ordo,
Sic uariat natura uices: infantia repit,
Infirmus titubat pueri greſſusq; animusq;.
Sanguine præcalido feruet neruoſa iuuenta,
Mox ſtabilita uenit maturi roboris ætas,
Vltima conſilijs melior, ſed uiribus ægra,
Corpore ſuccumbit, mentem purgata ſenectus.
His genus humanum per diſſona tempora fluxit
Curriculis æuum mutabile, ſic hebes inter
B Primitias, merſumq; ſolo titubauit, & inſtar
Quadrupedis, pueri lactantia uiſcera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, iamq; artibus aptum
Noſcendis, uaria rerum nouitate politum eſt.
Inde tumens uitijs, calidos adoleuit in annos,
Donec decocto ſolidaret robore uires.
Tempus adeſt, ut iam ſapiat diuina, ſerenæ
Mentis conſilio, uiuacius abdita ſollers
Quærere, & æternæ tandem inuigilare ſaluti.
Quanquam ſi tantum ſtudium eſt, & cura uetuſti
Moris, & à priſco placet haud diſcedere ritu:
Extat in antiquis exemplum nobile libris,
Iam tunc diluuij ſub tempore, uel prius, uni
Inſeruiſſe deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, uacuoq; habitauit in orbe.
Vnde genus ducit noſtræ porrecta propago
Stirpis, & indigenæ pietatis iura reformat.
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
Sanguinis Hectorei populum, probo, tempore lõgo
Non multos coluiſſe deos, rariſq; ſacellis
Contentum, paucas poſuiſſe in collibus aras.
Innumeros poſt deinde deos uirtute ſubactis
Vrbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera uictoris, ſimulachra hoſtilia cepit,
Et captiua domum, uenerans ceu numina, uexit.
Hoc ſignum rapuit bimaris de ſtrage Corinthi,
Illud ab incenſis in prædam ſumpſit Athenis:
Quaſdam uicta dedit capitis Cleopatra canini Anubis
Effigies, quaſdam domitis Ammonis harenis, Aries cornib. ad terrã reflexis.
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plauſibus excepit, toties altaria diuûm
Addidit, & ſpolijs ſibimet noua numina fecit:
Numina, quæ patrijs cum mœnibus eruta, nullum
Præſidium potuere ſuis afferre ſacellis.
Cernis ut antiqui ſemper ueſtigia moris
Greßibus incertis uariè titubaße probentur?
Aſciſcendo deos maioribus incompertos?
Seq; peregrina ſub relligione dicaſſe?
Nec ritus ſeruaſſe ſuos? quodcunq; ſacrorum eſt
Exulat, æternamq; inimicum uênit in urbem. Roma vrbs æterna Ammianus Marcellinus.
Fruſtra igitur ſolitis praua obſeruatio in hæres.
Non eſt mos patrius quem diligis, improba, non eſt.
At ſollers orator ait: fataliter urbem
Sortitam, quónam Genio proprium exigat æuum.
Cunctis nam populis, ſeu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius, noſtrarum more animarum,
Quæ ſub diſparili ſubeunt noua corpora ſorte.

SYMMACHVS.

Varios cuſtodes urbibus mens diuina diſtribuit. Vt animæ naſcentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur.

PRVDENTIVS.

Iam primum qui ſit Genius, uel qui ſtatus illi
Competat, ignoro, & quid poßit, et unde oriatur
Spiritus informis, ſine corpore, formáue, an ulla
Sit ſpecies, & quid ſapiat, quæ munera curet.
Contrà, animas hominum uenis uitalibus intus
Sic interfuſas intelligo, ſanguis ut ex his
Accipiat, motumq; leuem tenerumq; uaporem.
Vnde pererratis uegetet præcordia membris,
Frigida ſuccendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis uitam ſibi temperat, atq; gubernat
Viuida mens, quam tu ficto componere tentas
Membrorũ Genio, qui nuſquã eſt, nec fuit unquã.
Quin & corporibus uerſat mens uiua regendis
Summum conſilium fida ut tutacula nudis,
Inualidiſq; paret, metuenda pericula uitet.

Vtile prospiciat, uarias agitetur ad artes,
Consultet cui se domino submittat, & orbis
Quem putat auctorem, quem rerũ summa sequatur.
At tuus hic urbis Genius, discas uolo, quando
Cœpit adhuc paruæ primùm se infundere Romæ.
Fluxit ab uberibus nemorosa in ualle lupinis,
Infantesq; aluit dum nascitur ipse gemellos?
An cum uulturibus uolitans ignota per auras
Vmbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia seruans,
Instituit mores, & iura forensia condit?
An castrorum etiam fossis interuenit? acres
Cogit ad arma uiros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ quis non uideat sapientum digna cachinno?
Fingamus tamen esse aliquam, quæ talia curet
Vmbram siue animam, per quam res publica fatum
Hauserit, & calidis animetur tota medullis:
Cur non hæc eadem de relligione colenda
Consultat? cur non prospectat libera cœlum?
Cur sibi præscriptum non commutabile fatum
Vt captiua putat, genesis cur uincula fingit?
Cur iam nolle licet, quod tunc uoluisse licebat,
Erroresq; abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis errauit circiter annis,
Lubricaq;, & semper dubitans, quæ forma placeret
Imperij, & quæ regnandi foret æqua potestas.
Regibus exortam iam tunc habuit status urbem,
Non sine grandæuis curarum in parte locatis,
Mox proceres de stirpe senum tractasse uidemus
Clauum consilij, plebeias inde cateruas
Collatas patribus mistim ditionibus æquis,
Imperitasse diu, belloq; & pace regendis.
Consule nobilitas uiguit, plebs fisa tribuno est.
Displicet hic subitò status, & bisquina creantur
Summorum procerum fastigia, quos duodeni
Circunstant fasces, simul & sua quenq; securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus, omnis
Publica res, & consulibus dat condere fastos.
Vltima sanguineus turbauit secla triumuir.
Fluctibus his olim, Fatum Geniusue, animúsue
Publicus errauit, tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atq; Senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor & idem
Dictator, censorq; bonus, morumq; magister,
Tutor opum, uindex scelerum, largitor honorum.

Quod si tot rerum gradibus toties uariatis A
Consilijs, ægre tandem peruenit ad illud
Quod probet, ac sancto reuerentia publica seruet
Fœdere, quid dubitat diuina agnoscere iura,
Ignorata prius sibimet, tandemq; retecta?
Gratemur, iam non dubitat, nam subdita Christo
Seruit Roma deo, cultus exosa priores,
Romam, dico uiros, quos mentem credimus urbis
Non Genium, cuius frustra simulatur imago.
Quanquam cur Geniũ Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios? perq; omnia membra
Vrbis, perq; locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria uacet angulus ullus ab umbra.
Restat ut & fatum similis dementia cunctis
Aedibus imponat, paries ut quisq; sub astro
Fundatus, structusq; suo, qua sorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis,
Asscribunt saxis, Lachesis malè fortia fila,
Tectorumq; trabes fusis pendêre rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis.
Ceu distet, cuius stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi, B
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Ad facinus cogunt, & ineuitabile mergunt.
Quin & uelle adigunt, prauum insinuantia uotum,
Ne liceat miseris uetitum committere nolle.
Cedite si pudor est, gladiumq; retundite uestrum,
Aspera nil meritos pœnis plectentia iura,
Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt, quod uiuitur, ac fit,
Immò nocens, quicunq; uolens, quod nõ licet, audet
Alterutrum quia uelle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse per amplum
Ingenium placitumq; nefas: & facta rependit
Impia supplicijs, merito, non sorte peremptus.
Quisq; putat fato esse locum, sciat omniparentem
Esse deum, nulli uetitum fallacibus astris,
Nec præscripto aliquo pellit pia uota mathesis.
Spirat enim maiora animus, seq; altius effert
Sideribus, transitq; uias, & nubila fati,

A Et momenta premit pedibus, quæcunq; putantur
Figere propoſitam natali tempore ſortem,
Huc ades omne hominũ genus, huc cõcurrite et
Lux immenſa uocat, factorẽ noſcite ueſtrũ, (urbes,
Libera ſecta patet, nil ſunt fatalia, uel ſi
Sunt aliqua, oppoſito uaneſcunt irrita Chriſto.

SIMMACHVS.

Accedit utilitas, quæ maxime homini deos aſſerit. Nam cũ ratio omnis in operto ſit, unde rectius quàm de memoria, atq; documẽtis rerum ſecundarum, cognitio uenit numinum?

PRVDENTIVS.

Sed multi duxere dei per proſpera Romam,
Quos colit ob meritũ magnis donata triumphis.
Ergo age bellatrix, quæ uis ſubiecerit ede
Europam, Lybiamq; tibi, dic nomina diuûm?
Iuppiter ut Cretæ domineris, Pallas ut Argis,
Cynthius ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
Iſis Nilicolas, Rhodios Cytheræa reliquit
Venatrix Epheſum uirgo, Mars dedidit Hebrum.
Deſtituit Thebas Bromius, conceſſit & ipſa
Iuno ſuos Phrygijs ſeruire nepotibus Afros,
B Et quam ſubiectis dominam dea gentibus eſſe
Si qua fata ſinant, iam tum tenditq;, fouetq;,
Iuſſit Romuleis addictam uiuere frenis.
Perfidiâne deûm indigenûm cecidere tot urbes?
Deſtructæq; iacent ipſis prodentibus aræ?
O pietas, ô ſancta fides traduxit alumnos
Maieſtas infida locos, & creditur iſtis
Numinibus, quæ transfugio meruere ſacrari?
An uoluit ſeruare ſuos, luctataq; multum
Relligio, infeſtas tentauit pellere turmas
Romanis obniſa globis? ſed fortior illam
Virtus luctifico camporum in puluere fregit?
Immò ita eſt, armis & uiribus, indiga ueri,
Victa ſuperſtitio eſt, & inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut ſatis ardua genti
Latæ ad procinctus uictoria frangere inertes,
Molliaq; omnigenûm colla inclinare deorum.
Nunc cum Dictæis bellum Corybantibus aſper
Samnitis, Marſusq; leui ſudore gerebat.
Nunc Maſtigophoris, oleoq; & gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Hetruſcus,
Nec petaſo inſignis, poterat Lacedæmone capta
Mercurius ſeruare ſuas de clade palæſtras.
Appenninicolam pediter, Cybeleius hoſtis
Congreſſu excipiens, Aſiam defendere & Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias niſi forte roſas, laurum cytharœdi
Vatis, Siluicolæ calamos, arcumq; puellæ
Dedere ſeruitio, calcataq; ſacra domare
Difficiliſq; operis fuit, immenſiq; laboris.
Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli
Aegypto dederat, clangebat buccina contrà.
Inſtar erant tenuis cymbæ, fragiliſq; faſeli,
Inter turritas Memphitica roſtra Liburnas,
Nil potuit Serapis deus, & latrator Anubis.
Stirpis Iuleæ ductore exercitus ardens
Præualuit, gelido quem miſerat Algidus axe,
Non armata Venus, nõ tunc clypeata Mineruа
Vexere auxilium, non diuûm degener ordo,
Et patrià extorris, Romanis affuit armis,
Victus & ipſe prius. inimca nec agmina iuuit,
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
Sed dicis legiſſe deos, ubi ſanctior uſus
Templorum, cultu celebris, ſine fine maneret,
Aeneadumq; ultro uictricia ſigna uirorum
Regis amore Numæ nullo cogente ſecutos.
Num Diomedis idem tentoria, & acris Vlyſſi
Caſtra uolens Pallas cæſis cuſtodibus, ultro
Legit, ubi humenti ſudaret mœſta ſigillo?
Aut quoties ductor Macedum fortiſſimus altos
Templorum cineres uictis cumulauit ab Indis:
Optarunt prædis domini ſe numina capta
Miſceri, Aſſyriaq; uehi Babylonis ab arce?
Non fero Romanum nomen, ſudataq; bella,
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.
Detrahit in uictis legionibus et ſua Romæ
Præmia diminuit, qui quicquid fortiter actum eſt
Aſſcribit Veneri palmam, uictoribus aufert.
Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadrijugos, ſtanteſq; duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos,
Sub pedibuſq; ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos, manibuſq; in terga retortis,
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco:
Si Brennũ, Antiochũ, Perſen, Pyrrhũ Mithridatẽ,
Flora, Matuta, Ceres, & Laurentina ſubegit.
His tamen auſpicibus ſucceſſus dextra dederunt
Omnia lætificos, & felix affuit ales.
Quid ſibi uult uirtus? quid gloria? ſi Coruinum

Coruus Apollineus penna, uel gutture iuuit?
Sed tamen hic coruus cur defuit exitiali
Forte die, infaustas tegerent cùm funera Cannas?
Oppeteretq; super congesta cadauera consul?
Cur Cremeræ in campis, cornice uel oscine parta,
Nemo deûm monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios, uix stirpe superstite in uno?
Nulláne tristificis Tritonia noctua Carrhis
Aduolitans, præsto esse deam prænuntia Crasso
Prodidit? aut Paphiam niueæ uexere columbæ?
Cuius inauratum tremeret gens Persica nimbum.
Sed uideo quæ te moueant exempla uetustæ
Virtutis, dices domitum terraq;, mariq;
Orbem, res lætas, & prospera quæq; retexis,
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductaq; per mediam spoliorum fercula Romam.
Vis dicam quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit? quis gloria fortibus aucta
Sic cluat, impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, & dissona cultu
Regna uolens sociare deus, subiungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordiq; iugo retinacula mollia ferre
Constituit, quô corda hominum coniuncta teneret
Relligionis amor: nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes:
Sola deum nouit concordia, sola benignum
Rite colit tranquilla patrem, placidißimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi.
Seditione fugat, sæuis exasperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roseoq; aurora illuminat ortu:
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armaratq; feras in uulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem deus, undiq; gentes
Inclinare caput docuit, sub legibus ijsdem,
Romanosq; omnes fieri, quos Rhenus, & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inūdat Iberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, et quos
Ganges alit, tepidiq; lauant septem ostia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in uincla redegit.
Viuitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Ciues congenitos concludat mœnibus unis
Vrbs patria, atq; omnes lare conciliemur auito.

Vera Romanæ monarchiæ ratio. quā reddit quoq; Eucherius Eps lugdunensis Epla parænetica ad Valerianū. 5. colūna. 91.

Distantes regione plagæ, diuisaq; ponto A
Littora, conueniunt nunc per uadimonia ad unum,
Et commune forum, nunc per commertia, & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad ius connubij, nam sanguine misto
Texitur alternis ex gentibus una propago.
Hoc actum est tantis succeßibus, atq; triumphis
Romani imperij: Christo iam tunc uenienti,
Crede parata uia est, quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
Nam locus esse deo, quis posset in orbe feroci,
Pectoribusq; hominum discordibus, & sua iura
Dißimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disiunctasq; animi turbato fœdere partes,
Nec liquida inuisit sapientia, nec deus intrat.
At si mentis apex regnandi iure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus, fibrasq; rebelles
Frenet, & omne iecur ratione coërceat una,
Fit stabilis uitæ status, & sententia certa
Haurit corde deum, domino & subiungitur uni.
En ades omnipotens, concordibus influe terris,
Iam mundus te Christe capit, quem congrege nexu
Pax et Roma tenent, capita hæc & culmina rerum B
Esse iubes, nec Roma tibi sine pace probatur,
Et pax ut placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus uarios simul & ditione coërcet,
Et terrore premit, nec enim spoliata prioris
Robore uirtutis senuit, nec secula sensit,
Nec tremulis cum bella uocant, capit arma lacertis,
Nec tam degeneri uenerandis supplicat ore
Principibus, quàm uult prænobilis ille Senator,
Orandi arte potens, & callida fingere doctus,
Mentitumq; grauis personæ inducere pondus.
Vt Tragicus cantor ligno tegit ossa cauato,
Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.

SYMMACHVS.

Romam nunc putemus aßistere, atq; his uobiscum agere sermonibus: Optimi principes, patres patriæ, reueremini aunos meos, in quos me pius ritus adduxit. Vtar ceremonijs auitis, neque enim pœnitet: uiam more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges me as orbem redegit, hæc sacra Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ego seruata sum, ut longæua reprehendar?

A hendar? uideam quod destruendum puta tur? Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo dijs patrijs, dijs indigetibus pacem rogamus.

PRVDENTIVS.

Si uocem simulare licet, nempe aptior ista
Vox Romæ est, quã nunc eius sub nomine promã,
Quæ quia turpe putat templorum flere repulsam,
Aegidaq́; in dubijs pro se pugnasse periclis
Dicere, seq́; grauem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic læta profatur:
O' clari saluete duces, generosa propago
Principis inuicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, uidiq́; meam flauescere rursus
Canitiem: nam cùm mortalia cuncta uetustas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit æuum,
Quæ uiuendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc iusta meis reuerentia competit annis.
Nunc meritò dicor uenerabilis, & caput orbis,
Cùm galeam sub fronde oleæ, cristasq́; rubentes
Concutio, uiridi uelans fera cingula serto,
Atq; armata deum sine crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget, heu, crimen persuaserat atrox
B *Iuppiter, ut sacro iustorum sanguine tincta,*
Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu, primus Nero matre perempta
Sanguinem apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi sæuus inußit.
Post hunc & Decius, iugulis bacchatus apertis
Insanam pauit rabiem, mox & sitis arsit
Multorum similis, per uulnera tristia flagrans,
Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis,
Vndantesq́; meum in gremium diffundere mortes,
Et sub iure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modò tẽpora uestra piarũt,
Viuo piè uobis auctoribus, impia pridem
Arte Iouis fateor, quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi, placidúmue poposcit?
Qui dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæuijt, ac miserum fœdauit sanguine seclum.
Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquã templorũ spreuimus aras,
Affirmentq́; Libyn Collinæ à cardine portæ
Hannibalem Iouis imperio, Martisq́; repulsum.
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cùm super excelso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritã cladem, ueteresq́; dolores
Inculcant iterum: uideant me tempore uestro
Iam nil tale pati, nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit, non armis, ueste, comisq́;
Ignotus, capta paßim uagus errat in urbe,
Transalpina meam rapiens in uincula pubem.
Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio ueniens iuratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, mastrucis proceres uestire togatos.
Iamq́; ruens, Venetos turmis protriuerat agros,
Et Ligurum uastarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Thuscumq́; solũ uicto amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum, non peruigil anser,
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli:
Sed uis cruda uirûm, præfractaq́; congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere letho
Pro patria, et pulchrã per uulnera quærere laudẽ.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auspice tantum
Virtutis pretium? dux agminis, imperijq́;
Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atq; parens Stilico deus unus Christus utriq;,
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inscripta cecinere tubæ, prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent, mirabere seris
Posteritas seclis inhumata cadauera latè,
Quæ pollentinos texerunt oßibus agros.
Si potui, manibus Gallorum excisa, leuare
De cinerum squallore caput, & redeunte Camillo
Signa renitenti fumans si fronte recepi:
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et malè pendentes lauro præcingere turres,
Quo te suscipiam gremio fortißime princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis?
Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera, & auretenus Geticos experta tumultus.
Scande triumphalem currum, spolijsq́; receptis
Huc Christo comitante ueni, data uincula demam
Captiuis gregibus, manicas deponite longo
Tritas seruitio matrum, iuuenumq́; cateruæ.
Dediscat seruire senex laris exul auiti,

Discat & ad patrium limen genitrice reuersa
Ingenuum se nosse puer, timor omnis abesto.
Vicimus, exultare libet, quid tale repulso
Pœnorum quondam duce contigit? ille petitæ
Postquàm pertulerat tremefacta repagula portæ:
Baianis resolutus aquis durißima luxu
Robora destituit, ferrumq́; libidine fregit.
At noster Stilico congressum cominus ipsa
Ex acie ferrata uirum dare terga coēgit.
Hic Christus nobis deus affuit, & mera uirtus,
Illic lasciuum Campania fertilis hostem
Deliciæ uicere tuæ: non Iuppiter acrem
Protexit Fabium, sed iuuit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependā
Non habeo, membra statuis effingere uile est,
Virtutem nil uile decet: nam uile, quod ætas
Eripit: æra cadunt, aut fuluum defluit aurum,
Aut candor perit argenti, si defuit usus,
Et fuscata situ corrumpit uena colorem.
Viua tibi princeps debetur gloria, uiuum
Virtutis precium, decus immortale sequuto,
Regnator mundi Christo sociabere in æuum,
Quo ductore meum trahis ad cœlestia regnum.
Nil te permoueat magni uox Rhetoris oro,
Qui sub legati specie, sacra mortua plorans,
Ingenij telis, & fandi uiribus audet
Heu nostram tentare fidem, nec te uidet, ac me
Deuotos Auguste deo, cui sordida templa
Clausimus, & madidas sanie deiecimus aras.
Vnus nostra regat, seruetq́; palatia Christus.
Ne quis Romuleas dæmon iam nouerit arces,
Sed soli pacis domino mea seruiat aula.
Sic effata pios Roma exorauit alumnos,
Spernere Legatum non admittenda petentem,
Legatum Iouis ex adytis ab aruspice missum,
At non à patria patriæ, nam gloria Christus.
Persistit tamen affirmans, iter esse uiandi
Multifidum uariumq́;, deus cùm quæritur unus,
Hinc alios, ast inde alios properare seorsim,
Quemq́; per anfractus proprios, sed cōpita eodē
Fine coarctari, simul & concurrere in unum,
Quin etiam cœlum, atq; solum, uētos, mare, nubes
Omnibus in commune dari, uel qui colimus te
Christe, uel exta litant sculptis qui tabida saxis.

SYMMACHVS. A

Aequum est, quicquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem nos mundus inuoluit. Quid interest qua quisq; prudentia uerum requirat: uno itinere non potest perueneri ad tam grande secretum.

PRVDENTIVS.

Non ego communem cunctis uiuentibus usum
Aēris, astrorum, pelagi, telluris & imbris,
Immò etiam iniustus pariter, iustusq́; sub uno
Axe habitant: unas capit impius, & pius auras
Castus, & incestus, meretrix, & nupta, nec alter
Ore sacerdotis, quàm mirmillonis anhelat
Spiritus, aërio uitam qui temperat haustu.
Nubes uerna pluit zephyro impellente, sed æque
Furis, & innocui fœcundat rura coloni.
Gurgitis æstiui sic pura fluenta uiator,
Vt latro fessus adit, sic pirantæ mare seruit,
Vt mercatori: nec fluctus secius hosti
Obsequitur, quàm cū dominæ fert trāstra carinæ.
Ergo capax utriusq; rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet discernere dispar
Viuentum meritum, quos tantùm pascere iussa est.
Seruit enim mundus, non iudicat: hoc sibi summus
Naturæ dominus præscripta in tempora seruat.
Nunc assunt homini data munera legibus ijsdem B
Quîs concessa semel, fons liquitur, amnis inundat,
Veliuolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura uolat tenuis, uegetatur mobilis aēr,
Et res naturæ fit publica, promptaq́; cunctis,
Dum seruant elementa suum famulantia cursum:
Sic probus, atq; reus capitalis criminis ijsdem
Sideribus, facilisq́; poli bonitate fruuntur.
Viuere cōmune est, sed nō commune mereri. (nus,
Deniq; Romanus, Dea, Sarmata, Vādulus, Hu-
Getulus, Garamas, Alemanus, Saxo, Galaulas,
Vna omnes gradiūtur humo, cœlū omnibus unum
Vnus & Oceanus, nostrū qui continet orbē. (est,
Addo aliud, nostros potant animalia fontes.
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris.
Sordida sus nostro amne natat, nostra intrat et ip/
Aura canes, animatq́; leui fera corpora flatu. (sos
Sed tantùm distant Romana, et Barbara, quantùm
Quadrupedes bipedi abiunctæ, mutæ'ue loquēti:
Quantùm etiam qui rite dei præcepta sequuntur,
Cultibus à stolidis, & eorum erroribus absunt.

Non

A Non facit ergo pares in relligione tenenda
Aëris & cœli communio, corpora tantum
Gignit, alit, reparat, rediuiuaq; ſemina ſeruat.
Nec refert cuius generis, cuiúſue figuræ,
Aut cuius meriti, modò ſint ut corpora terræ
Edita terrenis quibus eſt uigor ex elementis.
Artificis quia patris opus diſcrimine nullo
Influit in medium, nec auaro munere currit,
Antè datũ, quàm primus homo ſordeſceret Adam.
Nec uitio utentum reſtrictum deficit, aut ſe
Subtrahit indignis, nec fœda & turpia uitat.
Haud aliter ſolis radius, cùm illuminat omnes
Diffuſo ſplendore locos, ferit aurea tecta,
Sed ferit & nigro ſordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara, ſed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clauſi
Stercoris & ſpurcam redolenti fornice cellam.
Sed non illud erunt obſcura ergaſtula, quod ſunt
Regia gemmato laquearia fulua metallo.
Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
Quærunt, ac tumulis, & laruas ſanguine placant:
Quòd ſunt qui ſummum cœli dominum uenerãtur,
Iuſtitiamq; litant, & templum pectoris ornant.
B Secretum ſed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quàm ſi ſparſis uia multiplicetur
Tramitibus, ſi centenos terat orbita calles
Quæſitura deum uariata indage latentem.
Longè aliud uerũ eſt, nam multa ambago uiarum,
Anfractus dubios habet, & perplexius errat:
Sola errore caret ſimplex uia, neſcia flecti
In diuerticulum, biuijs nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter geminis mortalia partibus ire,
Cùm dubitant, quónam ferat ignorantia greſſum.
Altera multifida eſt, at ſimplex altera, & una:
Vna Deum ſequitur, diuos colit altera plures,
Et tot ſunt eius diuortia, quot templorum
Signa, quot aërijs uolitant phantaſmata monſtris.
Aut hos thyrſigeri rapit ad Dionyſia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia feſta,
Aut docet occultus quæ ſacra Dieſpiter infans,
Inter tinnitus ſolui ſibi poſcat ahenos.
Iamq; Lupercales ferulæ, nudiq; petuntur
Diſcurſus iuuenum, Megaleſius hinc ſpado diris
Incenſus furijs, cæca ad reſponſa uocatur.
Sunt qui quadriuijs breuioribus ire parati
Vilia Niliacis uenerantur holuſcula in hortis,
Porrum & cepe deos imponere nubibus auſi,
Alliaq;, & Serapin cœli ſuper aſtra locare.
Iſis enim, & Serapis, & grandi Simia cauda,
Et Crocodilus id eſt, quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile deos colis, & tu Tibris adoras.
Vna ſuperſtitio eſt, quamuis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebroſis tecta frutetis,
Semita, quam pecudes, & muta animalia carpunt,
Quæq; latent ſiluis: operitur neſcia cœli
Mens hominum, ſæuo uiuens captiua tyranno:
Hæc putat eſſe deum nullum, nanq; omnia uerti
Caſibus, & nullo ſub præſide ſecla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno diſcrimine diſtat
Hiſce uijs, quas uos teritis, qui numina multa,
Et portenta, deum ſummum, numeroſa putatis.
Simplicis ergo uiæ dux eſt deus, ille per unam
Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipſe
Sublimem dextro celſam ad faſtigia cliuo.
Prima uiæ facies, inculta, ſubhorrida, triſtis,
Difficilis, ſed fine ſui pulcherrima, & amplis
Prædita diuitijs, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos poſſit penſare labores.
Multiplici dæmon ſed adeſt, qui morte ſiniſter
Centifidum confundit iter, trahit inde ſophiſtas
Barbatos, trahit hinc opibus, uel honore potentes,
Illicit & uolucrum linguis, & aruſpice fallit,
Inſtigat bacchantis anus ambage Sibyllæ,
In magicas artes trahit, inuoluitq; matheſin,
Omine ſollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis ut una uia eſt, multis anfractibus errans,
Talem paſſa ducem, qui non ſinat ire ſalutis
Ad dominum, ſed mortis iter per deuia monſtrat?
Deuia, picta bonis breuibus, ſed fine ſub ipſo
Triſtia, et in ſubitam præceps immerſa charybdim.
Ite procul gentes, conſortia nulla uiarum
Sunt uobis cum plebe dei, diſcedite longè,
Et ueſtrum penetrate chaos, quò uos uocat ille
Præuius infernæ perplexa per auia noctis.
At nobis uitæ dominum quærentibus, unum
Lux iter eſt, & clara dies, & gratia ſimplex.
Spẽ ſequimur, gradimurq; fide, fruimurq; futuris,
Ad quæ non ueniunt præſentis gaudia uitæ,
Nec currunt pariter capta, & capienda uoluptas.

SYMMACHVS.

Quanto commodo ſacri ærarij ueſtri Veſtalium uirginum prerogatiua detracta eſt? ſub largiſsimis Imperatoribus denegatur, quod parciſsimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt, in illo uelut ſtipendio caſtitatis. Vt uittæ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur ſacerdotij uacare muneribus. Nemo me putet ſolá cauſam religionũ tueri. Ex eiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta humani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Veſtales uirgines, ac miniſtros deorum uictu modico, iuſtisq; priuilegijs. Stetit muneris huius integritas uſque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem uilium baiulorum, ſacrę caſtitatis alimenta uerterunt. Sequuta eſt hoc fames publica, et ſpé prouinciarum omnium meſsis ægra decepit. Non ſunt hæc uitia terrarum, nihil imputemus aſtris, nec rubigo ſegetibus obfuit, nec auena fruges necauit, ſacrilegio annus exaruit: neceſſe enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Quid tale proaui pertulerunt, cùm religionum miniſtros honor publicus paſceret? commendabat enim terrarum prouétus, uictus antiſtitum, et remedium magis quàm largitus erat. An dubium eſt pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium uendicauit?

PRVDENTIVS.

Vltima legati defleta dolore querela eſt,
Palladijs quòd farra focis, uel quòd ſtipis ipſis
Virginibus, caſtisq; toris alimenta negentur,
Veſtales ſolitis fraudentur ſumptibus ignes:
Hinc ait & ſteriles frugeſcere rarius agros,
Et triſtem ſeruire famem, totumq; per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta extiterit præſenti tempore, tamq;
Inuidioſa fames, quæ Triptolemi, Cererisq;
Mouerit ira penu pro uirginis ulciſcendo,
Non memini, nec tale aliquid uel fama ſuſurrat.
Audio per Pharios Nilum diſcurrere campos
More ſuo, airidisq; ſata ſtagnare Canopi:
Haud ueniat ſicco qui flumine nuntius affert
Ieiunam ſquallere ſiti ſub puluere Memphim,
Nec Peluſiacæ limum ſudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit? & tenuem uix ſtillat uena liquorem? A
Num refugus noſtras odit perſtringere ripas
Amnis, & exuſtos curſum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus uorat alueus undam
Fluminis, & ſubitò ſtagna abſorbentur hiatu?
Ne ſulcos operire uadis, ne 'ue arida poßint
Aegypti per plana trahi: glebasq; rigentes
Infuſis ad pingue lutum mollire fluentis:
Vnde ſeges latè crinitis fluctuet agris,
Denſius & grauidis ſe ueſtiat æquor ariſtis.
Reſpice num Libyci deſiſtat ruris arator
Frumentis onerare rates? & ad oſtia Tibris
Mittere triticeos in paſtum plebis aceruos?
Númne Leontini ſulcator ſoluere campi
Ceſſet frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det uela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congeſta uehens granaria claßis.
Ergo piris menſas ſilueſtribus implet arator
Pœnus, & auulſas Siculus depaſcitur herbas.
Iamq; Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, iam corna cibus lapidoſa Quiritum?
Quis uenit eſuriens magni ad ſpectacula Circi?
Quæ regio gradibus uacuis ieiunia dira
Suſtinet? aut quæ Ianiculo mola nota quieſcit? B
Quantos quæq; ferat fructus prouincia, quamq;
Vbere fœcundo largè fluat orbis opimus:
Inditio eſt annona, tuæ quæ publica plebi
Roma datur, tantæq; manus longa ocia paſcit.
Sit fortaſſe aliquis paulò infœcundior annus,
Nil mirum, nec in orbe nouo didicere priores,
Perpeßi plerunq; famem, ſi tabidus aër
Siccauit tenues ardenti ſidere nubes,
Nec uernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge noua, & uiridis ſi meßis adulta, priuſquàm
Conceptas tenero ſolidaret lacte medullas,
Afflatum calido ſuccum contraxit ab euro,
Ieiunosq; tulit calamos, atq; irrita uota
Agricolæ, ſterilis ſtipularum ſilua fefellit.
His (ni fallor) ager uitijs corruptus, & ante
Subiacuit, quàm Palladium, quàm Veſta, Penates
Sublare Pergameo ſeruarent igne repoſto:
Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quàm uirgo ſuas fundaret Athenas
Pallas, in his quomodo Veſtalis origo fauillæ
Vrbibus, ut memorant, primo de fomite ſumpta eſt,
Sacraruntq; focos, aut Phryx, aut Graius alũnos?

Antiquis

A Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerunq; feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex uitio, nunc culpam uere tepenti
Post zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustumq; caput culmi fuligine tingit.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis nimijsq; perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram.
Mox eiecta solo glacie fidente superfit,
Nudaq; subducto radix auellitur aruo:
Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens.
Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor,
Temperies effusa minus, uel plus, agit istos
Terrarum morbos, & mundum uulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In uitium plerunq; cadit, nec in ordine recto
Perstat, & excessu moderaminis, afficit artus:
Vnus enim status est, mundiq;, & corporis huius,
Quod gerimus, natura eadem sustentat utrunq;.
Edita de nihilo crescunt, nihilumq; futura,
Aut titubant morbis, aut tempore uicta senescunt.
B Nec natura caret uitio, cui terminus instat.
Semper crede polus uarijs prouentibus annos
Texuit, hoc multa ditauit fruge fluentes.
Quosdam infelices astris damnauit iniquis,
Spe cassa & sterili, curam frustratus agrestem.
Sed si Vestales ulciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolûm tantum populatur agellos,
Per quos uirginibus uestris stata dona negantur?
Vtimur & ruris reditu, & ratione colendi,
Exercere manus non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, uel gallinæ pulmone rogare
Frangitur, & nullis uiolatur terminus extis,
Et quæ fumificas arbor uittata lucernas
Seruabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est, aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperat aut pluuius qui culta noualia uentus.
Sed nec magno opus est frugi uiuentibus, & cum
Maxima proueniunt, non amplo in gaudia sensu
Soluimur, inq; lucrum studio exultamus auaro.
Nam quibus æternum spes informatur in æuum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O felix nimium sapiens, & rusticus idem,
Qui terras, animumq; colens, impendit utrisq;
Curam peruigilem: quales quos imbuit auctor
Christus, & assumptis dedit hæc præcepta colonis:
Semina cum sulcis committitis, arua cauete
Dura, lapillorum acie, ne decidat illic,
Quod seritur, primo quoniam præfertile germen
Luxuriat, succo mox deficiente sub æstu
Sideris igniferi sitiens torretur, & aret.
Neue in spinosos incurrant semina uepres:
Aspera nam segetem surgentem uincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne iacta uiæ spargantur in aggere grana,
Hæc auibus, quia nuda patent, paßimq; uorantur,
Immundisq; iacent fœda ad ludibria coruis.
His deus agricolam confirmat legibus, ille
Ius cœleste patris non summa intelligit aure.
Sed simul & cordis segetem disponit, & agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu.
Quin cum læta suas ostentant iugera messes:
Extirpamus enim sentos de pectore uepres,
Ne uitiosa necent germen uitale flagella,
Ne frugem segetemq; animæ, spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis ieiunis siccet harenis
Marcentem sub corde fidem, ne pectoris æstus
Flagret, & effœtis urat charismata uenis.
Deniq; ne iecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura deûm, ne spem qua uescimur intus
Deserat, obscœnisq; auibus permittat edendum,
Et proiecta fides hosti sit præda uolucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum reddit fructus, quibus acrius instat,
Nec metuit, ne congestum populetur aceruum
Gurgulio, uel nigra cauis formica recondat.
Sunt & uirginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, & sancto tectus uelamine uultus,
Et priuatus honos, nec nota & publica forma,
Et raræ tenuesq; epulæ, & mens sobria semper,
Lexq; pudicitiæ uitæ cum fine peracta.
Hinc decies seni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur. fraus terris uoluitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit uirginitatis honestas,

Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primùm paruæ teneris capiuntur in annis,
Ante uoluntatis propriæ quàm libera secta
Laude pudicitiæ feruens, & amore deorum,
Iusta maritandi condemnat uincula sexus.
Captiuus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miseris, sed adempta uoluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla toris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amissas suspirat fœmina tædas.
Tum, quia non totum spes salua interficit ignem,
Nam resides quandoq; faces adolere licebit,
Festaq; decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præscripto membra intemerata requirēs:
Tandem uirgineam fastidit Vesta senectam.
Tum thalamis habilis tumuit uigor, irrita nullus
Fœcundauit amor materno uiscera partu.
Nubit anus ueterana sacro, perfuncta labore,
Desertisq; focis, quibus est famulata iuuentas,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit & in gelido noua nupta tepescere lecto.
Interea dum torta uagos ligat infula crines,
Fatalesq; adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias ut publica pompa plateas,
Pilento residens molli, seq; ore retecto
Imputat atonitæ uirgo spectabilis urbi,
Inde ad consessum caueæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum uisura cruentos
Congressus, mortesq;, & uulnera uendita pastu
Spectatura sacris oculis, sed & illa uerendis
Vittarum insignis phaleris, fruiturq; lanistis.
(O tenerum, mitemq; animum) consurgit ad ictus,
Et quoties uictor ferrum iugulo inserit, illa
Delitias ait esse suas, pectusq; iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi:
Ne lateat pars ulla animæ uitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense sequutor.
Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias, Latij pro maiestate palatij,
Quod redimunt uitam populi, procerumq; salutē,
Perfundunt quia colla comis bene, uel bene cingunt
Tempora tæniolis, & litia crinibus addunt.
Et quia supter humum lustrales tristibus umbris
In flammam iugulant pecudes, et murmura miscēt.
An quoniam podij meliore in parte sedentes,
Spectant æratam faciem, quam crebra tridente
Impacto quatiant hastilia, saucius & quam A
Vulneribus patulis partem perfundat harenæ?
Cùm fugit, & quanto uestigia sanguine signet.
Quod genus ut sceleris iā nesciat aurea Roma,
Te precor Ausonij dux augustißime regni,
Et tam triste sacrum, iubeas, ut cætera, tolli.
Perspice, nónne uacat meriti locus iste patrrni?
Quem tibi supplendum deus, & genitoris amica
Seruauit pietas, solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi nate reseruo,
Dixit, & integrum decus, intactumq; reliquit.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam,
Quodq; patris superest, successor laudis habeto.
Ille urbem uetuit taurorum sanguine tingi,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in urbe cadat, cuius sit pœna uoluptas,
Nec sua uirginitas oblectet cædibus ora.
Iam solis contenta feris infamis harena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit deuota deo, sit tanto principe digna,
Et uirtute potens, & criminis inscia Roma,
Quemq; ducem belli sequitur, pietate sequatur.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS ODA, OPERVM reliquorum conclusio.

Versus primus est iambicus, trimeter, alter trochaicus trimeter, catalectus: uterq; hoc modo.

∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – ∪ – ∪ –

Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conscientiæ,
Quibus beata mens abundat intus,
Alter & pecuniam
Recidit, unde uictitent egeni:
Nos citos Iambicos
Sacramus, & rotatiles Trochæos
Sanctitatis indigi.
Nec ad leuamen pauperum potentes:
Approbat tamen deus
Pedestre carmen, & benignus audit.
Multa diuitis domo
Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus,
Nec ære desit expolita peluis,
Est & olla fictilis,
Grauisq; & ampla argentea est paropsis,
Sunt eburna quæpiam.

Nonnulla

A Nonnulla quercu sunt cauata, & ulmo,
Omne uas fit utile.
Quod est ad usum congruens herilem,
Instruunt enim domum.
Vt empta magno sic parata ligno,
Me paterno in atrio,
Vt obsoletum uasculum caducis
Christus aptat usibus,
Sinitq; parte in anguli manere
Munus ecce fictile.
Inimus intra regiam salutis
Attamen uel infimam
Deo obsequelam praestitisse prodest.
Quicquid illud accidit,
Iuuabit ore personasse Christum,
Quo regente uiuimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS ADUERSUS MARCIONEM,

LIBER PRIMVS.

Impietas profunda mali, mēs inuida uitae,
Seductos homines spe postq̄ cepit inani,
Nudauit, suadēdo nefas, sibi credere falsū
Non impune quidem. facti nam protinus ille
Vt reus, & tanti sceleris temerarius auctor
Accepit maledicta merens: sic post ea demens
Amplius aggressus, desperatissimus hostis,
Infudit mentes hominum caligine mersas,
Oblitos Dominum, docuit spem linquere certam,
Idola uana sequi, turbam sibi fingere diuûm:
Sortes, auguria, stellarum nomina falsa,
B Nascentum geneses constringere, posse uideri
Extorum inspicijs, resq; expectare futuras,
Terribilis magicae refugarum audacia ductos
Confictam molem, mirantes spernere uitam
Impulit in praeceps, scelerata insania mersos,
Sanguine gaudentes, homicidia saeua minari,
Corpore in alterius tunc carnis uulnus amare:
Ardentes etiam, calida dulcedine captos,
Foedera naturae transcendere, corpora munda
Complexu infando sexum maculare uirilem,
Foemineos usus uulgi contamine mixtos
Illicitos castosq; sinus, generiq; dicatos,
In coitum obscoenum pro luxu suasit haberi,
Talia praeterito grassatus tempore gessit
Per latebras animae, sepis manante ueneno,
Non quia culparent homines: nam sponte secuti,
Ille dolo suasit, homo libertate peregit.
Haec dum continuò per secula perfidus halat,
Consiliumq; suum seductis cordibus infert,
Sperans (heu) scelerisq; uiam, se stultus habere.
Ignarus qualis maneat sententia facti:
Turba prophetarum tectis sapientia uerbis
Spiritu deq; Dei praesaga uoce loquentum
Publicè non audens Dominum maledicere nudè,
Secreto ingenio sperans se posse latêre:
Tandem lux animae carnis captiua tenetur,
Desperatorum certat spes fortior hoste.
Ipse figurator, renouator corporis ipse,
Gloria uera patris, Dei filius, unicus auctor,
Iudex & dominus uênit, rex inclitus orbis,
Oppressis ueniam dare promptus, soluere uinctos.
Cuius amicitiae auxilio patientia poenae,
Et Deus & renouatus homo miscetur in unum,
Virgo sancta parit, patefit noua ianua uitae
Dicta prophetarum factis impleta probantur.
Templa sacerdotes linquunt, stellae quoq; ductu
Mirantur Dominum, tantum secernere partum.
In uinum uertuntur aquae, memorabile uisu:
Lumina redduntur caecis, iussuq; trementes
Daemones expulsi clamant, Christumq; fatentur.
Omnia sanantur uerbo iam tabida membra,
Iam graditur claudus, surdus spem protinus audit,
Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus:
Fit mare tranquillum iussu, uentiq; quiescunt.
Omnia cognoscunt Dominum: confunditur hostis,
Iamq; triumphatus, ferus armis pâret iniquis
Omnia cùm reuocata uidet, quae ceperat ipse
Cladis in interitum, mersam iam surgere carnem,
In coelos hominem deuicta morte leuari,
Signari populos, effuso pignore sancto,
Mirandae uirtutis opus, inuisaq; facta:
Audit & extremas flammarum in gurgite poenas
A' Domino sibi, per[illegible]tuas tenebrasq; paratas,
(Irreuocata Dei sententia) nudus, inermis,
Damnatus, uictus, periturus morte perenni,
Iam reus, & nullam ueniam se certus habere:
Protinus extremum nefas ausus, spargere passim

Auribus horrendum uerbũ, neque uoce loquẽdum.
Abiectos à plebe Dei, sine luce uagantes,
Inuentos sine mente uiros, terrena sequentes,
Aggressus praui prauos decet esse magistros:
Prædicat his duos esse patres, diuisáq; regna:
Esse mali causam Dominum, qui condidit orbem,
Quiq; figurauit carnem spiramine uiuam,
Quiq; dedit legem, & uatum qui uoce locutus,
Hunc negat esse bonum: iustum tamen esse fatetur.
Crudelem, durum, belli cui sæua uoluptas,
Iudicio horrendum, precibus mansuescere nullis,
Esse alium suadens, nulli qui cognitus unquam,
Qui non est usquam, falsum sine nomine nomen,
Constituens nihil, & nulla præcepta locutus:
Hunc ait esse bonum, nullum qui iudicat, æquè
Sed parcit cunctis, uitam non inuidet ulli,
Iudicium negat esse reis, dulciq; cruentum
Circumfert miseris mixtum cum melle uenenum.
Surgere posse negat carnem, cui causa ruinæ
Ipse fuit, quam contemptam spoliauit iniquè:
Propterea maledictus habet sine fine dolorem,
Hostis huic semper, uario quia uulnere uitam
Nititur excutere, &, de qua ruit ipse, salutem.
Inq; hoc & Christum terris uenisse repentè,
Sed nulla socium carnis compagine factum,
Spiritus at forma, & fictum sub imagine corpus,
Fallere uult homines, quod non est, esse uideri.
Hoc decet ergo Deum caligine ludere suasos,
Mentiri nephas, aut hominem se dicere falso?
Portatur, graditur, uestitur, rite quiescit,
Tractatur, patitur, suspenditur & sepelitur,
Omnia sunt hominis, quæ sancto in corpore uersis
A' patre deo uero missus, qui cuncta creauit,
Perfecit propriè, sua, non aliena requirens.
Cognitus ipso opere, populis sperantibus olim,
Perq; prophetarum uocem notissimus orbi:
Et nunc errantem manifesto in limine mortis
Ignotum Dominum quærunt, notumq; relinquunt.
Quorum falsa fides, falsus Deus, irrita merces,
Falsa resurrectio, mortis deuictio falsa,
Martyria & uacua, & Christi quoq; nomẽ inane,
Quem magicæ nebulæ similem uenisse docentes,
Mendacem facti dementes esse fatentur:
Nequidquã passum, populum sine crimine fictum.
Sic uerax Deus, hi Domino referuntur honores?
Heu miseri, gratis ingrata morte perempti,
Qui cæco duce præcipites in fossa ruistis, A
Et uelut in somnis thesauri munere diues
Exultat, manibusq; tenet, spe lusus inani:
Decepti, uacuam speratis muneris umbram.
Ab tacidi rictus, funestáue præda draconis,
Speratis pro pace truces homicidia blanda,
Audetis culpare Deum, qui tanta creauit?
In cuius terris, nimia pietate profusa,
Immemores, largè laudatis dona ruentes,
Ipsum factorem reprobatis, facta probantes,
Artificem mundi, cuiúsne opus estis & ipsi?
Qui uobis magnos paruis donauit honores,
Proseuit fruges, animalia cuncta subegit,
Tempora qui certis fœcundat mensibus anni
Dulcores, potus uarios, pingues & odores,
Iucundos flores, nemorúmq; umbracula grata,
Mirificos tribuit succos pubentibus herbis,
Fontes & fluuios diffundit dulcibus undis,
Sideribus cœlum, totúmq; illuminat orbem,
Immensus solus Dominus, iustusq;, bonusq;,
Cognitus ex opere, aspectu non cognitus ulli:
Quem stultæ, quamuis gentes errore copertæ,
Florentes opibus, alieno nomine laudent,
Factoremq; tamen gnari culpare uerentur. B
Nec quisquam tantũ, nisi uos, noua porta gehẽnæ,
Ingrati eligitis dominum maledicere uestrum,
Hæc uobis per Marcionem, cerdone magistro,
Terribilis refuga attribuit fera munera mortis.
Nec uenit in mentem, quòd uos à nomine Christi
Seductos, ad Marcionis tulit infima nomen.
Dicite, de multis quid uobis displicet unum?
Quidue Deus fecit, quod non sit laude uehendum?
Aut illud: quod uos nimium patientia larga
Indignos, dulcem permittit cernere lucem?
Qui legitis uera, et concisa ea falsa docetis,
Quæ sunt postq; futura, prius hæc facta probatis.
Aut incredibile, quid differt credere uestrum?
Nimirum si uos uersutus cepit inermes,
Persuadens duos esse patres, damnatus ab uno,
Esse deos, qui principiò seduxerat omnes:
Post ea multiplici manantem uulnere pestem
Distribuit multis, & inemendabile crimen,
Infandos omni magicæ dementia plenos
Peruasit sese uirtutem dicere summam.
Fingere cum meretrice, nefas peragrare, uolare
Nanque Valentino Deus est insanus, et æuo

Triginta

A Triginta tribuit coelos, patremq; Profundum,
Bis docuit tingi transducto corpore flamma.
Tantos esse deos Basiliden credere iussit,
Quantos & dies annus habet: tot denique mundo
Marcio pernumeros argumentatus acutè,
Tradidit in magicæ formam uiolare pudicam
Offerri calicem precibusq; in sanguine uerti.
Hebioni Christum suasit de semine natum,
Et circuncidi docuit, legiq; uacare,
Fontibus amissis elementa resumere legis.
Extremum facinus uerbis extendere nolo,
Aut omnes causas, aut nomina dicere cuncta.
Est per pauca satis crudelia multa notare,
Infandosq; homines atq; organa sæua draconis,
Per quos nunc tantum sceleris sine teste locuti,
Semper factorem mundi culpare laborant.
Sed reuocare pedem sæui latronis ab antro,
Dum spatium detur, & patiens pietate perennis
Facta per errorem miseris Deus omnia donat.
Credite uerò patri uero, qui condidit orbem,
Verum qui Dominum misit renouare ruinam
Imparibus legi, peccati in gurgite mersis,
Per uates olim promissam afferre salutem.
B Qui mandata dedit, hic et peccata remittit.
Exigit hic aliquid meritò, quia credidit antè
Aut donat largè Dominus, quasi debita seruis.
Deniq; conlusos populos pœnamq; merentem
Delecto elogio cunctos iubet ipse lauari.
Ergo totus homo credit, totusq; lauatur.
Abstinet aut patitur pro nomine uulnera uerè,
Verus surgit homo, uerè mors uita silebit
Sed non pars hominis anima, sua parte relicta,
Percipiet palmam, socia quam carne laborans
In stadio luctata, simul coniuncta meretur.
Grande nefas, portare duos per uincula pondus,
Quorum sit locuples unus, atq; alter egenus:
Et miserum sperni, felici præmia reddi.
Non facit hoc iustus, mercedis redditor æquus,
Et bonus & diues, quem credimus omnia posse,
Suauis in ingratos, miserendi plena uoluntas.
Quin potius, cui maior inest mortalis egestas,
Possit ut æquari, socio prælatus, id ultro
Quicquid eget, tribuet locuples: sic credere iussum.
Nec uelle illicitè Dominum culpare docendo
Suscitet, aut quem animā tanquā sit passa ruinam,
Liberet à morte, & uiuenti facta maneret
Copia de solo merito, quia fortiter egit.
Et caro, communem semper sortita laborem,
Linquatur terræ, mortis sit præda perennis.
Ergo hominis anima placuit Deo, fortibus actis?
Nullo sola modo potuit sine carne placere.
Vincla tulit, pœnas, caro membris uincula gessit,
Contempsit mortem, sed carnem morte reliquit.
Illa dolens gemuit, hæc uita à uulnere cæsa est.
Illa petit requiem: hæc ferro in puluere fusa,
Piscibus, alitibus, tabo, cineriq; relicta est.
Frangitur infelix laniata, sparsa liquescit,
Surgere non meruit. quid enim committere sola
Exanimis potuit, quæ sic caussa inuida uitæ
Impedit, aut prohibet Dei dona capessere carnem?
Cumq; sua socia coniunctam uiuere semper?
Cernere quid fuerit conuersa in puluere quondam,
Post meritos renouata ferat Deo laudis honores:
Non ignara sui, fragilis, mortalis, et ægra.
Certatis magni possit quid uiuida uirtus,
Qui bonus atq; potens uitam non inuidet ulli.
Hæc captiua fuit mortis, hæc uincta peribit
Quam Dominus mira sapientia fecit & arte
Hanc uirtute sua miranda suscitat ipse,
Hanc reuocat dux fortis, & hanc sua gloria uestit.
Ergo dei aptauit ars et sapientia corpus
Quod cupit, his fieri: deest, hoc uirtute reduci
Caussa potest pietati nulla resistere sanctæ:
Ne maior sit causa mali, quàm summa potestas,
Vt cognoscat homo, iam nunc Dei munere saluus,
Mortalis quondam, nunc inuiolabile & ingens
Vestitus lumen, uiuus cum corpore totus,
Immensum uirtute Deum, pietate perennem,
Per Christum regem, per quem uia lucis aperta est:
Et iam luce noua, iam dono plenus utroq;,
Fructibus & uiuæ paradisi lætus amœnis
Laudet in æternum, cœlisti diues in aula.

TERTVLLIANI ADVERVS Marcionem Liber secundus.

POstquàm fracta fides refugis spirantibus hostis,
Et glomerata dolis, emersit pectis operta
Sponte sua, mendax contempto numine sensus
Confixit plagas, fallaci tramite pallens
Sanctorum dictis sua miscuit impia uerba,
Inq; bonum semen lolium miserabile seuit:
Inde uolens omnem caussam constare ruinæ,

Scilicet ut sua facta Deo subsignet iniqua
Oc:us, & poßit suasos infigere pœnis,
Veris falsa tegens, & lenibus aspera uertens,
Et roseis sertis hastæ mucrone coperto,
Improuisa negans incautos morte suprema
Suppremum nefas in tantum dementia mersos,
Abruptos homines, numen sine fine tremendum
Diuidere in partes Christi sublimia facta,
Falsa laude sequi, culpareq; gesta priora,
Innumerata Dei miracula, uisa nec unquam,
Tam temere scelus illicitum componere uerbis,
Ante nec audita, contemptaq; corde, nec ullo
Aduersum sese duo testamenta sonare,
Contra prophetarum Domini committere uerba
Dißimili longè sententia uelle probare:
Omnem legis & infamem deducere causam,
Sanctorumq; patrum uitam reprobare priorem,
Quos in amicitiam allexit Deus, ad sua dona.
Accipitur sine principio pro parte minori,
Quatuor ex uno cùm sint, ex quatuor unum,
His tamē una placet, reprobat tres deniq; partes,
Auctoremq; sui Paulum per multa capessunt.
Nec non ex ipso furiebat in extima uerba
Omnia quæ ueteri de fœdere cunq; locutus,
Dura uidentur eis merito, quia corde grauati
Pondus apostolicum, fulgentis gratia uerbi,
Lumina prædocit menti, neq; cernere poßant
Spiritu lata putant hebetes, animalia digna.
Sed uos, qui nondum penitus, duce nomine falso,
Mente ipsa reprobi, penetrastis ad intima mortis,
Discite de fonte fluuium manare perennem,
Qui nutrit lignum, bissenos gratia fructus,
Exit et in terram, uentosq; in quatuor orbis,
Tot fluit in partes fontis color et sapor unus.
Sic & Apostolico decurrit Ecclesia uerbo,
Ex utero Christi, patris omnis gloria plena,
Sordide diluere, et fata mortua uiuificare.
Quatuor in numero diffusum in gentibus unum
Electoq; fide susceptum, doctor opimus
Tradit Euangelium Paulus, sine crimine mundū,
Abq; hoc et Galatas uetuit discedere sanctos,
Quos falsi fratres se circumcidere suasos,
Atq; elementa sequi, noua libertate relicta,
Vmbra futurorum ueteri seruire docebant.
Has habuit Galatis caussas conscribere Paulus,
Non ut Euangelij partem pro corpore toto

Exciperent modicam, maiori parte relicta. A
Atq; adeò non uerba libri, sed missus in orbem,
Ipse Christus Euangelium est, si cernere uultis
A patre qui uēnit, solus bona nuncia portans,
Testificata prius cuius ingens gloria complet,
Ostendens opere, quantus sit conditor orbis.
Cuius facta, simul dictis coniuncta, fideles
Illi Mathæus, Marcus, Lucasq;, Ioannes;
Conscripsere mera, non extera uerba locuti.
Spiritu sancta Dei, tanto præsente magistro.
Hic agnus Paschæ suspenditur hostia ligno,
Hunc Paulus phase conscribens decreta Corintho,
Occisum tradit uitamq; deumq; futurum,
Promißum patribus, quos illectauerat antè.
Cernite quid uirtus, quid paschæ possit imago,
Sic uerum quid sit poteritis pascha uidere.
Ne fidus pater, & uates, cui pignus & hæres
Carus erat, quem forte Deus donauerat illi
Hunc Deo mactaret, merito tentatus amore,
Supplicium magnum, sanctus pro sanguine sanguis
Connexus capite spinis ostenditur agnus,
Hostia sancta Deo, cuius de morte piati
Esset ut in signum & uastatæ pignora gentis.
Sanguine signantur postes, et limina multa B
Immane auxilium, caro testis creditur esca.
Iesus transgressus Iordan terraq; potitus
Lege dedit pascham, gaudens atq; immolat agnum.
Et reliqui magni reges, sanctiq; prophetæ,
Non ignorantes certæ promissa salutis.
Ingentemq;, metu pleni, transcendere legem.
Venturam summæ uirtutis imagine molem,
Inspectam è speculo celebrarunt ordine pascham.
Deniq; si celeri primordia mente recurras,
Inuenies funesta nimis post impia uerba.
Credulus, heu, facilè nudatus tegmine uitæ,
Pellibus ut tegeretur homo, suspenditur agnus,
Aut peccata necat, aut sanguine funera dolet,
Aut coperit nudos, fouet aut suo uellere uulnus.
Non pecoris sanguis humano sanguine pluris,
Aut pro peccatis oblatus dirimat iram,
Aut multæ plebis, ueluti si carior agnus.
Auxilium immane, tantæ tutela salutis,
Oblatus potuit precium satis esse redemptis,
At Deus omnipotens, cœli terræq; creator
Immensus, uiuus, perfectus, luce perennis,
His non placatur, pecudum neq; sanguine gaudet.

A Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras
Decremet, ut ueniam uel peccati expiet unus,
Nequaquam Domini ſapiens maculata figura,
Tam uili precio, caro fœda parauit honores:
Sed ſpes & promiſſa fides mortalibus olim,
Hæc operata tulit, magnæ rationis imago,
Præmeditata patris, nimia pietate parata
Venturum Chriſtũ terris, hominemq; futurum.
Quem uiſum Iohannes baptiſmi primus apertor,
Et uatum ſocius, nec non & apoſtolus ingens,
Præcurſor miſſus certus, teſtiſq; fidelis,
Anguſtus uita, ſublimi laude notatus,
Olim Paſcha Dei, uerum quærentibus agnum,
Oſtendit tandem ueniſſe, piacula facti
Qui delicta ſuo multorum ſanguine ſoluat,
Pro reprobis probus & carus, pro uilibus unus
Corpore homo, uitaq; Deus, mactatus ut agnus,
Acciperet nos, & nobis ſe effunderet ipſum.
Sic placuit Domino, mortem ſpoliare ſuperbam,
Sic poterit miſerandus homo ſperare ſalutem.
Hunc Paſcham Paulus mactatum prædicat agnum:
Non ſpecies Domini pecoris ſublimis inertis
Conſimilis patitur, quapropter dicitur agnus:
B Sed quia lanities renouata hæc corpora ueſtit,
Dat tegimen multis, unquam nec deficit ipſe.
Sic Dominus uirtute patris, quos morte redemit
Exutos ſua luce tegit, quæ ſemper in illo eſt.
Ergo paſtor ouem qui perdidit, ipſe requirit,
Is robur ſpinaſq; uuæ calcare paratus,
Aut rabiem ſuperare lupi, pecudumq; potiri,
Eriperet fortis, contemptis dentibus ultrò
Obiectat ſeſe leo, pelle obtectus ouili,
Decipiens habitu raptoris ſanguine fauces.
Adam ui captum ſic quærit Chriſtus ubique,
Ipſe uiam gradiens, qua mors operata ruinam eſt,
Omnia perluſtrans ueterum monumẽta uirorum,
Singula perſpiciens, exemplis omnibus unus,
Ex utero incipiens inimicam expellere mortem,
Conceptæ ſimul in gremio cum ſemine carnis
Aetates omnes tacita ſapientia luſtrans,
Debita ſuſcipiens, cunctos mundare paratus,
Reddere factori multos, quos ſparſerat unus.
Et quia terribilis puteo demerſus iniquo
Vir cecidit, ſuaſit uirgo ſubducta dracone,
Conſilio placuit, tegmen cœleſte relinquit,
Arguit hos lignum nudos, mors atra coëgit,
Ex eadem maſſa ſimili ratione refecta
Iam renouata, redit flos carnis, & hoſpita pacis
Virgine deſponſa caro, non ex ſemine nato
Artifici coniuncta ſuo, ſine debita mortis
Angelus hæc mandata patris, per ſidera defert
Lucida, ut angelica credantur nuncia fama
Virginis ut uirgo, carnis caro debita ſoluat.
Talibus ingreſſus ſequitur ueſtigia mortem
Paruulus immanis, ſenior puer, & iuuenis uir.
Pòſt ubi iuſta uiri completa eſt roboris ætas,
Paulatim ſolitus ſocia deperdere uita:
In fœdas etiam rugas, & inertia membra
Mutari ſpecie uacuatis ſanguine uenis
Conſtitit, haud habitum paſſus ueteraſcere carnis,
Qua'ue manum extẽdit temere contingere lignũ.
Qua die, quóue loco cecidit cariſſimus Adam,
Hac eadem redeunte die uoluentibus annis
In ſtadio ligni, fortis congreſſus athleta,
Extenditq; manus, pœnam et pro laude ſecutus
Deuicit mortem, quia mortem ſponte relinquit.
Exuit exuuias carnis, & debita mortis,
Serpentis ſpolium deuicto principe mundi
Affixit ligno, refugarum immane trophæum.
In cuius ſignum Moſes ſuſpenderat anguem,
Vt quotquot fuerant multis ſerpentibus icti,
Aſpicerent ipſum fictum fixumq; draconem.
Pòſt ubi ſecretas inferni uẽnit ad undas,
Atque ſuum uictor captiuum luce retexit,
Aſtanti, iuſſumq; patris uirtute peregit,
Sponte ſuum corpus quod liquerat, ipſe recepit.
Cauſa hæc mortis erat, eadem uia facta ſalutis,
Nuncius ille doli, ſed pacis nuncius iſte.
Sponſa uirum necuit genuit ſed ſponſa leonem.
Virgo uiro nocuit, ſed uir de uirgine uicit.
Cuius in exemplum ſopito corpore ſomno,
Sumitur ex latere mulier, quæ coſta mariti:
Quam carnem de carne ſua, deq; oſſibus oſſa
Euigilans dixit, præſaga mente locutus.
Mira fides, merito Paulus certiſſimus auctor
Chriſtum de cœlis Adam docet eſſe ſecundum.
Veritas ipſa ſuis exemplis uſa refulget.
Nec cupit ex alieno acres oſtendere greſſus:
Pauperis hoc opus eſt, propriæ uirtutis egeni.
Hæc Paulus docuit magnus myſteria docta,
Scilicet in Chriſto eſſe decus, tuum eccleſia cernens
Huius de latere, ligno pendentis in alto

Corporis exanimi ſanguis manauit & humor.
Fœmina ſanguis erat, aquæ erant noua dona laua/
Hæc populi uera eſt uiuentis Ecleſia mater, (cri,
oßum · De Chriſti noua carne caro, deq́; oßibus oſſum.
Golgotha locus eſt, capitis caluaria quondam,
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit,
Hic medium terræ eſt, hic eſt uictoria ſignum.
Os magnum hîc ueteres noſtri docuere repertum,
Hîc hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum,
Hîc patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Puluis Adæ ut poßit ueteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ uirtute leuare.
Hæc ouis eſt una, quam ſe per ſabbatha uiuam
Inferni è puteo ſtatuit ſubducere paſtor.
Propterea cunctæ carnis præmortua membra
Curabat, ſabathis aut cœci à germine nati
Lumina, quæ nondum dederat, cernendo peregit:
Aut hominem totũ exanimem, per ſabbatha uiuũ,
Deq́; ſepultura præſenti plebe uocauit:
Ipſe noui factor, ueteris bonus ipſe refector,
Aut quæ defuerunt ſupplens, aut perdita reddens.
Hæc ineunte die ſancto, ſperantibus in ſe
Facturus plenè pro pacto poſſe docebat.
Quòd caro ſi moritur, nec ſpes datur ulla ſaluti,
Quas habuit cauſſas, hominē ſe fingere Chriſtus,
Et medicare homines, aut curam carnis habere,
Si reuocat paucos, cur non reuocauit & omnes?
Corruptela potens liquefactum ſoluere corpus,
Non poterit uirtus Domini reuocare ſolutum
Credunt interitu qui non ſua corpora ſolui,
Non credunt Domino, ſua qui uult merſa leuare,
Aut nolle præſtare bonum, neq; poſſe potentem
Dicunt, ignari quanto de crimine lactent,
Infirmas auſi cauſſas præponere morti
In grano latet arbor, & hoc niſi terra ſepultum
Putreſcat, non dat decoratos arbore fructus.
Iam liquidæ ſtringentur aquæ, ſtridente rigore
Saxa fiunt, & ſemper erunt, niſi magna poteſtas
Soluerit inducto molli ſpirante tepore.
Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrus.
Si quæras, non eſt: cùm uult Deus, eſſe uidetur,
Arboribus folia, ſpinis roſa, germina campis
Mortua deijciunt, & rurſus uiua reſurgunt.
Hæc homini Deus ante oculos reuocata reformat,
Propter quem locuples primus largè omnia fecit.
Omnia nuda cadunt, ſuo corpore ſingula ueſtit:
Cur hominem ſolum, cui tantos fudit honores, A
Non tantùm reuocet ſibi, quem ſuper omnia fecit?
Ergo caro & ſanguis Dei regno digna negatur,
Tanquam ſit Paulus propriè de carne locutus.
Ille quidem magna docuit, ſed inania corda
Carnali ſermone putant, nam priſtina facta
Sanguinis & carnis uoluit ſub nomine dicta,
Cœleſtis, magni memoratus uerba magiſtri.
Qui per aquam de ſe genitis ſui nomen honoris
Donauit, pignusq́; ſuo de ſpiritu fudit.
Vt cuius fuerant homines uirtute redempti,
Huius & acciperent, renouati nomen honoris.
Ergo quia populis nondum ſuo fonte renatis
Sordibus antiquis tectis, & debita mortis
Ex ueteri cauſſa regnum cœleſte negauit,
Dicens, humano rurſus debere renaſci
Quod natum eſt de carne, caro eſt, de ſpiritu uita,
Radicis ueteris noua germina gloria mutans
Ablutum corpus iam non de carne uocari:
Hoc ſequitur Paulus, ſic eſt de carne locutus.
Deniq; dixit, Oportere ſuperindui ueſtem,
Hunc habitum fragilem, mortalem contegi formã.
Non aliud corpus dari, ſed prius illud inermem
Vndiq; regno Dei lato circundari totum, B
Momento aſpectus oculi mutabitur inquit,
Vt ruſæ ceræ facies diſpanditur herba,
Et mutat proprium candenti ſole colorem:
Sic eadem caro fulgenti de gloria ſumens,
Gaudebit, ſemper gaudens, & morte carebit,
Deuictum clamans crudelem corporis hoſtem,
Glutitam mortem, fortis uictoria Chriſtus,
Ingentes Deo ſumma ferens ad ſidera laudes.

TERTVLLIANI ADVERSVS Marcionem Liber tertius.

IAm genuit, quondam ſterilis, cognomine mater,
Iamq́; nouus gaudet populus de libera natus,
Expulſa famula, meritò cum prole ſupèrba,
Viuentis quoq; fontis aquas ingrata relinquit,
Et tepidis errans ardenti ſidere potat.
Iam poſſunt gentes & Abraham clamare parentē,
Quæ uocem Domini ſimili ratione ſecutæ,
Omnia liquerunt peregre ſe ſiſtere uitæ,
Lætare ô ſterilis, promiſſam concipe plebem,
Erumpe & clama, quæ nulla prole beata,
De qua dicebat per uates ſpiritus olim:

Hæc

A Hæc genuit gentem multis ex gentibus unam,
Cuius principio semper pia membra laborant.
Huius Abel iustus, pastor pecudumq; magister,
Fraternæ occidit quem olim uiolentia dextræ.
Huius Enoch insigne decus de corpore membrum,
A deo digressos populos, facinusq; sequentes,
Dum furit in terris refugarum turba latronum,
Sacrilegum genus ut fugeret crudele gigantum,
Consilio reuocabat, in omnibus ipse fidelis
Ingenti gemitu placuit, meritoq; labore
Translatum magno pignus seruatur honore.
Perfectus laude, & sine culpa Noa repertus
Testificante Deo iustus in adultera plebe,
Bis quinquagenis arcam qui texuit annis,
Venturum excidium factis & uoce ferebat,
Promeruit tantis ereptus mortis ab undis,
Et cum prole sua seruatur. Gente sequente
Est Abraham, cuius gnatos uos esse negatis:
Qui primus genere & patria & genitore relicto,
Voce Dei suasus secessit in extera regna
Tantos Dei meruit sublimis dignus honores,
Gentibus ut pater & populis credentibus esset.
Cum patribus Iacob, quorum pater ipse per omne
B Vitæ suæ spacium lætissima tempora Christi
Præcecinit uerbis, actu, uirtute, labore.
Hunc sequitur Ioseph, fœdæ sine sorde iuuentæ,
Carceris & duræ conficta calumnia pœnæ.
Gloria post gemitus, regniq; secunda corona,
Inq; fame panis tribuendi larga potestas.
Tum propria Christi, tam lucida lucis imago
Omnibus est manifesta, quibus sunt lumina menti,
Vt speculo uultus firmam spem cernere possint.
Iudas ipse pater, regalis sortis origo:
Vnde duces, geniti cuius de semine reges
Nunquam defuerunt, donec uentura potestas
Gentibus expectata diu, promissa ueniret.
Dux populi Moses, qui limina regia liquit,
Spernens diuitias florentes tempore paruo,
Maluit afflictus populi portare labores
Subnixa ceruice, minis non territus ullis,
Quàm sibi delitias multasq; remittere pœnas,
Pro magnaq; fide, pro tanto mirus amore,
Armatus uirtute Dei, magnalia gessit.
Percussit gentem plagis, terramq; reliquit,
Confundit regem, durum populumq; reducit.
Calcauit fluctus, hostes demersit in undis,
Fecit aquam dulcem per lignum, semper amaram:
Cum Christi populo manifestè multa locutus,
Cuius de facie lux, & nitor ore refulsit,
Acceptam legem per paucos fudit in orbem,
Exempla implicita propriorum certa laborum.
Percussit petram, iussus quoque flumina fudit,
Extenditq; manus, ut signo uinceret hostem.
Omnia de Christo, per Christum cuncta loquūtur.
Hic probus & magnus cum laudis pace quieuit.
At Iesus Naue filius, Auses antè uocatus,
Spiritus hunc sanctus socium sibi nomine iunxit,
Hinc fluuium scidit, & populum transire coëgit,
Distribuit terram gratis, promissa paterna,
Solem cum luna statuit, dum uinceret hostem,
Expulit externas gentes, prolemq; Gigantum,
Excidit lucos, aras & templa subegit,
Omnia legitima solennia mente peregit.
Nominis exemplum Christi, uirtutis imago.
Quid de iudicibus populi per singula dicam,
Quorum uirtutes si conscribantur in unum,
Verborum spacio numerosa uolumina complent.
Attamen ex multis paucorum dicere uitam,
Corporis explendi uerborum postulat ordo.
Ex quibus ut Gedeon dux agminis, acer in hostem,
Non uirtute sua tutelam acquirere genti
Firmatusq; fide signum petit excita menti,
Quo uel non posset, uel posset uincere bellum,
Vellus ut in noctem positum de rore maderet,
Et tellus omnis circum siccata iacêret,
Hoc inimicorum palmam coalescere mundo:
Atque iterum solo remanenti uellere sicco,
Hoc eadem tellus roraret nocte liquore.
Hoc etenim signo prædonum strauit aceruos,
Congressus populo Christi, sine milite multo,
Tercenteno equite, numerus Tau littera Græca,
Armatis facibusq; & cornibus ore canentum.
Vellus erat populus, ouium de semine sancto.
Nam tellus uariæ gentes, fusæq; per orbem.
Verbum quod nutrit, sed nox est mortis imago,
Tau signum crucis, & cornu præconia uitæ
Lucentesq; faces in lychno, spiritus ardens.
Scilicet hoc testamen erat uirtutis imago,
Non prius angelica mortis fera prælia uinci,
Quam populo indocili merito sua culpa relicto
Florentesq; fide gentes in laude receptæ.
Debbora quin mulier super omnē maxima famā,

Pro patria quæ belligero subnixa labori,
Stipite sub palmæ populum uicisse canebat,
Quapropter uicti simul hostes terga dedêre:
Sisara dux fugit, cui non uir, nec manus ulla
Restitit. hic Baal Christi uictoria signo
Exemplo refugæ, deuicit fœmina ligno.
Iephtha fide firma, qui duro uulnere uotum
Ausus, mercedem belli Deo dicere grandem.
Hic quia, quæ nõ uult Dominus, promiserat amẽs,
Occurrit primò carum sibi pectore pignus,
Nulli sperata cecidit quod sorte repente,
Promissum ut staret, soluit pia iura parentis,
Peccati uotum, uiolenta mente coperuit
Immanis timor, orbatæ solatia uitæ
Pro scelere obtinuit famam, pro crimine laudem.
Nec non Samsonis super omnia corpora uires,
Spiritus hoc donum capiti concessa potestas,
Pro populo solus nullo mucrone, nec armis,
Os retinens asini prostrauit corpora mille,
Vincula nulla uirum uinctum potuere tenere.
Gloria sed postquàm captiui mota recesßit,
Occidit, atque hostis uictos sua morte redemit.
Mirificus Samuel, cui reges ungere primùm
Præceptũ, dare chrisma, uiros ostendere Christos,
Talibus in uitæ spacio laudabilis egit,
Vt quoque post requiem prophetica iura teneret.
Psalmographus Dauid magnus rex atq; propheta,
Passurum Christum (cuius se uoce canebat)
Sponte, quod ingratus populus sine lege peregit,
Cui Deus ex utero fructum promiserat olim
Prolem, sublimi solio suo ponere sanctam:
Fixa fides Domini quæ sponderat, omnia fecit
Aemulus Ezechias, populi corrector inertis,
Oblitis legem qui restaurauit iniquis,
Hæc olim mandata Dei prior omnia iußit,
Qui precibus bellum, non ferri cuspide soluit.
Hic moriens, lachrymis annos ac tempora uitæ
Accepit, meritò talem tulit actus honorem.
Ingenti zelo Iosias, rector et ipse:
Tantum nemo suprà, nec postea taliter egit.
Idola destituit, destruxit templa nefanda,
Atque sacerdotes super aras igne cremauit,
Ossa prophetarum falsorum cuncta refodit,
Incenditq; aras adolenda cadauera lignis.
Insignis fidei in laudem (memorabile) tactus
Nobilis Eli[illegible] qui nondum debita mortis
Gustauit, quoniam rursum uenturus in orbem est, A
Ergo infracta fides. populum regemq; furentem,
Militiam Domini qui deseruere beatam,
Verberibus, flammis castigans hostis amaris,
Sidera conclusit, tenuitq; in nubibus imbrem.
Esse Deum ostendit cunctis, apparuit error
Nam madidæ partes hostiæ, fluuio, super aras
De cœlo precibus, ueniens ui, flamma comedit:
Et quotiens uoluit, toties ruit ignis ab alto.
Diuisit fluuium, transgressus et auia fecit,
Sublatus curru paradisi uectus in aulam est.
Huius discipulus fortis succeßor Heliseus,
Qui duplicem Eliæ petijt sibi sumere sortem
Ad castigandam uiolento uerbere plebem,
Tantum pro Domino et talem spirauit amorem.
Iordane percusso, pedibus uia facta regressus,
Demersam fluuio releuauit uirga securim,
Mortificumq; cibum in uitalem transtulit escam,
Detinuit pluuias iterato tempore duplo,
Mundauitq; lepras, hostes caligine cepit:
Cuius post obitum iam condita membra sepulchro,
Abiectus quidam, mactatus cæde latronum,
Mortuus, ut tetigit, reuocata luce reuixit.
Esaias, locuples uates, cui fontis aperti,
Tam manifesta fides, uerbum Dei ore profudit B
Largaq; per Christũ patris est promissa uoluntas,
Prætestata uiam uitæ, atque probata per ipsum est.
Quem populus sectum ligno, sine labe repertum,
Immeritum, demens crudeli morte peremit.
Sanctus Hieremias, quem gentibus esse prophetam
Aeterni uirtus iußit, dixitq; futurum:
Qui quoniam plebis facta illaudanda reuoluit,
Et fore captiuum, nisi pœnituisset iniquos
In famulos fieri, præsaga uoce locutus,
Vincula dura tulit, squallenti carcere clausus,
Inq; luto putei fames hausit tabida membra.
Sed postquàm, quæ noluerant audire, probauit,
Atque hostes uictum populum duxere triumphis,
Horrida uix tandem caruit sua dextra cathenis.
Nulla morte uirum constat, neque cæde perempum.
Ezechiel fidus, diues cui gratia uerbi
Concessa est, peccatorum secreta uidere,
Afflictus lugere suos, ueniamq; precari,
Cernere uindictam sanctorum cæde futuram,
Sanctorumq; locum regni, carnisq; salutem
Spiritu implicitus, gressus aditusq; uidere.

Osea,

A Osea, Amos, & Micheas: simul Abdia, Ionas,
Atque Naum, Habauc, Sophonias, Aggæusq;,
Zacharias uim passus, & angelus ipse Malachim,
Hi uates Domini, quorum chorus usq; canentum,
Ac pariter, laudis propriam meruere coronam.
Quam magnus Daniel, qualis uir, quanta potestas,
Qui falsos testes ipsorum prodidit ore,
Seruauitq; animam damnatam crimine ficto,
Somnia secreta, & regis prior ore resoluit,
Præuidit Christum regnorum soluere membra,
Pro Domino reus est, factus quoque præda leonum,
Seruatisq; palàm cunctis in pace quieuit.
Huius tres socij uix digna laude canendi,
Ex numero tanto decretum regis iniquum
Contempsere pij, quorum data corpora flammis
Tradere se pœnis potius, pro nomine magno,
Quàm genibus nixi simulacro pandere palmas
Iam præclara fides, iam spes super omia fulgens
Extinxit rapidos ignes, & uicit iniquos.
Esdras uates, legis doctor, et ipse sacerdos,
Qui populum captum post tempora plena reduxit,
Ignibus & multa consumpta uolumina uatum
Spiritu completus, memori omnia reddidit ore.
B Grandis Iohannes super omnes semine natos,
Cuius difficilè poterimus dicere laudes,
Ablutor carnis, Domini præcursor apertus,
Ablutor Christi, prior ipse renatus ab illo,
Fœderis ille noui primus, ueterisq; supremus,
Proq; uia uera, prior hostia cæsus obiuit.
Ecce Deus Christus, pariter bissena iuuentus,
Omnibus una fides, amor unus, et una potestas,
Flos hominum, mundo lucentes lumine Christi,
Et comites & apostolici, qui uera locuti,
Auribus audiuere, oculis uidere salutem,
Tractauere manu corpus de morte receptum,
Conuixere cibo aßidue, testantur ut ipsi.
Hinc Paulus prælectus apostolus in uice missus,
In cœlos raptus uidit, quoque missus ad illud,
Barnaba cum comite, socijsq; prioribus, uno
Fœdere coniunctis, per gentes tradit ubique
Esse caput Christum, sunt cuius Ecclesia membra,
Corporis ipse salus, membrorum uita perennis,
Ipse caro factus, pro cunctis ipse peremptus,
Ipse resurrexit primus, spes una salutis,
Discipulisq; suis formam dedit, hi simul omnes
Indignas uarie pœnas pro nomine paßi.

Talia membra gerit specioso corpore mater
Libera, quòd nunquam Domini præcepta reliquit,
Inq; domo senuit Domino lectißima semper,
Inuidiam, pœnas, eius pro nomine passa.
Nam sterilis quoniam, nondum secura futuri,
Ediderit populum cœlesti semine natum,
Atque suæ famulæ portauit spreta dolorem:
Hanc sterilē quondā, nunc tempus cernere matrem
Hæredem natum suæ libertatis habere,
Non similem famulæ, quanquam de semine cœli
Conceptum genuit, sibi conditione iugatum,
Absit ut illicitis uerbis, temeraria uoce
Egregios homines, ardentia sidera cœli,
Semine coniunctos tantum, uel sanguine plebi,
In solidum paßim famulum dicatis atrocem,
Aut populum Domini legis mandata secutum,
Seruili specie quisquam putet esse loquendum.
Sed peccatorum uacuam sine mente cateruam,
Qui promissa Dei, dubia spe, corde locarunt,
Præsentis uitæ misera dulcedine uictos,
Debita seruitio capitis sua culpa subisset
Si legem plebi peccati causa iugabit.
Nam seruire Deo, totoq; incumbere corde
Intemerata fides, libertas sponte paratur.
Ergo patres iusti, sancti, sine labe prophetæ,
Aduentum Domini, multi cecinere futurum.
Testanturq; fide cœlestia iussa prophanis,
Cum quibus immanes satiati gloria Christi,
Consortes uirtutis, uerba sacrata replentes
Firmauere fidem, factis prædicta probando
Quorum discipuli, qui successere per orbem,
Conflati uirtute uiri, nostriq; magistri
Coniunctos operis nobis tribuere honores.
Ex quibus electum, magnum, plebiq; probatum
Hac cathedra Petrus qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere iußit.
Post quem Cletus et ipse, gregem suscepit ouilis.
Huius Anacletus successor sorte locatus,
Quem sequitur Clemens, is Apostolicis bene notus.
Euaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile.
Post expleta sui qui lustri tempora tradit
Telesphoro, excellens hic erat, martyrq; fidelis.
Post illum socius legis, certusq; magister,
Cum uestri sceleris socio, præcursor & auctor
Aduenit Romam Cerdo, noua uulnera gestans,

Deiectus, quoniam uoces & uerba ueneni
Spargebat furtim: quapropter ab agmine pulsus,
Sacrilegum genus hoc genuit, spirante dracone.
Constabat pietate uigens Ecclesia Romæ
Composita à Petro, cuius successor & ipse,
Iamq́; loco nono cathedram suscepit Higinus.
Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater,
Angelicus pastor, quia tradita uerba locutus,
Aq́; Pio suscepit Anicetus ordine sortem
Sub quo Marcion hic ueniens, noua Pontica pestis,
Nondum secretum facinus suo corde reclusum,
Paßim uulgo loquens latebrosa perfidus arte.
Sed postquam cœpit mortis proferre sagittas,
Abiectus merito tam sæui criminis auctor,
A sanctis reprobus: patuit mirabile monstrum.

TERTVLLIANI ADVERSVS Marcionem, Lib. IIII.

HAec populo iuueni, qui diues, liber, & hæres
Poßidet æternam spem laudis iure dicatam,
Non ut doctores (solus daret omnia Christus)
Sed famulos Christi, iubet inuiolata potestas
Ingenti zelo flagrantes, pacis amore
Armatos, molem belli deducere terræ
Excelsas turres, & mœnia sæua malorum,
Surgentesq́; minas, populi contra agmina sancti
Detraheret uacuas uoces dissoluere uento.
Quapropter merito nos æmulamenta locuti,
Ipsius ex uerbis etiam monumenta salutis
Nitimur exprimere, quæ gratia larga profudit,
Prædonisq́; plagam sanctis aperire copertam,
Ex improuiso ne quis rudis, inscius, audax
Incidat, & captus cœlestia dona relinquat.
Ergo Deus cunctis mortalibus unus ubique est,
Aeternum regnum, profundæ lucis origo,
Fons uitæ, potus: sapientia, creditus omni.
Protulit ipse orbem, cuius sinus omnia cingit.
Nulla illum regio, nullus locus ambitu claudit,
Materies nulla est facta, ut sit sponte perenni,
Quæ fuerit semper, nullo facto recreata,
Cœlorum, terræ, maris, inferniq́; locatur.
Spiritus aëris est, diuisor, conditor, auctor,
Solus perpetuus Deus est, immensa potestas.
Hunc lex esse Deum populo monstrauerat unũ,
Cuius uox Mosi pollens in monte locuta est.
Illius hæc uirtus, sapientia, gloria, uerbum,
Filius, immenso genitum de lumine lumen, A
Per uatum uoces hunc unum clamitat esse
Ordine suscipiens Paulus, sic tradit & ipse
Vnum hunc esse patrem, per quem sunt omnia facta,
Atque unum Christum, per quem Deus omnia fecit,
Ad quem se curuare genu planè omne fatetur,
Ex quo omnis patria in cœlo terraq́; uocatur,
Qui zelat populum summo pietatis amore
Vt pater, & sanctè uult omnem uiuere carnem,
Apparêre sibi mundam sine crimine plebem.
Hoc zelo nostram custodit lege salutem,
Legitimos monet esse, iubet, castigat, & instat.
Corripiens Galatas fratres, & Apostolus idem,
Talem se Paulus zelum se scripsit habere.
Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna,
In cataclysmo enecans pariter cum prole parentes,
Genteq́; iam quarta genitos de stirpe nepotes,
Cum ferè nongentos hos tunc adiuuerit annos.
Iudicium durum, sententia sæua uidetur,
Paruulus & Sodomis adhuc insons, mollis, inermis,
Vt careat uita: quid enim peccauerat infans?
Quod crudele putes, hoc est pietatis honestum.
Auctores sceleris (facinus ne cresceret ultra)
Extinxit, sobolemq́; patrum peccata sequentum. B
Sed non cum patribus pœnas innoxius infans
Perpetuas luit: ignarus, neque criminis auctus,
Ne fieret sceleris consors ætatis adultæ,
Sponte futura mala, mors immatura resoluit.
Cur Deus ergo iubet pecorũ sibi sanguine fundi?
Legeq́; constringit, nequis transcenderet errans
In populo, lapidum præsenti morte minatur.
Atque iterum hæc reprobat, negat hæc sibi munera
Corripiens plebẽ peccati examine pressam. (grata,
Ipse iubet uerax, iustus simul ipse repellit.
Si quæris causas? errans desiste moueri,
Caussa etenim fidei, rationis imagine maior.
Aspice per speculum fulgentis luminis umbram,
Quid uituli sanguis, uitulæ cinis: hircus uterque,
Hic dimissus abit, cadit alter at hostia templo.
Sanguine nam uituli populum, simul omnia uasa,
Atque sacerdotes, & scripta uolumina legis,
Sparsit aquæ mixto, uates sic iussus ab alto:
Non propriam spem, nec speciem uirtute uacantem,
Exemplò uituli passurum in corpore Christum:
Qui iuga dura ferens humeris, temonis aratro
Fortiter abrupit sua pectora uomere ferri,

Infundens.

A Infundens sulcis animæ sui sanguinis undam.
Nam templi uasa hæc designant corpora nostra.
Ipse Dei templum uerum, non ante dicatum,
Namq; suo socios homines sibi sanguine fecit,
Atq; sacerdotes uoluit sui corporis esse.
Ipse patris summi perfectus iure sacerdos,
Auditum, uisum, gressum mundauit inertem,
Aspersitq; libro testes præsaga locutus,
Demonstrans legem suo uinctam sanguine sancto.
Hanc & per uitulā manifestat uictima caussam,
Sanguine de cuius pro plebe piacula sumens
Intra uelamen primus Leuita ferebat,
Castrorum extra fores corpus iussuq; cremauit,
Cuius de cinere mundabat corpora lapsa.
Hoc Dominus noster, qui nos sua morte redemit
Extra castra, uolens populi uim passus iniqui
Impleuit legem factis prædicta probando,
Qui uerè mundat plebem contamine plenam,
Omnia concedens, quasi diues corporis auctor,
Intra uelamen cœli cum sanguine gressus,
Effudit quem pro multorum mortibus unus.
Ergo sacerdotem magnum decet hostia sancta,
Quam dignè perfectus habens, offerre probetur.
B Corpus habet, hæc est mortalibus hostia uiua,
Hanc dignam magnis pro cunctis obtulit unam.
Hircorum species homines decet esse, repulsos
Ex duobus populis steriles, sine fructibus ambos,
Quos in Euāgelio dominus quoq; dixit, et hœdos
Abs ouibus cerni stantes in parte sinistra,
Esse quidem quosdā Domini pro nomine passos,
Sic actum sterilem fructum uelasse, supremo
Hos merito dignos aræ, decet esse prophetas.
Abiectos alios, Lazaro ut diues iniquus,
In sua duricie qui permansere repulsi.
Nam uelum in medio pendens cernebat utrosq;
Inq; duas partes ædem diuiserat unam.
Interiora quidem sanctorum sancta uocata.
Istic ara sita effulgebat nobilis auro,
Testamenta simul, tabularum legis, & arcæ
Pellibus agnorum cœli contecta colore.
Interius uestita auro, media omnia ligno,
Hic tabulæ legis, hic māna est urna repleta
Hic Aaron est uirga crucis, quæ germina profert
Ipsi dißimilis, Styracis tamen arbore nata.
Atq; super Cherubin per formam quatuor unam
Pandebant pinnas, & sagmina iussa tegebant.

Exterius uelum, pars ædis aperta patebat
In faciem lato grauis æris stabat aheno,
Et candelabrum bis ternis undiq; ramis
Connexis medio calamo, totidemq; lucernæ
Aurea materies complebat lumine templum.
Ergo prior templi facies communis, aperta,
Declarat ritum populi sub lege morantis,
In cuius tenebris septemplex spiritus, unus
Lucebat sanctus semper, plebemq; tegebat,
Hoc candelabrum uerum, uiuæq; lucernæ
Per legem & uates perlucens corde subactis,
Inq; typum terræ facta ara traditur esse
Hic operæ populi, quas non sine sanguine semper
Obtulit effuso, uitam sine lege, cruore
In patulo paßim comparuit omnibus olim
Isthic & Dominus pro cunctis hostia factus
Totam designat terram, specialiter aram.
Fœderis hinc etiam noui inenarrabilis auctor,
Discipulus Ioannes, animas pro numine passus,
Testatur tali sese uidisse sub ara,
Clamantes Dei uindictam pro cæde potentis.
Isthic interdum requies: sub corpore terræ
In parte ignota quidam locus extat apertus,
Luce sua fretus, Abrahæ sinus iste uocatur
Altior à tenebris, longè semotus ab igne,
Sub terra tamen, hæc ara uocatur ahena,
In qua uelamen pullum memorauimus esse.
Diuidit hæc partes ambas, unamq; recludit
Dißitam ab æterna, cultura & temporis usu,
Non inimica sibi quamuis distantis amoris,
Tempore diuisa & spacio, & ratione ligata.
Vna domus, quamuis uelo partita uidetur,
Atq; adeò passo Domino uelamine rupto,
Cœlestes patuere plagæ, cœlataq; sancta,
Atq; duplex quondā, facta est domus una perēnis.
Interius templum, populum de nomine Christi
Cœlesti cultu, ipsa Dei mandata sequentem,
Personæ hic propriæ uerè, non umbra ligatur,
Perfectis rebus completum tradidit ordo.
Arca sub exemplo, corpus uenerabile Christi
Ostendit, sacro per lignum spiritu iunctum.
Aëria pelles caro, non ex semine nata,
Extensa in ligno, simul intus spiritus ardens
Aurigera specie conflatus, iungitur illi,
Vt caro pace data, cum spiritu mixta uigeret.
Carnis & urna typum Domini fert aurea plena,

Fœderis ipſa noui Dominum declarat apertè,
Manna, quod eſt panis cœleſtis, uerus, in illum
Traditus à patre, quẽ tribuit pro pignore ſanctis,
Perfectè dabit hunc illis, qui uincula pacis
Semper amatores operum tenuere bonorum.
Et tabulæ duplices conſcriptæ legis in arca,
Significant ſimul hæc in Chriſto condita ſemper,
Qui uetus atq; nouum mandatum pertulit ipſe,
Arca patris ſummi, per quem dedit omnia diues.
Et uirga Styracis fructus nucis attulit ipſa.
Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus,
Coniuncta in ligno, ſe dabit mortis amarum
Interius fructum dulcem, de ſpiritu ſancto.
Sicut Eſaias uirgam de ſemine Ieſſæ
Prædixit Mariam, de qua flos exit in orbem.
Ara, nitens auro, cœlum declarat in alto,
Quo ſanctæ ſubiere preces, ſine crimine miſſæ:
Hanc aram Dominus dixit, qua munera ſiquis
Offert, ut primùm pacem cum fratre retractet,
Sic demum flagrare preces ad ſidera poſſunt.
Hoc Chriſtus uictor ſolus, primusq; ſacerdos,
Obtulit incenſum precibus, non arbore natum.
Nam Cherubin cùm ſit bis binis uultibus unum,
Eſt unum uerbum, per quatuor ordine ductum,
De patre quæ Chriſtus pleniſſima pertulit ipſe
Mandati ſperata noui, ſolatia uitæ.
Aſt quater alæ ſex, ueteris præconia uerbi,
Teſtificantis ea, quæ poſt ea facta docemur.
His alis uolitant cœleſtia uerba per orbem,
His etiam Chriſti ſanguis contectus habetur,
Obſcurè uatum præſago dictus ab ore.
Alarum numerus antiqua uolumina ſignat,
Eſſe ſatis certa uiginti quatuor iſta,
Quæ Domini cecinere uias, et tempora pacis.
Hæc cohærere nouo cum fœdere cuncta uidemus:
Si quoq; Ioannes, ſic pandit ſpiritus illi
Tot numero ſolio ſenioribus inſuper altis,
Atq; coronatis cohibentibus omnia mira.
Ad ſolium Domini uitreum et mare ſtare ſub igne,
Quatuor aligera atq; oculis animalia plena
Intus et exterius, quæ ſunt arcana patere:
Significat uerbo ſimul omnia clauſa uideri,
Nam uitreum flammæ mixtum mare, dona lauacri
Spiritu conflato credentibus eſſe tributa.
Quæ pietas Domini? quis tantùm dicere poſſit,
Ante tribunale, ante pauimentumq; parauit,
Vt fora iudiciumq; ſibi anticipare uolentes, A
Et fugerent, eſſet properanti copia lata.
Sic igitur lex, & miri cecinere prophetæ,
Omnia ſic coniuncta uigent, ueterisq; nouiq;
Fœderis, illa ſacra & uerborum immania dicta.
Sic & Apoſtolicæ uoces teſtantur ubique,
Nec quidquam ueteris non eſt nouo deniq; iunctũ,
Sic errant, & dictorum ſic facta retorquent,
Qui falſas finxere uias dominiq;, Deumq;
Aeternum regem, qui tantum protulit orbem
Detrectant, aliud quærunt ſub nomine ficto,
Mentibus orbati, quas amiſere furentes,
Externum legi Chriſtum affirmare uolentes.
Nec mundi Dominum, carnis neq; uelle ſalutem,
Nec uirtute patris factorem corporis ipſum:
Quos obturatis fugiendum eſt auribus ultrò,
Ne ſermone ſuo maculent innoxia corda.
Nos igitur, quos tanta Dei perfudit honeſtas,
Veraq; doctoris cœleſtia uerba magiſtri
Inſtituere bonis, recta & monumenta dedêre,
Semper honoremus Dominum, ſine fine canamus,
Gaudentes puraq; fide, certaq; ſalute:
Nati uerò Deo, nutrimur pane perenni,
Aeternam toto ſperantes pectore uitam. B

TERTVLLIANI ADVERSVS Marcionem, Lib. V.

Primus erat referens inimici ex ordine uerba,
Quæ refuga illicite molitus protulit amens.
Hinc etiam carnis ſpes & uictoria Chriſti,
Et ſpecies breuiter falſarum dicta uiarum.
Inde ſequens coniuncta docet myſteria legis,
Inq; nouo diuis quæ fœdere tradidit unus.
Tertius ingenua gentem de matre creatam,
Vatibus & patribus ſacratos eſſe miniſtros,
Quos numero bis ſex de cunctis Chriſte legebas,
Maiorum nutu cum nomine tempora, luſtri
Tempora Seruati, ſceleris cui paruit auctor
Ignotus, ſine lege, uagus, cum prole relictus.
Quartus & ipſe refert obſcura piacula regis
Eſſe typum ueteris, quæ paruit hoſtia uerè,
Iamdudum expectata pijs cum ſemine ſancto.
Hic quintus multos nexus nodoſq; reſoluit.
In planum mala conuoluit quæcunq; latebant.
Argumenta trahens, ſed non ſine teſte propheta.
Et quamuis hoſtes muniti fortibus armis,

Viri

A Vincamus tamen illicita, polluta, nefanda,
Commaculata simul, sic miscuit omnia serpens,
Cæcorum sine luce uiam, contamine uocem.
Vt dum factorem mundi contendimus ipsum
Esse Deum solum, uatum quoq; uoce locutum,
Ignotumq; alium quanquam non esse probamus.
Vix mundam linguam sermonis culpa reseruet.
Complexu uario notum dum laude sequentem,
Culpamusq; alias ignoti tempora sera:
Sed cogunt nos multa doli cælata uenena,
Ancipiti quanquam cum crimine, pandere uerba.
Quis, non ergo Deus? quem uerum dicitis esse,
Ignotum populis, alienum deniq; mundo?
Hunc quem nemo prius norat, hic uênit ab alto:
Si sua, cur tam sera petit? si non sua, quare
Vt prædo rapit, & populum sub lege morantem
Ignotis toties per legem uocibus opplet?
Si misereri etiam uenit, & succurrere cunctis,
Et releuare graui deuictos funere mortis,
Carnis & obscœno spiramen soluere uinclo,
Qui cohibetur homo interior, concisus iniquè,
Cur tam serò pius uigilans, semperq; benignus?
B Qui nunquam prius omnino se præbuit ulli.
Transmißis numero, alienos ore requirens
Nunquam expectatus, non notus, missus in orbem.
Pastor ouem quærens, quam non amiserat antè.
Debuit exutus carnem, quasi uictor, ut ipse
Spiritus, ut fuerat semper, talesq; uolebat.
Omnes expulsas animas sine corpore paßim
Eripere, & carnem spoliatam linquere terræ.
Vna die pariter complere cadauere mundum,
Euacuare orbem, atq; animas attollere cœlo.
Progenies hominum nasci cessasset in unum,
Et nulla posthac generis prosapia uestri
Nata foret, pestemq; nouam fudisset in orbem.
Vel quia tunc nihil ex his factum ostenditur esse,
Debuerat finem generi statuisse futuro,
Connubij solido complexus corde replesset,
Fecisset torpere uiros, sine germine fructus,
Fœminei sexus cubitus tædere dedisset,
Clausisset penitus carnis genitalia membra,
Nulla uoluntas nostro animo, neq; posse facultas.
Post hæc posset et interior homo sanguine iunctis
Hærere infusus carni, semperq; periret.
Semper ouis perit, ergo nec est seruare potestas?
Cùm semper nascatur homo, sub crimine mortis
Quod pastoris opus, si sic inuenta docentur,
Inquæsita ergo, sed non erepta probatur.
Nunc uerò delectus adest connubia adire,
Vt semper fuit, quem iunxit certa propago,
Nascuntur gentes, & uix numerabile uulgus,
Accipiunt animas nascentum corpora uiua:
Nec Paulum decuit, quamuis pro tempore quosdã
Hortari, uelut ipse fuit, pare sorte manere.
Temporis angusti cernens instantia multa,
Nam teneras alias ætates nubere iußit,
Nec se fraudari, sed debita reddere pacto.
Vos autem astuta quis suasit fraude manere,
Diuiso prolis securos degere amore,
Crimen adulterij committere, perdere uitam?
Et quanquam perit, id falsare agnomine uerbi.
Quapropter uocis tam dulcia cuncta profundit
Impauidi quidquid placet, ut faciatis oportet,
In faciem casti, maculati crimine furtim,
Hac caussa uos connubio priuauit honesto.
Sed quid plura? bene est disiunctos, scilicet, esse
Expedit et mundo, ne uestri germinis ullus
Nascatur, tandem cessabunt organa mortis
Partem hominis, dum speratis retinere salutem,
Totus homo uester deperdit mente prophana.
Interior simul, & ueterem quem dicitis hostem,
Sed nec homo solum spiramen dicitur esse,
Nec uetus est homo dicta caro, nec sunt inimica
Spiritus & caro, uerus homo est sociatus in uno.
Nec sibi priuatos sensus cernuntur habere,
Hæc regitur, regit ille, gemit, gaudetq;, doletq;,
Diligit, ipse suæ carni carißimus idem,
Per quã paret homo, cum qua commixtus habetur,
Vulneribus curas adhibet, lachrimasq; profundit,
Nutrimenta cibi cupidè per membra resumit,
Hanc optat secum immortalem semper habere,
Quam frangi gemit, & dolet euacuare per artus
Illi mors miseræ dominatur tempore certo,
Quo renouata leui de puluere mors inimica
Deficiat tandem, caro cùm resoluta resurgit:
Hæc erit expectata diu uictoria summa,
Quam fecit uirtute patris, uenerandus in æuum
Factus uerus homo, hominis qui membra redempta
In cœlos tulit, atq; aditus spe diues aperuit.
Principio gentis in linguis omnibus, inde
Hic ubi semper opus, patria pietate minister
Visus ab inciso, missus patiendo peregit.

Quid nunc infandæ uoces, quid perdita turba?
Si non ipſe Deus leges, Deus ipſe creator,
Aegypti de calle uiam qui ſtrauit in undis,
Et ſedes gratis dedit has, quas dixerat olim:
Ipſa cur in gente uenit, terraq́; dicata.
Non alios populos, aut altera regna petiuit?
Cur iam per uates prædicto nomine toto
Non proprio ſuo ſe uocitatum tradidit eſſe?
Vnde etiam potuit baptiſmi dona benigna
Promiſſa abs alio tanquam ſua promere facta?
Hæc mandata Dei transgreßi, ſorde reperti
Optabant, ueniamq́; fera de morte petebant,
Expectata diu meritò uenêre, ſed illis
Qui prius audita, at nunc agnouere reperta,
Hoc det uera manus Chriſti, pater ipſe creator
Semper ab æterno monet, & pia uoce requirit,
Quodq́; figurauit, ſouet, atq; figurat, & armat,
Et iam deſpectum uictor ſua luce reueſtit,
Vt maneat uirtutis opus cum laude perenni.
Quid præſtare Deus, quid poßit homo pati, ut
Agnoſcant, uiuāt, quod fecit uiua poteſtas: (omnes
Sed quia nec prædicta prius, nec facta ſuprema
Dementes homines poſſunt ſuadere ferentes,
Eſſe hominem factum Deum, paſſumq́;, ſepultum
Surrexiſſe, ut eis tantis clamantibus olim
Cœleſti uerbo complexis teſtibus, ambo
Terreſtri ſaltem rationi credere diſcant.
Cùm Dominus Chriſtus caro naſci, uênit in orbem
Auguſti regis Romani tempore primùm
Decreto gentes cenſu numerantur ubiq;,
Idem hoc rex fortè tulit, quia ſumma uoluntas
In cuius manu, regnantis cor, legibus eſſet,
Fecit primus, et in numerum ſcriptura redacta eſt.
Tunc etiam Ioſeph, Maria cum coniuge fœta,
Cœleſti pariter gnato numerantur, & ipſi,
Hunc inſtrumentis humana aſtutia niſa
Qui teſtes ſancti uerbi, præbere probantes
Inquirant, uel ſic inuento poſt ea uicti
Pœniteant, ueniamq́; rogēt, dum tempus habetur.
Iudæi graue qui ſcelus admiſiſſe fatentur,
Dum detrectantes ardent, nobisq́; reſiſtunt,
Nec genus ignotum dicunt, neq; dicere poſſunt,
Suſpendiſſe hominem ſe ligno, uera locutum
Ignari Domino carnem ſine ſemine uictam.
Sed pro parte quidam reticēt, pro parte triūphāt,
Namq; Deum populis hominem uulgare laborāt.
Aſpicite errorem qui uos expugnat utroſque, A
Pro nobis hic erit, dum uobis certa probamus.
Illi hominem, uos falſo Deum ſine corpore corpus
Dicitis, & uaria heu mentis ueſania mergit,
Quod qui præſumpſit mergentes ſpargitis ambo,
Namque hominē pariterq́; Deum, tunc facta proba
Commixtū, nec pauca dabit ſignacula mundus. (būt
Filius ipſe Dei dum carnis membra requirit,
Iam prætextatus palmarum ſuſtinet ictus,
Conſpuitur uultus, ſpinis innexa corona
Compungit caput, & ligno ſuffigitur ipſe,
Potatur ſcriblita, & fel miſcetur aceto,
Diuiditur ueſtis, ſortes mittuntur in illa,
Quod rapuit ſibi quiſque: tenet caligine multa,
Expirante Deo tacite de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum ſole refugit,
Bis fuit una dies, mediam nox atra coperuit.
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuere ſepulchra piorum
Cunctaq́; quem norunt, paſſum timuere uidere,
Exanimum telo miles latus haurit aperto.
Profluit & ſanguis, nec aqua minus inde ſecuta.
Hæc illi pacto cælant, noluntq́; fateri
Admißi factum, nefas occultare uolentes, B
Spiritus ergo poteſt gerere ſine corpore ueſtem
Aut pœnam capit, aut fert uiolentia uulnus?
Aut moritur, ſurgitq́;, & ſanguis funditur inde
De qua carne, quia illum uos habuiſſe negatis?
Aut finxit potius, ſi uobis dicere tutum eſt?
Quanquam præcipites dicatis, plura tacendo.
Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa
Ante diem, quàm cùm pateretur paſcha celebrans,
Diſcipulisq́; ſuis tradens memorabile factum.
Acceptum panem pariter uitisq́; liquorem
Corpus, ait, ſanguisq́; meus, qui funditur, hic eſt
Pro uobis, fieri ſemper, quod poſt ea iußit,
Quāne creatura panem uinumq́; putatis
Eſſe ſuum corpus cum ſanguine? quæq́; fatendas
Non ſe factorem mundi per facta probauit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?
Hic Deus, hic & homo uerus, uerumq́; locutus,
De patre principium, genitum de lumine lumen,
Spiritus, & uerbum, Chriſti ſub imagine uirtus,
Cum patre ſemper erat, unitus gloria & æuo,
Omnitenentis enim ſolus quia uerba miniſtrat.
Quem capit in terris, & per quem cuncta creauit.

Filius

A Filius ipſe Dei, cariſſimus ipſe miniſter
Hinc genus, hinc et nomẽ habet, hinc denique regnũ,
De Domino dominus, fluuius de fonte perenni,
Hic patribus ſanctis parens ab origine mundi,
Teſte Deo, quicunque Deum uidiſſe fatetur
Promiſſa & memoranda patris patefecit ab alto,
Eduxit populum, gentem percuſſit iniquam,
Ipſe columna fuit lucis, nubisq; rigoris,
Siccauitq; mare, et populos iubet ire per undas
Hoſtibus implicitis, fluctuq; fretoq; copertis.
Per deſerta uiam fecit ſua iuſſa ſecutis.
De cœlo populo panem dimiſit in umbris,
Erupitq; petram, ſitientes unda rigauit,
A Deo mandatum legis Moſiq; locutus
Cum tonitru cantuq; tubæ, flammæq; columna,
Terribili uiſu, tremebundo corde uirorum.
Poſt bis uicenos completis menſibus annos,
Iordane diuiſo, patuit uia, conſtitit unda,
Ipſe prophetarum uerbum patris ore locutus,
Partiriq; tribus terram, promiſſa paterna,
Eſſeq; uenturum terris, hominemq; futurum
Prædixit, Chriſtum terris manifeſte profatus,
Expectatus in auxilium, ſpes unica uitæ;
B Mundator carnis feræ, mortisq; fugator:
Tandem uenit ab imperio patris omnipotentis,
Humanis ſeſe ueſtiuit & artubus ille.
Adam, uirgo, draco, lignum, quæ cauſa ruinæ,
Et uia qua nos mors temeraria uicerat omnes,
Hac eadem gradiens paſtor, pecudemq; requirens
Angelo, uirgine, carne ſua, ligniq; medela,.
Ex quo uictus homo uicto periturus obibat.
Hic interpoſitus pro captis omnibus unus,
Suſtinuit patiens inimicam in corpore pœnam;
Morte ſua ſpolians mortem, fit cauſa ſalutis.
Nec non in terris ſuo poſtquam corpore ſancto
Omnia perpeſſus, perſoluit debita noſtra,
Infernum petit, hic animas pro crimine uinctas,.
Quæ ſine præſidio, concluſæ pondere legis,
Olim promiſſa, & ſperata, & tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.
Tertia namque die ſubiens cum corpore uictor
Immani uirtute patris, uia facta ſalutis,
Inq; creatura portans hominemq; Deumq;,.
Conſcendit cœlos, captiuas ille reducens
Primitias, munus Domino caramq; figuram,.
Conſeditq; patri lucis uirtute recepta,,
Gloria qua munitus erat, dum uinceret hoſtem,
Spiritu coniunctus, de nobis carne ligatus;.
Hunc pater, & Dominum & Chriſtum, regemq;,
Iudicio regnoq; dato miſſurus in orbẽ eſt. (Deumq;

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI PRESBYteri Carthaginienſis de Iudicio Domini, Liber unus.

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Muſas,.
Et uerni roſeas titulabit floribus auras, tutulabit .i. in tutulũ augebit, accumulabit, extruet.
Aeſtiuæq; graues maturat meſſis ariſtas,
Quis dabit & tumidas autumni uitibus uuas?
Quiſue hiemi placidas ſemper laudabit oliuas.
Recludetq; ipſis renouatas fontibus undas,
Frondentesq; uago cædet de gramine flores?
Protinus ætherei modulabor luminis auras.
Iam mihi luciferas liceat contingere Muſas,
Pandere ſecretas fluuiali uertice lymphas,.
Et lætas alio poſitas ſub ſidere ſiluas,
Aeternasq; ſimul modulabor carmine flammas;.
Vnde mare tumidum, immenſa fluctuet unda,
Quæ uirtus ſolidas moueatq; tremiſcere terras,.
Et lux unde nouo præfulſerit aurea mundo:
Quiſue hominem læto potuiſſet fingere limo,.
Vnde genus uacuo potuiſſet creſcere ſeclo?
Et quæ uiuendi populo ſit multa cupido,
Quæ'ue creata malo, moriendi quæ'ue propago,.
Vnde bonus roſeis ſit odorq; ruborq; coronis.
Quid faciat lætis ut uitis abæſtuet uuis,
Et plena è teneris tendantur ut horrea culmis,.
Arbor ut in glacie nigris pubeſcat oliuis.
Germinibus quis det uarij incrementa uigoris,
Mollibus & matrem pullorum protegat umbris:
Omnia noſſe bonum quæ ſint miracula rerum,
Vt Dominum liceat per cuncta agnoſcere uerum:
Qui lucem, maria, & cœlum, terramq; parauit,.
Ornauitq; nouum uariato ſidere mundum,
Et pecudes primùm, & uolucres, procedere iuſſit;,
Et dedit æquoreas compleri piſcibus undas,
Et fœcundatas animabus cogit harenas.
Talia compoſitis deducam carmina Muſis,.
Atque ſalutares exponam fontibus undas,
Et lætum placidis uenientem nubibus imbrem;.
Inq; animas hominum penitus, ultroq; fluentem:

Excipiat plenis in nostra noualia riuis.
Nunc age, securam uiuamq; attingere lympham,
Et celeres uitam amissam reparare per undas
Si uelit, æternæ & pœnas euadere flammæ,
Ignarusq; Dei, uenturiq; inscius æui,
Et potius uenturæ adipisci præmia uitæ:
Hunc unum meminisse Deum, solumq; precandum,
Qui totum in libra posuit sub limine mundum,
Aeternumq; manens, semperq; futurus in æuum,
Secula cuncta tenens, ante omnia secula solus
Ingenitus, sine fine Deus, sedemq; supernam
Solus habens, solus cœlos supereminet altos,
Omnipotens solus, cui parent omnia rerum,
Qui sibi complacitum hominem formauit in æuum
Pastorem pecudum, et dominum dedit esse ferarum,
Qui sermone tenus potuit protendere cœlum,
Et solidam uerbo potuit suspendere terram,
Et dicto citius disiunxerat æquoris undam,
Ac manibus caram dilexit fingere formam,
Atque suam uoluit faciem quoque inesse decoram,
Spirituq; afflauit uiuendi uultibus auram.
Immemor ille Dei, temere committere tale
Non ultra monitum quidquam contingeret unum
Vnde malum sciret, pariter dinosceret æquum.
Protinus illicitum uetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permisit munera mundi?
Et prædulce sui signauit pignus amoris,
Iusq; dedit uolucrum, pontumq; solumq; domandũ,
Vtilia & caræ tribuit mandata salutis.
Sub ditione dedit terras, animasq; uolantum,
Pennatumq; genus, pecudum genus omne ferarum,
Et genus æquoreum, et deformia monstra natantum.
Sed quoniam primo transgressus crimine legem,
Iamiam primus homo Domini mandata reliquit,
Coniuge quæ mala cuncta suasit, morte peribat,
Peccatiq; malum commisit fœmina primùm,
Transgressaq; suum decepit lege maritum,
Eua inducta dolo patefecit limina letho,
Et sibi cum genere procreauit funera toto.
Hinc nefas incautum, mors hinc quasi semen in æuũ
Spargitur: inde magis facinus percrebuit atrox,
Atque labor corruptum agitauit sæuior orbem.
Callidus hoc zelo serpens illexit in ipso,
Inde magis populi accersunt commissa malorum,
Atque nefanda malis pepererunt semina factis.
Idcirco Dominus solus, cui summa potestas,
Et super alta tenens summi fastigia cœli, A
Altum in præcelsis habitans in secula lumen:
Præsentisq; memor, quoque præscius antè futuri,
Progeniem meriti decretum seruat in æuum:
Et cunctas animas, tum corpora tarda gubernans,
Quæ ratione mouent hominẽ, per multa uagantẽ.
Vt primùm positi membrorum pondera cedunt,
Terrenisq; leues resolutis nexibus ibunt,
Ac proprias capient diuersis partibus oras.
Ast alias lætis reuocari protinus auris,
Seruari penitus decretæ ad præmia legis,
Dum motis iterum reuirescant corpora membris,
Illic occultis claudentur praua tenebris.
Tunc homines primæ pensare præmia uitæ
Incipient, crimenq; suum culpasq; putare,
Et pœnis retinere, procul de morte futuris,
Iudicijsq; Dei memores astare piorum,
Expectare suam suorumq; ex crimine pœnam.
Funditus aut pecorum sine nomine uiuere uitam,
Incassúmue Deo iam surdo fundere fletum.
An Deus omnipotens, cuius sub lege reguntur
Omnia, non ualeat post mortem reddere uitam?
Aut aliquid Dominus rerum non posse uidetur?
Si potuit tenebris pulsis extendere lucem, B
Atque omnem uerbo subito componere molem,
Omnia de nihilo quoque uoce potente parare:
Cur non ex aliquo possit componere notam,
Quæ fuerat quondam, quam finxerat ante figurã?
Assimilemq; sibi iubeat resurgere formam,
Cùm sint cuncta Dei: reddit magis omnia tellus,
Iussa retexet enim quidquid contexerat olim.
Si quem forte rogis aboleuit flamma sepultum,
Aut aliquem cæcis disiecerit æquor in undis,
Si cuiusque fame satiarunt uiscera pisces,
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
Alitibus iacuit raptato corpore sanguis:
Vltima non domino rapient sua munera magno.
Apparêre Deo uiuos de morte necesse est,
Resumptisq; suis homines astare figuris.
Arida sic uacuis redduntur semina terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis.
Nonne animatur et hinc reparatis culmus aristis,
Atque iterum uiuis flauescunt fortia granis,
Consurguntq; nouæ uario cum fœnore messes?
Sidera cuncta cadunt, iterumq; renata nitescunt,
Et dies in densa moritur cum lumine nocte.

A Occidit & iam nox rebus mox luce retectis,
Iamq; suis alia atq; alia dies surgit ab astris,
Solq; cadit, splendorifero qui lumine clarus,
Lux perit umbrato uenienti uespere mundo:
Et renouata suo uiuit fuligine Phœnix,
Et sua mox uolucris (mirùm) post busta resurgit.
Tempore nuda suo folijs quoq; fruticat arbor,
Pomorumq; iterum curuantur germine rami.
Ad uocem ergo Dei mundo per cuncta tremēte,
Et motis penitùs uirtutibus aëris alti,
Tunc fragor insolitus, tunc maxima murmura cœli,
Adueniente Deo, totius iudice mundi.
Protinus innumeri concurrunt ire ministri,
Conuallantq; Deum cum maiestate superna,
Angelica in terras descendent agmina cœlo:
Omnes, tuba Dei, quibus est diuina facultas,
Vultibus & forma uirtutis spiritus omnes.
Igneus his uigor est, rutilantia corpora, cœli
Vis diuina micat: hinc totus murmurat orbis,
Hinc trepidās penitùs, uel quāta est, terra remugit,
Parturiens homines, quos reddere iussa decebit.
Omnes mirantur, turbantur deniq;, nimbi
Astraq; mota pauent subitæ uirtutis ab alto
B Sic ueniente Deo, sonitus cum uoce potentis.
Omnia continuò ruptis per regna sepulchris,
Omnis humus latis effundit hiatibus ossa,
Viuentesq; patens populos eructat harena,
Hærent membra comis, nectunturq; ossa medullis,
Consertiq; regunt spirantia corpora nerui,
Et simul infuso motantur sanguine uenæ,
Dimißisq; cauis, animæ redduntur apertis.
Organa quæq; sua repetunt surgentia parte:
Pròh miranda fides, hinc omnis pullulat ætas,
Pullulat antiquo mortuorum puluere turba,
Matres atq; patres repetita luce resurgunt,
Magnanimi iuuenes, pueri, innuptæq; puellæ,
Defunctiq; senes animis uiuentibus astant,
Infantumq; gemens resonat uagitibus orbis.
Tam uariæ gentes uenient de sedibus imis,
Eoumq; manus, & quas uidet ultima tellus,
Quæq; colunt medij deuexo in climate mundi,
Rypheasq; tenent algentis sideris arces.
Omnis adest pauidus, finis cuiusq;: colonus
Rusticus, Atrides posito diademate regni,
Pauperibus mixtus coæqualis in agmine diues.
Altus ubiq; tremor, precibus tunc ingemit orbis,
Tendentesq; manus populi clamore stupescunt.
Ipse sedens Dominus, sublimi lumine clarus,
Atq; potens cunctis micat in uirtutibus ignis,
Excelsoq; throno cœlesti sede coruscat,
Martyribus septus, numero candente uirorum,
Dilectisq; suis comitatus uatibus extat:
Clara quibus niueis effulgent corpora telis.
Iamq; sacerdotes nitidis in uestibus astant,
Gestantes rutilas insigni fronte coronas,
Submißiq; omnes genibus ueneranter adorant.
Hagie, hagie, sancte Deus: uox omnibus una est.
Hic Dominus geminam mandabit sistere plebem,
Imperat & iuxta numerum discernere prauos,
Appellans placidis uerbis sua iussa sequutos,
Indutosq; iubet deuicta morte uigorem,
Semper inextinctas habitare ad luminis auras,
Ire per antiquum semper florentia regna,
Promissas per opes, per semper amœna uireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore uitam.
Est locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara, nitens, spiratq; salubrior aura,
Aeternusq; dies, atq; immutabile tempus:
Est secreta Deo regio, ditißima campis,
Atq; beata nimis, sudæq; in cardine sedis.
Aër lætus ibi, semperq; in luce futurus,
Lenis & aspirans uitalia flamina uentus.
Omnia fert fœcunda, solo prædiuite, tellus:
Flores in pratis fragrant, & purpura campis
Omnia prærutila miscet non inuida luce.
Flos alium lætus suo lumine uestit amictus,
Roscidaq; hic multo uariantur semine rura,
Et roseis niuea crispantur floribus arua.
Nescitur quibus usq; locis felicior aura,
Quæ melior specie, uel plus præcellat honore.
Talia florigeris nunquam nascuntur in hortis
Lilia, nec nostris efflorent talia campis,
Nec sic nata rubent, mox ut rosa panditur aura:
Purpura nec Tyrio sic est intincta rubore.
Gemma coloratis fulget speciosa lapillis:
Inde nitet prasinus, illinc carbunculus ardet,
Herbosaq; uiret prægrandis luce smaragdus,
Hic & odoriferis nascuntur cynnama uirgis,
Et spisso lætum folio conflagrat amomum.
Hic iacet ingenitum radiantis luminis aurum,
Et nemora alta tenent florenti tempore cœlum,
Viuentesq; grauant uberrima germina ramos.

Porrexit ſimiles non illis India lucos,
Non ita denſa leuat in monte cacumina pinus,
Nec ſic alticoma eſt umbra criſpata cupreſſus:
Nec uernus melius floret cum tempore ramus.
Hîc abietes celſo florent in uertice nigræ,
Aeternumq́; uirent ſolæ ſine grandine ſiluæ.
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore deſit.
Flos quoq; floret ibi rubeus, ceu purpura Tarſi:
Flos hic, credo, roſa eſt, rubor atq; odor acer in ipſo,
Sic folijs ſpeciem præfert, ſic ſpirat odorem.
Arbos ſtat cum flore nouo, pulcherrima pomis,
Vitalem & frugem felicia robora denſant.
Mella uiridanti confragrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile riuis,
Vitam aſpirat ibi quicquid pia terra uireſcit,
Et pulchræ redolent munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis leni fluit agmine campis,
Quattuor inde rigant partitas flumina terras,
Ver puto ſemper agit ueſtitus floribus hortus,
Non frigus uariat hiberni ſideris auram,
Nec mutat preßis radiata caloribus æſtas,
Cœlùm luce ſua conſtanti temperat auram,
Et reficit fœtam meliori flamine terram.
Nox ibi nulla, ſuas defendunt aſtra tenebras:
Iræq́; inſidiæq; abſunt, & dira cupido,
Excluſusq́; metus, pulſæ de limine curæ.
Hîc malus extorris, dignas exiuit in oras,
Nec uetitos unquam datur huic contingere lucos:
Illic priſca fides electa in ſede quieſcit,
Inſiſtit gaudens æterno in fœdere uita,
Et ſecura ſalus placidis lætatur in aruis,
Semper uictura, ſemperq́; in luce futura.
Hîc quicunq; pius, æquiq; boniq́; colonus,
Quiq́; Deum metuit ſincera mente Tonantem,
Atq; ſuos coluit ſacra pietate parentes,
Et degit reliquam ſemper ſine crimine uitam,
Aut inopem fidis opibus ſolatus amicum eſt,
Atq; laboranti nimium ſubuênit egeno,
Pauperis adiutor, pupillorumq́; patronus,
Eruit innocuos, ſubuênit crimine preßis,
Hoſpitibus largæ tribuit ſua pignora menſæ:
Omnia diuinè geßit, pia munera iußit,
Non alicui nocuit, non unquam aliena cupiuit.
Illi exultantes diuinis laudibus omnes,
Hortantesq́; ſimul referunt ad ſidera uoces,
Pſallentes Domino celebrant per gaudia grates,
Innocuamq́; uiam nuncijs comitantibus ibunt. A
Hæc poſtquàm Dominus felicia dona peregit,
Et pariter iuſtos æterna in regna remiſit:
Tum miſeranda uênit, lugens ſua crimina turba,
Effundit gemitus lachrimis arentibus omnes,
Et ſua teſtatur crebris ululatibus acta.
Flammas pro meritis, ſtagnantia tela tremiſcunt,
Corripit angelicus cœtus, prohibetq́; precari,
Et prohibet ſeras clamando fundere uoces:
Sublata uenia fundum iaciuntur in imum.
O' miſeri, quoties maieſtas cognita uobis:
Audiſtis ſonitus, uidiſtis fulgura cœli,
Aßiduas pluuias, uentorum & grandinis iras
Experti, quoties noctesq́; diesq́; ſereni
Tempora fœcundant pulchris Dei munera donis,
Vernabantq́; roſæ, frugum nec defuit æſtas,
Autumnus uariè fundebat mollia poma,
Aſpera hiems quamuis glaciales fregit oliuas:
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit eius.
Terra Deum tremuit, pontus de uoce pependit,
Et fluuius ſiccas trepidus refugit harenas,
Et genitura Deum quæuis per cuncta fatetur:
Vos miſeri Dominum cœli terræq́; negaſtis,
Præconesq́; Dei (horrendùm) ſæpè fugaſtis,
Et iuſtos potius crudeli cæde necaſtis: B
Et fraus in uobis poſt crimen ſemper inhæſit.
Ergo ſementis fructum capietis iniquæ.
Noſcitis eſſe, Deumq́; tamen ridere ſoletis:
Ibitis in tenebras ignis & ſulphuris altas,
Paſſuri ardentes iuſtas cruciatibus iras:
Aeternæ Deus oſſa iubet deſcendere pœnæ,
Ire ſub ardorem rabidæ ſine fine gehennæ,
Vrgeri molem per ſtagna rotantia flammæ,
In flammamq́; iubet conuerti elementa minantem,
Atq; omnem cœli deſcendere nubibus ignem.
Tunc auidus rapido eſt incluſus tartarus igne,
Atq; procelloſis flamma intus fluctuat undis,
Totaq́; uertentes confundit terra fauillas.
Flammeus eſt ſulcus, dentes uertuntur acuti,
Omnibus & torrens armabitur igneus annis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo,
Illic præcipiti curſu torrentur in æſtu,
Hinc fugiunt, illinc curſu referuntur acuto.
Obuia fit ſæuæ flammæ fugientibus ira,
Agnoſcuntq́; ſuam iam tum de crimine pœnam.
Iamq́; uaga à nullo tellus poſſeſſa colono,
Aequoris

A Aequoris extremo preſſa & ſub fine profundo,
Qua ſol emenſo radio diſterminat orbem,
Et qua tranſacto conduntur ſidera mundo,
Aether gliſcit, atris obſtruſa luce tenebris,
Vltima ſecretis ſtagnant flammantia riuis.
Eſt natura loci ſignatis ignea pœnis,
Infernisq́; palus candens ardoribus atrox.
Intonat horrificis facinus pœnale caminis,
Aeſtuat, & rapitur lato de uortice flammæ,
In tormenta ruens fluctuq́; & gurgite ſæuo,
Turbida cœnoſo fundo miſcetur harena.
Huc captiua gemens mittetur turba malorum,
Arſurumq́; nefas, ſcelerati corporis agmen:
Magnus plangor ibi, luctus ſociante boatu,
Et ſtridor rabidus, ululatus & inde dolentum.
Exurgent flammæq́; procul, artusq́; ſonori,
Ignis inardeſcet, gemitusq́; feretur ad auras:
Tunc humana mali pendet commiſſa propago,
Incipietq́; ſuas ad cœlum tendere palmas,
Et Dominum tunc noſſe uolet, quem noſſe uolebat
Antea non, cùm noſſe illis foret utile tempus:
Illic quiſq; ſuæ profitebitur effera uitæ,
B Iniuſtasq́; manus, & ſæuæ crimina mentis,
Horreſcetq́; ſuæ quæ nouerit impia uitæ.
Iamprimùm quicunq; Deum malè ſenſerit antè,
Et uaga mentito coluiſſet numine ſaxa,
Atq; cruentiferis ſignis ſacrauerit aras,
Et picturatas timuit ſine uoce figuras,
Ac falſi tenues ueneratus numinis umbras:
Et quoſcunq; malus ſeduxit protinus error.
Si quis adulter erat, ſi natos enſe necarat,
Si raptor graſſatus erat, ſi fraude clientes
Diſtulerat, ſi mente parum uerſatus amica:
Siue ſuas hominum macularat ſanguine palmas,
Miſcuerátue latebroſa ſi morte uenenum:
Aut ſi ueſtitus ſcelerato pectora fuco,
Siue malo alterius, lucro & gaudebat iniquo.
Admiſit quicunq; nefas quodcunq; malorum,
Ingens ardor eum, atq; ignis torquebit amarus,
Suppliciumq́; dabunt peracerbo funere cuncti.
Plurima ſic hominum mœrentum turba iacebit.
Hoc quoties olim ſancti cecinere prophetæ,
Flatu & ſæpe Dei moniti dixere futura,
Nemo ſuas (miſerùm) nemo eheu præbuit aures.
Sed Deus omnipotens uoluit ſua præmia noſci,
Atq; minas poſitæ per plurima talia legis.
Mittendo ſtatuit plures, & uerba ſonantes
Diuina, excitosq́; iubet prodire ſepulchris
Secum, cùm fracto ſurrexerat ipſe ſepulchro.
Obſtupuêre quidem plures, patuiſſe ſepulchra,
Et cerni in clara præmortua corpora luce:
Miratiq́; pios ſermones, dulcia dicta,
Ipſa uoce ſuas tendunt ad ſidera palmas,
Gratanturq́; Deo, & uictori talia Chriſto.
Illos non tumulos certum eſt repetiſſe ſilentes,
Amplius aut terræ retineri uiſcere clauſos.
Relliqua ſed recubat nunc turba cubilibus imis,
Ille dies donec, completo tempore, magnus
Adueniat: cuncti Dominum iam agnoſcite uerum,
Qui ſolus facit hanc animam ſuam cernere lucem,
Eandemq́; poteſt in tartara ſubdere pœnis,
Et cui cuncta patet uitæ mortisq́; poteſtas.
Poſſe Deum, nam uelle ſat eſt: factumq́; loquendo
Implet, & obſtando planè nihil impedit illum.
Ille meus ſolus, cui credo ſenſibus imis.
At quoniam letho curſus concluditur omnis,
Quicunq; eſt hodie, ſecum putet omnia mente.
Atq; ideo dum uita manet, dum cernere lucem,
Dum uitam mutare licet: quàm terminus æui
Obruat incautos, & neſcia lumina ſoluat.
Vltimus ille dies (mortis qui lege tenetur,
Quod precium ſupereſt) caræ inuigilate ſaluti,
Et faciles certiq́; bonum decurrite curſum.
Abſtergete pijs commiſſa piacula ſacris,
Atq; uagas nimium mundi uitate procellas:
Tum rectas & adite uias, & ſancta tenete.
Hinc lætis animis prauum depellite crimen,
Et concreta diu proluatur pectore culpa:
Commiſſasq́; mali labes abolete nefandas,
Aeternisq́; Deum precibus placate tremendum.
Peßima cuncta bonis cedant mortalia uiuis,
Et ſeruate nouam iamiam ſine crimine uitam,
Incipiantq́; bonis uerisq́; aſſueſcere mentes,
Laudibus & faciles diuinis reddite uoces:
Sic meliora pijs flagrabunt omnia uobis,
Sic quoq; cœleſtis capietis munera uitæ,
Cumq́; Deo longum ſemper uiuetis in æuum,
Aurea ſiderei cernentes gaudia regni.

CAECILII CYPRIANI EPISCOPI CARTHAGINIENsis, Genesis.


RINCIPIO Dominus cœlum terramq; creauit:
Nanque erat informis, fluctuq; abscondita tellus.
Immensusq; Deus super æquora uasta meabat,
Dum chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.
Has dum disiungi iussit de cardine, fatur:
Lux fiat: & claro nituerunt omnia mundo.
Cùm Dominus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem:
Accipit immensus uerrentia littora pontus,
Multiplices rapiens ualidis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox posito narratur nomine terra:
Florea uentosis consurgunt germina campis,
Pomiferiq; simul procuruant brachia rami.
Quarta dies generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine fingit.
Hæc elementa dedit subiecto insignia mundo,
Tempora quæ doceant uarios mutanda per ortus.
At quinta accipiunt liquentia flumina pisces,
Et uolucres uarias suspendunt corpore pennas.
Sexta prægelidos in spiras lubricat angues,
Quadrupedumq; greges totos diffundit in agros,
Cunctaq; multiplici mandauit crescere passim
Germine, & immensis errare & pascere terris.
Hæc ubi constituit diuina potentia iussu,
Rectorem inspiciens mundanis desore rebus,
Hæc memorat: Nostris hominem faciamus ad unguē
Vultibus assimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc uno posset componere uerbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
Inspirat brutum diuino à pectore pectus.
Quem postquàm effigie formatum ceu sua uidit,
Metitur solum mordaces uoluere curas:
Illicet irriguo perfundit lumina somno,
Mollius ut uulsa formetur fœmina costa,
Atq; artus mixtu gemino substantia firmet.
Induitur & nomen uitæ, quod dicitur Eua.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Coniugibusq; suis positis cum sedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quieuit,
Sacrata, statuens uenturi gaudia secli:
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet, indit
Adami à Domino data, quæ prudentia solers.
Quem Deus alloquio, iunctam dignatur & Euam:
Crescite multimodo uentura in tempora partu,
Vt polus & plenæ uestro sint germine terræ,
Hæredesq; mei: uarios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de cespite campi.
Hæc ubi differuit, læta paradisus in aula
Instruitur, primiq; aspectat lumina solis.
Gignitur hæc inter pomis lethalibus arbos,
Coniunctum generans uitæ mortisq; saporem.
Aedibus in medijs puro fluit agmine flumen,
Quod rigat insignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidosq; secat undante ex fonte meatus:
Phison auriferis prædiues fluctuat undis,
Conspicuasq; terit rauco de gurgite gemmas:
Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens,
Perspicuusq; uadis terram prælambit Euilat.
Post hunc Aethiopas Gæon allapsus opimat.
Tertius est Tigris, Eufrati adiunctus amœno,
Assyriam celeri discretim flumine sulcans.
Hic positus custos Adamus cum coniuge fida,
Atq; opifex, tali formatur uoce Tonantis:
Ne trepidate simul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonsum ramo frondente creauit,
Solliciti ne forte malum noxale legatis,
Quod uiret ex gemino discreta ad munia succo.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modò formatos nec uestis texerat artus.
Has inter sedes, & baccis mitibus ortus,
Spumeus astuto uincens animalia sensu,
Serpebat tacitè spiris frigentibus anguis,
Liuida mordaci uoluens mendacia sensu,
Fœmineo tentat sub pectore mollia corda.
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Nunquid poma Deus non omnia nota sacrauit?
E' quis si studeas mellitos carpere uictus,
Aureus astrigero remeabit cardine mundus.
Illa negat, uetitosq; timet contingere ramos:
Sed tamen infirmo uincuntur pectora sensu.

Ilicet

A Ilicet ut niueo iam mitia dente momordit,
Affulsit nulla maculatum nube serenum:
Tum sapor illecebram mellitis faucibus indens,
Compulit insueto munus deferre marito.
Quod simulac sumpsit, detersa nocte nitentes
Emicuêre oculi, mundo splendente, sereni.
Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterq;,
Cumq; pudenda uident, ficulnis frondibus umbrant.
Fortè sub occiduo Domini iam lumine solis
Agnoscunt sonitum, trepidiq; ad deuia tendunt.
Tum Dominus cœli mœstum compellat Adamum:
Dic ubi nunc degas? Respondit talia supplex:
O' Domine, afflatus pauido sub corde tremisco
Magne tuos, nudusq; metu frigente fatigor.
Tum Dominus: Quis poma dedit noxalia uobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfusa die, liquidumq; serenum
Affulsisse sibi, solemq; & sidera cœli.
Protinus ira Dei turbatam territat Euam,
Auctorem uetiti dum quærit maximus acti.
Illa sub hæc pandit: Serpentis suasa loquentis
Accepi, fallente dolo, blandoq; rogatu:
B Nam sua uipereis intexens uerba uenenis,
Hæc mihi præ cunctis narrauit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat gesta draconis,
Præcipiens cunctis inuisum uisere monstrum:
Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
Pandere: mansuro quæcunq; in tempora bello,
Humanos inter sensus, ipsumq; labantem,
Vertice ut abiecto pronus post crura uirorum
Serperet, ut calcet dum labens comminus instat.
Fœmina fraudigeris miserè decepta loquelis,
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Seruitiumq; sui studio perferre mariti.
Tu uerò cui uisa fuit sententia uerax
Coniugis, immiti cessit quæ uicta draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, & spinis multùm paliurus acutis:
Vt cum uisceribus lassis & pectore mœsto,
Plurima sollicitos præstent suspiria uictus:
Donec in occiduo uenientis tempore mortis,
Vnde geris corpus, terræ reddare iacenti.
His actis, Dominus trepidis dat tædia uitæ,
Deiectosq; procul sacratis dimouet hortis,
Obuersosq; locat, medioq; eliminat igni,
In quo perceleri Cherubim euoluitur æstu,
Dum calidus deferuet apex, flammasq; uolitat.
Quis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Consuit euulsas pecudum de uiscere pelles,
Opperiens nudos calidis de uestibus artus.
Ergo ubi coniugio sese iam fidus Adamus
Esse uirum sensit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori. bino qui germine factus
Continuò genitor, diuersis nuncupat orsis:
Atq; Cain hic nomen habet, cui iunctus Abelus.
Innocuas huius seruabat cura bidentes,
Ast alius curuo terram uertebat aratro.
Hi cùm perpetuo ferrent sua dona Tonanti,
Dissimiles fructus sensu suadente dedêre.
Nam prior uberibus fuerant quæ prosata glebis
Obtulit: ast alius miti se deuouet agno,
Exta manu sincera gerens, adipemq; niualem:
Confestimq; placet Domino pia uota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus alloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, si rectum uiuas, & noxia cernas,
Degere non possis contracto à crimine purus?
Desine mordaci fratrem disperdere sensu:
Qui tibi ceu domino subiectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arua,
Atq; ubi deprensum deserto in gramine uidit,
Elidit geminis fraudans pia guttura palmis.
Quod factum Dominus celso speculatus ab alto,
Disquirit, quónam terrarum degat Abelus?
Ille negat positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur: Númnam uox sanguinis eius
Ad me missa sonat, celsumq; ascendit ad axem?
Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto:
Nam modò quæ maduit germani sanguine terra,
Inuiso maledicta tibi commissa negabit
Semina, & assumptis fructum non proferet herbis:
Torpidus ut multo collidens membra tremore.
Deest finis.

CYPRIANI SODOMA.

IAm Deus omnipotens primæui tempora secli,
Iudice diluuio, cunctis aboleuerat undis,
Quas cœlum sparsit terræ, maris expuit æquor:
Hactenus haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio, quoties hiemes induceret aër
Frenandis uarium pluuijs mandauerat arcum,
Purpureo & uiridi signantem nubila limbo.

Iridis huic nomen, propria eſt quæ ſibula nimbis.
Sed recidiua hominum pariter cum gente ſecunda
Impietas, iterumq́; mali noua pullulat ætas,
Excidio iam non imbrem ſortita, ſed ignes.
Sic Sodomûm meruit tellus ardentibus uri
Flammis, & finis portendere ſigna futuri.
Effera luxuries illic, inimica pudoris,
Inſtar legis erat, fugeret quam præſcius hoſpes,
Antè uel ad Scythicas, uel apud Buſiridis aras
Exoptans per ſacra necem, cæſusq́; cruorem
Fundere Bebrycium, & Libycas ſatiare palæſtras:
Anteq́; uel Circæa nouas per pocula formas
Sumere, quàm læſum Sodomis amittere ſexum.
Pulſabant cœlum inuidia connubia mixta,
Inceſtu parili generis natura rebellis
In ſeſe, læſumq́; uiri cum corpore nomen.
Tempore ſed certo Deus omnia proſpeculatus,
Iudicat iniuſtos patiens, ubi criminis ætas,
Ceſſandi ſpacium uis nulla coëgerit iræ.
Iamq́; dies ultrix aderat, duo de grege miſsi
Angelico, forma iuuenes, qui ſpiritus ambo
Diua miniſterio Domini mandata ferebant.
Succedunt Sodomis: illic de ſtirpe piorum
Tranſuena Loth aderat, ſapiens, iuſtiq́; colonus
Vnus erat, meminiſſe Deum: ſolet utilis arbor
In ſiluis latitare feris, uelut hoſpita fructu.
Is tunc pro porta reſidens, uix mœnia adibant
Cœlicolæ, quanquam diuinos neſcius, ultrò
Aduocat, appellat, patrio ueneratur honore,
Hoſpitioq́; uocat, longè ſtabulare parantes
Eniſus longis precibus, pia pignora menſa
Officijsq́; probis ſtudio diſpungit amicos.
Nox requiem dederat, lux ſoluerat altera noctē,
Et Sodoma in foribus ſtrepitat conqueſta rudendo.
Loth contrà ſupplex: Ne uos nunc pacta libido
Incendat, iuuenes, ipſam fœdare iuuentam:
Quò luxus genitura uocat? quò ſemina fruſtra?
Quo nullæ nuptant animæ: non luſtra colentes,
Non ſtabulis reduces, non undis ſubter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis propè nubila pendēt,
Nec quæ per terram protracto corpore manant.
Omne genus, luxu genus eſt: ſed fœmina coniux
Omnibus, & nunquā cuiquam niſi fœmina mater.
Nunc ſi fas iuuenilis habet uaſtare pudorem,
Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, iam dedita meſsi,
Digna cupido uiris, tulerit quam ueſtra uoluptas: A
Cedo pater, proq́; hoſpitibus penſabo dolorem.
Vulgus ad hæc demēs: Quisnā tu, quātus, & unde?
Qui nobis domineris, ait, legesq́; recondas?
Tranſuena, corrector Sodomorum, duplicat iras.
Nunc igitur tute ipſe lues, quod noſtra cupido eſt,
Pro natis, proq́; hoſpitibus: ſatis unus in omnes.
Dicta & facta ſimul: uulgi mora nulla furentis.
Turbidus hiberno ut dum uoluitur impete torrens,
Riuorum numeros uno pede fertur in omnes:
Si qua illic arbor rapidis offenditur undis,
Haud manſura diu, quantum radice licebit
Crinitas durare moras, ubi ſubter adeſam
Perdit humum circunfoſſo cum caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in media uertigine uulgi,
Nutabat uinci propè iam: ſed diua poteſtas
Subuenit, angelici iuuenes de limine raptum
Reſtituunt tectis: demens ſed uulgus ibidem
Pœnarum auſpicijs mulctatur lumine diro.
Tunc decreta Dei reſerant, dignam fore pœnam
De cœlo Sodomis: ipſum meruiſſe ſalutem
Iuſticiæ titulo. Quin ergo accingeris iſthinc
Feſtinare fugam, pariterq́; educere ſi quid
Gentis habes? nos exitium iam inducimus urbi. B
Loth generos cit⁹ alloquitur: ſed dura hominū mēs
Credere deſpexit monitum, riſitq́; timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcēdere tentat,
Et bicolor cœli facies de nocte dieq́; eſt,
Inſtabant iuuenes Chaldæum educere ſaluum.
Eia age Loth, exurge, tuamq́; aſſume iugalem,
Et natas duplices, atq; hinc exterminus ito,
Præueniens Sodomū pœnas (manibus quoq; amicis
Producunt trepidos) atq; hæc tibi cætera mando:
Serua Loth animam, ne uiſum in terga retrorſum
Vertere fortè uelis, cœptum uel ſiſtere greſſum:
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cœleſtes ne prius iræ
Opprimerent: alios igitur depoſcere portus
Aggreditur, paruam quam contrà aſpexerat urbē.
Huc, inquit, contendo fugas: uix mœnibus extat,
Nec longè, nec magna: Illi fauêre petenti,
Vrbis & ipſius pariter geſsêre ſalutem.
Inde Segor uico nomen uox barbara nouit.
Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Vltimus ille quidem, in Sodomamq́; incendia feruēs
Infert,

A Infert, nam totos radios armauerat igni:
Aemula subsequitur caligo, includere luce
Cœptans, atq; globos confuso intexere cœlo:
Fumantes coëunt nubes, nouus irruit imber,
Sulphura cum flammis flagrantibus æstuat æther,
Exustus crepitat liquidis ardoribus æther.
Hinc habet in falso de uerbo fabula famam,
Solis progeniem currus optasse paternos,
Nec ualuisse leuem puerum frenare superbos
Ignis equos, arsisse orbem, tunc fulmine raptum
Aurigam, illicitum planctum mutasse sorores.
Videris, heu dirum, si qua illic populus albet,
Aut si quis pluma senio modulatior ales.
Hîc aliter uersæ mœrent miracula formæ:
Nanq; comes coniux, heu lethum, metaq; legis,
Fœmina non patiens, diuina ad murmura cœli
Audaces oculos nequicquam sola retorsit,
Non habitura loqui quod uiderit: & simul illic
In fragilem mutata salem, stetit ipsa sepulchrum,
Ipsaq; imago sibi. formam sine corpore seruans.
Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluuijs dilapsa situ, nec diruta uentis.
B Quinetiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu uulnera complet.
Dicitur & uiuens alio iam corpore, sexus
Munificos solito depungere sanguine menses.
Nusquam sunt Sodomi, nusq̃ illorum impia lucẽt
Mœnia: cũ dominis domus omnis inops ita nusquã,
Tota rogus regio est, hinc atro horrore fauillæ,
Hincq; situ cano cineres incendia signant.
Occidit illa prior feritas, quàm prospiciens Loth:
Nullus arat frustrà piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam si qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè esse se opima
Promittunt oculis, pira, persica, & omnia mella,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactu,
Soluitur in cinerem, fit uana fauillaq; pomum.
Sic igitur cœlo pariter terraq; sepultis,
Nec mare uiuit ibi, mors est maris illa quieti,
Idq; animat nullus per anhela uolumina fluctus:
Quodq; etiam patrio nunquam suspirat ab austro,
Quodq; cauet proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, læuiue cute uel cortice septam,
Vel crispã concham, aut duplici cõpagine clausam.
Solum illic propria mentitur fruge bitumen,
Exusti fuligo maris, quod uiuidus ardor
Subter stagna coquens de sulphuris & salis æstu, BITVMEN.
Temperat, inq; picem dat terræ hærere marinam.
Inuehitur proprio cùm tempore pingue crematum
Virus aquæ, spumisq; cutis super æquora nigra
Texitur, appellunt quîs est ea captio mercis:
Acclinant læues laterum libramine lembos, L. sæpius iteratũ. Cicero lib. 4. ad Heren. Ex aliorũ labore libare laudẽ. Alliteratione vocãt. alij Labdacismũ.
Vt semel imposita doceant conscendere uena.
Nam se spontè leuans annabit mercis ad ora
Nauigij, preciumq; dabit præ munere largo,
Ni plaga contigerit, quam mensis fœmina uestit. cruentato filo e veste mulieris mẽstrua passæ bitumẽ scinditur, nec aliter; iniu ta ac pertinax lenticies ce dit. Plin. Solin. cap. 4. Strabo lib. xvj Geographiæ pag. 724. Tacitus lib. 21
Ecce aliud monstrum pelagi de clade notatur:
Cuncta illic immissa natant: natura recessit
Mergendis data corporibus. si deniq; testæ
Luciferam narem insistens, qua spiritus igni est
Velificauit apex, flammæ si flamma perempta est,
Ibit subter aquas destructio naufraga lucis.
Hæ Sodomũ & Gomorûm signatæ in secula pœ
Gentibus iniustis, quîs corpora dura timorem (næ
Deseruêre Dei, de cœlo iura tueri,
Inq; unum rerum Dominum spectare docebunt.

CYPRIANI LIGNVM
Vitæ.

Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe,
Golgota Iudæi patrio cognomine dicunt:
Hîc ego de sterili succisum robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres.
Non tamen hos illis, qui se posuêre, colonis
Præbuit: externi fructus habuêre beatos.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos:
Sicut plena graues antennæ carbasa tendunt,
Vel cùm disiunctis iuga stant ad aratra iuuencis.
Quem tulit hoc primo maturo semine lapsum
Concepit tellus: mox hinc (mirabile dictu)
Tertia lux iterum, terris superisq; tremendum
Extulerat ramum, uitali fruge beatum.
Sed bis uicenis firmatus & ille diebus
Creuit in immensum, cœlumq; cacumine summo
Contigit, & tandem sanctum caput abdidit alto,
Dum tamen ingenti bissenos pondere ramos
Edidit, & totum spargens porrexit in orbem:
Gentibus ut cunctis uictum, uitamq; perennem
Præberent, mortemq; mori qui posse docerent,
Expletis etiam mox quinquaginta diebus,
Vertice de summo diuini nectaris haustum
Detulit in ramos, cœlestis spiritus auræ:

Dulci

Dulci rore graues manabant undiq; frondes.
Ecce sub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat: hic nullo casu turbante serenus,
Perspicuis illimis aquis, & gramina circùm
Fundebant lætos uario de flore colores.
Hunc circùm innumeræ gentes, populiq; coibant
Quàm uarij generis, sexus, ætatis, honoris,
Innuptæ, nuptæq; simul, uiduæq;, nurusq;,
Infantes, pueriq;, uiri, iuuenesq;, senesq;.
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, auidisq; attingere dextris
Gaudebant, madidos cœlesti nectare fructus:
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quàm lutulenta uiæ uestigia fœda prioris
Detererent, corpusq; pio de fonte lauarent.
Ergo diu circùm spaciantes gramine molli,
Suscipiunt alta pendentes arbore fructus.
Tum si qui ex illis delapsa putamina ramis,
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes
Vescuntur, ueros exoptant sumere fructus.
Ergo ubi cœlestem ceperunt ora saporem,
Permutant animos, & mentes perdere auaras
Incipiunt, dulciq; hominem cognoscere sensu.
Insolitum multis stomachum mouisse saporem
Vidimus, & fellis commotum melle uenenum
Reiecisse bonos turbata mente sapores:
Aut auidè sumptum non dilexisse, diuq;
Et male potatum tandem euomuisse saporem.
Sæpè quidem multi, renouatis mentibus, ægros
Restituêre animos: & quæ se posse negabant,
Pertulerant, fructumq; sui cepêre laboris.
Multi etiam sanctos ausi contingere fontes,
Discessêre iterum subitò, retroq; relapsi,
Sordibus & cœno misti uoluuntur eodem.
Multi uerò bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penitusq; in uiscera condunt.
Ergo qui sacros possunt accedere fontes,
Septima lux illos optatas sistit ad undas,
Tingit & in liquidis ieiunos fontibus artus.
Sic demùm illuuiem mentis, uitæq; prioris
Deponunt labem, purasq; à morte reducunt
Illustres animas, cœliq; ad limen ituras.
Hinc iter ad ramos, & dulcia poma salutis:
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum uitæ est cunctis credentibus, Amen.

HILARII EPISCOPI PICTAVIENSIS, GENESIS: AD Leonem Papam.



ARVIMVS monitis, tua dulcia iussa secuti,
Antistes Christi quæ dabat ore pio.
An ego nō canerē tanti præconia Patris,
Munus opusq; Dei, dū mihi lingua foret?
Rauca quidem strident, & nullis digna coronis,
Ingeniumq; iacet: sed libet alta loqui.

Dignum opus & iustum est, semper tibi dicere grates,
Omnipotens mundi genitor: quo principe cuncta
Natalem sumpsêre diem, atq; exorta repentè
Post tenebras stupido spectarunt lumina cœlo:
Gens hominum, pecudesq; feræ, pictæq; uolucres,
Et quæ per liquidos discurrunt agmina campos,
Omnia per te sunt, ex te qui maxima condis:
Ex te nata Pater, nec iam patris est pater alter.
Tu capitis primiq; caput, tu fontis origo,
Primus apex rerum, primus sator, omnia condens:
Nec tamen ex alio ducis genus, ipse perennis
Spiritus, antiquo uiuens per secula motu.
Semper eris, quia semper eras: non mortis egenus,
Qui natalis inops, nec finem noueris æui,
Ex se principium cui contigit: haud manet alter
Auctorem casus, nascentia terminus urget.
Omnia cùm tegeret nigrum chaos, altaq; moles
Desuper urgeret informis corpora mundi,
Et caliganti premeret serotina nocte,
Nec species, nec forma foret: Deus intus agebat
Corporibus tectis mixtus, secreta potestas,
Iam tumidi ponens nascentia mœnia mundi,
Et uarias rerum facies, animasq; futuras.
Vtq; caput uicta prompsit caligine noctis,
Sublimem attollens uultum, sensêre tenebræ.
Mox Dominus rerum somnos discussit inertes,
Pigraq; materies trepidauit nomine pulsa,
Et commota simul maturo conscia partu:
Scinditur ingentis cumuli per plurima corpus,
Membra locosq; simul metantur semina iussu,

Et iam

A Et iam confusæ descendunt uiscera molis,
Sectaq; per partes formas spectantia frusta:
Iam calor intus alit, & blando suscitat igni.
Ac primùm cœli passus liber, omnia mundi
Complectens spacio, celso suspenditur orbe:
Terra grauis pigro descendit pondere ad imum,
Ac semet defixa, salo fundata, resedit.
Essetq; ut spacium uacuæ regionis apertum,
Qua tener incedens mortalia pasceret æther,
Quóue exire patris possent tot munera rerum,
Ortaq; ferrentur nullo per inane labore,
Diffusæ coguntur aquæ: mox limine certo
Liquuntur maria, ac finem non transilit unda.
Tunc oritur lux alma, dies quæ iussa uocari,
Nascentem tenero perfudit lumine mundum,
Munus opusq; tuum prodens, tua maxima dona,
Condere quæ genitor patria pietate parabas:
Vtq; hominum solers posset clarescere uita,
Artibus æthereis quæ totas ducere luces
Gaudet, & ingenium diuersa laude fatigat.
Insequitur nox atra diem, densæq; tenebræ
Corporibus somnos quæ ferrent, ocia fessis,
Et cunctis unam faciem similemq; figuram.
B Nanq; dies uariè rerum discriminat ora,
Et dat cuiq; suum disiecta nocte colorem,
Instigatq; animos opera ad maiora calentes,
Exacuens uarijs mortalia pectora curis:
Quò mage forma dies uitæ, nox mortis imago.
Tũc condẽs pater astra, polos quoq; lumine do-
Sidera distinguit uarijs pertecta figuris, (nans,
Lucifer exurgit, roseusq; & fulgidus ore
Vesper, puniceos spargitq; aurora capillos,
Anguis agit sudum, ast important Pleiades imbres:
Sunt iuga, sunt plaustra & gẽmantes flore coronæ,
Signaq; bissenis annum uoluentia formis.
Multaq; præterea celsæ ornamenta domus sunt,
Quîs seclum fulcis signis, & regia summa
Picta patens, uaria stellarum luce coruscat.
Sed soli lux maior inest, quem munere largo
Excultum genitor pleno dignaris honore.
Igneus ille, iubar præcelso uertice tollit,
Ore rubens patulo, cœli per mœnia fertur,
Astrorum ductor, mundi uigor atq; elementi.
Ecce aliud mirum mirum decus, en noua cursum
Mutat luna suum, & quos perdit, colligit ignes,
Cornuaq; extinguens, perturbat limite frontem:
Mox tamen ardescit completo circulus orbe,
Noctilucum lumen pascit sata sidera luce.
Nec tamen æterno quæ machina uoluitur axe,
Non tantùm pictura poli est, nec celsa uoluntas,
Mens ratioq; subest, & rebus commodus ordo.
Hinc doctrina uenit terris, hinc deniq; cunctis Plato Timæo
Consilium agricolis, & qui maria alta pererrant,
Vt se, quaq; ferant, luces prædicere possint,
Venturos norint imbres, siccumq; serenum:
Tempore quo tauros campis inducat arator,
Et dubium tentet securus nauita pontum.
Ignibus instructo cœlo, pater optime, terras
Excolere aggrederis, donas & munere opimo
Regna hominũ, pecudũq; larem, requiẽq; uolucrũ.
Planescunt campi, colles tumor arduus effert,
Subsidunt ualles, florentia prata uirescunt,
Saxaq; durantur, pinguis se gleba resoluit,
Rumpuntur fontes, cunctis genus amnibus unde est,
Herbarum uarijs consurgunt gramina campis.
Iamq; seges tenera fructum fundebat arista,
Cùm iuga nulla forent, nec uomer, nullus aratro
Mugiret, nullus proscissis taurus in aruis.
Ecce etiam uitis madido iam plena racemo,
Expers falcis adhuc, & duri nescia ferri,
Pampineas celsis texebat collibus umbras.
Diuersa exoritur uariarum forma ferarum,
Quadrupedes animæ, necnon repentia terris,
Nascuntur pictis uolucres per nubila pennis.
His ubi perfectis, genitor iam diuite mundo
Cuncta uidet magni curam deposcere regis,
Qui mare, qui terras, quiq; omnia nata gubernet,
Quiq; altum spectet cœlum, laudetq; potentis
Munera magna Dei, ne sint hæc condita frustrà:
Tunc faciamus, ait, hominem. Dic optime, cum quo
Nunc loqueris? Clarum est, iam tum tibi Filius alto
Assidet in solio, & terras respectat amicas:
Sed Faciamus, ais, hominem, cui uultus imago
Noster erit, manibusq; meis procedat in æuum.
Inde opifex rerum, assumis tibi mollia terræ,
Atq; uirum formas: cuius mox costa cupito
Fit mulier uultu: mulier nam costa uiri fit,
Quo mage chara uiro, & lateri sit coniugis apta.
O' felix animal, summi cui dextra Tonantis
Est pater: ô felix nimium, qui ducis Olympo
Et genus & formam: si te non noxia terræ
Decipiant uitia, & non blandus subruat error,

Numen eris, cœloq; redux mirabere regna,
Quæ promissa bonis fido pater exhibet ore.
Nam tibi multa Deus nascenti contulit ultrò,
Aetheream faciem primùm, uultumq; paternum,
Incessumq; pedum rectum, sublimia colla,
Ne qua mora in cœlos oculis spectantibus esset.
Tunc alacres promptasq; manus, uitæq; ministras,
Atq; domum diuæ pectus rationis, & alti
Sedem consilij, fundendæ uocis honorem.
Hæc soli concessa homini: nam cætera mutum,
Vt pecus obtinuit, uentrem, præcordia, neruos,
Venarum riuos, & sparsum corpore sanguen,
Lætitiæq; sinus, duri sensusq; doloris.
Tu uerò omnipotens, priuato munere largus
Erga hominem manibusq; tuis, operisq; fauore,
Impendens, patria pignus pietate colendo,
Ne quid diuinis modò desit uultibus, ignem
Aetheris inspiras, & sacræ mentis opimam
Indulges partem, permiscens corpore totam.
Tunc meminisse licet ueterum, præsentia nosse
Hinc datur, atq; animæ fas est uentura uidere:
Hinc loquimur canimusq; Deum, hinc quoq; sidera
Terrarumq; uiget cultus, pontusq; mouetur. (cũcta,
Hinc artes nomenq;, pudor, prudentia, iustum:
Hinc animi surgunt fortes, hinc pergit honestum,
Virtus, quæ ducit castos ad limina cœli.
Ergo hominem pleno perfectum munere, terris
Præponis, Genitor, rerum cui tradis habenas:
Cuncta habeat subdatq; sibi, uiuatq; perennis
Telluris dominus, famulus tuus: omnia mundi
Possideat, tantùm Domino tibi seruiat uni.
Postquàm primus homo uetito se pascere ligno
Non timuit, captusq; dolis se præbuit angui,
Stat reus & nudus, deiecto lumine, uestem
Implorans: Dominumq; fugit, uultumq; recondit.
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia uita
Debilitat uires, cœlo uenientia dona,
Aethere demissus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigescunt: A
Cura cibi uentrisq; subibat, cura tegendi
Corporis, & sacrum subeunt mortalia pectus.
Nascitur hinc proles peccati, germinat inde
Deterior soboles, multo peiorq; priori
Progenies sequitur, gradibus per crimina crescens,
Crimina quæ stimulis acuunt dementia corda,
Teq; Pater uarijs armant punire periclis.
Tum primùm mala cœperunt incumbere terris:
Intempestiuus descendit nubibus imber,
Fulmina tum primùm cœlo deiecta sereno,
Horrida tum grando turbatos uerberat agros,
Et tonitru altisono confractus murmurat æther:
Nec tamen ista malos reuocant: furor impius orbem
Obsidet, & laxis rabies defertur habenis:
Bella placent, cædesq; simul, periuria, fraudes,
Mentiriq; libet, rapere est amor, abdere furta:
Nulla fides populis, nulla est reuerentia ueri.
Diluuio abluitur terrarum crimen & undis:
Virq; unus residet generis populiq; refector.
Arca tegit paucos, castorum semina seruans,
Iamiam uenturi facies monstrata lauacri.
Atq; unus multis per quem data luce renati,
Sed septos seruans ecclesia parua tenetur.
Postquam diluuij cecidit tumor, unda resedit, B
Ales paciferæ folium portauit oliuæ,
Iam siccis reuolans pennis, dedit omina pacis.
Tum populus surgit maior, tum purior undis
Gens hominum, magnos terris paritura nepotes:
Inde sacerdotis in cœlum dedita corda,
Hinc inter flammas pueri cantare parati,
Et puer impasti quem non tetigere leones:
Tum reges cecinere Deum, tum uera prophetis
Ora sonant, cœli sobole splendentia terris:
Quamuis cuncta Deo seruirent crimine uicto,
Attamen antiquos etiam nunc gutta ueneni
Spargebat populos, & erant uestigia fraudis,
Quæ bonus ablueret doctor melioribus undis.

CLAVDII MARII VICTORIS ORATORIS MASSILIENSIS, IN SVOS SVPER GENESIN Commentarios, Præfatio, ad Deum omnipotentem.

Svmme et sancte De9, cũctæ uirtutis origo,
Omnipotẽs, quẽ nec subtili indagine rerũ
Mentib. humanis sensu cõprẽdere fas est,
Et nescire nefas (nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres sic credimus unum,
Vnica personas ut tres substantia reddat,
Indiscreta pio conseruans fœdera nexu)
Tu sine principio, pariter sine fine perennis,

Solus

A Solus es atq; idem, nulliq; obnoxius æuo.
Tu spacium rerum, mentis quocunq; recessus
Tenditur, excedis, spacio neq; cingeris ullo.
Nec te qui capiat locus est, immensus enim es tu.
Quinetiam humanæ nec fas contingere menti
Qualis imago tua est, oculis ignara uideri,
Ni cui cernendam speciali numine sese
Exhibeat: nec uerò est qui uirtute creata
Te uegetet motus, per quem sumus atq; mouemur.
Tu mens, & sacræ penitùs substantia mentis,
Tu ratio, & plenæ prudens rationis origo.
Tu uirtus, uirtutis apex, atq; ipsa profectò
Tu uita, & genitor uitæ, lucisq; profundæ.
Tu lux uera Deus, tu rerum causa, uigorq;:
A te principium traxit, quodcunq; repentè
Ex nihilo emicuit, tantoq; auctore repletum
Vel uim mētis habet, uel formā in membra recepit.
Te Dominum natura probat seruata caducis
Partibus, & iussam seriem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros distinguens, pondera librans,
Mensuras uarians, modulos motumq; gubernans,
Alternas seruire uices, iugemq; recursum
B Rerum stare iubes, & mentis imagine plenum
Edere nota tibi iam secula, uoluere mundum.
Non uno tu contentus dotare creata
Munere, quicquid agis uarios largiris in usus.
Quinimo nil non causa Deus alme tuorum
Efficis: ipsa licet nobis ignota tuorum
Factorum ratio atq; modus: contraria nempe
Quæ putat humanæ solers ignauia mentis,
Dum certant, plus pacis habent: sic omnia diues
Conditor, aduersis etiam cognata elementis,
Nectis, & effusis à te uirtutibus imples.
Et tamen hæc cùm sint in maiestate creandi,
Nil horum quæ gignis eges, mundiq; peracti,
Et per te stabili rerum compage manentis,
Nil prorsum indigus es: nec in hoc tua gloria tantū,
Quòd præstāda facis bonus auctor, sed quòd et ipsa
Efficere ut poßint, causis præbere secundis,
Non dedignaris: quæ qui tua munera sentit,
Munus & ipse tuum est: tibi ut uni accepta referre
Omnia, homo meritò poßitq; & debeat unus.
Nam tibi sola Deus gigni quòd cuncta iuberes,
Causa fuit bonitas: cùm iußis uiuere primùm
Spiritibus, mundoq; frui quem mente gerebas,
Atq; omnes in te rerum cognoscere caussas,
Et suprà terras & aquas uolitare dedisti.
Certa quibus cœlum sedes, quîs libera corda,
Arbitriumq; sui largitus es omnibus, ut iam
Alterutram in partem uellent, se uertere possent:
Vt fieres iustis merces, meritisq; piorum,
Hoc quoq; conferres præstando, ut debitor esset.
Nam quòd de primis cœlesti in sede creatis,
Vnus (dum lucis Domino uitæq;, suoq;
Inuidet auctori, titulumq; hunc appetit) auctor
Maluit esse mali, primamq; inducere mortem,
Cum scelerum socijs celso deiectus Olympo,
Virtuti nihil inde tuæ præiudicat: illud
Cui satis est, fecisse bonum: sed copia laudis
Hæc est summa tuæ, quòd cùm se extollere suprà
Diuini uirtutem apicis scelus esset, & ingens
Relligio nulla prorsum delebilis unda:
Non tamen ingratis uitam sensumq; negasti.
Quinetiam arbitrio mentis gaudere dedisti,
Nec tamen arbitrij natura, in utrunq; ualentis,
Accusanda uenit nobis: namq; inde perire
Posse datum est cunctis, ut uiuere dulcius esset,
Mutuaq; alterni compar mensura pericli
Cederet ad meritum: cùm iudice digna seuero
Præmia sanctorum geminaret pœna malorum.
Porrò etiam (mihi si fas est hoc dicere salua
Pace tua genitor) maius fortaßis apud te est,
Non peccasse bonum, per lubrica tempora uitæ,
Quàm miseris peccasse malum: sed uideris, ut se
Hoc habeat, caussas uni cui credimus omnes.
Interea satis est nobis, quòd uilia terræ
Pondera, dum sacra inspiras ratione, tuaq;
Informas uirtute, tuiq; effingis ad instar,
Nobiliora facis: dum lato in sidera uultu
Erexisti hominem, quem sæui fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum,
Vnigenæ redimis profuso sanguine nati,
Deq; imis erebi, dona ad maiora petitum,
Restituis, quàm factus erat, uitæq; perenni
Reddis, & in cœlum diro uehis hoste subacto.
Iamiam nemo patrem temerarius arguat Adam,
Quòd leue præscriptum uiolata lege resoluens,
Ad lethum patefecit iter. nam culpa parentis
Compensata satis: quia plus est uincere mortem,
Quàm nesciisse mori. cœli nunc lætus ab aula
Despicit ætherios axes, & sidera calcat,
Dispositosq; uocat uentura in regna nepotes:

Quos iterum formauit aquis, iterumq; renasci
Aeterni docuit diues sapientia Patris:
Tete igitur Deus alme precor, qui numine prono
Das sentire animis: & te charissime Patris
Nate tui, da mellifluum in præcordia uerbum
Nostra tuum, & linguas nobis infunde disertas,
Dum teneros formare animos & corda paramus
Ad ueræ uirtutis iter puerilibus annis.
Inclyta legiferi iam pandito scrinia Mosi,
Quæ sit origo poli, uel quæ primordia mundi,
Arcanamq; fidem, quid toto excusserit orbe
Mentibus ambiguis, quà uires traxerit aucta
Pestis, & in uitium mores cessêre uetusti.
Da Deus æternæ describere mystica uitæ,
Da simul & mentem, da congrua tempora menti,
Da studium, tanto ne desit cura labori,
Successumq; bonum studij, quodq; omnia uota
Iure supercurrit (scribenti candida mens est)
Ne damnes tantum, quod nunc reus audeo munus,
Criminibusq; meis conniue & parce benignus.
Quòd si lege metri quicquam peccauerit ordo,
Peccarit sermo improprius, sensusq; uacillans,
Hinc nullum fidei subeat mensura periclum.
Per Dominum Christum, qui tecum natus eadem
Maiestate uiget, pariter qua Spiritus almus,
Incomprensa animis seclorum in secula uiuit.

CL. MARII VICTORIS, ORAtoris Massiliensis, ad Aethereum filium, Commentariorum in Genesin

LIBER PRIMVS.

Ante polos, cœliq; diem, mundiq; tenebras,
Ante operum formas, & res, & semina rerũ,
Aeternum sine præteriti, sine fine futuri
Esse subest: cui semper erat Deus unus, apud quem
Viuebat genitus Verbum Deus, & simul almus
Spiritus, arcani uitalis summa uigoris.
Vna trium, quos concordi substantia nexu
Coniungens summa æternum uirtute beabat,
Regnabatq; potens in maiestate creandi.
Iam res, & causas rerum, casusq; futuros
Et facienda uidens, gignendaq;, mente capaci
Secula dispiciens, & quicquid tempora uoluunt
Præsens semper habens: immensum mole beata
Regnum erat ipse suum, regni nec teste carebat,
Virtus trina Deus: qui primùm semine nullo
Corpora dans rebus, dum res existere cogit,
Iam nostrum effecit munus, quod solis habebat. A
Vtq; istum faceret diues sapientia mundum,
Cuncta simul genuit: sed post hæc semina rerum
Ornauit superinductis informia formis,
Temporaq; in seriem bene conditus ordo redegit.
Nam non (sacrilegi sensit quod lingua furoris)
Casus mentis inops, dum nescia semina uoluit,
Tam prudens contorsit opus: nec dicere factum
Ante æuum fas est, quia tempore nata mouentur.
Nec porrò æternum mundum, superisq; coæuum
Credere fas, stabilem semper tenuisse uigorem:
Nam quod corporibus constat, cœpisse fatendũ est.
Corpus enim quod plaga terit, quod tẽpora soluũt
Atq; abolent, ipso qui tendit ultima fine,
Principium ostendit: quod quæ sortita probantur,
Aut facta hæc credi par est, aut nata putari.
Factũ igitur constat mundum, quod quisq; subactus
Annuit, & uero conuictus dogmate credit,
Concedens fecisse Deum: qui numine Verbi
Et uirtute potens, quicquid natura putatur,
Disposuit, iussit, mouit, munusq; creatum
Succiduis uicibus (semper fugitiua reformans)
Sustinet, ac uolucrem retrahẽs circumrotat orbem. B
Qui si cuncta etiam mauult dissoluere raptim,
Confestim in similes formas redeuntia reddet.
Tanta Patris uis est, & tanta est gloria Verbi.
Vt uerò semel attingam primordia rerum,
Excelsi conuexa poli, terræq; iacentes,
Pars prima est operis: sed terras unda tegebat,
Aëraq; in medio sordenti nube madentem,
Et tenebris se uasta nigris uelabat abyssus:
Et sacer extensis impendens spiritus undis
Altrices animabat aquas, ac semina rerum
Nondum compositis fundenda ad germina terris
Insinuanda dabat: cùm lux immissa supernè
Emicuit dicente Deo, discretaq; nigrum
Vmbra peplum retrahens, summo discessit olympo.
Tum diuina diem appellans prudentia lucem,
Indidit & tenebris obscuræ nomina noctis:
Sic facta una dies de mane ac uespere primo.
Rursus mâne nouum, primo iam uespere pulso
Reddita lux fecit, cùm se firmissima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit, ac latè duro solidata rigore,
Diuisas suspendit aquas, gelidumq; profundum
Axibus obiecit calidis, seq; æquore septo

Nixa

A Nixa ſuperfudit rebus, quæ circite uaſto
Contegit æthereum,deducto hinc nomine,cœlum.
Forſitan hic aliquis ſic ſecum errore perito
Diſſerat,æthereis ne deſint pabula flammis,
Et nimius calor ima petens,alimenta ſequendo
Exurat mortale genus,cœlumq; coruſcum
Non poßint terrena pati,ſubiecta deorſum eſt
Machina firma poli: quæ dum nos protegit umbra,
Interea ſuper impoſitis frigeſcit ab undis.
Numinis at uerò diuini quærere cauſas
Mēs fuge noſtra procul: plus ſit tibi credere ſemper
Poſſe Deum,quicquid fieri non poſſe putatur,
Et magnum pelagus ſuper aſtra & ſidera ferri,
Ipſorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere uolunt,quem conditor ipſe
Geſtet, & immenſo conſtantem pondere uoluat.
Tertia lux tumidos ſtupuit diſcedere fluctus,
Cùm Deus impulſis reliqui iam gurgitis undis,
Aërijs magnum ſpacijs patefecit inane:
Arida tunc primùm mundi pars ima retectam
Oſtendit faciem,tremefactaq; numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.
B Quas uario raptim iuſſas fructeſcere fœtu,
Luxurioſa nouo texerunt germina limo,
Et rudis,& tenero prorumpens ceſpite lætis
Iactauit ſe ſilua comis, ſpeciemq; ſecundum
Edidit una ſuam quæq; arbor & herba uireſcens
Et fructum & ſemen, ueſtitaq; gramine terra eſt.
Iam tribus exactis,motu ſuccenſa citato,
In flammas, ignisq; globum ſe cogere iuſſa eſt
Solis prima dies, fundataq; ſemina lucis
Puniceos roſeo ſparſerunt fomite crines:
Lunaq; noctis honor, quæſito lumine fulgens,
Inferiore uia ſoli ſubiecta pependit,
A' quo ſuſceptos radios percuſſa refudit.
Aſtraq; diſtinctis cœlum pingentia zonis,
Floribus æthereis uarios uibrare colores,
Et magis ornatis ſe reſplendere tenebris
Cærula nox ſtupuit,rutilis dum ſpicula flammis
Fuſa micant,urgentq; alacres noua ſidera iactus,
Quæ ſolare iubar radijs obducit apertis,
Tempora quadrifidi menſurans quatuor anni.
Sol quoq; cùm curſus lunæ ſit menſtruus,uno
Contentus curſu reuolutum conficit annum,
Artificemq; ſacrum mira compage fatetur.
Quinta dies mouit ſpirantia corpora ponto,
Quæ liquor humectans genuit, ſparſitq; profundū
Delicias pelagi,uario quas germine miris
Formauit natura modis,educere iuſſa
E' toto partes, formasq; ex corpore inani.
Quin etiam in brutas animam dedit ire figuras,
Quæq; ſalis tumidi ſquallentia gurgite terga
Cete uaſta leuant,molli diſſerta ſagina,
Edidit & qui horum conſeruat corpora,noſtris
Corporibus nocet ipſe liquor,genitalis alumnus
Piſcibus, ipſa etiam terræ qui germina nutrit.
Hinc uolucres quoq; molle genus traxêre uigorem:
Nam liquidas dum format aquas,immiſſaq; pontum
Vita ſubit, feruent multo tumida æquora partu:
Nec ſatis eſt piſces genus omne exurgere, quodq;
Squammea turba ſalo ſummas euadit in undas,
Ni uolitans in aquis, ſenſim natet æthere puro,
Aethereos uolucris contingere docta receſſus.
Ergo materies auibusq; & piſcibus una eſt.
Iam bis terna dies claro radiabat olympo,
Tertia poſt calidi genitalia munera ſolis:
Iamq; tepens tellus grauidos laxauerat artus,
Cùm maiora agitans iuſsit Deus edere terram
Omne animal,uegetat ratio quod ſola mouendi:
Cui ſeruire datum,quo rerum poſtulat uſus.
Nec mora,prorumpunt fœtis uitalia terris
Pignora,quæq; ſui generis ſortita figuras.
Hic mihi iam fas ſit quædam perſtringere,quædam
Solicito trepidum penitùs tranſmittere curſu,
Mutata quædam ſerie tranſmiſſa referre.
Poſtquā cuncta datus generatim protulit ordo,
Veris plena bonis,& multa dote referta,
Quæ Deus in longam ſeriem manſura foueret:
Auctori perbella ſuo tum machina uiſa eſt. (tus,
Sed quid id eſt,quod mūdus erat,quod ſidera,& or
Aetheraq; & uitreum pelagus,terræq; uirentes:
Ni ſpectator adeſt,tantæ quem gloria molis
Impleat,atq; oculis auidum per ſingula ducat?
Quorſum tam lati fines,poſſeſsioq; ampla,
Si rerum poſſeſſor abeſt? Hæc rector Olympi
Secum animo uerſans,& Verbi pondere librans:
Stat data ſumma operi, bona ſunt quæcunq; creaui,
Nunc hominem faciamus,ait,qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti,
Liber ad arbitrium,fruitur qui mente creatis.
Dixerat hæc, & factus homo eſt, ſeu corpore toto,
Siue anima ac ſpecie, forſan quo more futura,

Quo facienda facit, quo factum semper habebat,
Etsi præteritum iam nondum accesserat æuum.
Ergo hunc præpositum rebus, cum coniuge iußit
Crescere per sobolem, terrasq; replere uacantes.
Tum natura semel rebus concessa creatis,
Præsertim quas uita mouens animare uidetur,
Multiplicat quæcunq; suis primùm edita formis.
Septima lux magnum ut uidit cessasse Parẽtem,
Sed generum tantum numeros desijsse creare,
Et requiem tenuisse suam, tum iure sacrata est
Perfectũ quæ uidit opus: nanq; hoc quoq; plenũ est
Virtutis, cessasse Deum, posuisse labores.
Nam genitis formam Patris quam dextra pararet,
Bis ternis Dominum satis est patrasse diebus.
Septima lux docuit uenerandæ exempla quietis,
Quam cœlesti omnes sperare iubemur in aula,
Si modò non desint operum bona facta piorum.
Hæc quoq; lux illam signat, qua tartara Christus
Soluit, & euicto reditum patefecit auerno:
Dum patriam ille semel uictor rediturus in aulam,
Iamq; malorum expers, humana in carne quiescit.
Sic cessare Deus, sic ocia sumere nouit,
Plus ut agat cessans, pariter sine fine quiescens,
Ac sine fine operans, seriemq; & tempora miscens
Cessando consummat opus, quodcunq; crearat.
Sed qualem, qualiq; Deus formauerit Adam
Materia, hîc paucis cum Mose resumere fas est.
Primus enim meritis, postremus in ordine toto
Factus homo, ut sese rebus præstare creatis
Nosset, & hinc laudes Domino persolueret æquas.
Ergo hominem factura Dei manus optima summi,
Tractatu facilem ac bene gnarum cedere limum,
Et flexum formamq; sequi, qua ducitur arte,
Sumit, & humanam qualem iam mente gerebat
Explicat in speciem, tum flatu immissa uaporo
Vita rigauit humum: tellus mollita liquore,
Vertitur in carnem: et sanguis, qui lubricus humor,
Distendit molles per nota foramina uenas.
Tunc mentis iam plenus homo, tellure relicta
Exilit, ac Dominum prudens rationis adorat.
Haud aliter bustis mandata resurgere apertis
Corpora, cùm Christi cœlo delapsa patenti
Maiestas grauidæ reserabit uiscera terræ,
Exilient, Dominumq; colent terræq; poliq;.
Nam quod non habuit cùm sic è puluere uili
Humanũ in formam compactũ est corpus honorã,
Perfacile est rursum integrũ ut de puluere reddat, A
Quod iam habuit multos cælatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt iussa sepulchris
Corpora, quæq; suas rursum assumentia partes.
Sic nil præteriti est, quod non sit forma futuri.
Sed iã hominis tempus, sedẽ atq; habitacula primi
Pandere, ubi toto acceptum pro semine uulnus.
Eoos aperit fœlix quà terra recessus
Editiore globo, nemoris Paradisus amœni
Panditur, & teretis distinguitur ordine siluæ.
Hîc ubi iam spacijs limes discernitur æquis
Solis, & æternum paribus uer temperat horis.
Illic quæq; suis diues stat fructibus arbor,
Pomaq; succiduis pelluntur mitia pomis:
Quæ iucunda oculis, & miri plena uigoris,
Mẽbra animosq; fouent, pascũtq; sapore & odore.
Sidereos hîc terra uibrat distincta calores,
Semper flore nouo frondens, fructuq; recenti.
Hîc fragiles soluunt calamos, animata uigore
Muneris ambrosij, spirantia cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, uel crine soluto
Fragrat Achæmenius, quod molli diues amomo
Aßyrius, meßisq; rubens Mareotica nardo, B
Quod Tarteßiaci frutices, quod uirga Sabæi,
Balsami lachryma
Quodq; Palæstinus lacero flet uulnere ramus.
Omnia certatim hunc congesta putabis in hortum.
Nanq; huc cuncta Deus pariter, quæ singula certis
Accepit natura locis, conferta regeßit:
Motaq; dum leni uibrat nemus aura meatu,
Vnum ex diuerso nectar permiscet odore,
Fitq; nouum munus, sibi nulla quod aßerat arbor.
Quaq; tremens blando sensim iactata fragore,
Commotis trepidat folijs, sonat arbore cuncta
Hymnum silua Deo, modulataq; sibilat aura
Carmina, nec uacuus uanum quatit aëra motus.
Quippe apud auctorem, qui totum mole sub una,
Res rebus nectens, alterna lege retentat,
Nil temerè fieri uel frustra credere par est.
Quinetiam speciosa, nemus, siluæq; coruscæ,
Argumenta operum sunt, & plantaria rerum.
Nec dubium primi quin delicta ante parentis,
Hîc sua fixissent pariter tentoria secum,
Gloria, simplicitas, studium, sapientia, ueri
Diua tenax, prudentia, gratia, honorq;, salusq;,
Præclariq; animæ affectus, atq; inclyta uirtus,
Et quicquid pulchrũ orbis habet: quid deniq; paucis
Enume-

A Enumerare uelim quàm plurima munera uerbis?
Iam ſatis hoc fidei eſt, læto quòd ſemine ſurgens
Hinc arbor uitæ, celſis petit aëra pomis:
Illinc diuerſo nocitura peritia fructu,
Noticiam rerum ſuſpendit ab arbore legis.
Ad gremium ſacri nemoris, quod ſilua coronat,
Fons ſcatet, & diti prolem uirtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput amne reſoluens,
Ditior Oceano: iugi nam gurgite pronus
Ille ſuos donat latices, iſte accipit omnes,
Nec turget tamen: at minor eſt, qui creſcere tantis
Fluctibus infuſis, quàm qui decreſcere neſcit
Amnibus effuſis: quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati:
Edens naturæ quas dat prudentia dotes,
Gangetiſq; replet populos, atq; Indica regna
Diſtendit limo, terraſq; & ſemina uoluens
Quæ facit arua ſerit, nudis quà ſquallet arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hîc ubi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac uiridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.
Nec minor inde Geon, placidis ſed mitior undis
Niliacas attollit aquas, arſuraq; latè
B Diluuio tegit arua pio, cœloq; repugnans
Temperat Aethiopum ſtagnis refluentibus undas.
Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
It comes Euphrati iuncta quos mole ruentes
Tellus uicta cauo ſorbet patefacta baratro:
Donec in Armeniæ ſaltus ac Medica tempe,
Quos non ſuſtinuit, nec iam capit, euomat amnes.
Sed Tygris, nigro tanquam indignatus auerno,
Proſilit æthereas motu maiore ſub auras,
Et rurſum ſpelæa ſubit, merſuſq; cauernis
Intus agit fremitus, & fortior obice factus
Multiplicatur aquis, atroq; citatior antro
Exit, & Aſſyrios celeri ſecat agmine campos.
Iuſtior Euphrates, diti qui gurgite largus
Irrigat arentes ſubiectæ Perſidis agros,
Mollibus elicitus riuis, atq; omnibus æquè
Seruit, & humanos totum ſe præbet in uſus:
Donec ſiccus aquis, nomen quoq; prodigus ipſum
Conſummat terris. pelagi quod debuit undis.
Hæc igitur cuncto naturæ ditia fœtu
Imperia, & tanta uirtutum dote refertæ
Deliciæ, prima eſt hominis poſſeſſio primi:
In quam deductus, uita exultare perenni
Accola iuſſus erat. tales ergo ille locatus
Inter delicias, & longè pinguia tempe:
Dum ſit adhuc dignus, diſcitq; labore mereri,
Expers mœrorum, curæq; ignarus agebat.
Tantū apud auctorē eſt, meriti pro nomine ſummi,
Nōdū aliquid meruiſſe mali. Quātū ergo putamus
Soluere poſſe patrem reditura in tempora uitæ:
Cuius apud famulos iam tum largitio pura,
Non merces Paradiſus erat? quodq; illa ſeueræ
Legis ſcita tulit, libertatiſq; periclum
Facturus, uitam, ſeruanti iuſſa, recepit:
Spondet adhuc maiora bonis, & præmia ſeruat,
Qui cauſſam meritis ſtatuit: dum Veſcere, dixit,
Arboribus cunctis, hanc tantùm horrere memento,
Quæ diuerſarum geſtans examina rerum,
Noticiam recti atq; mali ſub cortice geſtat:
Nam tranſgreſſores mors cruda & dira ſequetur.
Tali lege data, ratio docet optima, quòd non
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primū hominem, quin ille ſibi mortē attulit ultrò.
Nāq; & in hoc eſt magna Dei indulgentia ſummi:
Dum quod non meritis. ſed tantùm ſponte benigna
Largitur famulis, noſtri cupit eſſe laboris:
Et ſe, quod donat, mauult debere uideri.
At tu quem ſacri nectit cuſtodia iuris,
Ne querere anguſtis quòd clauſa licentia metis;
Parte ſit orba ſui: nil hac tibi lege reciſum eſt.
Antè poteſtatem tantùm terræq; mariſq;
Nactus eras, nunc iam regni uitæq; perennis,
Porrò & mortis habes: tunc ut ſibi cuncta parentē
Indulſiſſe pium rudis incola crederet orbis,
Omne animal, quod iam tellus dare iuſſa crearat,
Effundens tacito uernans è corpore ſemen,
Iuſſit adeſſe Deus, proprioq; obedire tyranno:
Scilicet ut cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet, atq; ſuo factum unumquodq; uocaret
Nomine, natura quod natum eſt ſuapte moueri.
Nec mora, uiuentum parendi haud neſcia, ſiſtit
Omne genus natura Deo: quacunq; uocantur
Mundi parte noui, coëunt animalia in ipſo
Temporis articulo modici: ſiue illa fuiſſent
Molli lenta gradu, aut rapido promptiſſima curſu,
Impete uel ſubito conſueta per aëra labi,
Aut innare undis, aut pondere lubrica ferri.
His Deus omnipotens Adam præſente uocatis,
Vnumquodq; ſuo donauit munere largus,
Arma-

Armauitq́; manu, cornu, pede, dente, ueneno,
Atq; alijs, quibus artis inops animiq́; minoris
Et ratione carens animal ſe protegat, & ſe
Seruet ab aduerſis rebus: ſed nullum animantum
Aequa homini ſpecie uultuq́; habituq́; uigebat.
Aſt homini propè diuinos addebat honores,
Totq́; inter duplici uitam illuſtrantia ſexu
Impar ſolus erat, dudum qui coniugis aptam
In ſe materiem gignendæ ignarus habebat.
Ergo opus aggreditur notũ Deus, ictaq́; raptim
Corda uiri, tanto diſſoluit languida ſomno,
Mentis ut experti coſtam ſubduceret unam,
Inde caro fit iuſſa ſequi: nam ſpontè recedens
Pellis, iter planum coſtæ præbebat eunti,
Illæſis prorſum membris, & corpore ſano.
Quæ uarios operante Deo digeſta per artus,
Accepit formam, calidisq́; animata medullis
Verſa in opus uitæ eſt, ſexu iam grata ſecundo.
Sic permiſſa ſuo formata eſt Eua marito.
Hoc nunc turba loco ſtolidiſsima deſine tandem
Quæſitis animum uanis torquere, nec iſthic
Quærere, cur hominis confecta eſt fœmina mẽbris,
Cùm iam à principio molli de puluere fingi
Poſſet, & ex nihilo. cauſas deſiſte latentes
Scrutari: quanquam ſi coniectare licebit,
Ex homine effecta eſt mulier, cognatio quædam
Mutuum & alternũ inter ſe ut miſceret amorem,
Semet in alternis cogens agnoſcere membris.
Hinc Euam partem eſſe ſui, mox protinus Adam
Senſit ut exultans, tetigit noua gratia mentem,
Mentis & affectus in uiſcera nota receptus
Irruit, & tanto penetrauit in oſſa calore:
Vt iam ſcire daret, quid coniunx eſſet, & uxor,
Quid dulces nati, poſtponendiq́; parentes
Coniugibus, quid nam una ambos in carne manere,
Aeternam pariter uitam ducentibus eſſet.
Porrò dum mundi uitijs & labe carebant
Diuinis uiguêre animis, nullius egeni,
Cùm penes hos eſſet mundi ſubſtantia, & omnes
Quas dabat orbis opes: nec prorſũ obnoxia morbis
Corpora geſtabant, non hos cogebat ad eſum
Pauſæ ignara fames: qui ſi mandata ſupremi
Seruaſſent integra Dei, crudelia mortis
Imperia & diros neſciſſent uſq; dolores.
Callidus at ſerpens Domini perſtringere legem,
Talibus incautam perſuaſit fraudibus Euam:
O' uitæ melioris inops, rerumq́; bonarum A
Gẽs ignara hominũ: neq; enim bona noſſe putãdus,
Qui praua ignorans, etiam diſtinguere neſcit
Quo diuerſa bonis inter ſe limite diſtent.
Atq; ideo auguſtos homini fas carpere fructus
Noluit eſſe Deus: ne mentis nube remota
Immittant in cœlum oculos, atq; optima noſcant,
Sintq́; deis ſimiles. Hîc nunc excurrere paulùm
Fas fuat, & turpes ueterum deflere ruinas.
Ah nimium miſeri gentiles, quos furor egit
In uarios ritus cognomina multa deorum
Fingere, pluralemq́; Deo uocem addere ſoli.
Serpentis primam hanc ſonuit uox impia diri,
Qui mortis tum cauſſa fuit. nam credula poſtquam
Rupit ſacrilegis præſcriptum morſibus Eua,
Experti iam docta mali, conſortia culpæ
Quærit, & incautum fraudis malè gnara maritum,
Qua perijt prior arte petit: ſic hoſte ſubactus
A' gemino, cedit ſceleri miſerabilis Adam,
Pomaq́; deguſtat ſacri pleniſsima ſucci:
Sed quia legis in his ſuberant præſcripta ſeueræ,
Pluſquàm uipereo mortem allatura ueneno.
Vt primùm illicito uiolarunt ora ſapore,
Confeſtim ſenſêre nefas, facinusq́; peractum
Creuit, & ignaro percuſsit pectora ſenſu. B
Hinc timor, inde pudor, ſumpſerunt primitùs ortũ.
Nam dum corda homines celſarum conſcia rerum,
Et cœlo tantùm rectoq́; intenta gerentes
Pectora ad excelſum ferrent conuerſa parentem:
Dum ſecretorum miracula diuinorum,
Claro incorporeæ mentis ſplendore notarent:
Nondum contigerat membrorum cura ſuorum.
Quos ubi deſeruit uitæ uigor ille perennis,
Iam morte affectos, demùm frigusq́; calorq́;
Aëriæ ſubiêre uices, ac ueſtis egenos
Se primùm ſenſère homines, ſexuq́; latenter
Erubuêre ſuo, taciti miſerabile queſti.
Idcirco umbroſæ è folijs noua tegmina fici
Decerptis texunt, poſt culpam, mente receptum
Corpore uelato denudatura pudorem.
Nec ſatis, ignorant, quid agant, quà crimen inuſtũ,
Seq́; ipſos fugiant: cuperent ſi fortè pateret,
Condere ſe barathro, uſq; adeò contermina pœnæ
Culpa ſuæ eſt, ut iam miſeros mortale pauentes
Mortis imago iuuet, ſiluas umbroſaq́; luſtra
Obtendunt, uanis ſolatia falſa tenebris.

A Nam quò te timidum fas eſt ſubducere corpus?
Tete inquam? quæ uox uili de puluere fecit,
Virtus uiua patris, mundi occultiſsima, præſens
Implet, & in penitos exit diffuſa receſſus.
Tu'ne potes Dominum fugiens euadere? tu'ne
Omnia cernentem ſperaſti poſſe latêre?
Vt uaſtis iaceas tenebris, celabere nunquam.
Ergo ubi peccati genitus pudor attigit Adam
Quærentem latebras, mox audijt: Heus ubi es Adã?
Quid uerò eſt quòd te quærit Deus, inſcius an'ne id
Fortè rogat? cui te Domino ſubducere ſummo
Nec mors ipſa poteſt, fragili quam mente ſubiſti?
Cur ubi ſis quærit, niſi quòd te morte doloris
Lapſum ſponte tua, ſecum non eſſe fatetur,
,, Et cœlo cecidiſſe ſacro? ſed ſancta parentis
,, Deſperare uetat pietas, clementia cuius
,, (Fas dixiſſe mihi, fas ſit quoq; dicta probaſſe)
,, Iuſticiam excedit: nec tam me uoce ſeuera
Corripiens, ubi ſis, trepido quid pectore quæras,
Terret: q̃ recreat, quòd adhuc poſt crimina lapſum,
Immerſumq; metu, latebris ac penè ſepultum,
Euocat & reuocat: ne uerò exempla petantur
B Longius, oſtendit culpæ donatio mitem.
Poſtquàm excuſſa reos manifeſtat cauſa parentes,
Incepere Deo cœlum, mare, terra loquente
Contremere, & uaſtos concuſſa aperire receſſus.
Dumq́; reos punit ſententia, tartara condit.
Quandoquidem noſtris uiſum eſt decedere iuſsis,
Iam mihi iuſta nouos feriet cenſura nocentes.
Principiò inter totius uiuentia mundi
Tu maledictus eris, & peior quam tegis intus
Inuida mens coluber: qui cœlum intrare creatos
Deiecisti homines, uetitasq́; attingere fruges
Fraude tua impulſis, prædurae mortis origo es.
Ergo ut digna nefas pœnæ menſura ſequatur,
Ex quo hominem terræ immerſti, tu ſtratus iniquo
Membra ſolo, duram ſulcabis pectore terram.
Et uetitos tentare cibos quia feceris, hinc iam
Vilis ſemper edes ſquallentia uiſcera terræ.
Et quia te dignæ placuit tibi primus ut eſſes
Inuentor mortis, pœna moriere perenni,
Humaniq; odium generis ſpecialiter in te
Ac genus omne tuum bello experiere potenti.
Perpetuumq́; tui, mors ut tibi longa, timorem
Eſſe dabo: pedibus repes, & pectore prono:
Teq́; tuo mulier perimet cum ſemine, cuius
Callidus extremis tantùm inſidiabere plantis,
Vt trepidans etiam capiti ueſtigia figat.
Dixit, & exanguem ſic eſt exorſus in Euam:
Et tu quæ minimo ſolam te perdere fructu
Non contenta, uirum ſimiles temeraria in auſus
Traxiſti: inſtar eris famulæ, ſubiectaq́; duros
Arbitrium ſenſura uiri patiêre labores.
Caſibus & uerò (inceptum quoniam prior auſa es
Multiplicare nefas) ſemper uerſabere multis.
Tum pariens crebris adeò torquebere natis,
Vt quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam lacer æ ſint cauſa parenti.
Tu quoq; cui monitus noſtros, & prima ſalutis
Vincula, fœmineis poſtponere fraudibus auſo,
Sponte mori placuit: talem reus excipe ſortem,
Criminibus tellus, quam tu ſulcabis aratro,
Sit maledicta tuis, ſpinas tribulosq́; minaces
Culta ferat, fallatq́; tuum ſpes improba uotum.
Nec tibi terra fidem ſeruet: tu uiuere lætus
His in delicijs, & cunctis uiuere ſeclis
Sponte recuſaſti: dûro nunc uiue labore,
Perpetuùm quoq; uiue miſer, dum lenta ſenectus
In terram te reſtituat, terræq́; recondat.
Dixit, & ignaros ne cœli iniuria lædat,
Veſte tegit pecudum miſerans, uitamq́; tueri
Edocet: & ne iterum ſimiles exiret in auſus,
Infauſtum mortis formidine percutit Adam.
At ne perpetuam uitali ex arbore uitam
Protraherent, miſerosq́; reos grauiora manerent
Supplicia: in tantis nimium diuturna periclis
Tempora ducentes, dirisq́; obnoxia pœnis:
Continuò ſacris iuſſos decedere lucis
Expellunt uenti, nemoris quos ſilua profundi
Concitat, atq; illos libranti turbine nexos
Aura uehens, ſacra Paradiſi ab ſede repellit.
Ergo hinc eiecti iuuenes, terrisq́; relati,
Perdita dimiſsi ſuſpirant gaudia luci,
Expertes tanti ſpacij, expertesq́; pericli:
Sed non expertes, agitat qui corda, doloris.
Quò ruerint, quid perdiderint, quæ uita ſequatur,
Quæ fuerit, tacita triſtes in mente uolutant.
Porrò etiam quid ſe ſupremo in fine futurum eſt,
Hærent ſolliciti: ſibi num grauiora ſuperſint,
Nulla'ne ſpes ſuperet miſeris: num morte perenni
Perdant, quod ſupereſt: an cùm uia mortis amaræ,
Per lignum ingruerit mundo populisq́; futuris,

Posśit adhuc aliquod per lignum uita redire.

CLAVDII MARII VICTORIS Commentariorum in Genesin

LIBER SECVNDVS.

HActenus arcanam seriem, primordia mundi,
Vt sincera fides docuit, sine fraude cucurri,
Dum dignis letho uitijs terrena carerent:
Nunc hominum mores, & iam mortalia uersu
Aggresso, omnipotens uires Deus adde poëtæ.
Postquam sacratis decedere iussus uterq;
Sedibus ac regnis, genitalia contigit arua,
Inq́; sua stetit exul humo: mirabile quali
Ore, rudes stupeant tam barbara rura coloni,
Quæ non frugifera distinctaq́; arbore uernant.
Nec species placet ulla soli: nam mixta coacto
Pondere congeries confusa mole locatur.
Ardua caute rigent, siluis depressa laborant
Plana, carentq́; herbis, horrescunt edita dumis.
Heu quibus hæc spectãt oculis, quo pectore cernũt,
Quorum animis Paradisus inest? quæ causa doloris
Vna subest, dum cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies longè tristisśima, post tot
Delicias Paradise tuas, & amœna locorum
Gaudia fertilium: quorum uanisśima præsens
Semper adest, tristesq́; animos idea fatigat.
Nunc honor ille sacri nemoris maiore sereno
Irradiat, nunc diuitias succurrit ademptas
Silua beata tuas: nunc pomi dulcior usus,
Nectareusq́; sapor: uiuis nunc floribus halans
Tellus, absenti tristes contristat odore.
O' quàm non eadẽ (exclamant) Paradise rependis,
Immò etiam quanto præ illis hæc dona beatis
Delicijs, peiora facis? sic tristibus illis
Iam uitæ perit almus amor, penuria rerum
Insinuat iam dulce mori, ne maior egestas
Occurrat grauiore malo: nam uiscera terræ
Scrutari uesana fames, & quærere cogit
Quà steriles dat silua dapes: adeò usq; malignis
Herbarum dubias pasśim radicibus escas
Explorare iuuat, uentremq́; explere latrantem.
Tandem cunctarum, quibus indiget usus, egenos
Atq; inopes rerum, docuit sors ultima summi
Auxilium sperare Patris: tum stratus uterq;
Membra solo, lachrymis tantùm mutoq́; dolore
Quæ nequeunt uerbis poscunt solatia uotis:
Dum pudor internis subducit uerba querelis.
Ergo ubi cognouit mutæ sibi reddita linguæ A
Munera, consurgens tali prece supplicat Adam:
Omnipotens, auctor mundi, rerumq́; creator,
Quẽ mihi labe mali infensum atq; audacibus ausis
Constitui, felix olim, dum uita maneret,
Et celeres animos uisu super astra daretur
Posse sequi, latè circùm perq́; omnia fuso:
Hos ego cur oculos tua quondam arcana tuentes,
Vel iam non habeo, uel magna ex parte minutos,
Et tetro clausos terreni carceris antro:
Vt iam nil ueri præter mortalia quædam, &
Fluxa uidere datum, ac mundũ in peiora labantem?
Atq; ideo Omnipotens, qui semper totus ubiq; es,
Ad te confugimus, trepida te mente precamur:
Exaudi miseros, quos semper cernis & audis,
Cùm me olim parti damnatæ annectere uellet
Ille caput scelerum, mundi infensisśimus hostis:
Nil per se solum, ne uictus cederet, ausus,
Serpentis formam accipiens, & coniugis illa
Arma meæ, duro confecit uulnere: sic nos
Artificis scelerum fraus improuisa subegit.
Cumq́; ego damnarer iusta pro crimine pœna,
Agnouit culpam tanto mens ista dolore, B
Vt mihi me de me pœnam præbere putarem.
Idcircò & gemitus pœnæ, lachrymasq́; negaui,
Amplexusq́; animo solatia dulcia pœnæ,
Hanc ipsam posthæc sacra inter munera ponens
Pro uenia sceleris: non iam detrecto labores,
Quoscunq; addideris. tamen interea optime iudex
Si iuuat, exaudi nil in tua iussa precantes.
Nec iam istud lachrymis & mœsta uoce precamur,
Iudicij censura tui quò se illa resoluat,
Tota sed ut plenas teneat sententia uires.
Iusśisti mota uictum me quærere gleba,
Et steriles spinas sparsa pro fruge leuandas
Dixisti, & tribulos pro fructibus: ergo serenda est
Vt fallat mea uota seges, quæsita labore.
Noscere da quæ sint segetes, quo more serendæ,
Fructiferæ quæ sint herbæ, quæ forma laboris.
Da Pater auxilium miserans, ijsq́; imbue sensus:
Tunc erit ut rerum compos, & certa salutis
Seruiat Eua mihi, sæuumq́; experta parentis
Supplicium, pariat populos ut crimine nostro
Plectantur, purgetq́; patrum peccata, nepotum
Mortibus æternam faciens successio pœnam.
Interea dum sic orant, serpentis imago

Indice

Indice uiſa metu tacito ſe tramite ferre
Leniter, ad molles ſpiris reptantibus herbas:
In ſe conuertit trepidos, diriq; doloris
Excuſſo ſenio cognatas traxit in iras.
Et prior Eua uiro: Si te ſuprema malorum
Cauſſa mouet, rape ſaxa manu, datur ecce facultas
Auctorem lethi letho dare: callidus ille
Supplicijs doceat proprijs, & morte cruenta,
Quàm ſit triſte mori, qui me malè perdidit, & te.
Dixit, & elapſum curſu petriſq; ſequuta eſt
Mißilibus: quin & duras per robora cautes,
Quò ſe reptando condebat callidus anguis,
Ambo proijciunt: quarum rigido una lacerto
In nudum caſu ſilicem dimiſſa reſultat,
Scintillamq; ciet: ſicco quæ è fomite nata
Exijt in flammam, & crinita incendia latè
Extendens tota iam ſilua ardebat adepta.
Hic horrent, latebraſq; gradu trepidante requirũt.
Sed pauidos ſtupor ipſe tenet, curamq; ſagacem
Inijcit inſolitæ flammæ: quam cernere rurſum,
Et timidi ſpectare uolunt: paulum ergo remoti
Telluris dorſo ſterilis mirantur opacas
Defluxiſſe comas, nemorumq; horrere fauillas,
B Fuſcariq; diem, totas ſplendeſcere terras,
Et lucem ſub ſole nouam: nec mente quieta
Accipiunt crepitus ſtridentibus undiq; ſiluis,
Vndanteſq; globos flammarum in ſidera latos,
Nec quòd radices immerſus tendit in imas
Ignis edax penitus: ſumpto quo uicta calore
Terra ſuas pandit generoſa ad munera uenas.
Quæ cùm iam cuncto ſiccata liquore fuiſſet,
Mox fieri liquor incepit, riuiſq; metalla
Fundere quæq; ſuis, fuluo hinc torrente coruſcat
Auri ſummus honos, candenti lacte renidens
Effluit argentum, rigor æris lubricus errat,
Et cogit in mollem reſoluto corpore maſſam.
Vis breuibus formam ardentis comprendere ſiluæ?
Sulfureæ uolitant nemoris per opaca fauillæ,
Non aliter quàm dum ruptis ſicca Aetna caminis,
Egerit immixtis ſtridentia ſulfura flammis:
Tum ſe decoctis tellus pinguißima glebis
In fœtus mouit uarios, quos imbre marito
Parturiens putri diſſoluit rura meatu,
Qua tumidi crepuere ſinus, elataq; meßis
Extitit, & motis undans trepidauit ariſtis,
Diſceret ut ſpeciem ſegetis nouus accola cultæ.

Nil tamen hinc longus quicquã ſibi uendicet uſus,
Nil caſus uirtutis inops, Deus omnia noſſe
Quæ bona ſunt cum luce dedit, mundoq; minori,
Quicquid maior habet, ſacro innoteſcere ſenſu,
Seq; per hæc uoluit: quòd ſi illibata maneret,
Vt data mens homini eſt, nulliq; obnoxia culpæ:
Non illam ſpecies, non illam corpora rerum,
Non modus aſtrorum, numerus nec mollis arenæ
Falleret, aut quantis cum magno terra profundo
Extenſa eſt ſpacijs, aut quæ menſura peractæ eſt
Molis: quid reſonet motu ſeptemplicis axis
Harmoniæ uocale melos, nunc diſcitur uſu
Aßiduiſq; datur ſtudijs: quanquam arte uel uſu
Quod capimus, Domino ſemper donante tenemus.
At uerò ad primos ut ſe digreſſa parentes,
Noſtra chelys referat, iam quæſo attendite paucis.
Pulſus ab auguſtis Paradiſi ſedibus Adam,
Nullũ habuit prius officium, quàm coniugis uſum,
Atq; omnem natis operam nauare creandis:
Ergo ubi prima domus natis iam plena duobus,
Inter tam uarios ſolatia multa labores
Attulit, atq; nouum ſe uidit uterq; parentem,
Multiplicata graues releuauit cura dolores:
Et ſpes iam ſubijt proprijs gaudere miniſtris,
Ruris in officio: quorum qui maximus æuo,
Arua Cain duris uertebat pinguia raſtris.
At uiuo gaudere lucro digniſsimus Abel,
Collibus in nudis & ſicci germine campi
Innocuas paſcebat oues, & lacte parentes.
Verùm expectati ſenſêre ut gaudia fructus,
Diuino intuiti uinci ſua uota fauore:
Mox decreuit uterq; ſui libamina fructus
Prima dicare Deo. ſacras prior impedit aras
Frugibus ille nouis, niueo magis hic litat agno.
Prima ſacerdotum ſpecies, mox hoſtia fratris
Impia, ſed Chriſtum longè tamen antè figura   Abel opilio X̄pi typus
Signans. perpetuus nam cùm foret ille ſacerdos,
Summi Melchiſedech ex ordine: protinus in ſe
Conflata inuidia, & fratrum liuore ſuorum, eſt
Hoſtia ſaluifica dum pendet ab arbore factus.
Sic olim antè ſui præſenſit candidus Abel
Inuidiam fratris: nam cùm de fruge litaſſet
Iſte ſua, niueo ille agno, mox protinus altum
In cœlum aſcendit combuſto fumus ab agno.
At contrà per inane uolans de frugibus illis
In terram redijt fugienti fumus Olympo:

Aut quòd peiores Domino ſacrauerat, aut quòd
Illi non gratum eſt, animo quod prodit auaro.
Inde Cain tamen inſanas flammatur in iras,
Inuidiæ ducens illo de fonte uenenum,
Vnde propinarat ſerpens, fratremq́; cauendi
Ignarum, ſæua mactatum cæde trucidat.
Heu facinus, Quò non miſeros furioſa libido,
Quò non ira, recens odium, & uis improba cogit?
Quid meret innocuus frater? num ſanctior ille
Quòd fuit, interimi meruit? iam facta parentum
Non eſt poſteritas quòd quicquam accuſet, & ipſi
Flagitium addidimus: iamq́; eſt quod callidus anguis
Obijciat, ſi fors illum accuſare uelimus, (go
Quòd morimur: nãq; ad cumulũ prima illa propa-
Criminis, adiecit mortem, culpamq́; parentum
Inductam mundo (horrendum eſt id dicere) fecit
Impietas ſcelus eſſe nouum. ſic impie, ſic tu
Dire Cain primore nouum cæde inficis orbem:
Pro qua perpetuas pœnas iam morte ſolutus
Aeternumq́; dabis, longè ſerpente nefando
Deterior, tua metimur ſi crimina: nanq;
Attulit ille necem nobis, non intulit: at nos
Cepimus allatam, tu uerò hanc primitus infers.
Tantò illo peior, uitari publicus hoſtis
Quòd potuit: tu priuatus nulla arte caueri
Iam poteras: Quis enim dilecto à fratre timeret?
At uerò nulla eſt hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modò pœniteat facti: quod teſte Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde madentem,
Non indignum habuit (tanta eſt clementia) ſeſe
Correptore Deus, quin blanda uoce rogatum,
Frater ubi ſuus ille foret, facinusq́; negantem
Arguit, & leuiter tanto pro crimine punit.
Nã profugũ tantùm atq; extorrẽ ab utroq; parente
Longius amandat, uaſtasq́; relegat in oras,
Et iubet à patrijs confeſtim excedere terris.
Hac etiam longè miſero feliciter in re
Gratificans: grauior nam multo eſt pœna uideri
Inter felices, & pura mente beatos
Victuro, poſt ſupplicium, factiq́; pudorem.
Vtq́; ſit exilium leuius, comes additur uxor
Fida reo forſan, ne deſperatio ſolum
Arriperet: tum etiam quæ duras pectoris ægri
Molliret curas, & moto corpore fractum
Siſteret amplexu: nulliq́; obnoxia culpæ,
Et Dominum uotis, & pura mente colendo, A
Eliceret quicquid poſſet ſatis eſſe duobus.
Sic multa extorres comitatur gratia, quorum
Auxit multiplicans per nomina mille nepotum
Progeniem Deus omnipotens, regemq́; Cainum
Eſſe dedit populis, quos cingere mœnibus urbes
Erudijt, prælonga uidens in tempora natos.
Interea mœſto rurſum grauis Eua marito,
Penſarat primum ſancto iam pignore damnum,
Reddideratq́; iterum nata iam prole parenti
Multiplices animi curas, & mixta labore
Gaudia: Seth puero nomen fecêre, uice Abel
Quem dedit omnipotens illis Deus: unde ſecuta eſt
Poſteritas, cuius de ſemine prodijt Enos,
Qui primus tacita lectus uirtute ſacerdos,
Poſſe ciere pijs precibus, uotoq́; potentem
Sperauit, meruitq́; Deum, populumq́; ſecutum
Imbuit, æterni cultum ſeruare Parentis.
Cuius de ſerie pollens uirtutibus Enoch
Deſcendens, meritis etiam non impar auitis,
Redditus in ſedes patrias orbemq́; beatum,
Viuit adhuc, & habet uitæ iam regna futuræ.
Hic iuſti proauus Noë: ſub tempora cuius B
Infecit totum ſtudijs concordibus orbem
Culpa frequens, uitijsq́; ſequens adiunxit auitis
Poſteritas uitium: quapropter mille per annos,
Aut propè, maiores cùm uiuere conſueuiſſent,
Ne peruerſi hominum mores creſcentibus annis
Augmentum acciperent, uitijs ut terminus eſſet,
Maxima uita hominũ luſtra ad duodena redacta eſt.
Nanq; Cainigenum cùm ſe coniuncta prophanis
Damnaſſet thalamis in peius prona iuuentus:
In uarium facinus, ſuperûm deſerta fauore,
Proſilit, inq́; omnes currit temeraria lapſus.
Tum Deus auerſo tam multa ob crimina mundo
Confeſtim infenſus, uoces erumpit in iſtas:
Nequaquam poſthæc humana in gente manebit
Spiritus ille meus, uitam nec proferet ultrà:
Viuere biſſenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum: quoniam terrena ſequuti
Plus carnis quàm mentis habent. ſic ergo ſeuera
Aeui conſtituit tempus ſententia certum
Iudicis immoti, longæ ne tempora uitæ
Criminis augendi cauſſam præſtare ualerent.
Flagitij quid enim iam non auderet iniqui
Impia gens hominum? nam magna mole Gigantes
Monſtra

A Monstra horrenda hominum, uario de semine nati,
Nil non audebant: quis una & maxima uirtus,
Non fore ad extremum prauos: quos dira libido
Crimen in omne trahēs, nullas sine sanguine noctes,
Aut sine cæde dies unquam ductare sinebat:
Immemores iuris diuini, hominumq́;, suiq́;,
Affectusq́; pij, matrumq́;, patrumq́; suorum,
Auctorisq́; Dei: tantumq́; in crimina summa
Processū est, homines Dominū ut formasse pigeret:
Vt peruersa etiam Deus ob peccata nocentum,
Criminis expertes animas, conuoluere uellet,
Atq; superfusis terras immergere lymphis,
Rursus in antiquam mundo redeunte figuram.
Vnus erat Noë iustus, quem propter in iras
Differret prodire Deus: quem uita fidelis
Iam per quingentos immunem criminis annos
Duxerat, & sancta degentem in lege probarat.
Cui sic sancta Deus pandens arcana reuelat:
Iamq́; hominum uitijs infectam turpibus omnem
Aëra cum terris in deteriora relapsis
Eluere, & tumido uisum est submergere ponto:
Vt dum cuncta ruens operit, iussusq́; residit
B Gurgite præcipiti, pollutum diluat orbem,
Implicitosq́; homines, et quicquid uiuere iussum est.
Caussa hominum, inflati conuoluat labe profundi.
Sed quia tu solus cui cordi nostra uoluntas,
Deuotum sanctis duxisti legibus æuum,
Peruersis semper uoto meliore repugnans:
Sic decretorum moderabor iura meorum,
Vt mihi cùm iustas luerit gens impia pœnas,
Purgatæq́; orbis fæces: tum dignius à te
Incipiat mortale genus, summumq́; parentem
Te numerent populi, post hæc qui tempora uiuent.
Quadratis igitur trabibus contexta paretur
Arca tibi, cubitis sed quæ sit longa trecentis,
Lata quaterdenis denos super: aëra in altum
Terdenis surgens; cubitali ornata fenestra.
Insuper à læua ponatur ianua parte.
Tunc calidum bibula spirans compage bitumen
Exploret, tenues & uestiat undiq; rimas.
Cumq́; triplex spacium discreuerit area duplex,
Sic discernantur proprijs animantia nidis,
Ne uiolent permixta genus, commissaq́; pugnent,
Confundantq́; cibos, quorum te condere par est
Tantum materiem: nam dispensata receptis
Ne desit, præstare meum est. Hæc mente fideli
Noë concipiens (sensum ipse animumq́; ministrās,
Velle & posse dabat famulo, quodcunq; iubebat)
Iussum opus aggreditur, densas prosternere siluas
Incipiens, atq; annosas proscindere quercus.
Admittunt luci radios, umbrisq́; leuatur
Campus, & æquæuo spoliantur robore ualles.
Sed cùm tam multo fuerit properata labore,
Summa operis cœpti centum differtur in annos,
Vt bona uita sequens, uitæ delicta prioris
Emendet, mutetq́; feros gens impia mores.
O miseri, quos tam iustæ dilatio pœnæ
Plus facit esse reos: nec iam pro crimine tantùm
Præterito, at longè grauius plectentur ob ipsum
Temporis indulti spacium, ueniamq́; neglectam:
Cùm testaretur se parcere malle reuersis,
Tempore dilato Dominus. Iam mole peracta,
Machina constabat laterum compage capaci,
Diffugium quod supremum pater ipse pararat
Naufragijs natura tuis, rapidisq́; fluentis.
Tum Deus è celso famulum dignatus Olympo,
Voce monet Noë, summum iam tempus adesse,
Condere se latebris, natos cum uxore, nurusq́;
Eripere instanti exitio, mortisq́; tenebris,
Cunctaq́; uiuificis animalia reddere claustris:
Siue ea terra fouet, seu clarus sustinet aër:
Singula de mundis septena, & singula bina
Ex ijs quæ sacris minus apta, immunda uocantur.
Nec mora fit, quicquid conuexo cardine cœli
Nascitur, ignotum diuersis partibus orbis,
Quod stupet Eous, quod pallidus horret Iberus,
Australis Libyæ calidis quod nutrit harenis,
Scindit Hyperboreas miro quod lumine noctes,
Festinat trepidans, & apertæ immergitur arcæ.
Diluuium dicas iam præsensisse, Deoq́;
Auctori parēre suo, & pecudes ratione carentes
Plus quàm imprudentes homines ratione ualere,
Etsi nil sapiunt. Ergo omni semine uitæ
Prægrauidam ut primū claudi Deus imperat arcā,
Nox ruit, & subitæ cœlum obduxēre tenebræ,
Effusoq́; cadens terras ferit aëre nimbus,
Et furit, & toto pariter desæuit in orbe.
Nec satis excidio est qui nubibus effluit imber,
Antiquæ laxantur aquæ, iamq́; æthere aperto
In nubes uacuas cœlum pluit, & reserata
Defluit in lymphas mundus cœlestis abysso,
Atq; nouos pandit fontes, torrentibus æquos.

Dumq; uno immixtum raptim ſe gurgite iungit,
Quod cœlũ, quod terra uomit, quod nubila fundũt:
Inuoluit merſos mixtis cultoribus agros,
Implicitosq; greges ſtabulis, cum ciuibus urbes,
Obruit inter aquas: populiq; natante ruina,
Nulla manet rerum facies: tegit omnia flumen,
Creſcendoq; ſuum perdunt & flumina nomen.
Mox etiam curſu, nullis ſatiabilis unquam
Amnibus Oceanus, tam magna mole ruentes
Iam præſentit aquas: aucto quas gurgite maior
Pellit, & in cumulum redeuntes ſurgere cogit.
Donec contractis æſtum attollente profundo
Vndiq; littoribus ſummo ſe circite iungit
Fluctus, & oppreßis concurrunt æquora terris.
Et iam terquinis ſuper omnia celſior ulnis
Arca ferebatur (nanq; hæc menſura ſupremos
Exceßit montes) cùm quadraginta diebus
Vnius pluuiæ furor, & mors una fuiſſet.
Ter quinquagenis dehinc ſolibus aëre ſudo
Conſimilis ponti modus & menſura remanſit.
Dum Pater omnipotens iamdudũ in carcere gentis
Concluſæ miſerans, terris abſcedere magnum
Paulatim iußit pelagus, ſenſimq; relabi:
Ne raptim fugiens terras ſubuerteret omnes,
Et ſtabilem in ſedem tellus ut ſicca mearet.
Deniq; diffuſo planus mox aëre uertex
Prodere ſe cœpit pedetentim, & ſumma uideri
Poſſe iuga, ac planos ſcopulis deſcendere fluctus,
Cumq; reſidenti ſenſim prorumpere ſiluas
Aequore, & occultos paulatim ſurgere colles.
Iamq; niger patula ſpeculator miſſus ab arca,
Aëra reppererat placidum, prædaq; reperta
Non iam curabat conſueta in clauſtra reuerti:
Ergo emiſſa ſemel uitali è ſede columba,
Nil referens certi, rurſum dimiſſa reportat
Paciferæ frugis paruum libamen oliuæ.
Tantus ad indicium hoc, magni cum laude parẽtis,
Clauſorum fletus, quo ſe gaudere reuelant,
Exoritur: quantus muris cùm uictor acerbus
Inſultat, ſubitum obſeßis ſi fortè feratur
Auxilium: quantus cùm iudice miſſa modeſto
Addictos rurſum uitæ ſententia reddit:
Quantus in ambiguum funus cùm uita recurrit
Inter lugentum lachrymas & gaudia fletus.
Poſtquam rurſum ſpeculatrix arua patêre
Nunciat, hoc ipſo terris quòd miſſa receptis
Non rediit, tædet pigras perferre latebras,
Et iuuat ad cœli uentos ſpirare patentis, A
Atq; animam æthereo laxatam paſcere ſenſu:
Sed nulli clauſtro fas eſt exire patenti,
Donec relliquias illuc qui iuſſerat orbis
Ingredier, iubeat ſacris excedere clauſtris.
Cœlitùs admonitum fida cum coniuge Noẽ,
Cumq; domo, & natis pariter, nuribusq; pudicis,
Et noua deductis iterum dare rura colonis,
Cunctaq; ſuccíduæ ſeruata animantia proli,
Iam captiua diu clauſtris emittere apertis,
Quæ bonus humanos opifex ſeruarat in uſus.
Quæ poſtquã data porta, ruunt: pars aëra pennis,
Pars ſaltus, ſiluasq; petunt: pars merſa cauernis
Infoditur patulis: terræ pars libera campis
Exultat ſiccis, & prato uernat aperto.
At uerò mundi ſortitus regna ſecundi
Cuncta oculis Noë luſtrans, ac mente capaci
Accipiens, animumq; uolens ſaturare replendo,
Cuncta haurit, rapido perluſtrans omnia uiſu,
Vt noua miratur: noto fulgentior ortu,
Et magè ſol rutilus ridet: maiore ſereno
Leta poli facies, & deſperata uireſcunt
Fœtibus arua nouis: ſed adhuc uerſatur imago
Ante oculos, tantæ ſemper memoranda ruinæ. B
Inter aquas quid pertulerint, quid munere ſacro
Non etiam tulerint, fremeret cùm uerbere ſæuo
Pontus, & illiſas contemneret arca procellas.
Cumq; ſuis Noë quàm prompta & læta reuoluit,
Se circùm ſummi fuerit largitio Patris:
Cogit & attonitos mirari ac uoluere ſecum,
Vnde tot eſca animis toto ſuffecerit anno,
Quis potus. nanq; hoc conſtat, ſi cætera uitæ
Suppeterent, clauſos, dum fluctuat arca, perire
Inter aquas potuiſſe ſiti: niſi rector Olympi
Depoſitos, hominum auxilio donoq; carentes,
Suſtinuiſſet, eo quo condidit omnia nutu.
Ille animas longæ perituras carcere noctis
Affectu lucis ſpolians, uirtute repleuit.
Ille ut tam ſegnem poßint perferre quietem,
Infudit pigri placidum torporis amorem:
Omnipotens quid enim non eius dextera poßit,
Qui gelidi raptim merſos ſub gurgitis undas
Cùm uiſum eſt ardere facit, flammasq; ſub ipſas
Algere inuectos? & qui nunc tempore paruo
Poſſe perire homines docuit mergentibus undis,
Oſtendet flammis atq; undis poſſe renaſci.

CLAV-

CLAVDII MARII VICTORIS
Commentariorum in Genesin
LIBER TERTIVS.

A Talia mente gerens, uenturaq; secula cernens,
Non prius officij quicquam seruatus inire
Constituit: quàm sacra Deo laudesq; rependat,
Gratesq; euaso referat discrimine Noë.
Mox niueo sacra exurgunt altaria saxo,
Agnouitq; hæc prima recens altaria mundus.
Antea totus enim, conuexo tramite cœli,
Templum mūdus erat, tum dudum ad sacra paratis
Affuit è gregibus septenis hostia præceps:
Seu uolucrum ex specie, mollis quas sustinet aer:
Siue ex his quæ terra parit: nam septima quæq;
Aris sternuntur deuota animalia sacris.
Aethereo tum mox ignis demissus Olympo,
Libat odoratos ad sacra altaria fœtus,
Ambrosiumq; Deo flagrant holocausta uaporem.
Et quanquam nostri nil muneris indiget, ille
Totius mundi Dominusq; Deusq; : suorum
Attamen officijs uenerari, & munere gaudet.
Qui lymphis tandem sic Noë affatur ademptis·
B Etsi parua fuit, tanto pro crimine, pœnæ
Vltio, uindicibus pluuijs, cœloq; refuso
Tot scelerum damnasse reos, sedemq; nocentem
Terrarum, mage diffuso purgasse profundo:
Non tamen offensi, feriemus uerbere tali
Vlterius mortale genus: quamuis ruituras
Per uarium facinus, per crimina pristina rursus
Humanas mentes uideam, gentesq; profanas:
Non tamen interea cessabit dextera uindex,
Supplicia iniustis quæ reddat, præmia iustis.
Vos igitur, quos uita probat iustissima nobis,
Crescite securi, & fœcunda prole referte
Arua, nouosq; greges longis distendite terris.
Seruabunt elementa uices, cunctisq; diebus
Sparsis seminibus reddetur debita messis.
Curret opus mundi compar, discordibus horis.
Aestati certabit hyems, ac tempora librans
Veris & autumni fugiens replicabitur annus.
Vosq; (quibus regnum solidi permisimus orbis)
Tota tremet, metuetq; ampli substantia mundi.
Imperium ecce damus uobis res prorsus in omnes,
Totq; inter species rerum: quæ sponte mouentur
Carnea membra quidem uestros largimur in usus,
Quanquam interdictum uobis à sanguine uiui
Esse uolo: quem si quisquam ederit, haud secus acris
Illum iudicij plectet sententia, quàm si
Hauserit humana fluidum de cæde cruorem:
Quem repetam semper uindex, adeoq; requiram,
Vt mihi non solus pendat rationis abundans
Supplicium, sed bruta etiam: cruor omnibus æquè
Sit sacer humanus. Verùm ne postea quisquam
Diluuium metuat, tali sit fœdere tutus·
Cùm leuis in nebulas pendens se uerterit humor,
Et nigras cumularit aquas in concaua nubes,
Effundam radios, & pulchrum circite summo
Arcum componet mihi solis imago recuruum,
Pingentem conuexa poli, qui luce colores
Exhibeat uarios, & in aëra dißipet imbres,
Ignis plus habeat rutilans, & iam minus imbris:
Quod sibi uenturi specimen præsumere signi
Posteritas secura potest, ut fœdere tali
Posthæc diluuium credat non esse timendum.
Talibus attenti imperijs cum coniuge Noë,
Post habitas Domino grates, laudesq; repensas,
Certatim & limo dulciq; uligine læta
Arua pater natiq; simul, quis firmius æuum,
Mox subigunt rastris, & semine rura maritant.
Tum uere effusis latè densißima campis
Herba uirens, flauas cùm durauisset aristas,
Solis ob ardores in frugem lacte gelato
Reddit multiplicem cumulato fœnore messem:
Et noua prægrauido iam palmite uinea, diti
Luxuriat fructu, tortaq; ex arbore nectar
Parturit & duro nascentia pocula ligno.
Fortè Deo Noë celebrabat lætus honores,
Indulgens sacris epulis, uinumq; propinans
Prima è uite nouum: quo demum largius hausto,
Hinc alto grauidus somno, membrisq; solutis,
Non benè composita cùm ueste iaceret, humiq;
Prostratus, spectanda daret genitalia natis
Membra suis: uni tibi Cham teterrime risum
Mouit origo tui. nec iam peccasse sat uni
Esse tibi credens, fratres aspergine culpæ
Contendis maculare tuæ: sententia multò
Quos melior, meliorq; animus, detecta parentis
Obiecta docuit cælare uirilia palla:
Nam patrium auersis manibus texêre pudorem
Sem simul atq; Iaphet, tali dignißima patre
Pignora, quos ideo fratris dedit esse minoris
Iure pater dominos, somno uinoq; solutus.

Qui mox natorum euigilans benefacta suorum,
Et Cham demeritum tali mercede rependit.
Cham tu, inquit, maledictus eris, seruusq; tuorum
Aeternùm fies uentura in secula fratrum.
Sem uerò benedictus erit, fratremq; minorem
Participem secum communi sede bonorum
Efficiet, quorum latè possessio currat.
Hæc fatus senior, cùm iam decurreret annos
Mille minus decies quinos, in pace quieuit.
Interea Domini dum sancta in lege uigeret
Posteritas, multis iamq; aucta nepotibus, & se
Cœlorum ac terræ Domino committeret uni:
Tunc sanctis hominum parebant omnia iussis,
Terra grauis, liquidum pelagus, uegetabilis aër.
Non opus arte illis, cœlesti nanq; magistro
Omnia discebant: sed postquam in crimina mundus
Exijt, & latè uitijs sese abdidit imis,
Perdidit insigne hoc munus damnata propago,
Oblitamq; Dei plures effingere diuos
Non puduit: tanti est supremi obliuio Patris.
Tum grauis inuentor lethi cessare capacem
Fraudis materiem non passus, cuncta maligno
Subdidit arbitrio, quò fatum induceret orbi,
Suaderetq; Deum uel iam non esse, uel ista
Inferiora huius contemnere munia mundi.
Ergo res hominum cunctas, euentaq; rerum
Quæ Domino fuerat par assignare supremo:
Assignare uagis persuasit subdolus astris,
Atq; auium spectare fibras, motusq; uolantum,
Et studio ingenti magicæ scelus intulit artis,
Et plures orare deos, idolaq; muta
Aut magis idolis latitantem semet, in ipsis
Suasit adorari, multo magè dignus aduri.
NEMROTH Inq; nefanda prior descendit crimina Nimroth,
CHAM Impietatis apex: Cham seruo è semine natus,
Mole & mente Gigas, Babylonia regna gubernãs.
Persarum hic animos capiens, uenator iniquus,
A' ueris Domini sacris traduxit ad ignem.
Nec modò plus æquo cupidis, hac arte sagaci
Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis,
Illusit curis hominum, sed mentibus ipsis
Irruit, & sensus penitùs descendit in omnes,
Mox & in affectus: nam cùm patris unica proles,
Spem generis letho secum traxisset acerbo:
Infelix Nimroth, lachrymas noctesq; diesq;
Continuans, hebetiq; trahens plangore querelas
Dum furit, & raptum quærit per singula natum: A
Effecta mœstum solatur imagine luctum,
Et Pario effectam filij de marmore formam
Credidit infelix incluso uiuere sensu,
Et questus audire suos: mox inde dicatis
Erectisq; aris diuinos addit honores,
Inq; loco iubet esse Dei. tum protinus omnes
Amplexæ gentes scelus hoc, crimenq; sequutæ,
Pro dijs quæq; suis charos habuêre parentes.
Pòst etiam simili reges in honore locarunt,
Dixeruntq; deos: quorum sub nomine mendax
Græcia, dum ueris falsa insinuare laborat,
Addidit obscuras uanis rationibus umbras,
Excusans tumulos atq; indita nomina bustis.
Donec per species sese dementia cunctas
Proderet, & rebus minimis membrisq; pudendis
Nomen inane Dei mundo ridente daretur.
Talibus errorum salebris fomenta daturus,
Ambigua inuentor lethi responsa ciebat:
Vsus ad insidias aut igni, aut fonte calenti,
Aut terra ex antris uentos spirante loquaces,
Et falsum uani sibi nomen Apollinis indens.
Talibus à Domino gentes trux ille remotas
Captabat laqueis, quò ducens cunq; uolebat: B
Tanti est à sancto Domini discedere cultu.
At uerò egressi unde sumus, redeamus ad illam
Maiorum seriem, quæ paucos aucta per annos,
Vsq; adeò excreuit, quòd mox Oriente relicto,
Inde nouas alibi compulsi quærere sedes,
In campum (Sennaar ueteres dixêre) patentem
Perueniunt: cumq; his etiam discedere terris
Cogitur, in uarias partes spargenda iuuentus,
Cœpit in hæc mœstas tristissima uerba querelas:
Heu quàm non certus uitæ status ordine cœpto
Fert homines? quamq; ignaros uel prospera fallunt
Per uarios casus? quàm uoti summa petiti
Tendit in aduersum? iam nos (si dicere fas est)
Quòd sperata patrum precibus numerosa nepotũ
Creuit turba, piget: spargenda est quippe per orbẽ
Exilio cumulata manus, periuraq; longè
Finibus à patrijs: nos ergo sic'cine tandem
Longa pauperie defecta, inhonoraq; membra,
Ignotis dabimus passim tumulanda sepulchris?
Nec saltem miseri tumulis claudemur auitis?
Nullaq; erit nostri post mortem fama superstes?
Quare agite ô iuuenes, dum uires turba ministrat,

Quæ

A Quæ uobis superest, quæ finem nesciat ullum,
Egregiam æternis famam dimittite factis.
Vrbem condamus, cuius sub mœnia turrem
Vsq; attollamus, donec pingentia cœlum
Sidera, & excelsi conuexa attingat Olympi,
Nescia posteritas ut nos hinc orbe relicto
In cœlum migrasse putet: sic mota iuuentus
Contemnunt cautes, & quicquid monte reciso
Defluit, ac domitæ fictos de uiscere terræ
Constringunt igni lateres, operisq; futuri
Materiam proprio malunt debere labori:
Hanc interstratum sic nectit utrinq; bitumen,
Vt solidas simulent circundata mœnia cautes.
Mox turris properata subit, mox uertice nubes
Transilit, ac fruitur cœli propiore sereno.
Tum Pater omnipotens cœlesti uoce senatum
Congregat angelicum, turbæq; insana superbæ
Facta stupens, isthæc regni consortibus infit:
En terrena phalanx quò iam temeraria pergat,
Cernitis, & quantos imprudens tendit in ausus.
Mortali quæ structa manu contingere celsos
Credit posse polos, & ad æthera ducere nostrum.
Cùm nemo indutus terreno corpore, cœlum
B Ascendat, nisi qui cœlo descenderit alto.
Sed quia gens una est, eadem quoq; forma loquẽdi,
In componenda persistent turre, nec antè
Desistent, quàm mutua opus consensio cœptum
Finierit: tanta est humanæ insania mentis.
Ergo agite (ut uetitũ norint, quod posse negatũ est)
Iam descendamus, tumefactaq; corda superbo
Consensu, uarij turbemus uocibus oris:
Vt quod peccarunt concordis crimine mentis,
Confusæ damnet melior discordia linguæ.
Dixit, & intentos operi, molemq; leuantes
Mentibus attonitis, subiecta obliuio primùm
Intrat, & ignotæ subit imperfectio linguæ.
Increpitant operis studio cessante magistri
Cunctantes socios, sed uocem nemo remittit,
Non intellectis: quòd si quis tentat, inane
Sibilat, aut rupti fremitu sermonis anhelat.
Sic uanum praua susceptum mente laborem
Destituit frustrata manus: iam nemo propinquum,
Nemo patrem sequitur: quẽ quisq; intelligit, addit
Agglomeratq; sibi, sociumq; adiungere curat.
Dumq; perit diuisa huius cognatio gentis,
Gentem lingua facit: sparguntur classibus æquis,
Diductasq; petunt uario sub sidere terras.
Haud aliter uolucres campi per mollia plana, Simile.
Quis gregibus mixtis errare & quærere uictum
Persuasit secura dies, cùm nocte propinqua
Frondea tecta petunt, exempto cùm grege turba
Vulgus quæq; suum sequitur, rapidoq; uolatu
Miscentur, similis quà duxerit aut color aut uox:
Sic tunc in partes populus se dissecat unus,
Et species fit quæq; genus, longeq; remotis
Considunt terris, atq; orbem gentibus implent.
Nec tamen hoc sacri (cùm sit sua pœna nocentum)
Muneris est uacuum: nam quamuis ultio iusta
Hæc fuerit, quos non tetigit reuerentia cœli,
Quæ sedes propria est mundi, rerumq; parentis,
Vt nec se agnoscant, uerba inconsueta loquentes:
Attamẽ id multũ quòd rupto hoc fœdere cautũ est,
Ne, quam paucorum attulerat persuasio culpam,
Cunctorum assensu rursus contingeret omnes,
Et faceret commune nefas: ne prælia dura,
Et rabido populis mors arcessenda furore
Bellum illis ciuile foret: sic profuit illis,
Inq; bonum uersa est primæ distractio linguæ.
Quanquam nec prorsum sublata Ebræa loquendi
Consuetudo fuit: cùm tunc permanserit oris
Ebræi sonitus, sermoq; antiquus, in illis
Qui culpæ expertes, pars non iniusta fuerunt
Natorum quos Sem genuit, custodia iusti
Quos tenuit, Dominiq; etiam reuerentia rexit.
Sed postquam toto dementia percita mundo,
(Vt taceam magici scelus intestabile monstri)
In truncos & saxa etiam duriq; metalli
Arte cauas species, & cassas luce figuras,
Impegit mortale genus, mentesq; supernis
Intentas fregit, terræq; addixit inerti,
Conuoluitq; simul fœdæ contagio labis,
Non secus Aethiopum feruentibus excita terris
Nubila morborum, corrupto tramite cœli
Dum currunt, quisquis percussum fulmine lethi
Ingemuit, simul ipse ruit, quicunq; cadentem
Conspexit cecidit, congestaq; funera passim
Dira lues strauit, camposq; reliquit inanes:
Sic tunc præcipiti complexos mole furoris,
Ne nihil infectum toto dimitteret orbe,
Comprendit repetens, quos iam dimiserat error.
Donec Chaldæi generis, de semine Thare,
Vir iustus, metuensq; Dei, cum stirpe suorum

Vrbem aliam,moresq; nouos,sedemq; requirens,
Mansit in Aßyrijs demùm nouus accola Carrhis.
Qui quadragenis lustris ubi uixit,& uno,
Infaustam hanc uitam felici morte redemit.
Huic, meritis patrem & sanctis uirtutibus æquans,
Aut longè superans,succeßit filius Abram,
Vir cœlo dignus. nam primo à limine uitæ,
Verum mente Deum uenerans,gentilia sacra
Auersatus erat. quem postquam morte parentis
Iussa sequi iam posse Dei,sine fraude liquebat,
His Dominus famulum meritis dignatus adire est.
Quandoquidem toto te solum inuenimus orbe,
Quem sincera fides iuuat,& reuerentia nostri:
Linque procul sedes patrias,terramq; nocentem,
Pollutamq; domum: cognatio tota prophana est,
Et fugienda tibi: terræ melioris in agros
Me duce peruenies: ne sis pars gentis iniquæ,
Qui sanctæ caput esse potes: tum sacra dicabo
Quæ maneant benedicte tibi, nomenq; per omnes
Magnificũ reddam populos,bona cuncta rependẽs.
Et benedictus erit,tibi qui benedixerit: atqui,
Qui maledicta tibi conuiciaq; ingeret,ille
Confestim maledictus erit: benedictio per te
Spargetur tribubus cunctis,æuoq; futuro.
Dixit,& imperijs mentem quæ pareat indit,
Promißisq; pijs credat. mora nulla repentè
Dicto intercedit Domini, sed protinus Abram
Cum gregibus uarij generis, famulisq; paternis,
Coniuge cum fida,chari cum pignore fratris,
(Cui Loth nomen erat) digressus,limite recto
Ignotum sibi carpit iter: mollißima lætas
Præbent arua uias,blandumq; fauentibus austris
Arridens,nullis turbatur motibus aër.
In Chanaam terras,& regna uberrima Sichem,
Donec perueniens,didicit, sobolis; sibiq;
Isthæc in sortem imperij cessura futuri.
Vnde Deo supplex deuotas extruit aras,
Et ueteres reuocans,cultor nouus,auget honores.
Inde petit Bethelem, sedes quæ lecta beati
Hospitijs facrata uiri,cunctasq; superbis
Exceßit meritis terras,quandoq; secundo
Post cœlum numeranda loco. nam sede superna
Dignior ista Dei,quæ pignus lege salutis
Emissum mundo tantum mirante paratum,
Exciperet,uisa est,hominemq; remitteret astris.
Hic quoq; solennes Abram pater extruit aras,
Et linquenda nouis habitacula ponit in aruis. A
Namq; fame rursum sedem mutare coactus
Castra mouet,totamq; domum, famulosq; gregesq;
Secum agit,& rebus commercia iusta rependens
Intrat in Aegyptum, & Sarai appellare sororem
Mauult quàm uxorem: ne barbara pectora,sancti
Hospitis in cædem, stimulet furiosa libido.
Vndè & mox Pharao radiantis imagine formæ
Ictus inardescit,thalamosq; & fœdera certa
Lege parat: longos isthæc connubia in annos
Ducturus,ni longè aliter disponeret ille
Auctor coniugij. cui cùm minus ista placerent,
Ecce pauor regi mersa formidine mixtus
Ingruit,& subito quatit improba corda tumultu,
Exterretq; animos niger horror,& implicat artus:
Vt rex sacrilegæ gentis tam tristia uota
Sentiret damnasse Deum, qui tale profectò
Consilium infudit famulis,ut barbarus hostis
Esse uirum Sarai securum agnosceret Abram:
Cùm foret expertus, quàm non impunè prophano
Appeteret ferro, quem nec uiduare liceret.
Sponte igitur,nulla uiolatam labe,marito
Reddit,& ingenti cumulatum fruge remittit
In Sichem,Bethelemq; suam: quò deinde recepti B
Cum gregibusq; domoq; pater, cum coniuge salua,
Exercent campos,& pinguia pascua latè
Immixtis carpunt gregibus: dum iurgia crebra
Inter pastores patrui nata atq; nepotis,
Dum non sufficerent capiendis arua duorum
Armentis angusta nimis. plenißimus ergo
Abram iustitiæ atq; obseruantißimus æqui,
Quò dirimat lites,& iurgia tollat auara,
Vt natu maior,concessos diuidit agros:
Iunior elegit, quà dulcibus undiq; fusis
Rura maritat aquis,ripisq; umbrantibus inter
Labitur,& teretes saltus Iordanis amœnat.
Ergo quò fugiat pastorum iurgia,ab Abram
Declinans, iunctos Sodomæ Loth migrat in agros.
Cùm Deus hæc Abrã mœsti spe pectora firmans,
Ne moueraris,ait, fratris quòd prole relicta
Nunc solus uideare tibi: innumerabile uulgus
Tu mihi solus eris, populiq; idem auctor amici.
Suspice quadrifidi partes intentus ad orbis,
Inspice nunc austrum uersus, septemq; triones,
Quà sol exoritur,quà uespere concidit imo:
Hæc tibi met,proliq; tuæ,populisq; tuorum
Concedam,

A Concedam, æternos illis habitanda per annos:
Quis tu etiam terris longè lateq; fruaris.
Surge, & quà pateant gressu prius hospite lustra.
Hæc ait: ille libens pàret, sedemq; relinquens
Emigrat, Chebronq; subit, sub ilice nigra
Ad Mamre querceta pater tentoria figit:
Hic quoq; solennes Domino struit ut colat aras.
Interea magno circum turbante tumultu
Hostis adest auidus, uaria quem dote referta
Sollicitat tellus, campis illisa resultat
Vngula, & effusis errat populator habenis,
Aduersum Sodomæ pinguißima pascua gentis.
Loth uerò portis cum rege erumpit apertis,
Et uicina manus regum socia arma ferentum,
Secum equites peditesq; trahũt: distenditur agmen,
Confligunt acies pariter, sternuntq;, caduntq;.
Sed turpis Sodomæ luxu emollita iuuentus,
Vt rursum exarsit repetitus clamor in iras,
Vertunt terga metu: rapido pars mœnia cursu,
Pars montes siluasq; petunt, pars septa cateruis
Porrigit ignauas ad tristia uincula palmas.
Vt uerò patruus captum Loth audijt Abram,
B Non fletu (quid enim fletus conferret manis?)
Sed uirtute parat fratri succurrere capto.
Instructos igitur tercentum, deligit omni
De grege, bisq; nouem famulos, quos ante præeũtes
Insequitur sensim, quà tendere prodidit hostem
Lentum præda grauis: quorum de nocte silenti
Corpora (conflictu dum iam languentia duro
Irrigat, & fessos dulcis sopor alligat artus)
Aggreditur, nil uenturum sibi tale putantum:
Vt cùm ieiuni rabies uesana leonis,
In pecudum saltu penetrauit septa uolucri,
Et dente atq; pede exanimat, cupidamq; uorandi
Ira famem superat, dum meta doloris acerbi
Iamq; ouibus uacuas effecerit ultima caulas.
Haud secus ille duces somno uinoq; sepultos,
Sternentesq; Abram populos, regesq; trucidat,
Sic tamen ut nullus confundat castra tumultus.
Nemo gradum sentit, nisi quẽ mens deficit & uox.
Nemo sonum cædis, nisi quem mors excitat, audit.
Sanguine cuncta madent: sicco resoluta sereno
Tellus tabe coit, gressumq; morante cruore
Lubrica stagnanti titubant uestigia campo.
Nec tamen omne animans gladijs occũbit apertis,
Seruantur prædæ: tanta est moderatio iusti
Victoris. reliquos sparsit fuga turpis, & agros
Vsq; Damascenos instans formido sequuta est.
At uictor tanti nil motus laude triumphi,
Inter equos, pecudũq; greges, populumq; receptũ,
Aut captum, gazasq; (auido quæ pondere uictos
Victoresq; mouent) nil prorsus concupit horum
Magnificus: sed enim tanta inter gaudia mitis,
Et uarios hominum reputans sub pectore casus,
Omnes omnino prædas, & præmia belli
Direptis paßim populis, regiq; reseruat:
Non sibi se pugnasse docens, decimam tamen offert
Hostibus excussæ, quæ uera est hostia, prædæ.
Melcisedech, uinumq; & panem ab cæde reuerso
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi:
Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Viuificum panem, cœlesti pota cruore est.
At uerò hostili redeuntem è funere lassum,
Omnipotens uerbis solatur talibus Abram.
Quandoquidem nullis cupidũ te præda subegit
Illecebris, precium fidei, mercesq; laborum
Mecum plena tibi est, teq; & tua cuncta tuebor,
Hæredi seruanda tuo, quem germine sero
Progenitum, magè multo etiã pius auctor amabis.
Nil est quòd metuas: hæres tuus ille Damascus
Vt fuat, ipse tuo cernes de semine natum,
Accendat cuius patrios infantia sensus.
Suspice, conuexum quàm denso lumine cœlum
Picta nocte micat: quantis congesta premantur
Sidera sideribus, numerum quæ obiecta recusent:
Seminis hoc exemplar habes, stirpisq; futuræ
Multiplicis formam. Sic fatus, finit: at ille
Credidit, & nudæ fidei consensio sola
Plenam ad iusticiæ & meriti reputata coronam est.
Atq; adeò hinc Abram tanta mercede docemur,
Quanti sit meriti diuino credere Verbo,
Demeriti contrà quanti non credere: nanq; ut
Credidit, hac rursum diuina uoce meretur
Solari, omnipotens dum uerbis incipit istis.
Ille ego sum Deus ac Dominus, qui teq; tuosq;
Chaldæa de gente tuli, tandemq; paternis
Exceptum uitijs, terra meliore locaui:
Vt de te genitus populus meus arua beata
Incolat, & seriem longè lateq; propaget,
Gentibus expulsis, quas fœdo errore parentum
Sacrilegos ritus olim fecère prophani:

Quod cunctabundus nimium quia credere differs,
Trimam ſume mihi torua iam fronte iuuencam,
Cum qua par annis blando grege lecta capella,
Aequæuusq; aries noſtro mactetur honori,
Caſta quoq; humanæ turtur coniuncta columbæ.
At uerò uolucrum non ſentiat hoſtia ferrum,
Tantùm intermedias pecudes diſcindere cura:
Quas ſic diductas mundis diſtinguito arenis,
Vt membris coeant altrinſecus æmula membra.
Dixit, at ille Dei monitus ſeruare libenter
Aſſuetus, raptim properat mandata patrare:
Sed cùm diſpoſitam, quo iuſſerat ordine, terræ
Strauiſſet ſeriem, ſubitò manus ingruit atra
Importunarum prædam inſectata uolucrum:
Quæ ne contactu uiolarent ſacra prophano,
Vndiq; ſollicitus cauet, & circunſpicit Abram.
Sed cùm opere attonitum tanto, nec ſole cadente
Vinceret officij moles tam magna recepti:
Ecce niger terror, tremor horridus, & ſopor intrat
Nuncia iuſſa ferens, uenturaq; ſecula formans.
Credo, uidebatur ſeptum ſibi cernere Nilum
Ebrææ gentis populo, ſeroſq; nepotes,
Ingenteſq; ſuprà numerum cognoſcere turbas:
Inde truces motus, deductaq; caſtra ſuorum,
Tranſmiſſum pelagus ſicco pede, merſa profundo
Agmina, naufragium nulla cum claſſe ſequutum,
Ereptoſq; mari Ebræos, dehinc tota beatæ
Regna Palæſtinæ populo patuiſſe reuerſo.
Talibus attonito uiſis, non defuit almus
Interpres: Prænoſce tuos, ſobolemq; tuorum,
Inquit, in externis per ſecula quattuor agris
Niliaci illius ſenſuram dira tyranni
Imperia: at cùm tot peregrina expleuerit annos,
Seruitio eripiam, gentemq; ulciſcar iniquam:
Et reddam terris, blando quas gurgite cingunt
Nilus & Euphrates: ſed cùm peccata nocentum
Gentis Amorrhææ, populiq; hæc regna tenentis,
Explerint ſummam ſcelerum, digniq; paternis
Sedibus expelli fuerint: at tu tamen antè
Longæuo felix decedens limite uitæ,
Ploratus natis, cum pace & munere noſtro
Ad ſanctos migrabis auos. Sic fatus, & alto
Cùm iam nox terris denſas induceret umbras,
Signum è monte dedit: confeſtim fumeus iſtic
Apparet clibanus, lampaſq; ignita uidetur:
Tum ſacras epulas, mediumq; inuecta paratum,
Præcipiti curſu delibans flamma uorauit. A
Interea certus regni, prolíſq; futuræ,
Munus adire patris cupit Abram: caſta ſed uxor
Abnuit officium, quòd inanem effœta ſenectus
Iamq; uterum ſibi feciſſet: ſed dulce mariti
Pignus, ſpemq; nouam quacunq; ex pellice fuſam,
Eſſe ſuam credens, famulam (cui iunior ætas,
Agar nomen erat, tellus Nilotica origo)
Subrogat in thalamos, precibuſq; aggreſſa maritū,
Seruili ſemen concredere perpulit aluo.
Pròh ſeruile nefas. ut primùm uiuere ſenſit
Agar uentris onus, faſtu tumefacta ſuperbo,
Deſpexit dominam, & dominam cui matris amorē
Debebat, cauſamq; ſui furioſa tumoris.
Rectè igitur flagris hanc uir iuſtiſſimus Abram
Coniugis addixit: quorum magis acta pudore,
In deſerta procul ſecretaq; luſtra ferarum
Abditur indignans. quam exul nec ſpernere ceſſat:
Sed rurſum obſequio priuans, quod debuit, illam
Contemnit, quo more poteſt, mauultq; pericla
Deſertæ perferre uiæ: ni miſſus Olympo
Angelus occurrat, famulamq; ad priſtina rura
Reſtituat miti dominæ, blandoq; refectam B
Hortatu, melius iubeat ſperare reuerſam,
Et nomen nati doceat, moreſq;, manuſq;,
Innumeroſq; greges tali de ſtirpe futuros.
Quo maiore redit uoto iam certa futuri,
Et partu dominum fecit prior ipſa parentem.
Cùm iam decurſi ſpacijs felicibus æui
Supra octoginta bis ternos clauderet annos,
Ad quos biſſenas cùm iuſtus & inſuper unam
Adderet æſtates: ſolito hunc rurſum Pater almus
Alloquio dignatus adit, iuſſitq; ſenectam
Ducere felicem: ſimul & promiſſa reuoluit,
Et quam mercedem expectet: tum corpore prono
Abram ſuppliciter Dominum proſtratus adorat.
A quo mox audit firmata uoce, futurum
Se patrem innumeræ gentis, lateq; patentis,
Et cuius ueniant etiam de ſemine reges.
Hoc tamen à reliquis iuſſus diſcernere ſigno
Ebræam gentem populis, ut ſponte reſecta
Carne ſuperuacua ſe circuncidat, & omnem
Maſculei ſexus præſentemq; atq; futuram
Progeniem: iuſſus pueros à matre recentes,
Atq; rudes uitæ, dum mens ignara dolendi eſt,
Præputio exutos, octaua luce ſacrare.

Quod

A Quòd qui tam ſanctum corrumpere teſtamentum
Auderet, ceſſans legi inſeruire rogatæ,
Exhæres fieret regni, uitæq; futuræ.
At ſimul ut uero ſibi crederet argumento,
Venturas aliquando ſuo de ſemine gentes
Innumeras, nomen Dominus commutat utriq; :
Non Sarai tibi, ait, ſed Sarra uocabitur uxor:
Et tu non Abram, ſed nomine clarior aucto
Venturæ Abraham poſthæc uocitabere genti.
Quod commune ideo tibimet cum cõiuge uera eſt,
Promiſſi quoniam (nihil eſt re certius iſta)
Mater erit generis, teq; annum ſole remenſo
Eſſe patrem faciet, quamuis ridenda putetis
Virtutis promiſſa meæ: nec ueſtra ſenectus
Impediet, quin diuini ſententia iuris
Aeternos ſemper maneat ſtabilita per annos.
Sed tamen ignoſcam dubijs, pueroq; futuro
Imponam nomen, quod culpam hanc arguat, Iſac:
Qui noſtri indubiè ſeruato fœdere pacti
Hæres certus erit, cuncta cum ſtirpe ſuorum.
Nec tamen Iſmael, Agar de ſemine natus,
Expers dotis erit: noſtro nam munere fultus
B Millia multa uirûm de ſe uentura potentum,
Biſſenis pariter ducibus regnanda creabit.
Dixit: at ille auidus pactum accelerare receptũ,
Iam centum pulſans annos, iam pubere nato,
Se primùm, gnatumq; ſuum, cunctosq; clientes
Ac famulos omnes, quo iuſſum eſt, ſtigmate ſignat,
Et populum facit eſſe nouum, fontemq; piorum,
Vna eademq; uia. tanta eſt deuotio, legem
Accipiens, explensq; fidem. Quid non meret ergo
Tam præſens ueloxq; fides? nam non timor iſtud,
Sed ſincerus amor, famuliq; probatio iuſti eſt,
Quodlibet imperium placida ſic mente ſubire.
Vnde Deum ſibi promeruit: nempe antea tantum
Audiri ſolitus, meritum poſt tale miniſtri
Iam patitur cerni: cumq; indignatio iuſta
Vltorem ſtimulet, mortales non tamen ille
Reſpuit aſpectus. nam cùm damnare pararet
Crimina terrarum, flammisq; abolere nocentes:
Aut uerum, aut qualem norat ſe poſſe uideri,
Et nomen numerumq; Abraham prodidit ipſi.
Illi nanq; domi Mamre in conualle ſedenti,
Tres ſubitò apparent auguſta luce micantes.
Abraham tanti ſtimulatus imagine uiſus
Procurrit, Dominumq; ſolo proſtratus adorat,
Tresq; etiam ſupplex forma ueneratur in una:
Quis ut mente pia liceat ſeruire, precatur,
Et refici, in medios æſtus tendentibus horis,
Non dedignentur famuli menſisq; cibisq;.
Vſq; adeò uiſus inter ſenſusq; uigentes,
Errabat dubitans, hominis ſubſtantia an eſſet,
Quem norat mens eſſe Deum: tamen annuit ille,
Officiumq; pij non aſpernatus alumni,
Oblatosq; cibos, menſasq; ſacrauit amicas.
Vt uerò ablatis epulis menſisq; remotis,
Hoſpitibus uiſum eſt illinc diſcedere, tum mox
Inde mouens greſſus, lateri comes hæret euntum
Hoſpes ouans, triſtiq; quatit concuſſa pauore
Pectora, & attonitum uenerabilis attrahit horror.
Quippe uidet uultus tacitos, uiſusq; ſeueros,
In Sodomam Dominum iũcta uibraſſe Gomorrha,
Pacis & emiſſos famulos, iræq; miniſtros.
Et cùm cognoſſet tanta quid mole pararet,
Arcanum pandente Deo, cauſſamq; docente,
Vltrò audet Dominum ſcrutari, an perderet urbẽ,
Errantis populi per crimina cuncta nocentem,
Si quinquaginta morum probitate piorum
Spectatos aleret. cumq; ipſi diceret: Illis,
Si numerum talem inuenio, mihi parcere certũ eſt:
Quid ſi quinq; minus fuerint? tum ſubdidit? Et quid
Si quadraginta ſoli? quid ſi minus illo
Fortè decem numero? quid ſi bis quinq; dabuntur
Innocui? non & tu urbi Deus optime parces?
Cumq; etiam numero ſe uelle ignoſcere tali
Dixiſſet, famulum in medio ſermone reliquit
Tendentem ulterius, ſeq; in ſua regna recepit.
Dimiſſi interea ciues è ſede ſuperna
Angelici, in Sodomæ terras, Loth fortè ſedentem
Antè fores urbis, iam terris ſole propinquo,
Inueniunt: qui cùm miro ſplendore uideret
Angelicos radiare uiros, deſcendere ſummo
E' cœlo ratus, in terram proſtratus adorat,
Inuitatq; domum, noctemq; auertere tecto
Euincit precibus, ſimul & conuiuere ſuadet,
Innocuosq; cibos & pocula parca miniſtrat.
Dumq; epulis ſumptis ſomno indulgere pararent,
Ecce ſub occaſum lucis, noctisq; recurſum,
Fœda manus uulgi, ſi fas dixiſſe, uirilis
Proſilit & iuuenum inſanis pueriq; ſenesq;
Ignibus uruntur: Lothq;, ut ſibi tradat abuti
Hoſpitibus, cogunt. quid non ueſana libido

Auſitē at ille uolens populi mollire furorem
Inſani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoſcunq; optarit in uſus.
Aſt effrena cohors, in deteriora profundi
Lapſa mali, uitio ſeſe immiſcere minori
Vile putat, niſi ſe ſummis etiam implicet. ergo
Infandum ut patret facinus, Loth opprimit: & iam
Vi maiore agitant, quàm quæ uirtute repelli
Humana ualeat: cùm protinùs hoſpes uterq;
Angelicas nudant mentito corpore uires,
A' populoq́; ſenem cæcata mente furente
Loth retrahunt, inq́; ipſa domus ſecreta receptum,
Perdenda hortantur confeſtim abſcedere terra.
Qui ſint, quid ueniant, & quæ præcepta ferentes
Mox explere uelint, nil iam ſermone patenti
Diſſimulant: & ab hac ſe clade euadere ſaluum
Poſſe, domumq́; ſuam dicunt: generosq́;, ſuosq́;
Colligere affines, & ſecum abducere mandant.
Aſt illos ſimili cum uulgo crimine tactos,
Inuoluit ſimilis ſententia, ſana monenti
Credere dum nolunt: quanquā quòd credere nolūt
Non eſt ut multum mirere, abſcedere cùm Loth
Id quoq; ridiculum quod conſuluere putaret:
Quem lentum, pigrasq́; moras ſine fine trahentem,
Hoſpes uterq; uidens, manibus cum coniuge raptū,
Virginibusq́; ſuis, procul extrà mœnia ducit,
Et celerare iubet, montesq́; euadere in altos.
Tali lege data: ne cœleſti igne flagrantes
Poſt ſe reſpiciat quiſquam malè cautus in urbes.
Loth uerò metuens, montes ne tardius altos,
Aggreſſum, uelox cœli præuerteret ira:
Ipſe Segor lachrymis petijt, ſecura receſſus
Antra ſui: lachrymas autem non ſenſit inanes,
Conceſſumq́; ſibi donum ſpeciale ſalutis
Pluribus imperiit, meritumq́; è munere fecit.
Et iam non ſolitas raptim obducentia cœlum,
A' patria uirtute Deo miſcente, coacta
Nubila denſarant nebulas: ſed quas rotat Aetna,
Quas uomit Inarime, atq; Aponus feructibus undis
Exhalat, quas uicino concuſſa Veſeuo
Eructat tellus, Lyciæ quas ſæua Chimæræ
Ora, ſinu uaſto trinæ fornacis anhelat:
Et quocunq; loco fallentia ſulfura uelox
Spiritus inflammans, anguſto tramite fuſus,
Effluit in lucem rupta tellure uaporans.
Non quòd nō poſſit pluuias quoq; uertere in ignes,
Totum de nihilo potuit qui condere mundum: A
Sed maiore bonus iudex damnare paratu
Mauult, quos miſerans urbis morumq́; ruinæ
Punit in exemplū: mox durum elementa minātur,
Concurruntq́; undante globo, ſtipataq́; flatu
Quæq́; ſuo, coëunt flammarum pabula in unum
Corpus, & infandas terras urbesq́; nocentes
Sulfurei teſtudo tegit curuata metalli:
Quam citus & uires anguſto tramite ſumens
Spiritus incuſſam, tanto crepitare fragore
Compulit, & crebro tonitrus agitante coruſco
Conſternare animos, quotquot ſpectacula cernunt
Talia. quinetiam Loth, heu, miſerabilis uxor,
Seu tanto ſtupefacta metu, ſeu ſtulta cupido
Illa fuit, uetitum contra conſurgere pactum
Fœmineis innata animis, quæ deniq; cunq;
Cauſa fuit: Sodomam inſpectans ſe pone ruentem,
Confeſtim pœnas uiolata lege ſubiuit,
In ſtatuam conuerſa ſalis, ſpoliataq́; luce,
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni,
Vt nullum extaret forma remanente cadauer.
Ocyor inde Segor, luctum prohibente timore,
Horrificoq́; malo ſtupidus, mox ingreditur Loth. B
Tum ſol exoritur toto feruentior igne,
Irarum fulgore micans, radiosq́; ſeueros
Dirigit in Sodomam: qui poſtquam lumina flāmis
Inuolucre ſuis, reſolutaq́; ſulfura, nexos
Secum præcipitant ignes, ſiccoq́; liquore
Diſpenſata ſuis ſtillant incendia tædis:
Fulmineus denſo præceps cadit aëre nimbus,
Inuoluitq́; urbes, & totis ſæuit in agris,
Ac mixto ſtridore tonat, uincitq́; querelas
Flammea tempeſtas. quæ poſtquam pabula terris
Repperit incenſis, ipſisq́; inſedit arenis:
Erigit immenſam coniuncto fomite metam
Ignis, & à terris redeunt in ſidera flammæ,
In cineres donec cautes tellusq́; reſultans
Tranſeat, ac penitùs merſæ ſoluantur arenæ,
Depreſſisq́; cauos conſumpto ceſpite campis
Pandunt arua ſinus, uenisq́; effuſus apertis
Conſocians uires qui terras ſtrinxerat humor
Priuatum gignit pelagus. quid'nam eſſe putemus,
Quod raptim lacus eſt, mira uirtute refertus,
Qui fuit ante rogus? ſic omnipotentia ſummi
Iudicis in gelidas ignem conuertere lymphas,
Ac rurſum lymphas ardentem poſſit in ignem.

Nec

A Nec tamen hic occulta uacant myſteria, nam quòd
Vndæ hic ſunt ubi flamma fuit, quòd flammea miſsis
Deſuper extinxit lymphis: fortaſſe notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaq́; primi
Peccato contracta patris, cœleſtibus undis
Extinctum quandoq; iri: proq; ignibus acris
Iuſticiæ, quibus illa olim lex dura uigebat,
Saluificis purgatum iri, & luſtralibus undis.

CLAVDII MARII VICTORIS
De peruerſis ſuę ætatis morib. Epiſtola: Ad Salmonem Abbatem.

SI Domini templum ſupplex orator adiſti,
Immò et cuſtodem templi, populiq́; magiſtrum,
Quot tu iſthic homines, tot Chriſti altaria cernis.
Sed ſi collatis iuuat indulgere loquelis,
Hic habitat tuus ille hoſpes, mea uiſcera Theſbon,
Cui fratrum ad requiem frondoſæ uitis in antro
Herbida ceſpitibus ſunt ſtructa ſedilia uiuis.
Dic igitur Salmon, quæ rerum nunc tibi ſors eſt?
Quis patriæ ſtatus eſt? quid te delectet in illa?
Nanq; agris, opibusq́; hominum, terræq́; colonis
Nunc primùm illæſæ turbato fœdere uitæ
Barbarus incumbit: nec longæ ad ſecula uitæ
B Constructæ proſunt ſolido de marmore uillæ,
Abſumptæq́; omnes uana in proſcenia rupes.
At uerò interior peſtis, bellumq́; profundum
Olim nos denſa telorum nube fatigat:
Sæuior & tantò, quantò eſt occultior hoſtis:
Et tamen (heu) ſi quid uaſtauit Sarmata, ſi quid
Vandalus incendit, ueloxq́; abduxit Alanus,
Ambiguis ſpebus licet & conatibus ægris,
Conamur quandam in ſpeciem reparare priorum.
Illa autem noſtro quæ ſunt amiſſa periclo
Negligimus, longoq́; ſitu ſqualleſcere mentis
Ignaui patimur, ſubiectaq́; colla cathenis
Dedimus, & manicis peccati præda ligamur.
Et prius eſt uitem purgare, abſcindere ſentes,
Oſtia conuulſa ac fractam renouare feneſtram:
Quàm latos campos animæ, & præcordia cordis
Excolere, & captæ collapſum mentis honorem.
Nil hoſtis, nil dira fames, nil deniq; morbi
Egerunt: fuimus qui nunc ſumus, hisq; periclis
Tentati nihilo meliores reddimur unquam,
Sub uitijs nullo culparum fine manentes.
Nil ſanctū eſt nobis niſi quæſtus: et illud honeſtū eſt,
Vtile quod fuerit: uitijsq́; uocabula recti
Indimus, & parci cognomen ſumit auarus.
Atqui confeſsis uitijs, & crimine aperto,
Non potuêre ſuas uirtutis imagine fraudes
Obtegere, occulto fouerunt uulnere plagas,
Quos terrena trahit ſapientia, neſcia ueri.
Quoſdam infelices qui decipit, incitat error,
Dum cauſam inquirunt rerum, aſtrorumq́; meatus,
Quæ ſit forma poli, cur longo flumina curſu
Non pereant, latus iaceat quo limite pontus:
Quæq́; Deo tantùm ſunt nota, recondita cunctis,
Scire uolunt (heu grande nefas) & ſcire uidentur.
Iſta quidem Salmon ſunt noſtri crimina ſexus.
Sed leuis eſt ueſtra uitiorum morbus in urbe,
Si non fœminei magis exarſere furores.
Antè diem Salmon tenebris nox humida condet,
Quàm poſsim mores huius percurrere turbæ:
Quæ cùm lege Dei uiuant ſub lege uirorum,
Proh pudor, haud unq̃ ſine noſtro crimine peccant.
Nam niſi delictis faciles traheremur earum,
Haud illas uitijs uellemus uiuere noſtris:
Nec rigidas auro ueſtes, nec uellera Serum,
Nec lapides toto quos fert mercator ab orbe,
Fundorum precijs emerent ſuſpiria mœſta.
Iungimus at uanas, non eſt pudor addere curas,
Si grauis ignotis proceſsit Leſbia gemmis,
Et decies Paſsina nouo radiauit in oſtro:
Confeſtim ornatum ſibi quæq; expoſcit eundem.
Ergo quòd uarijs ſtudeant occurrere formis,
Atq; uiris alios aliosq́; opponere uultus,
Nō ne hæc culpa uiri eſt? quid agūt in corpore caſto
Ceruſſa & minium, centumq́; uenena colorum?
Mentis honor, morumq́; decus ſunt uincula ſancti
Coniugij: ſi forma placet, uenientibus annis
Cedet amor: ſola eſt, ſenium quæ neſcit, honeſtas.
Nam quòd perpetuis diſcurſibus omnia luſtrāt,
Quòd paſcūt, quòd multa gerūt, q̃ multa loquūtur,
Non uitium noſtrū eſt? Paulo & Salmone relicto,
Quòd Maro cātatur Phœniſſæ, & Naſo Corynnæ,
Quòd plauſū accipiūt lyra Flacci, aut ſcena Terēti,
Nos, horum, nos cauſſa ſumus: nos turpiter iſtis
Nutrimenta damus flammis: culpa' ne caremus?
Nam uelut acceptas referūt ſpecula optima formas,
Sic exempla uirûm uxores accepta ſequuntur.
Sed cur infelix in culpa eſt fœmina tantum,
Cùm placeat ſtolido coniunx uitioſa marito?
Vnus ubiq; hoſtis diffuſo turbine ſæuit:

Nec

Nec mirum eſt uinci belli terrore ſubactos.
Quòd ſi correcti ſanam ſaperemus, & atris
Libera mens nebulis Chriſto purgata pateret,
Si falcem uerbi cordi imprimeremus, & illinc
Vellemus ueterum uitiorum abſcindere nodos,
Aduerſus Chriſti famulos uis nulla ualeret:
Nec nos Riphæi proſterneret arcus Alani,
Nec ſeruile etiam ſubuerteret omnia bellum,
Et qui nunc noſtra graſſantur clade ſuperbi.
Attamen in ueſtro populo non rara bonorum
Turba uiget, multosq; pios Eccleſia nutrit.
Sunt planè inſontes multi, Pater optime, quorum
Eſſe uelim ſimilis: nec deſunt in grege noſtro, A
Victrices reddat quas ſexus uterq; coronas.
Ac ſi quid patriam commendat, ſi quid in illa eſt,
Quod iuuat: hoc unum eſt, hæc ſunt ſolatia uitæ.
Nunc age chare Pater, cupido mihi fare uiciſſim
Quæ te digna ſatis requies ſuſceperit: ex quo
Te corde hinc geſtans abij, tecumq; reſedi:
Non equidem inuitus recolam mea gaudia Salmon,
Nec te tantorum indicio laudabo bonorum.
Sed iam concluſi nos admonet hora diei
Surgere, & ad ſacros ſanctorum occurrere cœtus:
Craſtina lux uerbis accedet libera noſtris.

DRACONTII HEXAEMERON,

SEV DE OPERE SEX DIERVM, LIB. I.


Rima dies lux eſt terris, mors una tenebris,
Lux datur ante polū, lux claræ cauſa diei,
Lux iubar æthereū, lux noctis limes et um
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis, (bræ,
Lux genitis factisq; calor, lux gratia ſolis,
Lux decus aſtrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cœli, lux & primordia mundi,
Lux ſplendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux opus auctoris primum, candorq; pudoris,
Lux æui, medijs dat lux quoq; tempora metis:
Qua benè conſtructa, mundi primordia lucent.
Clarus ubiq; Deus, nunquam mutabilis, auctor
Quem non obſcurant quæcunq; ex parte tenebræ,
Nec cælantur ei quæcunq; obſcura geruntur:
Principium factis lucem dat lucis origo,
Quæ mundo uita præmiſſa eſt principe luce,
Quæ totum præceſſit opus quod continet orbis,
Quæ ſolis præuênit iter, lunamq; coruſcam,
Cuius iuſſit ope clareſcere cuncta creata.
Altera quippe dies cœli conuexa meretur,
Ac ſuprà cœlos ingentia flumina dantur,
Ac dominantur aquæ glomeratis fontibus almæ,
Ignibus æthereis cœleſti ſede locatis,
Vnde beata nimis meruit quæ tecta polorum
Celſa Dei, fabor iuſſu ſuſpenſa Tonantis,
Limitibus contenta ſuis elementa morantur,
Nec flammas reſtinguit aqua, glaciémue teporat
Flammeus ignis: aquæ ſeruant ſub lege tenorem
Incorrupta ſuum, non impugnata uiciſſim,
Non diſcreta quidem, ſed nec permixta morantur.
Tertia cæruleum ponti lux edidit æquor,
Fluctibus immenſis pelagi freta glauca liqueſcunt,
Et mare nauigerum quatitur ſpumantibus undis:
Ipſa dies terram meruit de fluctibus auctam:
Eruitur terra iniuſto demerſa profundo,
Et ſolidante globo grauior per inane pependit.
Suſtentant ſolidam fluidis radicibus undæ,
Quam molles portant ceu fundamenta liquores.
Arida materies rapitur de corde fluenti.
Nondum mater humus, cuius pars ſoluit arenam, B
In glebas pars membra ligat, pars ſaxea tangit,
Cautibus extat montis apex, pars flumina iungit,
Planicie pars tenſa iacet, pars littora curuat,
Pars datur in tumulos, pars aſpera rupibus horret,
Pars riget, inculta reſidet pars ualle profunda:
Et colles tumidi cumulis iuga celſa ſupinant,
Atq; humiles campos ſpacijs æqualibus aptant,
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri.
Promitur herba uirens, & ſurculus omnis in auras,
Et ſemper ueſtita comis frondeſcit oliua:
Omnia poma uirens profert, non parturit arbor,
Linguæ laurus honos ſoluit donanda poëtis.
Tetra per obliquos it uitis in orbe corymbos,
Verberat & palmæ calamos non antè flagello:
Vinea pampineos ſubarundinat ebria campos,
Munera læticiæ ſpondens pendentibus uuis.
Fructibus & uarijs redolent florentia rura.
Vna parens tellus non unum fundit odorem:
Sed quot ſunt herbæ, tot permiſcentur odores.
India tunc primùm generans pigmenta, per herbas
Eduxit ſub ſole nouo rudibusq; racemis.
Eſt locus interea diffundens quatuor amnes,
Floribus ambroſijs geminato ceſpite pictus,

A Plenus odoriferis nunquam marcentibus herbis.
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis:
Fructus in annos est, cùm tempora nesciat anni.
Illic floret humus semper sub uere perenni,
Arboreis hinc inde comis uestitur amœnis.
Frondibus intortis ramorum murus opacus
Stringitur, atq; omni pendent ex arbore poma,
Et paßim per prata iacent: non fructus anhelis
Flammatur radijs, quatitur nec flatibus ullis,
Nec coniuratis furit illic turbo procellis,
Non glacies districta domat, non grandinis ictu
Verberat, aut gelidis canescunt prata pruinis.
Sunt ibi sed placidi fructus, quos mollior aura
Addidit, exurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus mouet illa comas de flamine molli
Frondibus impulsis: immobilis umbra uagatur.
Fluctuat hic onus omne, & nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores, & ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor est ceris formare cicutas,
Nectaris ætherei sudant ex arbore mella,
Et pendent folijs iam pocula blanda futura,
Pendet & optatæ uiuax medicina salutis.
B Cætera depingit uarijs natura figuris.
Auroræ iam quarta dies permanserat undis,
Et rutilante polo compresserat astra rubore:
Mox solis radiare globum iubet igne salutis,
Flamma salutari perfundi lumine mundum,
Cuncta salutifero rident elementa uapore.
Cuius ab igne suo lunam iubet ire secundam,
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et tepidam proferre diem minitante quiete:
Candida somniferis perlustrat cornibus axem,
Quæ numero est maiore breuis, & plena minore.
Flammeus ornatus cœli per sidera fulsit,
Officia & stellis, numeros & nomina iußit,
Tempora distribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit, iubar induit, axe rotauit,
Cursibus aptauit, cœli regionibus addit
Agminis innumeri, nec flammea sidera cœlum
Destituunt, quæcunq; dies & luce premuntur
Luminis immensi radiato uertice Phœbi.
Nec mirum si clara latent sub sole corusco
Sidera, quo mundum monstrat mensura minorem,
Qui fouet igne pio cœlum, mare, sidera, terras,
Conceptum uirtute Dei, quem sphæra polorum
Sustinet, & sentit Dominum per cuncta Tonantem:
Cuius ab imperio ueniunt, quæcunq; ministrant
Omnia: iussus agit totum, sub lege laborant,
Miles & ipse Dei, cùm lunam & sidera cuncta
Ostentat, sub uere nouo, sub tempore primo,
Sub tirone die ueterana in secla paratus.
Addit quinta dies animalia cuncta, profundi
In corpus solidantur aquæ, neruiq; ligantur:
Musculus humor erat, fluctus durescit in ossa,
Atq; oculi geminantur aquis, humore gelato:
Et quot sunt fluctus, tot forsan in æquore pisces
Incedunt fluido per cærula uasta natatu,
Et crispante freto perlabant naribus undas,
Terrigenis factura cibos per cuncta creandis.
Exilit inde uolans gens plumea, læta per auras,
Aëra concutiens pennis crepitante uolatu,
Ac uarias fundit blando modulamine uoces,
Et puto collaudant Dominum meruisse creari.
Hæ niueo candore nitent, has purpura uestit,
His croceus plumæ color est, has aureus ornat,
Albentes alijs pennæ solidantur ocellis,
Atq; hyacinthus adest per colla & pectora fulgẽs:
Eminet his cristatus apex, has lingua decorat,
Has uirides pennæ reddunt, has discolor ornat
Multa per innumeras currens pictura uolucres,
Et rudibus tenuem subtexunt aëra plumis.
Ipsa dies folium ramis, & floribus herbas
Euomit, & spicis acuit seges omnis aristas:
Silua comis uestita uiret, nidosq; loquaces
Exhibet, & uarias decantat garrula uoces,
Cùm uacuanda uolat commotis plausibus ales,
Frondibus insidens, uento cum fronde mouetur,
Vnguibus ad ramos infixa tenacibus hærens,
Pennigerum uernare nemus uapor urget in usus
Pignoris, & molli durescunt oua tepore,
Pennantur tunc membra, globis animataq; anhelãt,
Rumpuntur, confracta sonant, nutrita uolatus
Tentant, & rudibus librantur in aëra pennis.
Sed cùm discordent inter se elementa coacta,
Fæcibus eductis concordant unda uel ignis:
Vnda creat uolucres, producit flamma uolucres:
Pabula montis erant: sed non qui pasceret herbas
Affuit, intactæ senuissent floribus herbæ,
Ni pascenda daret tellus iumenta per agros.
Sexta dies phœbi rutilo processerat ortu,
Cùm natura parit gignitq; animantia terris.
Cornibus erumpunt armata fronte iuuenci,
Et per prata uagus sequitur sua uincula taurus,

Ceruus in arua fugax palmatis cornibus errat,
Et uelox prorumpit equus, pecus utile bellis.
Impia terribiles producit terra leones,
Simplicitas ouium fraudem paſſura laborum,
Et raucos timuit diſcurrens dama moloſſos,
Spumat aper, mortem limato dente minatur,
Et latus obliquans meditatur prælia toruus,
Ac maxilla ferox duros deſæuit in armos,
Audacter certans ſpumantia bella mouere:
Gignitur omne genus pecudũ, genus omne ferarũ,
Inter prata uagum, nullo cuſtode per herbas,
Inſtar montis habens, incedit beſtia, mole
Promitur, anguis hians, quatiens ſub dente uenenũ,
Et maculoſa rapit ſquamas per uiſcera ſerpens,
Atra uenena nocens miſſura afflatibus oris,
Et ſubitò ſparſura graues per ſibila mortes,
Atq; eadem membris impertitura medelas.
Sed ne mixta ſimul paßim per cuncta fuiſſent,
Diſtribuit loca certa Deus, & tempora fixit.
Tempore non uno ueniunt quæ ſæua uocantur:
Non ſemper mouet arma leo, nec ſcorpius ictus
Semper habet, nec ſemper agit fera uipera morſus,
Nec ſemper tollunt ad uulnera colla ceraſtæ:
Non ſemper furit unda maris, non ſemper adurit
Solis ubiq; calor: pro tempore temperat ignes,
Pro regione plagæ contemperat unda uaporem,
Et modò bellantes fluctus freta pigra iacebunt.
Ipſe polus, qui grande tonat, ſine nube ſerenus,
Iam tacet, & puro redeunt ſua lumina cœlo.
Multa locis data ſunt uarijs, diſperſa per orbem.
Arida uipereos angues ſuſcepit arena,
Humida ſortitar tellus fera colla leonum:
India cum gemmis & eburnea monſtra minatur,
Bellua diuinos inter generatur odores,
Ambroſiasq; rapit malè frangens beſtia menſas,
Incertusq; color tigris per mille colores
Montibus arcanis uenit, atq; effœta marito
Mittitur, ut uincat currens orbata procellas.
Cornibus erectis ſortita eſt Africa damas,
Concaua ſuſcipiunt per montem ſaxa dracones.
Cætera diſtribuit diuerſis ſemina terris,
Plurima coniunxit, ſed ceſpite multa diremit.
Munera prætereа funduntur diuitis auri.
Protulit eximias illuſtrior India gemmas,
Producunt niueos & littora rubra lapillos,
Flammantes uirides q; tulit Babylonia cruſtas,
Perſida nobilitant precioſis littora gemmis,
Frigidus & roſeo carbunculus ardet honore. A
Seres fila trahunt nullo ſub pollice ducta,
Et nimis ambroſia plorant uirgulta per agros
Balſama, Cæſareos lachrymæ dant munus odores,
Cinnamon interior profert Phœnicia tellus,
Solis amica nimis: nam nunc de ſole peruſta
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum.
Omnibus his genitis, animal rationis amicum,
Formatur uirtute Dei, limatur in artus,
Vt dominator eat moderantior omnibus iſtis,
Naturæ iuſſu quæ protulit omnia princeps.
Aſt hominem non terra parit, non pontus ab undis,
Non cœlum, non aſtra creant, non purior aer:
Sed dominatorum dominator ſummus & auctor,
Limauit per membra uirum de puluere factum.
Limus adhuc deformis erat: membratur in artus
Corporeos, ſpecies hominis, cœleſtis imago:
Conſpicitur noua forma uiri, ſine mente parumper,
Spiritus infuſus ſubitò per membra cucurrit,
Et calefacta rubens tenuit præcordia ſanguis.
Mox rubuêre genæ, totos rubor inficit artus:
Iam cutis eſt qui puluis erat, iam terra medullam
Oßibus includit, ſurgunt immenſa capilli, B
Orbe micant gemino gemmantia lumina uiſu,
Et uocem compago dedit noua machina ſurgens,
Auctorem laudare ſuum gauiſa quòd eſſet.
Tunc oculos per cuncta iacit, miratur amœnis
Sic florere locum, ſic puros fontibus amnes
Quattuor undifluo ſtringentes gurgite ripas,
Ire per arboreos ſaltus, camposq; uirentes:
Miratur ſe, quid ſit homo, quos factus ad uſus
Scire cupit: ſimplex eſt, non habet unde requirat,
Quo merito ſibimet data ſit poſſeßio mundus,
Atq; æterna domus nemoris per florea rura,
Parua procul ſpectat uirides uineta per agros:
Hac de re tacitus uoluitq; & corde requirit,
Et quare ſecum non ſint hæc ipſa uolutat:
Nam conſorte carens, cum quo conferret, egebat.
Viderat omnipotens hæc illum corde mouẽtem,
Et miſeratus ait: Demus ſolatia facto,
Participem generis. tanquam ſi diceret auctor,
Non ſolum decet eſſe uirum, conſortia blanda,
Coniugium ſe quiſq; uocet, dul-edo recurrat
Cordibus innocuis, & ſint ſibi pignus uterq;:
Velle pares, & nolle pares, ſtans una uoluntas,
Pars animi concors, paribus decurrere uotis:
Ambo ſibi requies cordis ſint, ambo fideles,

A Et quicunq; datur casus, sit causa duorum.
Nec mora, iam uenit alta quies, oculosq; supinat
Somnus, & in dulcem soluuntur membra soporem:
Sed cùm iure Deus nullo prohibente, ualeret
Demere particulam, de quo prius ipse pararat:
Attamen ablato iuueni ne costa doleret,
Redderet & tristem subitò, quem lædere nollet:
Cur opifex uult esse suus? nam posset alumnam
Puluere de simili princeps formare puellam.
Sed quò plenus amor toto de corde ueniret,
Noscere in uxorem uoluit sua membra maritum.
Diuiditur contexta cutis, subducitur una.
Nam iuuenis de parte breui formatur, adulta
Virgo, decora, rudis, natura tumentibus annis,
Coniugij sobolisq; capax, quibus apta probatur,
Et sine lacte pio crescit iam infantia pubes.
Excutitur somno iuuenis, uidet ipse puellam
Ante oculos astare suos: patet inde maritus
Non tantùm ex coitu genitor, sed coniugis auctor.
Somnus erat parcus, conceptus semine nullo,
Materiam sopita quies produxit amoris,
Affectusq; nouos blandi genuêre sopores.
Constitit ante oculos nullo uelamine tecta,
B Corpora nuda simul, niuei ceu nympha profundi:
Cæsaries intonsa comis, gena pulchra rubore,
Omnia pulchra gerens, oculos, os, colla, manusq;:
Vt qualem possent digiti formare Tonantis.
Nescia mens illis fieri quæ causa fuisset.
Tunc Deus et princeps ambos coniunxit in unũ,
Et remeat sua costa uiro, sua membra recepit:
Accipit & fœnus, cùm non sit debitor ullus.
His datur omnis humus, & quicquid iussa creauit,
Aëris & pelagi fœtus, elementa, duorum
Arbitrio commissa manent. his: Crescite, dixit
Omnipotens, replete solum de semine uestro,
Sanguinis ingeniti natos nutrite nepotes,
Et de prole nouos iterum reparate iugales:
Dumq; fretum terra, & dum cœlum sublevat aër,
Dum solis micat axe iubar, dum luna tenebras
Dißipat, & puro lucent mea sidera cœlo,
Sumere quicquid habent pomaria nostra licebit,
Deliciæq; fluent uobis, & honesta uoluptas:
Arboris unius tantùm nescite saporem.
Dixerat ista Deus, sanxit natura, quod inquit
Omnipotens. migrare diem, discedere solem,
Nec lucem remeare putat terrena propago,
Subductisq; nigris collucet luna tenebris,
Sidera cuncta notant cœlo radiare sereno.
Ast ubi purpureum surgentem ex æquore cernunt
Luciferum, ubrare iubar, flammasq; ciere,
Et reducem super astra diem de sole rubentem,
Mox reuocata fouent hesterna in gaudia mentes,
Temporis & requiem noscentes, luce diurna
Cœperunt sperare diem, ridere tenebras:
Tot bona facta Deus non obliuiscitur unquam;
Quapropter fecitq; homines, sanxitq; manere.
His Dominus pietatis opem subducere non uult;
Proijcere nec plasma suum uult conditor æui,
Esse nihil prorsus se præter ubiq; rogandum:
Et nisi subueniat, succurrens non erit ullus.
Inde malo bonus est homini Deus, omnibus auctor;
Ipse opifex, dominus, rector, dux, arbiter, index,
Continua bonitate pius, uirtute modestus,
Simplicitate bonus, qui culmine celsior omni.
Ibant per flores, per tota rosaria læti
Inter odoratas messes, lucosq; uirentes,
Simpliciter pecudum ritu, uel more ferarum:
Corporibus nudis, & nescia corda pudoris.
Quæ pars membrorum secretior esset habenda,
Vnde rudes scirent, quid moribus esset honestum?
Quod digitos oculosq; putant, hoc mẽbra pudẽda.
Publica iungebant affectibus oscula paßim,
Nec rubor ullus erat, cùm staret origo pudoris,
Illicitumq; sibi prorsus nihil esse putabant,
Et bene credebant, quibus omnia iußit ad unum,
Arboris unius fructu sub lege negato.
Vomere non tellus, non rastris iussa domari,
Quærere nec sudor fructus quocunq; labore
Cogitur, aut campos aliquo de fonte rigare:
Imbriferis semper pluuijs absentibus, imber.
Cespes & arbitrio crescit fortuna marito.
Præterea solis datus est locus ille duobus,
Delicijs hominum tantùm constructus opacis,
Non placidas sustentat aues, non ore cruentas,
Vnguibus armatas nescit perferre uolucres:
Omne genus pecudum, nescit genus omne ferarum.
Solus ibi irrepsit squamoso corpore serpens,
Fraudibus imbutus mortis, caput omne malorum,
Pectore uipereo mollitum ex ore uenenum
Munera iam sub dente parans spumante palato.
Ergo ubi liuor edax contusum dente uenenum
Inuidiæ mordacis habens sub fronte modesta,
Quærit opem sceleri, per quam fallatur honestas,
Simplicitasq; cadat, uel credula corda reatus

Incurrant, non fraude sua, sed clade perenni.
Fortia corda uiri non expugnanda per anguem
Præsensit, pietatis inops: at coniugis aures
Aggreditur sub uoce pia, sermone maligno
Insidiosus adit heu mollia corda, puellæ
Ingerit ore cibos crudeli funere plenos.
His simul assumptis reserantur lumina cordis,
Ac permixta bonis patuit doctrina malorum:
Pœnituit resciſſe dapes, & damna putantur
Temporis exacti spacio procedere peius.
Ausum quippe nefas tentat seducta maritum,
Et capit insontem. iam noxia fœmina uictam
Circunuenta perit, sed circunscripta fefellit:
Nec circunscriptum serpens impunè triumphat.
At scelus horrendum uel sæua piacula mortis
Supplicio sociante duos reuelare reatu
Credidit infelix: sed par sententia damnat,
Quos par culpa tenet, gradus illic temporis inter-
Est tantùm. nam causa ligat communis utrunq;.
Exurgit censura Dei pietate seuera,
Ac uitæ mortisq; simul sententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors de utroq; negatur,
Vltio uitalis cohibetur limite mortis.
Pœna mori crudelis erat, sed uiuere peius.
Ocia, delicias perdunt, discuntq; labores,
Qui cultore Deo fructum telluris habebant,
Agricola Dominus quum nondum uerterat unquã,
Ipse rigator erat, sator, auctor, messor, arator.
Offendunt hæc ambo pium: truduntur ab horto
Perpetui floris, non est sub iure reorum,
Et uitæ mors meta datur, cum fine malorum.
Magna Dei pietas, semper qui temperat iras:
Vita grauis hominum subducitur impete mortis,
Quæ recidiua magis uiuaci corde resurgit.
Mors mundanorum requies est certa laborum,
Et malè uiuenti præstatur fine salutis,
Continuans quodcunq; nocet prauumq; bonumq;.
Solus in æternum Deus est regnator & auctor,
Virtus una Deus, trinus Deus omnis & unus:
De quo speratum conceditur omne benignum,
Et quæcunq; iubet, præsumptio nulla refellit:
Nec deest effectus faciendi tempore eodem,
Quem penes & sensus primordia multa loquũtur,
Et sermo retinente sonat super æthera uoce:
Hac mens pura Deũ potius quàm lingua precatur.
Ergo operis memor ipse sui, tunc imperat ambos
Sedibus egressos, placido donentur ut orbi.


Ac totum quod mundus habet, sub iure tenetur: A
Et quod floret hum°, uiridis quod germinat herba,
Quod spicat messis, quod ramis parturit arbor,
Quod gẽmant uites, quod amœna comantia frõdẽt
Flumina, quod mittũt fontes, quod fundit & æquor,
Quod pelagi trahit unda freti, quod littora tundũt,
Murmure quod uẽti flantes uaga marmora crispãt,
Quod generãt terræ, quod flumina, põtus et æther:
Vsibus humanis data sunt hæc cuncta uenire.
Vt similis quà factus erat de puluere Christo,
Is dominaretur cunctis sub carne creatis,
Corpora corporibus seruirent cuncta subacta.
Spiritus interea seruit sine corpore uentus,
Ventus agit nubes, in nubila crassior aër
Cogitur, hinc imbres ueniunt, placidumq; serenum.
Ventus alit fluctus, & uentus spicat aristas,
Ventilat æstiuo quæ flatu mollior aura,
Deflorat fluctus, atq; excutit arbore flores.
Flatibus accendit flammas, & temperat æstus:
Flatibus alternis redeunt comitantia uitæ,
Itq; reditq; suos repetendo spiritus haustus,
Et reduci uento fibræ pulmonis anhelant,
Faucibus excurrens in naribus aura uicissim,
Vitalès animat per membra tepentia sensus: B
Atq; modò gelidis, calidis nunc flatibus ora
Illustrata uigent, & tangunt flabra palatum.
Non hæc humanis tantùm spiramina membris
Sunt data, sed cunctis animantibus aura recurrit.
Spiritus ille Dei, quo corpora cuncta mouẽtur,
Omnia complectens agitat, fouet, inserit, urget:
Vnde genus diuersa trahunt & semina rerum,
Nobilis immenso ueniens è fonte perenni.
Artificis formata manu digesta mouentur
Ordine cuncta suo, manet irreuocabile munus,
Nec tamen intereunt pereuntia lege diurna.
Quis neget undifluos procedere fontibus amnes,
Quorum iam reditus nunquam sperabit origo?
Quas incessanter licet euomit, impete pleno,
Iacturam tamen unda negat sentire fluenti.
Omnibus hic mos est de flammis tollere flammam,
Nec minuit quicquam detractus ab ignibus ignis.
Damna aliena solent aliorum lucra parare:
His quæstus, non damna parant. in fomite flammis
Detractis auferte iubar, succenditur ignis:
Nec carnale genus minuit factura creando.
Ecce dedit homini plusquam sibi rex Deus auctor,
Formatur uirtute Dei mas unus & una,

A Et multos creat unus homo, mansura propago
Maxima sit generis, quis paruula fundit origo:
Paruula diuini succedere cura perennis,
Ne consumpta daret post secla resurgere uitæ.
Sed ne sit fixum, reditus non esse sepultis
Cordibus, illorum qui legis sancta profanant,
Annua conspiciant agris frumenta renasci
Mortua per sulcos terram findentis aratri:
Maior & ex trunci surgit radicibus arbor,
Et folijs uestita uiret redeuntibus annis.
Pampinus uuifera uitis sarmenta reuestit,
Et geminata sui redeunt uirgulta ruboris.
Ambrosio reduces rumpuntur cortice fructus.
Est cui uita fugax, & par cum flore senectus,
Fit rediuiua uirens, & crinibus herba renatis.
Ligna renascuntur, reduci sub germine cuncta:
Quæ nunc herba fuit, lignum iacet, herba futura.
Squammeus exuitur stellato tegmine serpens,
Pelle renascenti rursus redeunte iuuenta,
Reprat hians anguis, per sibila guttura pandens.
Frontibus arboreis amittunt cornua cerui,
Anguibus absumptis, sed mox palmata resurgunt.
Aëriæ nudantur aues, cùm penna uetusta,
B Et noua subuestit reparatas pluma uolucres.
Mortua præterea cæcorum lumina dudum
Nube tenebrarum discussa luce recepta,
Ad uisus rediêre suos, uultusq; sepulti
Nocturnos perpessa dies oculatur imago.
Mortua pars hominis quoties pars una iacebat,
Funera uiua gerens, uiuax in morte cadauer:
Ac sine morte tamen, uitali morte perempta
Et rediuiua salus reduci per membra uapore
Nascitur, & calidus repetit uitalia sensus,
Ossa tenens, uenasq; ciens, sudansq; medullas.
Phœnici exactam renouat Deus igne iuuentam,
Combustusq; senex tumulo, procedit adultus,
Consumens dat membra rogus, sine sorte sepulcri:
Ignibus extinctis, iam mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax rediuiuo lumine candens,
Et scintilla uorax incendia uasta reducit,
Et quod fumus erat, stridet iubar ignis anheli,
Igne uago rutilatur apex, fax cætera lambit,
Et cœlum repetens erecto crine uagatur.
Mortua nox sub luce cadit, perit aurea luna,
Atq; per ascensus & cornua colligit ignes,
Et dum cæca latent reparato lumine fulget,
Mentiturq; diem lux frigida solis imago:
Lucifero redeunte polo moriuntur & astra:
Nuncius auroræ subductus morte diurna
Lucifer, extinctas reficit per sidera flammas.
Exhinc nocturnis iubar emicat igne corusco,
Roscida puniceum spargens aurora ruborem,
Ducit ubiq; diem periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de sole petit, quo missa rubebat.
Sol oculus cœli, famulus super astra Tonantis:
Cuius ab aspectu languescunt sidera cœli,
Ne gelidis animentur aquis per cærula ponti.
Occidit ipse dies super æquora sole cadente:
Et quò conuersus, nouus æquore mane resurgit,
Vespere nocturno hac radiata luce rubentem
Purpureis abscondit aquis, redditq; diurnæ
Depositum natura suum sub nocte sepultum,
Mane resurgentem de fluctibus orbe recepto.
Tot simul exemplis moniti, defuncta renasci
Credamus uirtute Dei, qua cuncta creauit,
Et generata uigent sub nutritore Tonante.
Qui cùm regna poli teneat stellantis, & aptum
Aera concludit, terram leuat, æquora soluit,
Et totum capit una manus, quod sermo creauit:
Vnus ubiq; Deus, dum iussu rumperet ima,
Qui tantum pius est, quantum decet omnipotentē,
Et nulla uirtute minor, nisi uerberis ira,
Sed uotis & sponte bonus, pietate & amore:
Quē mens pura iuuat hominū, nō uictima supplex,
Vt se pœniteant sceleris mala uota reorum,
Et noua succedant animorum uota piorum.
Ille etenim Deus est, quem nulla retardat origo,
Cuius ab aspectu montes & saxa fluiscunt
In cineres: & puluis erit, quod dura ligabant:
Qui uisa tellure, simul mox pondera mundi
Concutit, et subitò monstrat uaga terra tremorem,
Ac formidatos ostendit pendula motus.
Alueus expauit uiolato uertice turgens,
Dum reduces sentiret aquas, & sisteret amnem
Visa Dei facies, & marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis,
Et pelago spaciante fretis ac littoris æstu.
Qui de thesauris uentorum flamina mittit,
Et frenat rapidas in tempestate procellas,
Grandinis atq; niuis qui nouit quæ sit origo,
Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes,
Qui laxas abscondit aquas, & continet imbres,
Qui scit quo nitidus crystallus uentre creatur,
Candida materies glacies imitatur hibernas.

Qui noctes hiemis producit sole minore,
Et solis protendit iter flammantibus horis,
Qui phœbi saltus statuit, lunæq; labores,
Qui roseis stellare nemus uel floribus agros
Imperat, autumni qui dulcia poma saporat,
Et fragiles hiemis uariat sub uitibus uuas,
Vt cibus & potus sint ubera dulcia musti.
Qui dat coruorum pullis alimenta, facitq;
Nouerit ut uultur qua sit regione cadauer,
Dux rectorq; sagax, quem mox inuitat ad escam,
Præcipit aut aquilæ senio renouare iuuentam,
Quæ rostro crescente famem tolerabat obunco:
Qui pascit quodcunq; creat pietate parentis,
Vitæ certa salus, per mille pericula mortis.
Debilibus uirtus, opulentia maior egenis,
Auxilium miseris, spes & defensio preßis,
Fessorum uirtus, dans nutrimenta salutis:
Qui facit æternam ut mortalia lege latenti
Membra tegant animam, uento spirante loquaci:
Qui lunæ crescente globo, iubet ut mare crescat
Fluctibus adiectis, crescant cum fontibus amnes,
Crescat & inclusum capiti genus omne cerebri: A
Et minuatur aqua luna minuente, minore
Ac decrescenti decrescant lege perenni:
Qui reges & regna domat, sternitq; potentes,
Deijcit elatos, & mergit ab arce superbos,
Atq; oppressores Deus opprimit, & pius ultor
Eleuat elisos, & consolatur adactos
Ictibus & damnis, & uulnera sæua dolentes.
Tu nobis inuicte Deus, pietate medelam
Impendis, tu sancta salus medicamine nullo,
Quod species terrena parat languoris adepti,
Spes hominū cernens, & uota precantia complens,
Aspice despectum, deiectum tolle parumper,
Confessumq; iuua, quem pœnitet esse nocentem,
Vt ualeam narrare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero: nam nemo ualet narrare creatus
Vel modicum facientis opus, quod mente reclamet,
Pectore contuso lachrymans, & uoce fideli.
Obses sermo tuus: nostro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE OPERE CREATIONIS, B
Hymni VII.

DIES PRIMVS.


ucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordijs lucis nouæ
Mundi parans originem.
Qui mane iunctum uesperi
Diem uocari præcipis:
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens grauata crimine,
Vitæ sit exul munere:
Dum nil perenne cogitat,
Seseq; culpis illigat.
Cœlorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peßimum.

DIES II.

IMmense cœli conditor,
Qui mixta ne confunderet
Aquæ fluenta diuidens,
Cœlum dedisti limitem:
Firmans locum cœlestibus,
Simulq; terræ riuulis,
Vt unda flammas temperet,
Terræ solum ne dißipet.
Infunde nunc pijßime,
Donum perennis gratiæ:
Fraudis nouæ ne casibus
Nos error atterat uetus.
Lucem fides inueniat,
Sic luminis iubar ferat:
Hæc uana cuncta terreat,
Hanc falsa nulla comprimant.

DIES III.

Telluris ingens conditor,
Mundi solum qui detegens,
Pulsis aquæ molestijs
Terram dedisti immobilem:
Vt germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus
Fœcunda fructu sisteret,
Pastumq; gratum redderet.
Mentis perustæ uulnera

A *Munda uigoris gratia,*
Vt facta fletu diluat,
Motusq; prauos atterat.
Iussis tuis obtemperet,
Nullis malis approximet:
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis ictum nesciat.

DIES IIII.

Cœli Deus sanctißime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,
Lunæ ministras ordine
Vagos recursus siderum.
Vt noctibus uel lumini
Diremptionis terminum
Primordijs & mensium
Signum daret notißimum.
Illumina cor omnium,
Absterge sordes mentium:
Resolue culpæ uinculum,
B *Euerte moles criminum.*

DIES V.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra.
Demersa lymphis imprimens,
Subuecta cœlis erigens:
Vt stirpe ab una prodita,
Diuersa rapiant loca.
Largire cunctis seruulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis tædium.
Vt culpa nullum deprimat,
Nullum leuet iactantia:
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.

DIES VI.

Plasmator hominis Deus,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum iubes producere
Reptantis & feræ genus.
Qui magna rerum corpora
Dictu iubentis uiuida,
Vt seruiant per ordinem
Subdens dedisti homini.
Repelle seruis à tuis
Quicquid per immundiciam
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.
Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera:
Dissolue litis uincula,
Astringe pacis fœdera.

DIES SEPTIMVS, SEV Sabbathi.

Deus creator omnium,
Poliq; rector, uestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia:
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesq; fessas alleuet,
Luctusq; soluat anxios.
Grates peracto iam die,
Et noctis exortu preces
Votis (reos ut adiuues)
Hymnum canentes soluimus.
Te cordis ima concinat,
Te uox canora concrepet:
Te diligat castus amor,
Te mens adoret sobria.
Vt cùm profunda clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat,
Et nox fideli luceat.
Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa nouerit:
Castos fides refrigerans
Somni uaporem temperet.
Exuta sensu lubrico,
Te cordis alta somnient:
Nec hostis inuidi dolo
Pauor quietos suscitet.
Christum rogemus & Patrem,
Christi Patrisq; spiritum:
Vnus potens per omnia
Foue precantes trinitas.

ALCI.

ALCIMI AVITI VIENNENSIS A

ARCHIEPISCOPI, LIBER PRIMVS:

De origine mundi.

QVòd uarij eueniũt humana ĩ gẽte labores,
Vnde breuẽ capiũt mortalia tẽpora uitã:
Vel quòd polluti uitiãtur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum fata parentum:
Addatur quanquam nostra de parte reatus,
Quodq́; etiam amisso dudum peccatur honore,
Adscribam tibi prime Pater: qui semine mortis
Tollis succiduæ uitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persoluerit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago:
Attamen auctoris uitio, qui debita lethi
Instituit, morbosq́; suis ac funera misit,
Viuit peccati moribunda in carne cicatrix.
Iam Pater omnipotens librantis pondere Verbi
Vndiq; collectis discreuerat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis,
Iam proprias pulchro monstrabat lumine formas,
Obscuro cedente die, uarioq́; colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum,
Temporibus sortita uices: tum lumina cœlo
Fulsère, alterno solis lunæq́; meatu.
Quin & sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras,
Actutum suaui producens omnia fœtu.
Pulchra repentino uestita est gramine tellus.
Accepère genus sine germine iussa creari,
Et semen, uoluisse, fuit: sic ubere uerbi
Frondescunt syluæ: teneris radicibus arbor
Durauit uastos paruo sub tempore ramos.
Protinus in uarias animalia multa figuras
Surgunt, & uacuum discurrunt bruta per orbem.
Elatæ in cœlum uolucres, motuq́; citato
Pendentes, secuère uias, & in aëre sudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Pòst etiam clausi uasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatusq́; sub æquore ducunt,
Quæq; negant nobis, illis dant humida uitam.
Nec minus in pelago uiuiscunt grandia cete,
Accipiuntq́; cauis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus producere pontus,
Aptat ad informes condens solertia formas:
Quodq́; hominum falsò credit mens nescia fœdum,
Per propriam speciem natura iudice pulchrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatuq; suo perfectus constitit orbis:
Tum Pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere uultum,
Illustrans quodcunq; uidet: placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudatq; creator
Dispositũ pulchro quẽ condidit ordine mundum.
Tum demum tali Sapientia uoce locuta est:
En præclara nitet mundano machina cultu,
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid iuuat ulterius nullo cultore teneri?
Ergo longa nouam ne fœdent ocia terram,
Nunc formetur homo, summi quem tangat imago
Numinis, & nostram, celso donatus honore,
Induat interius formosa mente figuram.
Hunc libet erectis sublimem incedere plantis:
Qui regat æterno subiectum pondere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cœliq; uias & sidera norit:
Discat & inspectis discernere tempora signis, B
Subijciat pelagus sæuum, ingenioq; tenaci
Poßideat quæcunq; uidet: cui bestia frendens
Seruiat, & posito discant mansueta furore
Imperium iumenta pati, iußiq; ligari
Festinent trepidi consueta in uincla iuuenci.
Quoq; etiam natura hominis sublimior extet,
Incipiat rectos in cœlum tollere uultus:
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longæuo in tempore uitam.
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem consperso puluere limum,
Moliturq́; nouum diues Sapientia corpus.
Non aliter quàm opifex diuturno exercitus usu
Flectere laxatas per cuncta sequacia ceras,
Et uultus complere rudes, aut corpora gypso
Fingere, uel segni speciem componere massa:
Sic Pater omnipotens uicturum protinus artum
Tractat, & in lento meditatur uiscera cœno:
Dehinc arcem capitis sublimi in uertice signat,
Septiforem uultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, uisu, gustuq́; potentem:
Tactus ad hæc, solus toto qui corpore iudex
Sentiat, & propriũ spargat per membra uigorem.

Flexilis

A Flexilis arctatur recauo sic lingua palato,
Pressus ut in cameram pulsantis uerbere plectri,
Percusso resonet modulatus in aëre sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit, ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumq; latus foueat uitalia uenter.
Diuiduam partem femur excipit, aptius ut se
Alternus moueat duplicato poplite gressus.
At parte ex alia fingit quam conditor idem,
Occipiti submissa suo, descendere ceruix
Incipit, & uastos compagibus addere neruos.
Spina rigens crebris inter cōmertia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna nouos uitæ formatur ad usus.
Viuifico primùm cordi uitalia tegmen
Naturale parant, plagam ne sentiat ullam,
Massaq; congestis pendens absconditur extis.
Additur & tenui pascendus ab aëre pulmo,
Vt concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumpserat auras,
Perq; uices crebro pellatur anhelitus haustu.
Dextra tenet iecoris uegetandum sanguine fontem,
B Quo clausum uenæ spargunt per uiscera flumen.
Læua in parte lien mansura sede quieuit:
Qua crines perhibent, unguesq; recrescere sectos,
Nec concisa dolent, quæ mox augmenta resumunt,
Et uiuunt, sensuq; carent in corporis usu.
Postquàm perfectæ iacuit nouitatis imago,
Formatumq; lutum speciem peruenit in omnem:
Vertitur in carnem limus, durataq; moles.
Hinc dura è medijs traxerunt ossa medullas
Visceribus, lunæ augendas crescentis ad instar.
Inseritur uenis sanguis, uiuoq; calore
Inficit ora rubor, toto tum corpore pallor
Pellitur, & niueos depingit purpura uultus.
Inde ubi perfectis consuescit uiuere membris
Totus homo, & fumant calefacta, et uiscera solam
Expectant animam: puro quam fonte creator
Promit, & erectos recturam mittit in artus.
Nam lenem suaui flatum profundit ab ore,
Inspiratq; homini, quem protinus ille receptum,
Attrahit, & crebri discit spiraminis auras.
Postquam nascentem solers prudentia sensum
Imbuit, & puro rationis lumine fulsit:
Surgit, & erectis firmat uestigia plantis.

Tum uarias cœli species, mundiq; figuras
Mirantem, tali compellat uoce creator.
Hæc quæ mundani coràm pulcherrima cultus
Incrementa uides, ornatum extensa per orbem,
Solus habe, solisq; prior dominare fruendo.
Tu mihi cuncta tibi famulentur: maximus ordo
Te parêre pio, tibi qui dedit omnia, patri.
Non species ullæ, nec numina uana colantur,
Non quæ uel cœlo sublime nouumq; coruscant,
Non quæ uel terris uiuunt formata, uel undis,
Nec quod fortè premens prohibet natura uideri.
Vsibus ista tuis, non cultibus esse memento.
Præcellis factis: factorem pronus adora.
Interea sextus noctis primordia uesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem.
Dumq; petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Soluitur & somno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens pressum per corda soporem
Misit, & immenso tardauit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitas soluere mentes.
Non si fortè fragor securas uerberet aures,
Nec si commoto cœlum tunc intonet axe:
Quin nec pressa manu rupissent membra quietem.
Tunc uerò cunctis costarum ex ossibus, unam
Subducit læuo lateri, carnemq; reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decôre,
Inq; nouum subitò procedit fœmina cultum.
Quam Deus æterna coniungens lege marito,
Coniugij pensat fructu dispendia membri.
Istius indicium somni, mors illa secuta est,
Sponte sua subijt sumpto quam corpore Christus.
Qui cùm passurus ligno sublimis in alto
Penderet, nexusq; & culpas penderet orbis:
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exiliens fluxit cum sanguine lympha:
Qua uiuum populis iam tunc spōdente lauacrum,
Fluxit martyrium, simul & baptismatis unda.
Inde resurgenti cœlestiaq; astra petenti,
De lateris membro surgens Ecclesia nupsit.
Principio rector tanti sacrare figuram
Disponens uinclí, hoc nectit connubia uerbo.
Viuite concordi studio, mundumq; replete,
Crescat longæuum felici semine germen:
Non annis numerus, uitæ nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.

Porrò nepos ductus, ſpargens per ſecla nepotes,
Viuentes numeret proauos, inq; ora parentum
Ducant annoſos natorum pignora natos.
Tum lex coniugij toto uenerabilis æuo
Intemerata ſuo ſeruabitur ordine cunctis.
Fœmina perſiſtat de ſemine ſumpta uirili
Coniugio ſeruare fidem: nec ſeparet alter
Quod iungit, ſociatq; Deus: cum patre relinquat
Et matrem, iuſto conſtrictus amore maritus.
Nec iam ullos propter rūpant hæc uincla parētes
Vita ſed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno coniungens fœdere uota
Feſtiuum dicebat hymen, caſtoq; pudori
Concinit angelicum iuncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradiſus erat, mundusq; dabatur
In dotem, & lætis gaudebant ſidera flammis.
PARADYSI τοπογραφια · Eſt locus Eoo mundi ſeruatus in axe
Secretis natura tuis: ubi ſolis ab ortu
Vicinas naſcens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cœli ſubteriacet axem.
Quam candor feruens albenti ex æthere fuſcat.
Huc ſemper lux pura uenit, cœloq; propinquo
Natiuam ſeruant nigrātia corpora noctem.
Attamen in tetris ſplendentia lumina membris
Captiuo fulgore micant, uiſuq; nitente
Certior accreſcit pullatis uultibus horror.
Cæſaries incompta riget, quæ crine ſupino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed quidquid magnū noſtros defertur ad uſus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratu pulchrū eſt, allabitur inde.
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, & hic eboris munus, quod porrigit orbi,
Informis pulchros deponens belua dentes.
Ergo ubi tranſmiſsis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia iungere cœlo:
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno concluſus limite: poſtquam hinc
Decidit expulſus primæui criminis auctor,
Proq; reis digne fœlici ab ſede reuulſis
Cœleſtes hæc ſancta capit nunc terra miniſtros.
Non hîc alterni ſuccedit temporis unquàm
Bruma, nec æſtiri redeunt poſt frigora ſoles.
Excelſus calidum cùm reddit circulus annum,
Vel denſante gelu caneſcunt arua pruinis:
Hîc uer aſſiduum cœli clementia ſeruat,
Turbidus auſter abeſt, ſemperq; ſub aëre ſudo A
Nubila diffugiunt iugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci, quos non habet imbres:
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo uiret omne ſolum, terræq; nitentis
Blanda nitet facies: ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribusq; comæ: quæ cùm ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco:
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole,
Nec tactus uiolat uiolas, roſeumq; ruborem
Seruans perpetuo ſuffundit gratia uultu.
Sic cùm deſit Hiems, nec torrida ferueat Aeſtas,
Fructibus Autūnus, Ver floribus occupat annum.
Hîc quæ donari mentitur fama Sabæis
Cynnama naſcuntur, uiuax quæ colligit ales
Natali cum fine perit, nidoq; peruſto
Succedens, ſibimet quæſita morte reſurgit:
Nec contenta ſuo tantum ſemel ordine naſci
Longa ueternoſi renouatur corporis ætas,
Incenſamq; leuant incendia crebra ſenectam.
Illic deſudans fragrantia balſama ramus,
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum. B
Tum ſi forte leuis mouit ſpiramina uentus,
Flatibus exiguis, leniq; impulſa ſuſurro,
Diues ſilua tremit folijs, & flore ſalubri:
Qui ſparſus, latè ſuaues diſpenſat odores.
Hîc fons perſpicuo reſplendens gurgite ſurgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec cryſtalla trahunt nitido de frigore lucem,
Negligit hîc uirides riparum margo lapillos:
Et quas miratur mundi iactantia gemmas,
Illic ſaxa iacent: uarios dant arua colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de uertice flumen
Quatuor in largos confeſtim ſcinditur amnes:
Euphratem Tygrimq; uocant, qui limite certo
Longa ſagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur, ignoto cunctis illuſtrior ortu:
Cuius in Aegypto lenis perlabitur unda,
Ditatura ſuam certo ſub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas.
Alueus, & nigris campos perfundit arenis.
Vbertas laxatur aqua, cœloq; uacante

Terreſtrem

A Terrestrem pluuiam diffusus porrigit amnis.
Tunc inclusa latet lato sub gurgite Memphis,
Et super absentes possessor nauigat agros.
Terminus omnis abest: æquatur iudice fructu
Annua suspendens coniectus iurgia limes.
Gramina nota uidet lætus subsidere pastor,
Inq; locum pecorum uiridantis iugere campi,
Succedunt nantes aliena per æquora pisces.
At postquam largo fœcundans germina potu
Lympha maritauit sitientis uiscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasq; recolligit undas.
Fit fluuius pereunte lacu, coguntur in alueum
Ad ripam effrenes conclusis fluctibus undæ.
Donec diuiduum spargens per deuia finem
Gurgite septeno patulum pertendit in æquor.
Cur autem perhibent latitare ex omnibus unum
Fontem Nile tuum? nam qui nesciris ab ortu
Non solus, sed quartus eras, diffusus ab illo,
Despicit excelso qui flumina cuncta meatu:
Ipsius atq; pater pelagi supereminet omnes, (phas:
Quas mõtes quas plana uomunt, quas nubila lym
Quartus dehinc Physon, quẽ nominat India Gan/
Motus odorifero quoties qui uertice creuit, (gem,
B Deciduas pulchro quas spargunt flamina luco
Prælambens furatur opes, & gurgite nostrum
Ducit in exilium: nam ripa largus utraq; est.
Amnibus utq; istis enodes ferre papyros,
Aut scirpos algasq; leues deducere mos est.
Excrementa trahens magnus sic ditia Ganges,
Hoc etiam donat mundo, quod proijcit alueo.
Interea primi summus quos iunxerat auctor
In paradisiaca ponuntur sede parentes:
Quis rector tali proponit præmia lege.
O summum factoris opus, quos sola creauit
Nostra manus, nasci cùm cætera uoce iuberem:
Aspicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Diuitijs tumet immensis: hæc cuncta dabuntur
Ad uestros sine fine cibos, hinc esca petatur,
Sumite concessas fruges, & carpite poma.
Hîc operis dulci studio secura quiescat,
Delitijsq; fruens longæuo in tempore uita.
Est tamen in medio nemoris: quã cernitis arbor,
Notitiam recti, prauiq;, in germine portans,
Huius ab accessu uetitum restringite tactum:
Ne uos forte premat temeraria discere cura
Quæ prohibet doctor: melius nescire, beatis
Quod quæsisse nocet, testor quem fecimus orbem,
Quod siquis uetitum decerpat ab arbore pomum:
Audax commissum mortis discrimine pendet.
Non immensa loquor: facilis custodia recti.
Seruator uitam, mortem temerator habebit.
Accipiunt iuuenes dictum, lætiq; sequuntur,
Spondentes omni seruandam tempore legem.
Sic ignara mali nouitas, nec cõscia fraudis
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater instructos sacrata in sede relinquens
Lætus in astrigeram cœli se sustulit aulam.

LIBER SECVNDVS DE PECcato originali.

Vtitur interea uenturi nescia casus
Libertas secura bonis, fruiturq; beata
Vbertate loci: largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin semper opimè
Sumitur alternus tenui de cespite fructus.
Nam si curuati fœcundo pondere rami
Mitia submittunt sublimi ex abore poma:
Protinus in florem uacuus turgescere palmes
Incipit, inq; nouis fructum promittere gemmis.
Iam si prædulces delectat carpere somnos,
Mollibus in pratis, pictaq; recumbitur herba.
Cumq; uoluptati sacrum nemus offerat omnes
Delitias, opibusq; nouis se præbeat amplum:
Hinc suaues epulas capiunt, escamq; requirunt:
Quanquam nulla fames cogit, nec lassa fouendo
Indignus hortatur compleri uiscera uenter.
Et nisi concessum libuisset noscere pastum
Esuries ignota cibos non posceret ullos,
Nulla famescentem fulcirent pabula uitam.
Interea nondum transgreßi iussa parentes
Corpora nuda uident: nec mutua cernere membra
Dispudet: ipsa rudis fœdum nil sentit honestas
Hon natura hominis, uicium sed causa pudori est.
Nam Quæcunq; bonus formauit membra creator
Cur pudibunda forẽt? neq; enim summi ante relicta
Iussa Dei, quicquã conspectu turpe, sed ipsa
Tunc mens intactos seruabat candida uisus.
Quin & talis erat naturæ gloria primæ,
Angelicæ qualis narratur gloria uitæ
Sidereas habitare domos: qualemq; redemptis
Spondet reddendã mortis post tempora Christus:
Quis neq; coniugium curæ, nec fœdere turpi
Miscuerit calidos carnalis copula sexus.

Quãdò aberit gemitus,luxus,metus,ira,uoluptas,
Fraus,dolor,atq; dolus,mœror, diſcordia,liuor,
Nullus egens,nullus cupiens,ſed pace ſub una
Sufficiet cunctis ſanctorum gloria Chriſtus.
His protoplaſtûm ſenſum primordia ſacra
Continnere bonis:donec certamine primo
Vinceret oppreſſos fallacem culpa per hoſtem.
Angelus hic fuerat dudum,ſed crimine poſtquam
Succenſus proprio tumidos exarſit in auſus,
Se feciſſe putans,mox tanquam conditor eſſet
Ipſe ſui,rabido concepit corde furorem,
Auctoremq; negans,diuinum conſequar(inquit)
Nomen & æternam ponam ſuper æthera ſedem,
Excelſo ſimilis,ſummo nec uiribus impar.
Talia iactantem præcelſa potentia cœlo
Iecit,& eiectum priſco ſpoliauit honore,
Quiq; creaturæ præfulſit in ordine primus,
Primas uenturo pendet ſub iudice pœnas.
Illum quandoquidem grauior ſententia punit
Quem mirum cecidiſſe putes:nam crimen aceruat
Auctor,in ignaro minor eſt peccante reatus,
Durius idq; malum,quod maior fecit,habetur.
Sed quòd uiuaces pertendit in abdita ſenſus,
Quodq; futura uidet,rerumq; arcana reſignat,
Angelici feruens ſupereſt natura uigoris.
Horrendum dictu,ſignisq; notabile monſtrum.
Nam quidquid toto dirum committitur orbe,
Iſte docet,ſcelerumq; manus ac tela gubernat,
Pugnat & occultus.per publica crimina,latro.
Et nunc ſæpe hominum,nunc ille in ſæua ferarum
Vertitur ora,ſubinde nouos mutantia uultus.
Alitis interdum ſubitò mentita uolantis
Fit ſpecies,habitusq; iterum confingit honeſtos.
Rurſum etiam apparens formoſo corpore uirgo,
Illic ardentes obſcœna in gaudia uiſus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruſcat,
Accenditq; animos auri fallentis amore,
Deluſos fugiens uano phantaſmate tactus.
Nulli certa fides conſtat,uel gratia formæ,
Sed quo quemq; modo capiat teneat´ue nocendo,
Opportuna dolis,clauſæq; accomoda fraudi,
Sumitur exterior ſimulata mente figura.
Maior adhuc etiam ſæuo permiſſa poteſtas,
Terſanctum ut uincat, dudum collata creato.
Sic natura ualet,rectam quam condidit auctor,
Sed pòſt ad prauos ſubuerſor tranſtulit uſus.
Vidit ut iſte nouos homines in ſede quieta A
Ducere fœlicem nullo diſcrimine uitam,
Et lege accepta domino famularier orbis,
Subiectusq; frui placida inter gaudia rebus:
Commouit ſubitum zeli ſcintilla uaporem,
Excreuitq; calens in ſæua incendia liuor.
Vicinum tunc forte fuit cùm decidit alto
Tempus,& innexam traxit per prona cateruam:
Hoc recolens,caſumq; premens in corde recentem,
Plus doluit periјſſe ſibi,quod poßidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor,ſic pectore queſtus
Explicat,& tali ſuſpiria uoce relaxat.
Proh dolor,hoc nobis ſubitũ conſurgere plaſma,
Inuiſumq; genus noſtra creuiſſe ruina?
Me celſum uirtus habuit,nunc ecce neglectus
Pellor,& angelico limus ſuccedit honori,
Cœlum terra tenet,uili compage leuata
Regnat humus,nobisq; perit translata poteſtas.
Nec tamen in totum perijt,pars magna retentat
Vim propriam,ſummaq; cluit uirtute nocendi.
Nil differre iuuat:iam nunc certamine blando
Congrediar,dum prima ſalus,experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos ad tela patebit.
Nam melius ſoli capientur fraude, priuſquàm B
Fœcundam mittant æterna in ſecula prolem.
Immortale nihil terra prodire ſinendum eſt.
Fons generis pereat,capitis defectio membris
Semen mortis erit:pariat diſcrimina lethi
Vitæ principium:cuncti feriantur in uno,
Non faciet uiuum radix occiſa cacumen.
Hæc mihi deiecto tantum ſolatia reſtant.
Si nequeo clauſos iterum conſcendere cœlos,
His quoq; claudentur:leuius cecidiſſe putandũ eſt,
Si noua perdatur ſimili ſubſtantia caſu.
Sit comes excidij,ſubeat conſortia pœnæ.
Et quos præuideo nobiſcum diuidat ignes.
Sed ne difficilis fallendi cauſa putetur,
Hæc monſtrãda uia eſt,dudum quam ſepe cucurri
In pronum lapſus: quæ me iactantia cœlo
Expulit,hæc hominem paradiſi è limine pellat.
Sic ait,& gemitus uocem clauſere dolentis.
Forte fuit cunctis animalibus altior aſtu,
Aemulus arguto callet qui pectore ſerpens:
Huius tranſgreſſor de cunctis ſumere formam
Eligit,aërium ſtatim ſibi corpus adaptans,
Inq; repentinum mutatus tenditur anguem.

Fit longa

A Fit longa ceruice draco ſplendentia colla
Depingit maculis, teretisq; uolumina dorſi
Aſperat, & ſquãmis per terga rigentibus armat.
Qualis uere nouo primis cum menſibus æſtas
Præmittit lætos poſt frigora pigra tepores,
Euadit ueterem renouatis motibus annum,
Siccaq; uireſcenti permutans germina fronde.
Sic prodit coluber lucenti pelle tumeſcens,
Et tandem egrediens terrarumq; abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma draconem.
Dira micant oculi, tum lumine uiſus acuto
Lætior, optatum diſcit conſueſcere ſolem.
Nunc ſtridet blandum, crebro nũc carmine fauces
Ludunt, & trifidam diſpergunt guttura linguam.
Ergo ut uipeream maleſuada fraude figuram
Induit, & totum fallax proceſsit in anguem,
Peruolat ad lucum: tum forte rubentia læti
Carpebant iuuenes uiridi de palmite mâla.
Hîc ueritus ſerpens, firma ne mente uirili
Non queat effuſo ſubuertere corda ueneno:
Arboris in uetitæ ſpiris reptantibus altum
Porrigitur, tractumq; ſuum ſublimibus æquans,
Auditum facilem leni ſic uoce momordit.
B O felix, mundiq; decus pulcherrima uirgo,
Ornat quam roſeo præfulgens forma pudore,
Tu generi uentura parens, te maximus orbis
Expectat matrem, tu prima & certa uoluptas
Solamenq; uiri, ſine qua nec uiuere poſsit,
Vt maior, ſic iure tuo ſubiectus amori,
Cui iuncta es, pulchram reddas ut tẽpore prolẽ.
Vobis digna datur paradiſi in uertice ſedes,
Vos ſubiecta tremit famulans ſubſtantia mundi,
Quod cœlũ, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, ueſtros confertur in uſus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta poteſtas.
Non equidem inuideo, miror magis attamen iſta
Cur Deus inuidit uobis ex arbore fructus?
Scire uelim quis dira iubet, quis talia dona
Inuidet, & rebus ieiunia miſcet opimis.
Hic malè blanditam fixerunt ſibila uocem.
Quis ſtupor ô mulier mentem caligine clauſit
Cum ſerpente loqui? uerbum committere bruto
Non pudet, ut ueſtram præſumat belua linguam?
Et monſtrum pateris, reſponſumq; inſuper addis?
Ergo ubi mortiferum ſeductilis Eua uenenum
Auribus accipiens, cladi conſenſit iniquæ:
Tunc ad ſerpentem uano ſic ore locuta eſt.
Suauibus ô pollens coluber dulciſsime uerbis,
Non, ut rere, Deus nobis ieiunia ſuaſit,
Nec prohibet largo curari corpora paſtu.
Ecce uides epulas totus quas porrigit orbis,
Omnibus ijs licitè genitor promptiſsimus uti
Præſtitit, & totas eſu laxauit habenas.
Hæc ſola eſt nemoris medij quam perſpicis, arbor
Interdicta cibis, hæc tantùm tangere nobis
Poma nefas: diues præſumit cætera uictus.
Quòd ſi libertas temerarit noxia legem,
Iurans terribili prædixit uoce creator,
Quadam nos ſtatim luituros morte reatum.
Quid uerò mortem appellet, doctiſsime ſerpens
Pande libens, rudibus nobis incognita res eſt.
Callidus inde draco, & lethi tũ ſpõte magiſter,
Interitum docet, & captas ſic fatur ad aures.
Terroris uacuum formidas fœmina nomen,
Nequaquam uos dira manet ſententia mortis,
Sed pater inuiſus ſortem non contulit æquam,
Nec uos ſcire dedit, ſibimet quæ ſumma reſeruat.
Quid iuuat ornatũ comprendi aut cernere mũdũ,
Et cæcas miſero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter ſenſus, oculosq; patentes
Et brutis natura dedit: ſol omnibus unus
Seruit, ab humano nec diſtat belua uiſu.
Conſilium mage ſume meum, mentesq; ſupernis
Inſere, & erectos in cœlum porrige ſenſus.
Namq; id quod uetitum formidas tangere pomũ,
Scire dabit quæcunq; pater ſecreta reponit.
Tu modò ſuſpenſos tantum ne contrahe tactus,
Ne captiua diu frenetur lege uoluntas.
Namq; ubi diuinum libaueris ore ſaporem,
Mox purgata ſuo faciet tua lumina uiſu
Aequiparare deos, ſic ſancta ut noxia noſſe,
Iniuſtum recto, uero diſcernere falſum.
Talia fallaci ſpondentem dona ſuſurro,
Credula ſubmiſſo miratur fœmina uultu,
Et iam iamq; magis cunctari, & flectere ſenſum
Incipit, & dubiam letho plus addere mentem.
Ille ut uicino uictam diſcrimine ſenſit,
Vnum de cunctis lethali ex arbore malum
Detrahit, & ſecum nutanti protinus offert.
Nec ſpernit miſerum mulier malè credula munus,
Sed manibus pomum ignaris lethale retractans,
Naribus interdum labijsq; patentibus ultro

Iungit, & ignorans ludit de morte futura.
O quoties ori admotum conpuncta retraxit,
Audacisq; mali titubans sub pondere dextra
Cessit, & effectum sceleris tremefacta refugit.
Dijs tamen esse cupit similis, serpitq; uenenum
Ambitione nocens, rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde timor, dubiam iactantia pulsat,
Interdumq; etiam lex subuenit, aestuat anceps
Diuidui cordis dira inter praelia fluctus.
Nec tamen incentor desistit fallere serpens,
Ostentatq; cibum dubiae, quaeriturq; morari,
Et iuuat in lapsum pendentis prona ruinae.
Vt tandem uictae grauior sententia sedit,
Aeternam tentare famem, per criminis escam,
Serpentem satiare cibo quem sumeret ipsa,
Annuit insidijs, & pomum morsa momordit.
Dulce subit uirus, capitur mors horrida pastu.
Continet hic primum sua gaudia callidus anguis,
Dissimulatq; ferum uictoria saeua triumphum.
Ignarus facti, diuersa ex parte reuertens
Adam, diffusi laetus per gramina campi,
Coniugis amplexus, atq; oscula casta petebat,
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flebat foemineos animosa in corda furores
Et sic orsa loqui (semesum namq; gerebat
Asseruans misero pomum exitiale marito)
Sume cibum dulcis uitali ex germine coniunx,
Quod similes summo faciet nos esse tonanti,
Numinibusq; parens: non haec tibi nescia donum,
Sed iam docta fero: primus mea uiscera gustus
Attigit, audaci dissoluens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse uirilem,
Quod mulier potuit, praecedere forte timebas,
Saltem consequere, atq; animos attolle iacentes.
Lumina cur flectis? cur prospera uota moraris?
Venturoq; diu tempus furaris honori?
Haec effata, manu uicturae fercula mortis
Intereunte anima lethum dum crimina pascunt,
Porrigit infausto coniunx insana marito.
Accipit infoelix malesuadi uerba susurri,
Demisitq; suos ad noxia crimina sensus.
Non illum trepidi concussit causa pauoris:
Nec tantum est gustu cunctatus, foemina quantum,
Insequitur uelox, miseraeq; ex coniugis ore
Constanter rapit inconstans dotale uenenum,
Faucibus & patula inimicas porrigit escas.
Vix uno pomum libabat succida morsu A
Ingluuies, summumq; dabat uix esca saporem,
Ecce repentinus fulgor circunstitit ora,
Lugendoq; nouos respexit lumine uisus.
Non caecos natura dedit, nec luminis usu
Priuatum peperit formae perfectio uultum.
Nunc uerò mage caecus eris, cui non satis illud
Noscere, quod tantus uoluit te nosse creator.
Ad uitam nobis cernendi facta facultas,
Nunc uerò lethum sed uestra sponte uidetis.
Tum patuisse gemunt oculos: nam culpa rebellis
Fulsit, & obscoenos senserunt corpora motus.
Tunc primùm nudos (dubium quid dicere possim,
Extinctus natúsne pudor) circunspicit artus.
Erubuit propriae tunc mens sibi conscia culpae,
Pugnauitq; suis carnis lex indita membris.
Namq; hinc posteritas uiciato germine duxit
Artibus illicitis cognoscere uelle futura,
Arcanisq; sacris tardos immittere sensus:
Edita uel coelo, uel tetro mensa profundo
Rimari, inq; cauas naturae irrumpere leges,
Quaerere quàm dextro quisquam sit sidere natus,
Prospera quàm ducat restantis tempora uitae,
Dissimilem paribus prouentum discere signis. B
Nec non & geminos uno sub tempore fusos,
Quos indiscretus luci subduxerit orbis,
Motibus aduersis uaria sub sorte notare.
Indigetes quosdam stellis asscribere diuos,
Iunior antiquis aetas quos praetulit astris,
Atq; infernali iamdudum mole sepultis,
Vana per immensum disponere nomina coelum.
Iam magicam dignè ualeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore uires?
Legifer ut quondam uates, sub rege superbo,
Dum noua monstraret iussi miracula signi,
Commouit liuore magos, ut talia tentent,
Accumulentq; suas zelo feruente ruinas.
Quis forsan si suppeteret non uana potestas,
Demere, non etiam properarent addere monstra,
Aemula sed signis tantum, non uiribus aequa,
Quod remouere nequit, duplicata sustinet ira.
Hinc est laudato quod possunt carmine Marsi,
Cùm tacita saeuos producunt arte dracones
Absentes, & saepe iubent confligere secum,
Tunc ut quisq; grauem bello persenserit hydrum
Aspicis aut dirae clausas cognouerit iras,
Concutit

A Concutit interius secreti carminis arma.
Protinus & laxis uerbo lactente uenenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermi,
Et morsus tantum, non uirus in angue timetur.
Interdum perit incantans, si callida surdus
Adiuratoris contempsit murmura serpens.
Hoc quoniam de matre trahũt, & origine prima,
Anguineæ fraudis quod sic linguæq; periti,
In speciem reddunt commercia mutua fandi.
Nec minus hos pulsat temeraria cura sciendi,
Angit præscitus ducti quos terminus æui.
Cùm tamen eductas inferni sedibus umbras
Colloquium miscere putent, & nota referre,
Spiritus erroris sed qui bacchatur in illis,
Ad consulta parat uanis responsa figuris.
Ne uero multis dicamus singula uerbis,
Præsenti illusus, damnabitur ille perenni
Iudicio, quisquis uetitum cognoscere tentat
Nec iam sola fuit seruatrix Eua malorũ,
Dicam nunc aliam tali quæ peste laborans,
Nescia parendi domino mandata neglexit:
Quãquam nec similẽ caussam contẽdero, cùm nec
Tum mage consultum seduxerit illa maritum.
B Peccandi quasdam feruor succenderat urbes,
Omnia permittens laxatis crimina frænis.
Incestus uice legis erat, ius sola regebat
Luxuries, regni sedem metata uoluptas,
Indigenas populos domina sub carne tenebat,
Et scelerum ingenti studio, quæ iusserat olim
Subiectos fugitare uiros respublica, ab illis
Abstinuisse nefas, & non peccasse, pudendum
Credebant omnes, facinus quos iunxerat unum.
Talibus offensus, iudex atq; arbiter orbis
Cum fureret, flammasq; loco, finemq; pararet,
Quendam dissimilem cunctis, tectoq; latentem,
Qui tunc forsan erat Sodoma peregrinus in urbe,
Vnum inter multos uerbis Loth conuenit istis.
Oppida lasciuo iamdudum plena furore,
Respergunt cœlum maculis, nostrasq; fatigant
Quamuis obstructas scelerũ clamoribus urbes.
Imminet exitium, nam incensa libidine tellus
Ignibus ardebit: restinguet fulminis imber,
Quæ non extinxit feruentia crimina fletus.
Ipsa in perpetuas soluetur terræ fauillas,
Conseruans cineres post dira incendia uiuos.
Tu nunc linque domum, perituras desere terras,
Nam rea cum dignis subsident arua colonis.
Sed tamen interea ne te coniunxeris illis,
Ne forte impendens lethum coniungat eisdem,
Virgineamq; abduc sobolem, solatia coniunx
Augeat: ijs tantum socijs contentus abito.
Accelerate fugam, & contendite tramite recto,
Nec subuertendas quisquam respexerit urbes.
Este mali expertes, pœnas quicunq; uidebit
Sentiet, atq; suæ mortis spectacula secum,
Qui meruere ferent: saluandis terror abesto.
Hæc pater, ast illi properant abscedere terra,
Inciduntq; moras, crudeliaq; arua relinquunt.
Cœperat obduci densa caligine uictum
Atq; ignota prius demittere murmura cœlum,
Nec sic ut tonitru crebro cùm percitus æther
Ostentat pauidis innoxia fulmina terris.
Sed prorsus finale malum terrore minaci
Tetra per aërios mittebat signa tumultus.
Tendebant moniti simul, & mandata tenentes,
Concessam rectis ad sedem uultibus ibant.
Callidus, alta petens, sed qui subuerterat Euam
Serpens, fœmineam consuetus tangere mentem,
Nil quoq; formidans animum tentare uirilem.
Inspirat miseræ cognoscere uelle ruinas,
Et simul euasas uisu deprændere clades.
O crudelem animi, non iam tibi sufficit unam
Succubuisse dolo? & funesta clade nepotes
Affecisse suos? ô stulti insania sexus.
Quid stolida affectas frustrari parte bonorum,
Dum mala nosse cupis? si nos exempla priorum
Non terrent, nostro fies exempla timori,
Vel post te pereat scrutandi dira libido.
Illicitum quod scire fuit, uetitumq; tueri,
Respicies tantùm, nec narratura uidebis.
Ergo ubi maiorem uicina ex urbe tumultum
Audiuit mulier, uultum deflexa retrorsum
Vix primo in uisu restrictis motibus hæsit,
Cernere desistens cùm cœperat: inde gelato
Sanguine marmoreus perfudit uiscera torpor.
Diriguere genæ, pallor nouus inficit ora.
Lumina nec clausit, nec saltem concidit illo
Pondere, quo pulsant collapsa cadauera terram.
Sed stetit horrendo perlucens massa nitore,
Seruauitq; suam speciem decepta figuram.
Ne facile nosses uitrum, lapis, an metallum est,
Succedens homini, nisi sal gustu indicet ipso.

Extunc inſipido mulier præuenta reatu,
Plus ſalſum ſine mente ſapit, quæ pungere ſenſus,
Exempliq́; poteſt ſalibus condire uidentes.
Hoc tamen hìc mirum eſt, quod Loth nõ flectitur,
Nec ſociã ſequitur primo cõſtantior Adam. (ipſam
Quanquã id credo magis factum, quia uiſa referre
Iam nequit elinguis: quæ ſi comperta referret,
Forſan & in ſimiles auſus temeraria traxet,
Credulo ut impoſuit uirgo primæua marito.
Quæ poſtquam ſeſe pariter comitemq́; fefellit,
Et nondum natam percußit uulnere prolem:
Tum uictor ſerpens certamine lætus ab ipſo,
Puniceam criſpans ſquammoſo in uertice criſtam,
Nec iam dißimulans quẽ preſſerat ante triumphũ.
Acrior inſultat uictis, & talibus infit.
En affectatæ uobis eſt gloria laudis
Reddita, qui peruerſa ſimulq́; etiã optima noſtis.
Cuncta ego uos docui, ſenſumq́; per abdita duxi,
Et quodcunq; malum ſolers natura negabat
Inſtitui, pactumq́; meum, ne forte negetis,
Seruaui, & firma uoſmet mihi forte dicaui.
Nec Deus in uobis, quamuis formauerit antè,
Iam plus iuris habet: teneat quod condidit ipſe,
Quod docui mecum eſt, maior mihi portio reſtat.
Multa creatori debetis, plura magiſtro.
Dixit, & in media trepidos caligine liquens
Per medium fugiens euanuit aëra corpus.

ALCIMI AVITI LIB. III.

De ſententia Dei.

TEmpus erat, quo ſol mediũ tranſcenderat axẽ
Pronus, & excelſi liquens faſtigia cẽtri,
Vicina iam nocte leues præmiſerat auras.
Illis ſed maior curarum uoluitur æſtus,
Feruentesq́; tenent malè conſcia corda dolores.
Tum pudor his capto detorquet lumina ſenſu,
Nec iam ſecura præſtatur luce tueri
Signatam fixo peccati ſtigmate carnem.
Indumenta petunt, folijs ut mollibus ambo
Membra tegant, nudumq́; malũ ſub ueſte lateſcat.
Vmbroſis propter ſtabat ficulnea ramis,
Frondentes diffuſa comas, quas protinus Adam,
Humentem capiens raſo de cortice librum,
Aßuit, & uiridi ſolatur ueſte ruborem.
Induitur ſimili mulier lachrymabilis arte,
Quosq́; aluit miſero fallax inſania pomo,
Veſtiuit folio: & quos ſæua ex arbore nudos
Reddidit, hos grauius tenui de cortice texit. A
Et tamen adueniet tempus, cum crimina ligni
Per lignum ſanet, purgetq́; nouißimus Adam,
Materiamq́; ipſam faciat medicamina uitæ,
Aureus ex alta cum pendens arbore ſerpens,
Serpentis ueteres morſus atq; omne uenenum
Eluet, & ueterem perimet ſua forma draconem,
Tunc etiam inuitum letho delebere lethum.
Interea genitor uiridis per mollia luci
Rorantes ſudo capiebat ab aëre uentos.
Protinus attonitis ſenſerunt auribus ambo
Præſentem dominum: triſti tum luce peroſam
Expauere diem, detecto in crimine teſtem.
Tunc ſi illis ſpecubus uaſtis ſe fortè barathrum
Panderet, aut ſubitum tellus monſtraret hiatum,
Non pigeat prono trepidos deſcendere ſaltu.
Quòd ſi ſuppeteret iam tum ſententia lethi,
Hanc etiam raperet ſolandi cauſa doloris:
Seu flammis lymphis'ue daret, uel pectora ferro
Appeteret uindex crudeli uulnere dextra.
Sic miſeri mortem nondum diſcrimine notam
Cùm primùm meruere uolunt: exordia finem
Signant, & ſimilem prædicunt affore luctum,
Qui manet in finem malè ductæ tempora uitæ,
Vltima cùm mundi ſeníum cõſumpſerit ætas, B
Cumq́; repentinus percuſſerit omnia fulgor,
Cœlorum clangente tuba, qua nuncius ante
Iudicis aduentum concuſſum terreat orbem.
Tunc cùm ſynceros paſtor diſcreuerit agnos,
Hœdis diſparibus diuerſa in parte locatis,
Chaſmate diuiſa medio: quam fluctibus implet
Sulphureis uoluens undoſa incendia gurges
Flammarum ſtagnante lacu: quo feruida quondam
Dicitur attracto nubes Sodomitica nymbo
Guttatim ſparſum fudiſſe ob crimina fulmen,
Cùm plueret nox tetra focos, cœloq́; caduco
Aëra per calidum ſtillarent undiq; mortes.
Taliter ignifero mißi de fonte gehennæ,
Fluxerunt triſtes aliena in ſecula riui.
At quos terribili iudex decreuerit hora
Viuere poſt mortem, pœnaq́; ardere perenni,
Subtrahet optato grauior ſententia letho.
Cumq́; foret melius diſperſis corpora membris
Carpere perpetuum dura ſub morte ſoporem:
Inuitos tamen urna trahet, quîs ſola uoluntas
Rurſus poſſe mori, ſenſuq́; carere dolendi.

A Sed ſic accipiet feruentis flamma camini,
Ambuſtura ſuas ut nunquam finiat eſcas.
At primi interea iuuenes conamine caſſo
Per deſerta ruunt, tutoq́; abſcondita furto
Facta putant, cæcis optant latuiſſe tenebris.
Quid iuuat infelix oculos auertere, cùm te
Iudex ille uidet? quid eum abnuis ipſe uidere,
Cùm uideare palàm? ſol eſt, non fuſcat amœnum,
Sed depreſſa grauem formidant lumina lucem,
Debilis & clarum uiſus non ſuſtinet orbem:
Hos ergo inſolitas poſtquam tentare latebras
Vidit, terribili primùm Deus increpat ore,
Infauſtusq́; ubi ſit quærit non neſcius Adam.
Qui trepidam pauido producens pectore uocem,
Vix hæc pauca refert: tuus ô celſißime terror
Inſolitas miſerum latebras tentare coegit:
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui fateor, cœlumq́; per abdita fugi.
Ecquis (ait) ſubitum concußit corde pudorem?
Viſus & unde nouus? nam te nec uellere dudum,
Nec contexta prius uelauit tegmine ueſtis.
Forma rudis proprio melius contenta decôre,
Iudice ſe placuit: ſed poſtquam fœdere rupto
B Interdicta tuus tentauit germina guſtus,
Naturale tibi tegmen non ſufficit unum.
Et iam nunc primùm nudis nudata pateſcunt,
Arguit obſcœnus quia turpia corpora motus.
Ille ubi conuictum claro ſe lumine uidit,
Prodidit & totum diſcußio iuſta reatum,
Non prece ſubmiſſa ueniam pro crimine poſcit,
Non uotis lachrymis'ue rogat, non uindice fletu,
Præcurrit meritam ſupplex confeßio pœnam.
Iamq́; miſer factus, nondum miſerabilis ille eſt.
Nam ſenſu erigitur, tumidisq́; accenſa querelis,
Fertur in inſanas laxata ſuperbia uoces.
Heus (ait) infauſto mulier coniuncta marito
Quam ſociam miſero prima ſub lege dediſti,
Hæc me conſilijs uicit deuicta ſiniſtris,
Et ſibi iam notum perſuaſit ſumere pomum.
Illa mali caput eſt, crimen ſurrexit ab illa.
Credulus ipſe fui, fidei ſed tu unicus auctor,
Connubium donans, & dulcia uincula nectens.
Atq; utinam felix, quæ quondam ſola uigebat,
Cœlebs uita foret, talis nec coniugis unquam
Fœdera ſenſiſſet, comiti non ſubdita prauæ.
Hac igitur timidi cõmotus mente creator,
Mœrentem uerbis compellat talibus Euam:
Cur tua deceptum traxiſti in uota maritum,
Nec contenta tuo deceptrix fœmina caſu,
Sublimi ſenſum iecisti ex arce uirilem?
Illa pudens, triſtiq́; genas ſuffuſa rubore,
Auctorem ſceleris clamat decepta draconem,
Qui uetito pomũ perſuaſit tangere morſu.
Poſt hæc ſupremam promit ſententia legem,
Serpentemq́; reum prima ſic uoce notauit.
Tu uerò cuius fucatis fœmina uerbis
Capta ſemel, ſimiles Adam pertraxit in auſus,
Propter utrumq; reus, pendes quod fecit uterq;,
Nec tibi ſublimis conſtabit pectore uertex,
Callida ſed pronus per terrã corpora uolues,
Vtq́; fuga trepido ſinuoſa uolumina currant,
Non greſſus ſed lapſus erit, teq́; ipſe ſequêris
Flexibus, & ſpiras uiuentia uincula nectent.
Tum propter ſuaſam miſerorum cordibus eſcam
Tellurem captans paſtu ueſcêris inani,
Menſibus & certis, fugitiuus ab aëre ſudo,
Incluſus terris communi ſole carebis.
Inter cuncta replent, quæ nunc animantia mundum
Omnibus inuiſus fies, grauis omnibus horror.
Præcipuè infœlix mulier, cum prole futura,
Tecum inimicitias odio conſtante reponet,
Seminibusq́; tuis eius cum ſemine bellum
Perpetuum, ſed dißimilis uictoria, nam qui
Ambos una opera uiciſti ſubdole ſerpens,
Olim erit ut ſexum muliebrem pronus adores:
Cuius tu quanquam pauidæ inſidiabere calci,
Conteret una caput, tandem tibi fœmina uictrix,
Naſcendumq́; etiam tali de ſtipite germen.
Poſthæc attonitam iudex commotus in Euam.
Et tu quæ primam uiolaſti fœmina legem,
Accipe, ait, reliquum uitæ quod reſtat in æuum,
Imperium patiere thori, dominumq́; timebis,
Quem dederam ſocium: cuius tu ſubdita iußis
Pareto, & libitus poſthæc aſſueſce uiriles.
Moxq́; ubi concipiens fœtum perſenſerit aluus,
Ventris onus gemitu teſtaberis, ac tibi clauſum
Anxia creſcentem portabunt uiſcera faſcem:
Donec tranſacto faſtidia tempore complens,
Naturale malum partus ab uindice partu
Producas, uita ut prolis ſit pœna parentis.
Sed quid multa loquar miſeræ diſcrimina matris?
Nam cùm præduro mulier confecta labore

Optatam ſobolem, tali produxeris ortu,
Lugebis uacuos nonnunquam orbata dolores.
Interea trepidus iam dudum ſuſtinet Adam,
Quid ſibi terribilis tandem ſententia ſeruet.
Cui pater attentis, inquit, nunc auribus, & tu
Accipe quid mereare, leuis quem fœmina uicit.
Impolluta prius pulchro ſub germine tellus
Non iam fida ſatis, nec puro ſemine ſimplex,
Priſtina monſtrabit corruptum terga per orbem,
Exemploq́; tuo ſemper tibi terra rebellans,
Vepribus, ac tribulis armata, reſiſtere diſcet.
Aut ſi frangenti cedens ſuccumbit aratro,
Vomeris affixo mordaci dente ſubacta,
Pinguia decipient mentito germine culta.
Nam pro triticeo lolium conſurgere fructu,
Et fictas ſegetes, uacuasq́; dolebis ariſtas,
Sic ut uix centum producant iugera panem.
Sudore aſſiduo nitens, quem ſumat egeſtas,
Illecebramq́; cibi pœnalis uindicet eſca.
Aequalem brutis facient tibi pabula uitam,
Et ſimul herbarũ ſuccos, paſtumq́; requires,
Stercoreq́; aſſimili depreſſa grauabitur aluus,
Atq; oneroſa diu uoluetur talibus ætas:
Donec præſcriptum donent tibi ſecula finem,
Et compacta luto, rurſum ſoluantur in illud
Membra, ſimulq́; leui fias de puluere puluis.
Antè tamen durum nati præcurrere lethum
Conſpicies, pœnasq́; tuas in prole uidebis,
Vt metuenda magis cernatur mortis imago,
Peccaſſe agnoſcas quid ſit, quid mortua fleri,
Quidu'ue mori: ac nequid deſit tibi forte malorum,
Acriòr immenſo miſcebitur ira dolori.
Nam cùm prima tibi producent tempora natos,
Liuor edax arcto certabit limite mundi,
Nec iam ſufficiet uacuus conflictibus orbis,
Totaq́; fraterno congreſſu terra tremiſcet,
Alter in alterius conſurget uulnera frater,
Telluremq́; nouam cognato ſanguine tinget.
Exin poſteritas uarios paſſura labores,
Per uarios caſus mortalia debita pendet.
Dum ueterem ductus diſſoluat terminus orbem,
Occidat omne uigens, finisq́; redarguat orta.
Audierat, motumq́; dedit conterrita tellus.
His pater exactis, hœdorum pellibus ambos.
Induit, & ſancta paradiſi ab ſede reiecit.
Tunc miſeri egreſſum properãt, mundũq́; uacantẽ
Intrant, & celeri perluſtrant omnia curſu. A
Et quanquam uarijs herbis ac gramine picta,
Et uirides campos, fontesq́; & flumina monſtrat,
Illis fœda tamen ſpecies mundana putatur,
Poſt paradiſe tuam, totumq́; uidentibus horror.
Vtq́; hominum mos eſt, ſtudio maiore negata
Amplecti, & uetitis grauiore incumbere cura,
Sic maiore animo clauſus paradiſus amatur.
Quæq́; magis multò paradiſo extenditur, illis
Anguſtatur humus, ſtrictumq́; tuentibus orbem
Omnia lata nimis parent anguſta duobus.
Squallet & ipſe dies, cauſſantur ſole ſub ipſo
Subductam lucem, cœlo ſuſpenſa remoto
Aſtra gemunt, tactusq́; prius uix cernitur axis.
Tunc inter curas permixto felle doloris,
Affectus ſenſere nouos, & pectora pulſans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas,
Attentisq́; genis iniuſſus defluit humor.
Haud aliter uiuax deceptus mole caduca
Spiritus, impleto uênit cum terminus æuo,
Poſt obitum peccata dolet, tum quidquid iniquum
Geſſerit, ad mentem reuocat, tum pœnitet omnes
Errorum lapſus, ſemet quos iudice damnat.
Quòd ſi præteritæ reddatur copia uitæ, B
Sponte ferat quoſcunq; dabũt mandata labores.
Crudeli ſimiles narrant de diuite queſtus,
Hiſtoriam cuius cœleſti numine Lucas Historia de
Tradidit afflatus, paucis ego ab ordine totam Diuite Epulone.
Dum repeto, linguis omnes animisq́; fauete.
Ille cothurnatus gemmis, & fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis,
Inde ut bacchantem traxiſſent tempora mentem,
Currebant epulæ totus quas porrigit orbis,
Cúmq; peregrinus frugem miſiſſet aceruus,
Feruebat priſcum cryſtallo algente falernum:
Viuida quinetiam miſcebant cynnama thalli,
Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.
Quod pelagus, qđ terra creat, qđ flumina gignũt,
Certatim ad menſam ueniebant, omniáq; illuc
Portabat pallens auri cum faſce miniſter.
Diuitis ante fores pauper tum forte iacebat
Languidus, obſtrictis reſoluto corpore membris, obstipis
Et ſupplex poſcebat opem, nõ munera quærens,
Sed tantum ſiquas emittat copia diues
Relliquias, ſpectans aluus ieiuna rogabat.
Verùm clamanti diues non addidit aurem,

Nulliq;

A Nullaq; languentem pietas respexit egenũ:
Nec quæ completis cecidere superflua mensis,
Pauperis ad uictum quisquam dedit:insuper ægri
Despicitur facies,& putria uulneris horrent.
Cumq; canes miti perlambant ulcera lingua,
Blandior,& lasso feritas medicabilis adsit:
Sola hominum nescit mens dura & cruda moueri.
Hæc sed diuersa penitus dum sorte geruntur,
Impendens obitus pariter pulsauit utrumq;,
Diuite præuento,qui dum immortalia sese
Secula uicturum sperat,formidine nulla
Mortis adhuc animũ immemorẽ pulsauerat:atqui
Optatam pauper longo uix tempore mortem
Inueniens,uictor morbos artusq; reliquit.
Ille quidem,celsa dudum qui floruit aula,
Fletibus ad tumulum stipato funere fertur,
Auratoq; datur,conditus membra,sepulchro,
Et preciosa tegunt elatum lintea marmor.
Spiritus abstruso sed mox demissus auerno,
Ardet in æternis per sæua incendia pœnis.
E quarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul,ut uisus coniectat,sed procul inde
Vt docet euentus sinubus conspexit ouantem
Abrahæ iusti,mutatum in paupere uultum,
B Nec similem illius, quem dudum è luce receptum,
Quarto forte die uix quisquam largus humandi
(Ne per corruptum naturæ lege cadauer
Dira frequentato contagia mitteret orbi)
Obtectum laceris tenui uelamine pannis,
Naribus adstrictis nuda tellure locarat:
Angelicis uero manibus sublime leuatus,
Iam diues,iam sanus erat.Contraq; superbus,
Qui malè congestos auri cumularat aceruos,
Mendicat uel tantum ùnam de paupere guttam,
Arida ut extinctis irroret guttura flammis.
O pater electos(inquit)qui sede beata
Colligis, et meritis dispensas præmia iustis,
Hæc ego non merui,sed saltem hoc deprecor unum,
Lazarus ut digitum gelidas intingat in undas,
Et linguam extincto flammantem mitiget igne.
Quòd si nec refrigerio hoc extinxerit omnes,
Tempore uel saltem modico mihi temperet æstus,
Donec fessa breui respirent membra quiete.
Taliter immixto lachrymis stridore rogantem,
Magnanimus uerbis patriarcha intercipit istis.
Desine iam miseras incassum fundere uoces,
Et uanas miscere preces:haud talia dudum
Dicta dabas,cùm te in foribus præsente iacèret
Ipse ignotus,egens,eger,ieiunus,inanis,
Cùm congesta tuas onerarent fercula mensas,
Nec quisquã interea clamantẽ audiret egenũ.
Quapropter tandem librato examine ueri,
Præteritæ uitæ sortem dependit uterq;,
Permutatq; uices,& te iam suffecit amplis
Exundasse bonis:qui fleuit,gaudeat, & qui
Curarũ expertem duxit per gaudia uitam,
Iam fleat æternos spirans è pectore planctus.
Insuper horrendus qui se interponit hiatus,
Non sinit abiunctas misceri fœdere partes,
Vt reuocare gradum nec uos, descendere nec nos
Rursus ad inferni ualeamus claustra tyranni.
Ille gemens uanum repetita uoce precatur.
Si nil post obitum prodest commissa fateri,
Nec tua mutatur fixis sententia uerbis,
Hoc concede mihi,nulla quod lege uetatur.
Defuncto fratres dilecti quinq; supersunt,
Obsecro ad hos properet,qui uiuos corrigat,antẽ
In tormenta cadant quàm talia,carne soluti.
Nam quamuis duro persistant corde rebelles,
Si tamen abstrusa quisquam de morte reuertat,
Credent experto, pœnasq; subire timebunt.
Talibus ille quidem,fusis sed in aëra uerbis,
" Nulla etenim meriti post mortẽ facta potestas.
" Vos ergo dum uita manet, dum lege uigetis,
" Patronusq; adstat patris ante tribunal Iesus,
" Nec iam obturatis pulsatur ianua ualuis:
" Dum locus est flendi, dum se clementia Christi
" Pandit,flete admissa,nec inde admittite flenda.
En comperta tibi primi est occasio planctus,
Vtq; sui casus nunquã reparabilis Adam
Pertulit exitium:passuri nomine Christi.
Nam licet æternos meritosq; euaserit ignes,
Hæc nimium tamen infœlix incommoda sensit,
Perdita ne precibus,lachrymisue reduceret ullis.
Extunc paulatim retro sublapsa referri
Vita prior,cunctisq; malis laxarier orbis.
Tum tristes morbi,& uarij subiere dolores,
Et corrupta satis, dira pinguendine tellus,
Lethali quædam suffudit germina succo.
Inde truces sæuire feræ dudumq; timentes
Excitat ad pugnam tunc primùm conscia uirtus,
Reddit & armatas,unguis,dens,ungula,cornu.

Ipſa etiam leges elementa reſoluere primum
Et uiolare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur uentis pelagus, uoluuntur & undæ,
Excituſq; nouum turgeſcit pontus in æſtum.
Tunc primùm tectis tetra caligine cœlis,
Ingratos hominum caſtigatura labores,
Grandineos pauidis fuderunt nubila nymbos,
Atq; polus diſcors inuidit germina terris.
Quin magis ipſa ſibi tellus aduerſa negauit,
Seminis excepti uertens mentita nitorem.
Hæc mala tum primũ gemini ſenſere parentes,
Poſteritas nam quanta ferat diſpendia rerum,
Vix cui uel linguæ ſint centum, ferrea uel uox
Enumerare queat: nec ſi quem Mantua miſit,
Mæoniusq; canat diuino carmine uates.
Nam quis tot referat motus? quis denique fando
Euoluat, totos qui uoluunt ſecula fluctus?
Arma fremunt, crebra quatitur formidine mũdus,
Funditur irriguus ſanguis, maiorq; ſititur.
Quid dicam celſas præclaris cœtibus urbes
In deſerta dari? populos populante ruina
Diſpergi, & lacerum uacuari partibus orbem?
Seruitio ſubdi dominos, famulosq; uiciſsim
Præferri dominis, & belli ſorte perire
Sors generis quondã quos claro è ſanguine miſit.
Et ſi fortè breui requieſcant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites.
Ius anceps pugnare foro, quo iurgia fratrum
Non leuius uotis feriunt, quàm prælia telis.
Sed quis uota notet, clament cùm facta nocentum?
Quis fraudes & furta gemat gaudente rapina?
Quiſue minora fleat, ſi coràm maxima fiunt?
In de minora tamen, ſi ſummis iuncta notentur.
Nam per ſe nullum facinus ſub iudice paruum eſt.
Nec datur hic cũctas percurrere carmine fraudes:
Hoc unum dicam breuibus, poſt damna priorum
Nil ſupereſſe mali, quod non uel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus ſcelerum, plenusq; dolorum.
In caſu diſcrimen habens, & crimen in actu. (eſt,
Sed tu Chriſte potẽs, cui ſemper parcere prõptũ
Tu figulus maſſam potis es reparare caducam,
Et confracta diu ac reſoluta refingere uaſa,
Qui dudum in uili latitantem puluere drachmam,
Clara Euangelij uerbiq; ardente lucerna
Inueſtigaſti. magni tu paſtor ouilis,
Qui procul à caulis, longoq; errore uagantem
Quæris ouem, utq; ſuo gaudens reddatur ouili, A
Sarcina fit, quæ cura fuit: nec quærere tantum
Illa ſatis cœleſtis habet clementia Chriſti:
Ni ferat impoſitam tergo, atq; in ouile reducat.
Vtq; unam ex ouibus Stygij de fauce barathri,
Inferniq; lupi crudeli ex ore receptam
Accipias. Euangelicus te filius ille
Iunior inſtituet: pecudis qui forma reuerſæ,
Quid fugias docet, & lapſus, quo deniq; pacto
Ad meliora queas pacato patre reuerti.
Ille quidem exhauſtos poſtquã diſperſit aceruos,
Vitaq; conſumpto mutata eſt prodiga cenſu:
Turpia porcorum dignè conuiuia ſectans,
Optauit ſiliquis compleri uilibus aluum,
Donec ſæua fames longo diſcrimine uictum
Cogeret offenſo tandem ſe reddere patri,
Confeſſumq; reum laxato crimine ſolui.
Quem mox proſtratum mitis pater, alleuat ultro,
Et trepidum blanda ſolatur uoce pudorem.
Quin & quẽ loquitur, facto teſtatur amorem,
Nam reduci ornatus ueſtis dat prima ſecundos,
Lætaq; ſolennis celebrat cõuiuia cœtus,
Quod rediuiua ſuis quondam quaſi funere proles
Surgat, & orbato redeant noua lumina patri. B
At tu cunctipotens hominum rerumq; creator,
Quanquã omnes fieri ſaluos cupis, atq; beatos:
Nulla tamen pateris noſtræ diſpendia mortis.
Nec mundo pereunte, tuis contingere damnum
Diuitijs poterit: neſcis decreſcere, neſcis
Augeri, & pleno perſtat tibi gloria regno:
Sed famulis id redde tuis, quod perdidit Adam,
Quodq; tulit primùm uiciatæ ſtirpis origo,
Ortu reſtituat per te pia uita ſecundo.
Forma uetus nimium lacero circundata peplo,
Iam ueteri ſciſſam ponat cum crimine ueſtem.
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Olim ſeminecem miſerans tu fortè repertum,
Inq; uia abiectum (quem non multò antè latrones
Præterea inflictis ſpoliarant undiq; plagis)
Hanc tu Chriſte uiã, ſumpto dũ corpore, curris
Alliſum reperis, nec deſeris: inſuper ægrum
Carnis iumento importas, & uulnera ſanas.
Non ſecus inferni qui dudum præda latronis
Multiplici exanguem trahimus præ uulnere uitã:
Nullum aliud, præter te unum, ſolamen habemus.
Quòd ſi nunc medico, curabit uulnera fotu.

A Gratia designata oleo, sapientia uino.
Et Samaritani nos extera cura fouebit:
Pelletur ualidus medicato corpore languor.
Ergo qui non uis moriendi crescere causas,
Nec peccatorum crudelia funera quæris,
Sed mage conuersi ut uiuant: blando excipe uultu,
Quos confessa tibi gemitus pia pectora fundunt,
Vt quondam tecum passæ sub tempore carnis,
Proximus immani pendens de stipite latro,
Quem non culpa tibi similem, sed pœna tenebat,
Confeßi uenia supplex est criminis usus.
Ille etenim non ut membris, ita corde ligato,
Etsi confixas clauis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum uoce tetendit,
Sicq; reus, scelerum cùm digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit: cui fine sagaci
Prouida cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuitq; aditum moriens, cœloq; leuandus
Ardua sublimi tenuit compendia saltu.
Porrige sic nobis celsam pater inclyte dextram,
Nos quoq; perpetuæ consortes effice uitæ.
Atq; profanati deceptis fraude latronis,
Vt tibi compasso miserans succurre latroni:
B Inuida quos hostis paradiso depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia sedi.

ALCIMI AVITI LIBER IIII.

De diluuio mundi.

INfectum quondam uicijs concordibus orbem,
Infandumq; nefas, cœlo ulsciscente piatum
Diluuio, repetam, sed non quòd fabula mendax,
Victuros lapides mundum sparsisse per amplum
Deucaliona refert, durum genus, undè resumpti,
Descendant homines, cunctisq; laboribus apti,
Saxea qui duræ monstrant primordia mentis:
Sed ueri compos, fluctus nunc prosequar illos,
Per quos immissus rebus uix pænè creatis,
Lactentem uelox præuênit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus ausis
Ingentes animos: omni pro lege uoluntas
Sola erat, usq; adeo conuersi in crimina mores:
Ius hominum nullum, tum nil distare putatum
Fasq; nefasq; inter: recti custodia nunquam,
Non iudex, non testis erat, non deniq; rector,
Arbiter aut morum, uel qui suaderet honestum:
Sed princeps sibi quisq; fuit, uirtute nocendi.
Nec meritis, sed mole potens: qui fortior esset,
Hic melior sibimet sese censore placebat.
Brutorum quàm hominũ uitã magis esse putares,
Nam diuinum in se non intellexit honorem
Mens humana situm, brutoq; simillima facta est.
Sanguis potus erat, cæsorum uiscera paßim
Indomitis laceras præbebant mentibus escas.
Insuper & quadrupes, si cuiquam humanius esset
Ingenium, medijs uel mortua belua campis
Pastus erat: tum nulla fides, lex nulla uigebat.
Quàm uerò pecorum ritu permissa uoluptas,
Et diffusa palàm ruptis lasciuia, frenis,
Luxuriæq; forum, atq; obscœni nundina mundi
Ferueret, casto fas non est dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba gestis,
Siluestres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat pulsaq; procul ratione furebat,
Desertaq; Dei cœlestis imagine, prorsum
Omne decus mentis turpi deiecerat actu.
Haud secus ac pulchri cùm fertilis area campi
Quam succisa dedit purgato robore silua,
Dum colitur, iusto paret fœcunda labori:
Subijcitur rastris, respondet frugibus, ac se
Seruat composito ruralis gratia uultu.
Contrà autem exercere solum si negligit, aut si
Agricola oblitus sua brachia fortè remisit,
Laxauitq; manus, fessoq; quieuit aratro:
Pigrescit primùm durato cespite tellus,
Mox rudibus ramis, atq; aspera palmite crebro,
Disciplinatos dissuescit promere fructus,
Et frutices mittit, siluamq; minatur inanem:
Quam si nec sera succisor falce repurget,
Non iam uirgultis, sed denso stipite lucus
Texitur, & steriles diffundit in aëra frondes:
Donec conclusa ramis currentibus umbra,
Mox importunæ depulso sole tenebræ,
Ad secura feras inuitent ludere lustra.
Taliter humani generis non ordine recto
Perdita mandatæ iam post primordia legis,
In prauum labens paulatim uita tetendit.
Proficiens peiore uia, constantior ipso
Iam paribus studijs nutriti criminis usu,
Et tamen auctorem uicij culpæq; magistrum,
Doctior erratis, lapsuq; peritior omni
Succiduæ prolis crescens audacia uicit.
Vt fluuius, primùm parua diffusus ab urna,
Perspicuum læto promit qui gurgite fontem,

Tramite quem summo facili transmittere saltu
Quisq; potest: mox irriguo deductus ab ortu,
Viribus augetur subitis, ripasq; retrorsum
Pellens crescentes pellit per plana liquores,
Occupat & spacium, pereuntiq; imminet aruo,
Tunc circunfusos uicinis uallibus amnes
Sorbet præteriens, externasq; incipit undas
Augmento finire suo, mixtasq; sub uno,
Nomine, corrosis diffuso gurgite terris
Cum trabibus stabulisq; boum, lustrisq; ferarum
Sæuior accessu, longoq; furore potitus,
Tandem desistens pelagi transportat in undas.
Sic eius motus similisq; ad turbinis instar
Humanum uicijs ibat genus, & tamen ipsa
Longius insanas mentes dissoluerat ætas,
Centenos nouies crebro cùm duceret annos
Vita tenax, tanto suspensi tempore lucri.
Nullus terror erat, quod si qui debita letho
Iura darent, ferrentq; assuetæ funera mortis,
Perpetuam interimi fragili cum corpore uitam
Credebant: æui sic cunctis nulla futuri
Spes inerat, solusq; sibi fundauerat omnem
Sensibus in cæcis periturus mundus amorem.

Tempore quinetiam peccatrix terra sub ipso
Nutribat sæuos immania monstra Gigantes.
Nec tamen effari solitum, quo semine cretos.
Communi cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
Si speciem quæras, humani corporis illis,
Plus uultus quàm forma fuit: sic linea membris
Conueniens, hominem monstrabat, dissona molē
Quapropter deinceps commentis Græcia fictis.
Dedecus infandum maßis informibus auxit,
Et portentosis descripsit corpora membris,
Pubetenus cùm forma uiri, cùm corporis ima
Supplerent uasti mixto pro crure dracones,
Artus semihominum patulis qui faucibus, immò
Integros uiuosq; homines crudo ore uorarent.
Tunc etiam aiebant diro terrore, tonanti
Blasphemis cœlo conuicia mittere plantis,
Mordacesq; pedes motu fremuisse ueneni.
His similes mendax Phlegræi fabula belli,
Excussas finxit iecisse per aëra rupes,
Pro telis, spaciosa manus quod turbine montes
Sparserit, & mißis cœlum quassauerit aruis
Hæc sunt priscorum quæ de terrore Gigantū
Carmine mentito Graij cecinere poëtæ,
Qui cœlum aduersus, prauis contendere factis A
Institerint, nec iam mißis confligere telis
Cùm possent, diris agitarint prælia uotis.
Montibus impositos nec enim fas credere montes.
Hoc tamen & deinceps illos tentasse putabo,
Qui coctos lateres, lentoq; bitumine iunctos
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli, & celsas in sidera surgere moles,
Cùm fureret mortale genus, cassoq; labore
Irrita conscensis cementa inferret in altum
Nubibus, & refugum sequeretur machina cœlum,
Non prius absistens, subitas discordia linguas
Quàm daret, & uarius confunderet omnia sermo.
Hinc sparsum fœdus diuisa lege loquendi,
Quod scelerum assensu turbata superbia rupit.
Sic interruptæ perierunt culmina masse,
Effectuq; carens cessauit in æthere turris.
Hæc post diluuium: nam quantas tempore prisco
Pressa Gigantæas tellus produxerit arces,
Atq; laceßitis contemptum immiserit astris
Abstergente Deo dira eluuione docemur.

Cernebat patiens iamdudum in sana furentes
Terrarum populos, hominum rerumq; creator,
Expectans siquem uani consortia mundi
Linquentem melior moneat resipiscere cura: B
Sed coniuratus (postquam percurrere ceptum est)
Perditionis iter statuit, sensuq; per omnes
Obtinuit uictor peccati insignia mundus.
Nec reuocare gradum à uicijs, gressumq; referre
Cuiquam erat in uotis: id tādem exhorruit auctor,
Pœnituitq; illum miseri, quem fecerat, orbis.
Tum tales tonuisse minas commotus ab alto
Fertur, & excitas laxasse his uocibus iras.

O nullis illecta bonis, nullisq; repressa
Legibus, antiquo tantum submissa draconi
Effera gens hominum, ducto corruptior æuo.
Non Euam cecidisse sat est, transcenditur omni
Crimine, compertor lethi, nec sufficit illud,
Vicit inexpertum serpens quòd pristinus Adam.
Non contenta sui fœdari crimine patris
Addidit ipsa suos mortalis uita reatus.
Expectasse diu nil profuit, insuper omne
Concessum ueniæ rapuerunt crimina tempus.
Iam nimium longas patientia continet iras,
Vindictæ iam tempus adest, nec fulmine terras
Flammeus ador aget, uasto nec cedet hiatu,

Quæ

A Quæ premitur nimio tellus insana tumultu.
Sed uitijs sordens, fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum species mundana recurrat,
Inq; suas redeant undarum pondera sedes.
Arida succumbat lymphis, rursusq; sepultas
Terrarum species informis contegat humor.
Hæc clades homini, carniq; hic terminus esto.
Sic pater æternus disponens funera rerum,
Diluuium dextra terras uibrabat in omnes.
Interea pleno uiuebat iustus in orbe
Vnus homo, & mentem solus seruabat honestam:
Nullus uota Deo donis precibusq; ferebat
Hunc præter, summus quem dignũ laude creator
Nosset, & exceptum uitæ seruare pararet,
Stemmatis hic sacri, nam claro nobilis ibat
A proauo, quem prisca fides & conscia uirtus
In cœlum sine morte tulit: sic celsa petenti
Successit magnis non impar filius actis.
Nec minimum est, illum salui cum corporis usu,
Terrenas liquisse domos, intrasse supernas.
Quanquã quo Noë proauus conscenderat Enoch,
Elias cursu post tempora longa secutus,
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis,
B Cùm suspensa leues trãsmitteret orbita uentos,
Vngula uel premeret cassato pondere nubes,
Vallatumq; ferens sanctum non ureret ignis,
Et motus seruans nesciret flamma calorem.
Hos igitur satis est cœlum potuisse mereri
Membrorum sub lege sitos: sed non tamen illud
Segnius admirer, sancti quod tempore Noë,
Vnius ob meritum, natis nuribusq; tuendis
Orbis in exitio allatam nouere salutem.
Est ille in cœlis, numeros qui præterit omnes,
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratq; Deum, famulãtia suetus
Ferre ministeria, & iussis parere supernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precãtur,
Concipitur dignis sacro quod pectore uotis,
Quicquid larga manus collectis spargit egenis,
Excipiunt, sanctoq; ferunt super astra uolatu,
Quinetiam iustos, fragilis dum uita fatigat,
Tutantur, mundiq; inter discrimina seruant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæq; Dei quo dispensante ministro,
Res geritur, rebus mysteria qui parat altis.
Hic dominum cœli uenturum, corpore sumpto,
Virginis intactã iussus prædixit in aluum,
Sacraq; dotali compleuit uiscera uerbo.
Hic & Baptistæ præcurrens nuncius ortum,
Desperata diu dum ferret germina patri,
Inter sacra uirum conterruit, & dubitantes
Protinus insolito restrinxit more loquelas:
Donec prædicto fœcundam redderet ortu
Prolis anum: multos sterilis quæ tenta per annos
Fudit diffidens effœta puerpera fœtum.
Hic rerum solers, summusq; archangelus ille,
Aëra per liquidum, leuibus circundatus auris,
Vibratasq; mouens ignito corpore pennas:
Nulli conspectis ad terram motibus ibat.
Et tum forte gemens cunctorũ crimina Noë
Inflexis stratus genibus, cũ supplice planctu
Mundanis ueniam mundo nolente petebat:
Cum subito clausis foribus tamen aliger intrat,
Conspicuus claro resplendens nuncius ore.
Horrescit uisu tanto perterritus heros,
Mortalisq; oculus fulgorem ferre supernum
Vix ualet, & pauidi detorquent lumina uultus.
Ille salutiferis primùm mulcere timentem
Aggreditur uerbis, cœliq; exponere iussus.
Hæc per me, summus pelagi terræq; creator,
Imperat ut primùm concessa pace quietus
Excipias, nostrisq; fidem des optime uerbis.
Insperata quidem cunctis sententia lethi
Imminet, hanc solus sed enim tu euadere cladem,
Et præscire potes: nam te calcata uoluptas,
Iampridem rectum toto discreuit ab orbe.
Vnica sed quoniam sæuo te excludere letho
Forma modusq; potest: tantos euadere casus
Qualiter incipias, paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum permissis undiq; lymphis,
Atq; relaxata uastabitur orbis abysso.
Nunc age congestis crescat fortissima lignis
Machina, quæ surgens fluctus superenatet omnes.
Tercentum cubitos, per longum ducta, tenebit,
Bisquinis latè claudetur, bisq; uicenis
In triginta illi constabit culminis altum,
Tristegaq; hîc facies, simul & cœnacula, in illis
Cuiusq; asseruans animalia plurima formæ,
Quîs statues uarijs discreta cubilia cellis.
Tum ne rimosi compagum forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, memor esto linire
Iuncturas laterum, pigrumq; infunde bitumen.

Taliter effectam cùm consummaueris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentẽ,
Exclusit quem culpa frequens, includere clades
Incipiat, circumq́; fremant te sospite mortes.
Quinetiam lateris sociam succedere tecto,
Et cum coniugibus natos intrare iubeto.
Tuq́; secundus eris deleti germinis auctor,
Vt te post primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto diuinis uiribus orbe
Post operis finem, post leges, postq́; sacrata
Sabbata, formari quidquã non conuenit ultra,
Ne penitus cessans intercidat omne creatum,
Spirantum è cunctis pecorũ, celerumq́; uolucrũ,
Siluarumq́; feris, iumentorumq́; potentum:
Vel quæ per tractos reptant labentia motus,
Bina cape, & tecum claustro uictura reconde:
Sic tamen ut proprios teneant sua uincula sexus,
Vnde genus rursum tellus implenda resumat.
Nec timeas ne forte feros animantia motus
Seruent, aut solitis præsumant rictibus iras:
Fœdus erit cunctis, quæ discordantia profert
Per uarios natura modos, & pace fideli
Parebit iussis, quidquid concluseris illuc
Serpentis tantũ semper figmenta caueto,
Vertice submisso blandum licet ille trisulcis
Finxerit abscondens per dulcia sibila linguis
Immortale odium: nec quidquam, si sapis, illi
Crediderìs, blando sermone infidus inescat.
Nam quicunq́; semel lædendi quæsijt artes,
Hic semper suspectus erit, penitusq́; cauendum est,
Ne iam mentito coniungat fœdera prudens.
Tu post exemplum iussis seruire memento.
Hæc fatus, uacuum leuibus secat aëra pennis,
Mortalem fugiens aciem, cœloq́; relatus
Heroem trepidum mandata lege relinquit.
Ipse tamen tali manibus cũ uoce leuatis,
Quisquis, ait, nobis tantam spondere salutem,
Seu missus, seu sponte uenis, ex æthere celso,
Et placidum fausto confirmas fœdere pactum:
Sis fautor, firmentq́; tuas promissa loquelas,
Auxiliumq́; tuum conatibus insere nostris,
Vt tenuis tantam ualeat manus edere molem.
His breuiter dictis uitæ spem corde reponit,
Aggrediturq́; celer sacri præcepta laboris.
Quis tantus capiat sensus? quis deniq́; sermo
Explicet, aduectis fuerit quæ copia lignis?
Nudati colles, spoliatis arbore siluis
Iam sua certatim concedunt robora montes. A
Pelion immensas mittit de uertice quercus,
Insuper exponit multa uirtute recisum
Ossa nemus, Pindoq́; abies subducitur alto.
Atlas ipse nouas ictu resonante secures
Sensit, & annosas dedit ad naualia pinus.
Immensum tunc surgit opus, contexta leuatur
Porrectis trabibus præcelsi culminis ædes.
Hæc inter, discors uarij sententia uulgi,
Nam multi lymphis obstacula tanta parantem
Irrisere uirum, moles quod tanta moueri
Fluminibusq́; dari nequeat: quam forte nec amplis
Euphrates Nilúsue queant includere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris,
Mortalem non posse manum coniungere ponto
Aedem longinquam? pontus namq́; obuius ultro
Curret, & adductum tanget stans fabrica littus.
Ast alios celsam compacto robore massam
(Ignaros quanquam cladis caussæq́; latentis)
Mirari nouitas, & formidare coëgit.
Haud aliter studium iam tunc diuiserat omnes
Quàm nunc mundus agit. sunt qui cõpuncta fideli
Corda dicant operi, rebusq́; instare supremum B
Discrimen norunt: corpus cùm concidet omne
Bacchatamq́; diu consument secula carnem:
Effugiet tunc ille malum, quicunq́; paratus
Præduri ualidam ædificarit tegminis arcam,
Per lignum uitale crucis seruatus ab undis.
Tunc cernet quanto contempserit ocia fructu.
Hic tamen interea sudantem, operiq́; uacantem,
Non ne piger lucri quisquis tædensq́; laboris
Insanire putet? cura quod solus inani
Aestuet, & rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulaus parcum, sic largum quisquis auarus,
Sic nudum raptor, sic castum ridet adulter,
Sic circumscribens illuso simplice gaudet,
Sic sapuisse dolet diues, dum congregat aurum
Spargentem nummos uarios in pauperis usus:
Consumptis opibus miserum ratus esse beatum.
Ergo repentinum iudex cùm cerneret orbi
Aduentare diem, finis, sic protinus inquit,
Imminet, ut iusti quondam sub tempore Noe,
Diluuium uanos mundi cum repperit actus,
Et carnem consumpsit aquis, opifexq́; salutis
Euasit facto diffusa pericula claustro.

Hæc

A Hæc Euangelicis sunt inclamata figuris.
Prouidus interea consummat conditor arcam.
Tunc iussæ accurrunt uolucres, tunc bestia quæq;
Consuetum linquens siluoso tegmine lustrum,
Deposita feritate Venit, seseq; tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relicta
Includi gaudet, tantum decreta futuri
Vis ualet: occultus brutis in sensibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mentem.
Ast homines quos sors certi discriminis urget,
Vicina nec morte pauent, sic uindice cœlo
Securos lætosq; reos tellure Gomorrhæ,
Iam prope sub flammis sententia dicta uidebat.
At contrà Niniuæ populis terrore salubri
Præualuit pro pace metus: iam uenerat illuc
Iussus, multum ille, & terris iactatus & alto,
Qui clamaturus tantæ discrimina plebi,
Diluuium timuit, mundo constante propheta.
Hauserat hunc ualido peruadens belua rictu,
Immersumq; mari uentris concluserat arca.
Deglutire uirum, fauces implere capaces,
Ardenti monstro cùm sic permissa potestas:
B Non licuit, mordere tamen, nil dentibus actum est,
Sed cupidum intrauit deludens præda uorantem,
Inuasusq; cibus ieiuna uixit in aluo.
Dumq; illum ternos agitasset belua soles,
Et noctes totidem, ac littus uacuanda uiderent,
Tunc castigatum uomuere ergastula pastum.
Vt monstro exutus uates, cœlumq; recepit,
Contingens terras magnam tunc percitus urbem
Terribili cum uoce petens: uis criminis, inquit,
Ardentis, nisi pœniteat, purgabitur igni.
Iamq; uenit finis, lentum est hoc dicere uenit,
Non plus fatus erat, totus coniurat in omne
Lamentum populus, concurrunt undiq; fletus,
Pectora tunduntur, cœlum suspiria pulsant.
Mollibus abiectis, cilicum dant tegmina setæ,
Inq; cibos cineres, lachrymas in pocula fundunt.
Ipse etiam, dignus tali qui tempore princeps,
Ante aciem flentum portet uexilla salutis,
Atq; (nouum dictu) metuens discrimina uincat.
Proijcit hinc sceptrum, linquit sublime tribunal,
Pallia blattarum spreto diffibulat auro,
Serica despiciens, atq; aspera tegmina sumens.
At pius ex alto contemplans talia rector,
Exertas reuocat sedatis motibus iras,
Vibratumq; tenens restringit messile ferrum.
Ergo ubi collegit siluestres undiq; sexus,
Inclusitq; feras pecudum, tunc elegit illa
Sumere quæ licitū est, et ob id quæ munda uocatur.
Hinc certum septena dedit uiuētia claustro,
Vt ternis paribus seruato semine saluis,
Septima quæ fuerint sacris quandoq; litentur.
Et iam uitalis concluserat omnia carcer,
Tunc iustum, cunctosq; suos natosq; nurusq;,
Accipit expectans claustrum, uitæq; reponit.
Nam seruos nondum dederat natura uocari,
Nec dominos famulis discernere nouerat ordo.
Primus enim maculam seruili nomine sensit,
Huius natorum medius, qui forte cachino
Distectum petijt misero spectamine patrem,
Materiamq; sui risit deformior ortus.
Quod postquàm sanctus Noë resciuit, in iras
Ardet, & irrisi seruum pro crimine patris
Germanis iubet esse suis: primū inde repertum
Seruitij nomen, cuncti nam semine ab uno
Prodijmus, patremq; omnis sibi uendicat unum
Posteritas, deq; ingenuo mala crimina seruum
Efficiunt: quod si uitam pòst degat honestam,
Natales faciens sibimet, iam nobilis inde est.
Seruitij causas igitur fecisse reatus
Cernitur, & liber peccans, fit crimine Seruus:
Nuncius interea dudum qui missus, ab alto,
Detulerat iusto cœlestis munera uerbi,
Vt clausam uidit perfectis omnibus arcam
Expectare diem, rursus descendere cœlo
Festinans, laxos firmauit cardine postes
Inclusitq; uiros, atq; ostia fortia traxit,
Confestimq; leuans supero se rettulit axi.
Aeuo sexcentos senior transcenderat annos,
Lunaq; bis plenos addebat menstrua cursus,
Septimus & decimus qui pòst illuxerat orbi,
Vltimus ille dies, iam tunc dedit omnia letho.
Ilicet obtegitur cœlum, nimijsq; tenebris
Victa repelluntur fuscati lumina solis.
Insanas hominum mentes uix tangere terror
Cœperat, insolito mox profluus æthere nymbus,
Et ualido primum similis demittitur imbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem.
Vna fuit toto facies & nubila cœlo.
Aegyptus tunc ipsa nouas expauit ad undas,
Alsit & infusus Garamas dudumq; calentes

Humida Maſſylas tetigerunt frigora Syrtes.
Nec longum pluuiæ ſpecies, non deniq; guttæ
Stillant, ſed rupto funduntur flumina cœlo.
Non aliter Tanais niuibus cùm paſcitur albis,
Ryphæo de monte ruens illiditur amni,
Præcipitatq; ſimul longo quod tramite ducat.
Vndarum tali quatitur certamine tellus,
Fitq; lacus inſtar compreſſus fluctibus aër.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere ſuperna,
Terreſtres etiam mundus conſurgit in iras.
Rumpitur omne ſolum, crebros dant arua meatus,
Proſiliunt fontes, ignotaq; flumina manant.
Vergitur in ſurſum mutato pondere nymbus.
Inde cadens cœlis, hinc terris undiq; ſurgens,
Occurrit mox unda ſibi, iunctoq; furore
Coniurant elementa neci, tranſcenditur omnis
Riparum limes fluuijs, atq; obice rupta
Sæuit laxatis diſcurrens humor habenis.
Sed cùm diffuſæ ſpacium concludere terræ
Omnia certarent, mundumq; implere capacem:
Suſpendi forſan potuit ſententia lethi,
Atq; mora maiore trahi: quò tardius omnem
Concedens ſpacium rapiat mors ultima carnem.
Ni pater Oceanus, mundum indignatus in ipſum,
Qui terras omnes tantùm uno littore cingit,
Exiret, rumpensq; fidem perfuderet arua.
Ergo ut peruerſi uindex crudelior orbis,
Diſsipat æternas leges, & ſede relicta
Regna aliena petens, naturæ fœdera turbat.
Vt duros primùm pelagi ſenſere furores
Illuſtres fluuij, magnos quos inclita curſu
Fama refert, motuſq; nouos ſtupuere parumper.
Vt credas ſapuiſſe fugam, ſic uerſa retrorſum
Vndarum in terris ſublata uolumina ſpargunt.
Inſequitur tamen oceanus, refugiſq; fluentis
Imminet, & ſalſis impellit motibus amnes.
Tunc maior ſtrepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus: aſcendunt turres, & celſa domorum
Culmina, præſentemq; iuuat uel tempore paruo
Sic differre necem: multos dum ſcandere tentant,
Creſcens unda trahit: quoſdam fugitare uolentes
Conſequitur, curſuq; fugam deprændit inanem.
Aſt alij longo iactantes membra natatu,
Defeſsi ſpirant animas, aut pondere nymbi
Obruta flamineas immixta per æquora lymphas
In quocunq; bibunt morientia corpora monte.
Aedibus impulſis alij periere ruina,
Cumq; undis fluxere ſimul dominuſq; domuſq;.
It fragor in cœlum, ſonitu collectus ab omni,
Quadrupedúq; greges, humana in morte ructum,
Augent confuſos permixta uoce tumultus.
Hæc inter miſeri feruentia funera mundi,
Prægrauis inſanis pulſatur motibus arca,
Compageſq; tremunt, ſtridens iunctura laborat.
Nec tamẽ obſtructã penetrat uis improba, quãquã
Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget:
Non aliter crebras Eccleſia uera procellas
Suſtinet, & ſæuis nunc diuexatur ab undis.
Hinc gentilis agit duros ſine more furores,
Hinc Iudæa fremit, rabidoq; hanc impetit ore.
Hæreſeon ueſana furens exinde charybdis
Concutit, & Graiûm ſapientia ſtulta ſophorum.
Quæ quanquã inter ſe uario certamine pugnant,
Debellanda tamen ſiquando Eccleſia, gaudent
Conſenſu unanimi Chriſti conſurgere contra
Nauiculam, & uanis mendacia fingere uerbis.
Sed clauſam uacuo pulſant impune latratu.
Iam medium creſcens arcæ contexerat unda,
Commoratq; cauam ſuſpendens undiq; molem:
Sed melius tutam, facili portante natatu,
Quoq; uocant unde ſequitur iam mobile pondus,
Sic nos ſeruati meliora in tempora, mundo
Cedere diſcamus, dum ducimur: omne reſiſtens,
Si flecti neſcit, metuat uel pondere frangi.
Sed ſic cedamus, fluxum ne ſentiat intus,
Peccatum' ue trahat mens impenetrabilis ullum.
Nauigat interea clauſtro commiſſus eunti
Fons uitæ, ſeruatq; furens ſuper omnia pontus
Orbis depoſitum, fido quod tegmine promat,
Cùm pax terrarum reddi ſibi debita poſcet.
Sic fluitanti unde tellus ſubducitur omnis.
Quinetiam inflatæ liquidum ſuper æthera ſummis
Collibus impoſitæ uicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum piniger othrys,
Parnaſsi uertex cautem non protulit altam,
Ipſa cupreſsiferi latuerunt ſaxa Licæi.
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus Alpes.
Excluſis domibus totus iam deniq; mundus
Axis & unda fuit: nam cunctis morte ſubactis
Regnabant pelagi ſiluoſo in gurgite monſtra,
Et iam uicinum pulſabant humida cœlum.
Iamq; quater denis manabat noctibus imber,

Compleratq;

A Compleratq; necem, nec mors quod tolleret ultra
Inueniens, iustum audebat contingere Noë.
Frenantur tandem pluuiæ, resplendet & æther,
Redditur & cœli uultus, solq; ipse reductus,
Sed non inuentis qui reddat lumina terris.
Tantum in aquis lucẽs tristis uidet æquora fulgor,
Cumq; etiam radios admotas frangit in undas,
Tum consumendis feruens ac proximus instat.
Non minus & patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæq; prius uomuit lethali ex ore fluenta,
Obicibus proprijs constricta resorbet abyssus.
Nec tamen ut breuiter concreuerat, unda recessit.
Siccant non pauci longo sub tempore menses,
Quod pauci fudere dies. Iam ducta natatu,
Armeniæ celsis instabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo consederat aruis.
Vt stabilem sensit senior, motuq; carentem,
Nec fluitare natans uentosa per æquora lignum,
Credidit abductis nituisse liquoribus orbem.
Tunc reserat summam sublimi à fronte fenestram,
Emissa refluos exploret ut alite fluctus:
Illa uolans longo diuerberat aëra plausu,
Pennarumq; leues diffundit motibus auras,
B Cumq; diu fessis undas perstringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus:
Consuetum repetit prospecto ex æquore claustrũ.
Exceptam senior manibus tunc colligit intus,
Aduertens nullas patuisse per humida terras.
Interea magna pontus se mole mouendo,
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelsi tandem proferre cacumina primùm
Incipiunt, post quos parui crebrescere montes.
At uerò ut pelagus cinxerunt littora priscum,
Oceanusq; sacer notas collectus in oras,
Contentus solito labentia flumina tractu,
Sorbuit, & cunctis distrinxit frena fluentis,
Torrentesq; suæ clauserunt undiq; fossæ.
Libera subductis nituit mox arida lymphis.
Tunc interposito producens tempore coruum
Scire cupit senior, uacuumq; interrogat orbem.
Ales ut extensis nitidum petit aëra pennis,
Aspiciens plenis immensa cadauera terris,
Carnibus incumbens, & mox oblita reuerti,
Rectorem placidum communi in sede reliquit.
Sic nescis Iudæe fidem seruare magistro,
Sic carnem dimissus amas, sic gratia nunquam
Custodi uitæ dominoq; rependitur ulla.
Mente uaga sic lassus abis, sic fœdera legis
Rupisti, & primum uiolasti perfide pactum.
Temporis ut spacio senior collegit, inertem
Iam potuisse suis coruum se reddere claustris:
Ignarus tardi reditus, causæq; morandi,
Ne fors innexis fessum consumpserit alis,
Iunxerit & cunctis pereuntibus unda recurrens:
Protinus albentem mittit de sede columbam.
Illa memor iusti, rapido petit arua uolatu,
Paciferumq; uidens ramum uiridantis oliuæ.
Decerpit, mitiq; refert ad condita rostro.
Tali legatus firmauit fœdera simplex
Indicio, purumq; pius sic comperit orbem.
Integer immensum uertebat circinus annum,
Quo fœlix claustrum spirantia cuncta tenebat:
Tum pater ablatis obducta repagula ualuis
Pandit, & inclusis dissuetum reddere solem
Incipit, effœto redeant ut semina mundo.
Ante tamen iustus iubeat quàm sparsa uagari,
Singula de septem quæ dudum claudere munda
Curauit, natis pariter nuribusq; uocatis,
Cespite constructa disponens immolat ara,
Accendens sanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numerosa leuat per pinguem uictima fumum:
Suauis odor tetigit lætum trans æthera cœlum,
Primaq; purgati suscepta est hostia mundi.
Tunc igni permixta sacro uox intonat ista.
Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat tranasse nefas, mundata lauando
Perpetuò maneat tellus, uultusq; reductos
Contineant elementa suos: haud amplius ullis
Perturbata malis moles mundana fatiscat.
Vos quoq; quos lethi saluauit tempore uita
Inclusosq; tenens casu defendit ab omni,
Ducite securum seruatis legibus æuum:
Vosq; caput generis fœcundo semine prolem
Spargite, diffusum latè quæ compleat orbem,
Deletum instauret numerum, dominetur & orbi.
Fertile quinetiam reddant animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine prisco.
Porrò autem terris ex hoc iam non erit ultra
Diluuium regnans, carnem quod conterat omnem.
Vnum quod fuerit signo monstrabitur uno.
Nec similem repetita necem peccata uidebunt.

Et si crimen erit, terror non deerit alter.
Sic unum genitor iurans baptisma sacrabat,
Vt semel abluto lymphis purgantibus orbe,
Baptismum haud liceat nobis sperare secundum.
Vix tribus exactis cæli iam partibus ibat
Pronus in occasum radius, cùm forte remotam
Axe sub Eoo iussus contingere nubem
Protulit excussum madefacto ex aere signum,
Arcus et enituit, quam nunc Thaumantida Graio,
Irim Romuleo uocitant sermone poëtæ.
Pendulus obliquum solem cum senserit humor,
Ancipites uario mittens splendore colores.
Nec numerare queas, sic mixtos lumine uisus
Multiplici illudunt diuersis uultibus orbes.
Sapphyrino, uiridi maculoso, cærulo, & albo.
Purpureum de nube trahit, de sole coruscum,
De cœlo rutilum, de terra sumit & atrum.
Et nunc abiunctis quæ constant hæc elementis
Sic diuersa putas, ut concordantia cernas.
Hanc formam signo trepidis mortalibus arcus
Præstitit esse Deus, promittens nube serenum
Nullaq; iam terris debere pericula cœlum.
Nunc quisquis semel allatam seruare salutem
Optas, signatum potius signo inspice Christum.
Verus enim atq; unus firmati fœderis arcus
Ille Deum atq; homines inter. qui uirgine carne
Virgineo ex utero sumpta, iam munere lucet
Multiplici in cœlo uarius, sed fulgidus, omni
Vitalem monstrat sacrati pignoris arcum.
Hunc coram aspices, quisquis baptismate tinctus,
Ad cœlum liber culpis pereuntibus ibis.
Quòd uerò sparsis Noë saluatur in undis,
Baptismi hinc formam Petro testante docemur.
Arca uctus Noë, Christi est ecclesia, per quam,
Extra etiam quem nemo potest saluarier: ergo
Quicunq; es Christi baptismate lotus in arca,
Hoc uotis precibusq; petas, hoc fletibus opta:
Ne redeant peccata tibi, ne mersa leuentur,
Mortua ne surgant, neu debellata rebellent.
Ne post ablatum ualeant discrimina crimen,
Et flammam timeas, quia iam non suppetit unda.

ALCIMI AVITI
De transitu maris rubri,
Liber. V.

HActenus in terris undas sedisse canenti,
Terram inter fluctus aperit nūc carminis ordo.
Illic diluuium quos perderet, ante petiuit, A
Hic ad diluuium pleno succensa furore,
Sponte sua current perituræ millia gentis.
Sustinuit duros externa in sede labores,
Cùm pelusiacæ seruiret subdita genti
Plebs oppressa diu: densi quā pondere cœni,
Et laterum numeris, operis mensura diurni,
Afflictam, sæui vexabat fraude tyranni:
Inuisam sibimet frendens qui crescere turbam,
Augeri doluit famulos. namq; ille uocatis
Cunctis Aegypti obstetricibus, imperat illis
Vt quoscunq; mares lux alma emittet, ad unum
Interimant. solæ euadant ea fata puellæ.
Sed tamen auersæ fugerunt talia matres,
Atq; interdictos renuerunt perdere fœtus,
Persistente Deo plebem diffundere sanctam.
Quoq; magis mens cæca trahit crudelia pacta
Hoc plus accrescunt teneræ primordia gentis.
Viderat interea genitor de sede superna,
Afflictamq; manum placido prospexerat ore:
Iam sacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo uiridis permanserat æstu.
Quo signo spinas nostræ feruescere mentis,
Et lucere bonis, qui non consumeret ignem,
Sed tenebras mundi auferret, pia pectora nossent. B
Illicet electi uates mandata ferebant.
Depromit regi cum primus talia Moses.
Seruitij longo lassatam pondere plebem,
Oppressos cophinis humeros, attritaq; colla,
Quasq; opus assiduum fecit duresscere palmas,
Laxandi iam tempus adest, dimitte precantes,
Tandem cœlesti domino persoluere uota,
Et complere datos patrio moderamine ritus,
Ille fremens inquit quæ tanti caussa tumultus
Quis'ue nouus populum deus exigit, omine missos?
Scilicet hæ uacuæ tangunt cœlestia curæ,
Et dominus dominis famulos nūc tollere priscos,
Nostraq; uult populum cōtemnere iussa rebellem?
Quis Deus iste recens, cui nunc parēre necesse est?
Est'ne aliquid quæso mihi formidabile? uerùm
Iam uideo uestras seducunt ocia mentes,
Et nisi laxatos requies concessa foueret,
Nulla superuacuis tererentur tempora uerbis.
Quæ si castigans restringat sarcina maior,
Illicitus uetitum conari desinet ausus.
At uos signifero qui talia uota ducatu

Instruitis,

A Instruitis, uano & plebem subuertitis ore,
Conspectus uitate meos, uultumq; caueto.
Ditem namq; Pharon uel pollentissime cursus
Testor Nile tuos, & diuae uocis Anubim,
Cum rabidus latrat, iam non impune futurum,
Si nostrum rursus repetant haec dicta tribunal,
Sentiet iratum mens haec temeraria regem.
Virgam forte manu gestabat legifer heros,
Quo baculo nitens gressum dum dextra regebat.
Excutit hanc ualido proiectam comminus ictu.
Tum (mirum dictu) commotum serpere lignum:
Non insensibiles ceu promit palmite ramos,
Vita mouens tantum, quos altum crescere cernis,
Non etiam sentire, sed hic multo amplius actu est:
Fluxit enim reptans, mutati & corporis usu
Sensum animumq; gerens coepit decurrere uirga.
Mox anguem formata refert, conterritus haesit,
Aeternumq; niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confusum tali succumbere signo
Cerneret assistens uultu nutante satelles,
Dissimulat peragi coelesti numine factum.
Nec diuina uolens, hominum sed gesta putari.
Tum mãdat quoscunq; Magos, & carmina doctos
Illicitam diris tentent ut fraudibus artem.
B Vndiq; tunc iussi concurrunt, & medicatas
Armant quisquae suas noto phantasmate uirgas.
Dant iactae uanas species, anguesq; putati
Illusos terrent oculos, fallente figura.
Nec longum tumuere Magi, consumitur omne
Quod fecisse rati, fictos namq; arte dracones
Primus adhuc mordax absorbuit ore cerasta.
Postquam uirtutis clausit spectacula Moses,
Victorisq; tenens erexit in aëra caudam:
Decedit serpens ligno, uultusq; recedit.
Diriguere uagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit uirga prior, qua deinde sacerdos
Plurima succiduo monstrauit tempore signa.
Hinc diris frendens Pharaonis conscius ardor,
Diuinae incepit per cuncta resistere dextrae,
Quae iam cognoscens, nolit tamen ipse fateri.
Protinus exclusos iussit discedere uates.
Illi diuinas pulsant cum fletibus aures,
Vt fremitus gentis tandem frenetur iniquae.
Quam grauius saeuam monitus fecere superni.
Ipsis quinetiam coelestibus arma minantem.
Tũ pater accipiens gemitus, lachrymasq; precãtũ,
Taliter hortatu blando solatur amares.
Ne tantum uacuo submittite corda timori
Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumptã
Elegi, & propria solam mihi sorte sacraui.
Iam nunc cernetis quanto primordia uestra
Prosequar auxilio, uestros ut persequar hostes.
Ducam sublimem portenta omnia dextram.
Nec ualet in paucis Pharius rex cedere signis,
Longius ut duram uincant miracula mentem.
Post haec laxatos etiam discedere coget,
Expelletq; solo: quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas post fortia praelia sedes,
Quã uocat expectans praefertilis ubere terra,
Et claras uictis condetis gentibus urbes.
Vos modo promissis tantum confidite donis,
Et quos deposcent ingentia facta labores,
Laeta ferat uirtus, seseq; ad prospera seruet.
Talibus auditis, melior spes arripit illos,
Atttollunt animos, palmasq; ad sidera tendunt.
Concipiuntq; fidem uotis, gratesq; rependunt.
Postera lux dubios primum praemiserat ortus,
Et successorem depulsa nocte ferebat
Insistens aurora diem: tum flumina sanguis
Imbuit, & subito maduerunt arua cruore.
Sed non in minimis portentum hoc contigit undis,
Fluuiorum rex ipse rubet, nec lumine prisco
Nilus agit proprium quem sumpsit fonte nitorem.
Vndarum uice sanguis inest, non corpore fusus
Aut de strage, sed irato delapsus olympo.
Ergo hinc naribus obstructis, uictoq; natatu,
Interiere simul peregrini in gurgite crasso,
Auxeruntq; suo saniem de funere pisces.
Forte & sanguineus mortis cladisq; futurae
Indicium iam Nilus erat: qui protinus omnes
Aegypti terras, uel quo patet ampla Canopus,
Et portentosae tellus uastissima Memphis,
Imbiberat dirum spargens per rura cruorem.
Et iam inter pingues sitiens defecerat undas
Aegyptus, si non celerem super arua medelam
Afferret, Niloq; suas Deus inderet undas.
Tum uero ut requiẽ pestis subducta reduxit,
Effertur rursus dilata morte tyrannus,
Et uix euasae spernens discrimina mortis,
Innocuam flagris persistit subdere gentem.
Nil iuuat hic multis omnem narrare superbi
Perfidiam, & duri periuria dicere regis?

Protinus ut duris insontem affligere gentem
Imperijs, rursum solita inclementia cœpit,
Vnda putrescenti uix dum purgata cruore,
Ranarum fœdis impleuit saltibus urbes.
Complentur cellæ penetraliaq; abdita ranis.
Ipsa etiam raucas regalis purpura uoces
Sustinet, atq; suis homines submittere iußis
Sueta, locutuleis frendet succumbere ranis.
Quarum mox cumulis flamma tonitruq; subactis,
Nec sic crudelis placata est ira tyranni.
Ergo muscarum (Cynifes dixere) peremptis
Confestim ranis, examina plurima surgunt,
Pendula quæ portant leuibus corpuscula uentis,
Pennarumq; uices peragunt stridentibus alis:
Mox sese pariter fundunt, atq; omnia complent.
Et licet immersis defigant uulnera rostris,
Plus horror quã pœna mouet, plus uulnere terror.
Vt uerò infectam corrupto ex aëre pestem
Sustulit ad Mosi pia uota piosq; precatus
Ventus agens, creuitq; feri iracundia regis,
Nec terrore mali clementia longior eius
Constitit, ablatis purgato ex aëre muscis
Succedunt aliæ grauius: quibus impius heros
Nec quidquam motus noua mox discrimina sentit.
Nimirum grauis inuadens animalia tabes
Omnia dat letho, & crudelia funera spargit,
Ebræisq; cadunt iumenta Aegyptia saluis.
At cùm nec tali commotus clade tyrannus,
Vexare Ebræos pœnis iam pergeret auctis,
Mox diræ clades in cœlum puluere sparso
Surgunt, & penitus turgentia uulnera membris.
Et sacer incubuit percußis oßibus ignis,
Et morbus mentis discrimina corporis auget.
Transierat iamq; illa dies, tum luce sequuta
Admonito tantis ne quidquam principe plagis,
Concutitur cœlum tonitru, nubesq; coactæ
Terribili splendore micant, ferit omnia fulgor.
Coniurata omnes uno sub tempore mortes
Aethere turbato terris elementa minantur.
Et tonitru inseritur prægrandi pondere grando:
Non ut guttatim in terras de nubibus exit,
Sed quocunq; cadens ut deprimat, atq; ruinam
Pondere uel solo faciat: coniungitur ergo
Grandineum flammis feruentibus aëre frigus.
Postquã hominũ stragẽ mixta cum grãdine flãma
Negligit euaso Pharius discrimine princeps:

Exin restantem surgit consumere fructum A
Bruchus, & excusso confidens crure locusta.
Sed quoniam durata malis, & nescia flecti,
Hanc nihili cladem callosa superbia duxit:
Insequitur uelox grauius quæ uindicet ira.
Cæcas mâne nouo surgens sol sparserat umbras,
Et lætus iubaris splendebat fronte sereni:
Cùm mediam sese opponit teterrima nubes,
Nascentemq; diem depulso lumine claudit:
In molem nox densa coit, perit obrutus aër,
Palpantesq; manus densas sensere tenebras.
Quòd si sopitos flando quis suscitet ignes,
Aut flammas excire uelit: compressa notantur
Lumina, nec uibrant restricto munere motus.
Et quo quemq; loco tenebrosus repperit horror
Continuit, nullùm uidit, nec uisus ab ullo est.
Squallentes pariter uiuentia millia credas
Infernas intrasse domos, aut forte reuulso
Obice terrarum patriam sordentis abyßi
Migrasse in superos, ac mundum luce fugata
Sub leges misisse suas: tres perdidit ista
Nocte dies, dignè pendens periuria tellus,
Quæ Phario regi suberat, nec senserat ullas
Sole fruens solito, plebes Ebræa tenebras.
Interea Moses lachrymas, ieiunia, uota B
Continuat, precibusq; frequens ac peruigil instat,
Maioris natu fultus solamine fratris.
Vnde & diuinæ meritus solatia uocis
Instruitur ritus, domino sic fante, sacratos.
Cernis quàm uaria desudans clade reatum,
Sed tamen immota perstans ceruice rebellis,
Aegyptus contrita gemat, formidine tantum
Ducta necis: mõstrat propius mens turgida lethum,
Nec feram insinuant isthæc portenta ruinam:
Vnus adhuc superest, qui uindicet omnia luctus,
Postq; nouem decima percellat cæde merentes.
Vos modò perpetuos sacrorum discite ritus,
Mansurosq; sua cultus in lege tenete.
Principiò in cunctis, orbis quos circinat, anni
Mensibus, iste caput posthæc sit & ordine primus,
Lunaq; bis septem cùm fecerit addita noctes,
Vesperaq; extremæ iam cœperit esse diei:
Mansuetum annalis tum sumite temporis agnum,
Qui careat macula, & purum det corpore uellus.
Quem dũ quisq; tribu in propria mactauerit, eius
Illinat effuso confestim sanguine postes.

A Hoc dabit indicium ſeruandæ cura ſalutis,
Cum percuſſor aget, tacitam ſine uulnere cædem.
Nam quodcunq; ſacro limen maduiſſe cruore
Viderit, hinc illo tranſibit ad altera ſaluo
Limina, nec genti ſpes ulla accedit Ebrææ
Hanc præter, noſtræ quæ prima eſt forma ſalutis.
Namq; euaſuros diri Pharaonis, & omnis
Aegypti, imperiū, uelut agni ſanguis inunctus
Poſtibus, immunes crudeli à funere fecit:
Sic agni illius Chriſti, qui uellera neſcit
Noxia, qui nullum contraxit corpore næuum,
Inter labentis feruentia funera mundi,
Sangnis ab inferno miſeros Pharaone redemit,
Aegyptiq; dedit ſaluos euadere terram.
Ergo agnoſce tuum in nobis rex Chriſte cruorem,
Atq; tuos educ Aegypti è carcere ſeruos,
Et quocumq; loco ſanctus mactaberis agnus,
Inq; cibos ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Chriſte tuum, non attingat tua dextera uindex.
Præterea ueterem exutos formamq; uirumq;,
In uitæ nouitate tuum fac ſumere corpus,
Et ſacrum æterni calicis potare cruorem.
Finierat rector, legesq; & fœdera phaſe
B Deſierat mandare ſuis, quod protinus omnes
Arripuere ſimul: peragunt conuiuia læti,
Solennisq; nouo cultu diſponitur eſus,
Tranſeat ad ſacros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, & mediam carpebant cuncta quietem,
Vmbraq; libratas iamiam diuiſerat horas:
Ecce uenit tacito per dira ſilentia motu
Angelus, exerto miſſus qui ſæuiat enſe,
Nec confuſa datur ſubiti ſententia lethi:
Non hic luce opus eſt, claré longeq; uidetur
Quem petit in tenebris præfixi funeris ordo.
Maiores natu pereunt, ſoliq; leguntur
Ad mortem, primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis pereunt famuli, natiq; potentum
Permixta cum plebe cadunt, uilisq; perinde ac
Quem tenet aurati morientem purpura fulcri.
Serica ducuntur nihili ut pannoſa, pariq;
Diſparibus ſtratis ſternuntur corpora letho.
Non quenquam mors æqua timet, nō excipit ullos
In uiuis tantum qui diſcernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate mouetur,
Ditibus ut parcat, nullo corrumpitur auro
Angelus, æqualiq; exterminat omnia lance.
Aegrotum ſanus, longæuum iunior ante
Migrat, cumq; omnes eadem mors percutit, unū id:
Et ſolum ſupereſt, uita diſcrimen in illa,
Viuant ut meritis ſuperata morte, ſuiq;
Præmia ſuſcipiant dudum promiſſa laboris,
Qui ſuperûm in terra monitis ſtuduere tenendis.
Contrà qui tantum carni indulſere, neglecto
Spiritu, in æternos rapiantur protinus ignes.
Ergo ubi percuſſas ſoboles confuſa repen te
Aula uidet, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crinesq; reuellunt
Vnguibus, & nigras feſtinant ſcindere malas.
Nec paucæ planxere diu. mox occupat omnes
Luctus, quamq; ſuus, ſonat unus in æthere clam or
Non uno ex fletu: gemitu conterritus aër.
Nulla uacans à morte domus: tum lumine multo
Tota curatur populoſum funus in urbe,
Coguntuŕq; ſuam prolem mœrere merentes.
Nec iam funebres peragi cum funere ludos
Turba dolorq; ſinūt, tātus tremor occupat omnes.
Quinetiam niſi plebeios & honore carentes
Sacraſſent igni, aut foſſa tellure locaſſent,
Nullæ ſufficerent capiendis omnibus urnæ.
Tum regem circum commoto murmure ſiſtit
Mœſta cohors, triſtesq; trahens ex ore loquelas:
Heus (inquit) noſtris aduerſa potentia rebus
Ebræi populi, toties cui uindice dextra
Militat omne malum, totus cui deniq; mundus
Seruit, & irato ſuccedunt proſpera cœlo.
Vis quædam ſecreta Dei, maiorq; poteſtas
Hæc in ſceptra furit, gentemq; ulciſcitur ipſam.
Quinetiam noſtræ ſeruant contraria genti
Victores elementa ſuos: coniurat in omnes
Et cœlum & tellus Pharios, coniurat & aër.
En iacet Aegyptus, nec iam reparabilis ultra.
Atq; utinam pœnas & dura pericula uiuis
Ferret adhuc diuina manus, nec funere tanto
Deceptam ſubita uacuaſſet cede Canopum:
Tandem parce ſolo, cauſasq; expelle ruinæ.
Dum leuior ſtrages, ſuperant dum millia noſtræ
Gentis adhuc: grauiora prius, quàm funera triſtes
Experti, non poſſimus cum forte uolemus.
Quin diram eiecto depellimus hoſpite cladem?
Nil'ne mouet noſter natorum funere planctus?
Quod niſi communi fortaſſe mouebere planctu,
Vel nati mors dira tui, te uindice zelo

Commoueat,pulsisq; illis,fac pauca superstent
Pignora,quæ tantum abstergant seruata dolorem,
Et detruncatæ reparent dispendia gentis.
His dictis lachrymas populus dedit,ipsa superbi
Frangitur ad fletum dira inclementia regis.
Hæc perturbata sed dum tractantur in aula,
Ebræi,uatum studio monitisq; supernis,
Optima quæq; parant ad sacra,epulasq; requirũt,
Vasáq; solennis quæ poscit plurima cultus,
Ornamenta etiam uestesq;,monilia,gemmas,
Mutua ab Aegypto plebes Ebræa requirit,
Confestim reddenda sibi:mox commodat illis,
Ditat & ignorans trepidum manus æmula plebẽ.
Quænam digna tuis pandantur laudibus ora.
Summe pater,qui tam sæuo sic uteris hoste,
Commodet ut preciosa suis quæq; hostibus? & iam
Annuit aduersus,largitur munera nolens,
Quæ secum dimissa ferant,nec soluere tantùm
Sufficit oppressos,opibus ditantur euntes,
Thesaurosq; nouos libertas reddita sumit.
Atq; inter medios inimica in sede furores,
Prædatur dominum fugiens,fallitq; uidentem,
Præsentem spolians:nec tam discedere pulsos
Quam lætos migrasse putes:tolluntur auari
Sic Pharaonis opes:quem tunc mercede soluta
Seruitij longum credas taxasse laborem.
Sic studijs aliquando hominum in contraria uersis
Auctorem redeunt commenta pericula in ipsum.
Tunc frustra innocuo meditatos uulnera fratri,
Inuida plus lædit frustrato uulnere bilis.
Egreßi interea trepido de rege ministri
Compellunt celerare fugam,coguntq; uolentes,
Præcipitant alacres,& festinantibus instant,
Pellendasq; putant pulsa cum gente ruinas.
Iam propè centenũ compleuerat aduena lustrũ
In regnis Aegypte tuis Iudæus apella,
Quatuor atq; decem lustris tantum inde remotis
Ex quo illuc Iacob secum perduxerat omnem
Bissena cum prole domum,carosq; nepotes
Multa propagatos tandem per millia,donec
Aegypti inuidiam populus conflauerit auctus.
Quando induratum plebes Iudaica regem
Effugiens,factis Aegyptum claßibus exit.
Primo conspicuus fulgebat in ordine doctor
Legifer,adiuncto præcedens agmina fratre:
Post quos belligeræ disponunt arma cohortes,
Ducunt & ualidas instructo robore turmas. A
Arma ferunt humeris,enses & balthea læuo
Accingunt lateri,presso tum uertice caßis
Fulget,& albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur iaculis alij,clypeosq; sinistris
Voluunt,& rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris,uolucresq; sagittas
Hostis in occursum mittendis motibus aptat
Aut si forte uirum fugientia terga sequatur,
Vt pennata leues transmittant spicula uentos.
Incedit pauidũ postrema per agmina uulgus
Non impar numero,quis cœlum pingitur,astris,
Aut quis feruescit pelagus crispantibus undis.
Vel quibus exundat conpertum littus,arenis,
Vel quot destillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharij numerum,nec credere possunt,
Quod cernunt oculis:placet eiecisse tot hostes.
Quanquam non acie Pharao perimetur ab ista,
Quanlibet innumeris fuerit stipata cateruis:
Vnus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
Interea lento moderatus tramite gressum
Ebræus carpebat iter:procedere tantum
Permissus spacij,quantum uel tarda senectus, B
Vel rudibus reptans infantia sustinet annis.
Ne nimium fragiles inter delasset eundum
Aetatem sexumq; labor.sic cuncta supernus
Dispensat nutus,plebiq; aßistit eunti.
Ergo ubi signatis sederunt millia castris,
Armatusq; pedes uulgus uallauit inerme
Vespere tum primo stanti aßimilata columnæ
Insistens,puro resplenduit æthere flamma:
Non ueluti noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cum terris cœli portenta minantur,
Aut morbis tristem bellisq; aut cladibus annum.
Sed radijs fulgens,& lumine candida læto,
Ostendit nitidum castris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ,uicinaq; sidera cedunt.
Obstupuere uiri primùm,ac perterruit omnes
Incußitq; metum nouitas,tum luminis usu
Paulatim cœleste iubar consuescere cœpit.
Maxima nocturnas iam pars exegerat horas,
Et uoluenda dies instabat sorte propinqua,
Cunctorum ecce oculis per cœlum uisa moueri,
Altera iter rapuit populo spectante columna.
Protinus hanc sancti patres sensere sequendam,
Et duce cœlesti gaudentes,protinus omnes

A *Abrupêre moras, castrisq́; excedere certant.*
Tunc ut quæq; tribus primum sortita laborem,
Ordine carpit iter, sequitur tum cætera pubes.
Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea mox uiso pallescit sole columna,
In nubemq́; redit totus qui fulserat ignis:
Sed species perstat tensæ super æthera formæ.
Tertia nocturnos deterserat hora liquores,
Et matutinas iam sol superauerat umbras,
Ecce (nouum dictu) cœlo seruata sereno,
Feruenti radio se iussa opponere nubes
Frigida, condensum cumulauit in aëre tegmen.
Nec tamen hanc nubem tetro suffusa colore
Forma dabat, nec erat nigro sic horrida uultu,
Vt ualidos terrent cùm promunt nubila nimbos,
Sed qualis solem madidus cùm uiderit arcus:
Tanta fuit pulchræ species oblonga columnæ.
Noctibus ignis erat, lumenq́; accensa ferebat.
Cùm sol torreret, gelidum dabat humida rorem.
Has alternantem ducens cum tempore sortem,
Mutauit natura uices: substantia discors
B *Muneribus proprijs concordem reddidit usum.*
Si mansit, mansêre uiri: si mota, secuti.
Si multis etiam uisa est pendere diebus,
Subdita defixo tardabant agmina uallo.
Ista quaterdenos miracula uisa per annos,
Tempore quo uasta Ebræi uersantur eremo,
Vestibus integris nullaq́; in parte minutis:
Tunc nulli longo currendi prorsus ab usu
Detritis soleis, prisci seruantur amictus.
Sic longæua fuit, sed non damnosa uetustas,
Dum sacrum populo uictum, candentia manna
Ferrent, & cœli frugem terrena uiderent.
Mystica quæ longè prædiceret antè figura,
Virgineo ex utero, purum sine semine, Christi
Edendum, nobisq́; aliquando corpus edendum:
Quas caperet pascendus homo, de sede superna
Illabente Deo, sanctis altaribus escas.
Nec portentificæ cepit me obliuio uirgæ,
Quo signo summus percussa rupe sacerdos,
Protulit irriguos populis sitientibus haustus:
Insinuans Christum stabilem consistere petram,
Percussus iaculo largas qui præbuit undas,
Porrexitq́; suis sacro de uulnere potum.
Ebræi interea læti ducente columna,
Gressu per terras ibant, perq́; æthera uultu.
Ecce iterum Pharijs insedit mentibus ira,
Et populum sine more ferox his uocibus armat,
Exit & in tales uicina morte furores:
O' nimium stultis imponens mentibus error,
Præstigiæq́; diu nebulosa in fraude peractæ.
Non'ne pudet seruam nullo certamine gentem
Sic impunè rapi? sic nos patiemur inulti,
Deserat ut uacuas discedens accola terras?
Rura uacant, cœptis desistunt oppida muris,
Nec solitum consurgit opus, non cultor in agris
Exercet ualidos attrito dente ligones.
Quin potius sumptis exercitus irruit armis,
Imbellemq́; manum profugosq́; reducit alumnos.
Quòd si seruilis tantum procederet ausus,
Vt contrà pugnare uelint: mox occidat omnis
Confusa cum plebe manus: feruentibus armis
Permixtæ pareant confosso pectore matres,
Vberibus iunctos configant spicula natos,
Prolem quisq; suam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet iugulis præcedere mortem.
Orbatum nostros faciat libare dolores
Vltima sors populum: sic uiuens omnia perdat.
Tum pereant, densa & campi sub strage iacentes
Tristi committant inhumata cadauera cœlo.
Inde ubi sanguineo satiauerit ense furores,
Thesauros reuocet fugientes dextera uictrix.
Talibus excitas acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, solus qui despicit omnem
Conatum rigido meditantem uana tumore,
Consiliumq́; ducum cassatis dissipat ausis.
Ergo bella rogant, feruens rapit arma iuuentus,
Spumantes ducuntur equi, phalerisq́; potentes
Suspendunt alacres splendentia frena iugales.
Pugnax pompa nitet, subiectis curribus axes
Aurato temone trahunt: tum cætera pubes
Induitur chalybe, aut fuluo circundatur ære.
Et loricarum uasto subtegmine gaudet,
Intexit creber sibimet quas circulus hærens.
Ast alios tenui contexit lamina ferro,
Assuetos alijs crates, compacta metalla,
Horrentesq́; habitus diuersa fecerat arte
Ira ferox, nudos etiam quæ ad prælia misit.
Et tamen ardentûm cuncta inter tela uirorum
Terribilis plus forma fuit: quis namq; furentes
Vsq; adeò spectans uultu speculetur amico?
Inclusæ galeis facies, & ferrea uestis

Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Mox prodit collecta manus. rex ipse frementes
Curru cogit equos: telis tamen undiq; septus
Delitet, & densam reddunt hastilia siluam.
Concutitur pulsata rotis, ac pondere tellus
Pressa gemit, nec iam capiendis sufficit illis.
Vsq; adeò Aegyptum angustat stipata iuuentus,
Occluditq; uias, fugiendi ut nulla superſit,
Hinc equite Ebræos, illinc claudentibus undis,
Spésue modúsue ullus, ni iam mortalibus illos
Præsidijs uacuos cœlestis dextera saluet,
Quæ solet extremam miseris afferre salutem.
Iunxerat interea, quà ponto Magdalus instat,
Ebræus populus rubicundo castra profundò,
Euasos credens securis mentibus hostes.
Ecce autem ut cepêre suas tentoria sedes,
Dum resident, fixoq; parant requiescere uallo:
Cernunt puluereas in cœlum surgere nubes.
Moxq; etiam propius spectantibus, alta patescunt
Nigrantes uultus adoperta nitentibus armis
Agmina, crudeles tantùm spirantia mortes.
Nec tamen infensas patitur committere partes
Sole sub occiduo uicinus prælia uesper.
Crastina lux ergo uallati bella tyranni
Distulit, ardentes qui ne compesceret iras,
Insomnem ducit meditans crudelia noctem,
Auroramq; cupit stellis properare remotis.
Iam super Ebræos consistens fortè columna
Flammea, mirandam reddebat in aëre lucem.
Vt uidet insuetum Pharao & mirabile lumen,
Ardet, & excitas iam plus feruescit in iras,
Paulatimq; mori non sustinet: itur ad unam,
Quæ claudat cunctas pelago sorbente ruinas.
Interea conclusa loco, finemq; sequenti
Expectans pauefacta die, nec tela, nec ullas
Bellorum uersat curas Ebraica plebes:
Sed defecta animo uoces erupit in istas,
Mosen incessens: O' terq; quaterq; beati,
Quos morte absumptos calidis Aegyptus arenis
Condidit, ante patrum morientes ora suorum:
Digni habiti, qui tam duros sentire dolores,
Nec stragẽ hanc possent, nec pignora capta uidere,
Alitibus nos esca dati, nec sede sepulchri
Ornati, uastæ corpus reddemus heremo.
Talia dicebat permixtis luctibus omne
Vulgus, & accenso plangebat turba tumultu.

Sanctus ad has Moses promissa referre querelas, A
Solariq; metum, luctusq; his tergere dictis:
Quæsumus ingratos populus depone timores,
Expertus toties, nunquam fidentibus in se
Deſore cœlestes: nec desperanda putetis,
Quæ tantis spondent cœlestia numina signis.
Insidis'ne potest elabi cordibus unquam
Aegyptus tot cæsa malis? iam credite, dura
Niliacum regem manet atq; extrema ruina.
Non'ne inter medias Aegypti Ebraica clades,
Iumentisq; uirisq; simul Deus agmina saluis
Seruauit? Sed quid memorem transacta? uidetis
Vt mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab aduersa liceat nos fraude uereri.
Quin magis erectas spe firma attollite mentes.
Vltima namq; dies præfixa est crastina genti,
Quæ nunc bella crepans, sumptis confidit in armis.
Illi illi sua bella crepent, & fulmina: non sic
Pugnandum uobis, nec telis tela feretis
Obuia: nec uestro uobis sudore triumphus
Crastinus adueniet, cœli pugnabitur ira.
Hanc diuina sibi pugnam iracundia seruat.
Talibus intentus Moses, deiecta leuabat B
Corda uirûm, & sancta sedabat uoce timorem.
Interea ualidus feruenti flamine uentus
Vrebat, tota consumens nocte profundum.
Confestim insolitas mirantur flumina flammas,
Ardet enim afflatus percusso in gurgite fluctus.
Ad matutinum peruenerat horrida tempus
Vix acies, primosq; nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris cùm protinùs omnes
Erumpunt castris, fremit undiq; mota iuuentus.
At pauidæ plebis postquam peruênit ad aures,
Clangentisq; tubæ percussit pectora terror:
Arripiunt carpuntq; uiam, qua proxima ponti
Littora sollicitant rubris insignia lymphis.
Vt summas pelagi populus peruênit ad oras,
Cessit confestim iussi reuerentia fluctus,
Expanditq; uiam cui terram clauserat hostis,
Quam noua pendentis construxit machina fluctus,
Frenatas celso suspendens aëre lymphas.
Aggreditur medium fugiens, uincensq; fugantes
Gens electa Dei pontum, uestigia rubri
In regione maris figens, & saxa profundi
Conculcat nudum percurrens orbita limum,
Aspectum inijciens scissis sol torridus undis,
Igno-

A Ignotamq; nouo contingens lumine terram,
Ima laborantes radios ad tartara ponti:
Vix misit, feßumq; iubar uix extulit imis.
Credens exclusos primùm, fluctuq; repulsos,
Inq; fugam uersos Pharius dare terga tyrannus,
Præcipitare moras tali iubet agmina uerbo.
Ecce iterum fugitiua cohors pendentia bella
Deserit, auxilioq; pedum confisa recedit:
Vos armis premite, & clausis insistite turbis,
Cætera pontus aget. uix hæc perdixerat, illi
Prosiliunt, cursuq; parant attingere littus.
Vt uenêre, uident arentis uasta profundi
Insolitam præbere uiam, pansoq; recessu
Pontum aperire suas illis fugientibus undas.
Hos quoq; per siccum tutos descendere callem,
Securos pelagi, nilq; æquora dira timentes.
Tum nouitate rei perculsos accipit horror,
Subsistit & paulum restrictis motibus agmen,
Frenaq; suspensos tenuerunt ducta iugales.
Nec dubiũ est, miranda aliquos portenta stupentes,
Turbato secum sic protinùs ore loquutos.
Quis Deus à prisco deturbat cardine mundum
Lege noua, uariatq; uices, & condita mutat?
B Nam si seruatur rebus natura creatis,
Monstriferæ quæ causa uiæ? quid deniq; restat,
Si mare transitur pedibus, nisi nauibus arua
Sulcentur, cœlumq; suo decurrat ab axe,
In superos infernus eat, plaga feruida cœli
Algeat, afflatam succendat scorpius ursam?
Hic quia confusus rerum subuertitur ordo,
Me duce siccatum nemo descendet in æquor,
Sit suspecta nouum quæ pandit semita callem.
Frustrà bellatur superis nolentibus. ergo
Nunc abeãt, tantumq; uagos sua monstra sequãtur.
Sed quò dementem rapit hæc sententia mentem?
Ergo'ne sublatis plebes Ebraica secum
Diuitijs abeat? num sic spoliata Canopus
Impunes ultrò permittat abire latrones?
Quin illos igitur lymphis sectamur apertis?
Hæc ardens uersat cum seditione tumultus,
Instantisq; latens urget sententia lethi.
Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta uallẽ,
Gurgitis & uacui conuexa uolumina linquens,
Et barathri emensi superas ascenderat oras:
Crudeli effertur nigri dux agminis ira,
Ignarusq; suæ, quæ iamiam est proxima mortis,
Accelerare suos iubet, atq; intrare profundum.
Arripiunt pariter reserati concaua ponti,
Inuaduntq; uiam. Quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, pars inde citatis
Ire iubet stimulis rapidas super arua quadrigas.
At medium ut uênit frendens equitatus in æquor,
Fulminat absentes, fugientesq; increpat illos,
Accusatq; moras tam laxi gurgitis ardens
Ira uirûm, iam uicini malè gnara pericli.
Tum per sublimem pendenti nube columnam,
De cœlo uox missa tonat, uerbiq; superni
Interpres, uerbis ad Mosen talibus infit.
Vênit iam tempus, mea cùm mãdata probentur,
Aegypto iam finis erit, iam clade suprema
Tot castigatam uicibus diuina Canopum
Afficiet cum rege suo sententia: iam iam
Sentiat Aegyptus sapiens uel morte suprema,
Quàm nihil inuitis prosit contendere diuis.
Tu modò diuisum uirga iam percute fluctum,
Atq; reducta suos assumant æquora uultus.
Ille genu flexo siccati marginis oras,
Et uacuum littus, iußis accedere lymphis,
Percutit, insigni credens mysteria ligno.
Hinc subitus crepitare fragor, tonat undiq; circùm
Lympha ruens, primumq; illic committitur unda,
Quo monstrabat iter Phario mors ultima regi.
Postquam clausa uia est, fluctusq; rebellat eunti,
Pœnitet intrati iam gurgitis, & fuga serum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes,
Armaq; proijciunt: pontus fugientibus instat,
Occurritq; sequens: perit undiq; circuniectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferox semper, mitis iam morte sub ipsa:
Non hæc humanis agitur uictoria bellis,
Expugnamur, ait, cœloq; euertimur hoste.
Effuge si liceat, uictusq; euade satelles,
Nec iam tela Deo conatibus ingere caßis.
O si compunctas humana superbia mentes
Ante obitum mutare, nec expectare suprema
Fata uelit, quanto infelix felicior esset?
Pœnitet ambiguè, quem serò pœnitet: ergo
Præsentis spacium nobis dum creditur æui,
Dum patulam cunctis Christi clementia sese
Præbet, præteritæ plangamus crimina uitæ,
Pœniteatq; olim negligenter temporis acti,
Dum licet, & sano ingenioq; animoq; ualemus.

Nam qui peccatum moriens dimittere, & ipſa
In ſerum tempus differt admiſſa fateri,
Non tam dimittit, quàm dimittatur ab illis.
Ergo exaltatis pendens ſuſtollitur undis
Confeſtim mergenda phalanx Aegyptia, & ipſo
Pondere telorum premitur, fundoq́; tenaci
Succinctum reuehunt morientis corpora ferrum.
Pars exarmatis cùm primùm libera membris,
Implicuit nantes morientum amplexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterq́; tenentes
Alterno ſub faſce ruunt, nexiq́; necantur.
Atq; alij laſſata diu dum brachia iactant,
Incurrunt enſes, iaculiſq́; natantibus hærent,
Concolor & rubro miſcetur ſanguine pontus.
Quin & conſpicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore iugales,
Inſpector cladis propriæ, gentiſq́; ſuperſtes,
Vltimus ingreßis per currum naufragat undis.
Et uacat hos inter plebes Ebræa tumultus,
Interea pugnante ſalo, uincitq́; quietus
Iſraël ſolo peragens certamina uiſu:
Dum uallis completa perit, fluctuq́; reuerſo
Ducitur extentum planati gurgitis æquor,
Exponitq́; ſuum pelagus ſuper arua triumphum.
Ergo Deo dignas iſto certamine laudes, A
Atq; repenſurus memori tot munera mente,
Inclytus egregium ſolenni carmine ductor
Deſcribit, toto quod pſallitur orbe, trophæum,
Cùm purgata ſacris deletur culpa fluentis,
Emittitq́; nouam parientis lympha lauacri
Prolem, poſt ueteres quos edidit Eua reatus.
De qua ſermonem præmiſſo carmine fecit,
Luctificos repetit tenuis dum pagina lapſus.
Quòd uerò Aegyptus lapſis euaditur undis,
Euaſoq́; mari: noſtri illa figura lauacri eſt.
Cum Pharao infernus ſacris ſubmerſus in undis,
Ingemit è tanto miſeros diſcrimine lapſos.
Nos uerò Chriſti ſolennem in morte triumphum
Baptizati agimus, tanta eſt baptiſmatis eius
Gratia, quo ueteris peccatum expellitur Adam
In nobis, uiuitq́; nouus pereunte uetuſto,
Quo mala noxa perit, quo uirtus inclyta creſcit,
Iſraël uerus ſacris quo tingitur undis.
Hæc præcurrenti ſignantur dona figura.
Diuinum uerò lector uenerande triumphum
Hactenus inſulſis cantatum uerſibus, æquus
Accipe, & Ebræis conſide in littore ſaluis. B

FINIS.

ALCIMI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI, IN LIBELLVM DE CONſolatoria caſtitatis laude, Præfatio.

POſt conſummationem libellorum, quos non ſicut uoluerat, edidit diſpoſitio mea, ſed tua ſodaliumq́; pia feſtinatio, affectuoſa quidem, ſed inconſulta præripuit: cogis inſuper tibi ſpecialius dari uerſus illos, quos ad uenerabilē Fulcinam ſororem noſtrā, de conſolatoria caſtitatis laude conſcripſi: quos ego poſt denunciatum poëmatis finem, epigramma rectius dicerem: tu primùm libri nomine uocitaſti, hoc ſcilicet uocabulum prolixitati eius aſſerens conuenire. Quapropter habe me etiam in hac parte famulantem iudicio, imò potius affectui tuo: quoniam profectò iniquum eſt, ut cui parui in maioribus, in exiguis contradicam. Meminerit autem pietas tua hūc ipſum, quē ſic uocas, libellū, uel de religione parentum cōmuniū, uel de uirginibus noſtrę familiæ familiarius diſputantē, illis tantūmodò legendū dare, quos reuera nobis aut uinculū propinquitatis, aut propoſitū religionis annectit. Dotes enim ex materiæ qualitate meritiq́;, germanæ ſanctimoniali cōpoſitas, uix uel tibi crebra uictus iuſsione credo: quādo aut qualiter uenire in manus extraneorū uelim? Sanè à faciēdis uerſib. pedibuſq́; iungēdis pedē ſum de cætero relaturus, niſi forte euidētis cauſę ratio extorſerit alicuius epigrāmatis neceſsitatē: cuius tantā exiguitatē fore polliceor, ut ei aliud nomē aſſumere nec ipſe pręſumas. Decet enim dudū pfeſsionē, nūc etiā ætatē noſtrā, ſi quid ſcriptitādū eſt, grauiori potius ſtilo operā ac tēpus inſumere: nec in eo immorari, quod paucis intelligētibus menſurā ſyllabarū ſeruādo canat, ſed quod legētib. multis mēſurata fidei aſtructione deſeruiat.

ALCIMI AVITI DE CONSOLAtoria castitatis laude, ad Fuscinam sororem Lib. I.

A SVscipe complectens Christo dignißima uirgo,
Alcimus ista tibi quæ mittit munera frater,
Inq; leui calamo causarum respice pondus.
Nam quoties sanctum compleueris ordine cursum,
Alternos recinens dulci modulamine psalmos,
Quos uiuens in corde chelys uirtute canora
Interiore sono,& castis concentibus aptat:
Ritè fatigatampoteris hoc carmine mentem
Ludicro,& serijs tete oblectare remißis.
Nec tamen hîc uana tingetur barbitos unda,
Pegasus unde leues præuertens motibus undas,
Fingitur assumpto pendens innasse uolatu,
Dum ferretur equi grauis ungula præpete penna:
Sed nec Pieriæ ducent hæc cantica Musæ,
Quas sibi diuinas mentitur fama sorores,
Dat germana tibi sed uerax musica plectrum,
Nec Christo resonans, cantabit fistula Phœbo.
Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teq; dedit luci,partu fœcunda supremo,
B Confestim Christo uicturam dedicat uni:
Ac deinceps paribus castum seruare cubile
Constituit uotis charo cum pignore mater.
Et quia principium tam sancti fœderis esses,
Te mox consecrat Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Nulla Deo siquidem est acceptior hostia,quàm quæ
Immaculata sibi primis offertur in annis.
Sic quondam cùm prima nouo splendesceret ortu
Terra nitens,pulchraq; darent sua semina fruges,
Viuentem ducens ad sancta altaria fœtum,
Innocuis sonuisse Deo balatibus agnum,
Insinuante Deo iustus cognouerat Abel:
Cùm capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi uitalis fouit te lympha lauacri,
Atq; suum peperit cœlestis gratia pignus:
Non tibi gemmato posuêre monilia collo,
Nec te contexit sparso quæ fulgurat auro,
Vestis ductilibus concludens fila talentis:
Nec te Sidonium biscocti muricis ostrum
Induit,aut rutilo perlucens purpura cocco,
Mollia uel tactu quæ mittunt uellera Seres:
Nec tibi transfoßis fixerunt auribus aurum,
Quæ compensarent pendentes uulnera baccæ,
Dum preciosa grauant,sed saxea pondera malas.
Quid multis ? tantùm illa tibi tegumenta parantur,
Frigora quæ pellant, nõ quæ tua membra uenustẽt.
Et quid enim prodest periturum comere uultum,
Putria uel uarijs onerari corpora gemmis,
Interior dum sordet homo,ac se crimine fœdat?
Sed tibi cùm geminum tetigerunt tẽpora lustrũ,
Mox stola sincero uelat te candida cultu,
Virginis os habitumq; decens, quem mater amictũ
Relligiosa suis manibus confecerat. olim
Non secus exultans sterilis post damna iuuentæ,
Iam fœcunda nouum cùm ferret fœmina fœtum,
Vestem læta suo paruam texebat alumno,
Disceret ut Samuel iam tum puer esse sacerdos.
Sic pia te genitrix sanctis altaribus aptans,
Assueto docuit dignam concrescere templo,
In thalamum asscribens ac magni fœdera Regis.
Electam hinc cœpit speciem sibi iungere Christus,
Ornatu uario ditat quam gratia pollens.
Hinc ubi creuisti paulò maioribus annis,
Collatumq; tibi primæua ætate uideret
E' cœloq; datum genitrix accrescere munus,
Virtutesq; etiam teneris coalescere in annis:
Gaudebat,Christũ hinc laudans,gratesq; rependẽs.
Sed tamen à mundi illecebris dum fortè timeret,
Conscia tot fraudes ætati occurrere primæ,
Teq; reparturiens,& mente & corpore Christo
Iungere percuperet: quis te protruderet istos
Artibus in laqueos ac sancta ergastula,multis
Voluebat curis: metuebatq; anxia,ne quod
Illa tuo quondam uouisset nomine, iam tunc
Arbitrij compos ac tali libera uoto
Reddere fortaßis nolles: sic pendula mater
Spemq; metumq; inter, tum demũ audentior his te
Aggreditur lachrymans dictis,ac talia fatur.
Deliciæ mea gnata meæ,charißima matri
Pignora grandæuæ, per ego has te deprecor ulnas,
Per quæ suxisti primæuis ubera in annis:
Fac isthinc abeam promisso libera uoto.
Olim ego te genui,Christoq; è uentre dicaui.
Tunc ego quod poteram feci: tu perfice quod iam
Per te sola potes,uotoq; adiungito uotum.
Exue delicias mundi huius,& indue Christum.
Non desunt exempla tibi : nunc respice quantas
Virginibus florens iam nostrum stemma coronas
Miserit in cœlum: sancto quas dogmate mater

Seueriana docens,his te coniungier optat.
Nec multo senior gaudens Aspidia, quondam
Sacratum uelata caput,tua munia sumpsit
Bissenos iungens sanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit fors ultima letho,
Nil tamen est subitum, semper migrare paratis.
Aspice nunc culmen quod uirginitate renidet,
Eximiumq; decus,cuius tu iure propinqua
Fuscinam Fuscina refers. nec segnius illa
Quæ pietate potens,Graia si uoce uocetur,
Significat propriam sumpto de nomine mentem.
Clara exempla domus: quarum licet æthera supra
Emicat,atq; omnes cœlos super inclyta uirtus,
Has generosa tamen si mente imitabere matres,
Gaudebunt uinci dum proficis,ac tibi summam
Sponte dabunt palmam. nec enim ulli cãdida uirtus
Inuidet,inuidiæ quanquam est subiecta malignæ.
Hæc dicens,teneros sancto exhortamine sensus
Impulit, accendens in uirginitatis amorem.
Sic prægnans fœcunda olim, ac fœcundior orba,
Atq; animos superans genitrix Machabæa uiriles,
Fœmineam & uincens animo uincente senectam,
Orbari læto ducebat in omine, si quos
Ediderat mundo, patrijs pro legibus illos
Felici iam morte Deo generaret,ut esset
Mors illis requies , faustæq; exordia uitæ.
Ergo in tormentis positos,constantior ipso
Supplicio genitrix corde hortabatur & ore,
Spernere crudelis nimium felicia regis
Tormina,lætitiæ dehinc commutanda perenni,
Augebatq; pios ad fortia facta furores.
Scilicet æterno dignißima carmine, & illo
Plus misero partu felici funere felix.
Quid uerò memorem, tenero quæ fortior æuo,
Ante annos animumq; soror responsa dedisti?
Quanquã aggressa tuas non est hæc pagina laudes:
Exitus impleto ueniet cùm tempore uictor,
Cautius ac melius mihi tum laudabere, cùm iam
Hostibus euictis, & Iô clamante triumpho,
Consummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attentis uitare pericula nobis
Tecum,& sollicitas partiri ac uoluere curas,
Atq; iuuare tuos hortantia dicta labores:
Dum pugnat uarius per tot discrimina casus,
Lubrica dum fragili currit sub tramite uita,
Dum tua calcatus captat uestigia serpens,
Moliturq; suis iuuenem seducere technis. A
Nemo adeò tutus,qui non aliquando timere
Debeat,ac tali sibi prorsus ab hoste cauere.
Nulli tuta datur requies in carne caduca.
Sæpe boni peccant,uitijs perit obruta uirtus,
Partaq; transactæ decedunt præmia laudis.
Contrà aliquando solet subito succensa calore,
Frigida quæ fuerat blandam mens linquere carnem,
Atq; repentino restringere crimina freno.
Sic alternantem commutant facta rotatum,
Impius ut speret ueniam,iustusq; timendo
Proficiens, cumulum magnis uirtutibus addat.
Contrà si sanctos piget exercere labores,
Pigraq; consuetas dissoluant ocia curas,
Labitur in præceps damnosæ gloria uitæ.
Si uires nullas uirtus acquirit eundo,
Amittit rediens paulatim extincta priores.
Ergo inter dubij tam dira pericula mundi,
Tam uarios casus,nitendum est uiribus amplis,
Vt satis angustum obseruent uestigia callem:
Principio angustus fine est amplißimus ipso,
Nec quærenda alia est quæ in cœlum semita ducat.
Arcta uia est,modò si uerax seruator Iesus,
Aeternæq; etiam porta est angusta salutis. B
Et qui diffusam spacio laxante plateam,
Mundi consectans fallacia gaudia currit,
Strictior hunc carcer crudeli sorte ligabit.
Tu modò da ueniam,qui te exhortatur,amori,
Currentemq; monet,cùm uix tamen ipse sequatur.
Quòd si etiam tardus properantem currere gressus
Incitat,utq; sequi nequeat,præcedere suadet:
Fraterno haud dubium quin tu donabis amori.
Nec iam à me instituenda uenis,quæ iunior ortu,
Relligione prior,uiuendi iura sacrasti,
Annorumq; sequens meritorum sorte præisti.
Quòd si sacratæ conuersio prima sororis,
Fratribus exemplum facta est & forma sequendi:
Grati animi librum hunc soror ô charißima testem,
Aere tibi frater grauiore obnoxius offert.
Exigit alma fides etiamnum ut corde lubenti,
Participata leuet fraternum sarcina pondus.
Ergo isthæc ualitura tuis consortibus æqui
Consule: namq; alijs,non hæc tibi scribimus uni,
Virgineisq; tuo animus sub nomine turmis.
Par ergo est spontè ingressum ceruice fideli,
Sanctum ferre iugum,nec uincla in coniugis ire,
Munda-

A Mundanas odisse uias, percurrere mundas:
Illinc nolle thoros, hinc Christum quærere spõsum,
Ignorare uirum, fœtus tamen edere tales,
Quos nunquam poßit tristis tibi tollere casus:
Sic nunquam orba gemes fœcundæ pignora uitæ,
Nec uiduam sponso metues superesse, perennis
Expers ipsa mali: nec te sententia tanget,
Qua prolis mortisq; parens compellitur Eua,
Occisam pariens sobolem uiuente reatu
Plangere, quam sequitur quæcunq; obnoxia mater,
Quæ subiecta uiro, & dominum passura cubilis
Seruit, in obscœno tolerans connubia lecto.
Quæ captiua thori, nomen comportat inane
Coniugis, ut uana dicatur imagine consors,
Sola subacta iugo non æquam ducere sortem.
Et cùm longa decem complent fastidia menses,
Perfectoq; grauis fœtu distenditur aluus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Et cùm luctato soluuntur uiscera partu,
Carnis delicias immenso tormine pendit.
Sed tamen hunc lenit, dices fortasse, dolorem
B Editus in lucem si uiuat filius: atqui
Contingit plerunq;, gemens ut mortua fundat
Pignora, deformem'ue emittat in aëra massam:
Ne dicam quòd monstra parit sæpè horrida mater.
Illud iam leuius quoties interuenit, ipsa
Vt pereat tum sola parens, ac pondere fuso
Emittat cum prole animam: quod fortè leuatum
Nutritumq; diu rapitur si funere pignus,
Vnica quod crebrò spes respicit, hic perit omne
Quod sibi conceptis spondebant gaudia curis:
Omnibus id uerò grauius, si fortè lauacri
Diuini expertem, tenerum mors inuida natum
Præripiat, dura generatum sorte gehennæ.
Qui mox ut matris cessarit filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt pignora matres.
Quis uerò tanti narrare pericula casus,
Aut utriusq; queat discrimina coniugis, in quæ
Perducit tandem dilectæ gloria carnis?
At latè longeq; tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest, qua necteris ut te
Impia fallentis non stringant gaudia mundi.
Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis & matris gemina gaudere corona,
Conciperet cùm carne Deum, cœliq; creator
Intraret clausum reserans mysteria uentrem,
A genitrice satus, sed quam formauerat antè:
Qui nitidam elegit de qua procederet aluum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Præsciretq; diem longè, tempusq; uideret,
Quo pariendus erat: quod ubi iamq; adfore nouit,
Intactam matrem pro spermate sanctus adumbrat
Spiritus, hac tantùm sanctum præbente cruorem:
Inde caro uerbum efficitur, quiq; imperat ipso
Cum patre in cœlo, materno in corpore seruit.
Ante æuum de Patre, & matre in tempore natus,
Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.
Sic uirgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumq; perennem
Edere promeruit, dignoq; agnomine dici
Virgo, Dei mater: cuius super omnia primæ
Laudis eris, si fortè uoles charißima consors:
Relligiosa pio si Christum & credula corde
Concipiens, operum cœlo pia germina gignas.
Si quis enim, Christus, mea iussa peregerit, inquit,
Atq; uoluntatem Patris compleuerit almi:
Is soror & frater meus est, is deniq; mater.
Ecce uides sexu ut careat cœlestis imago,
Interior sortitus homo quam mente retentat,
Nec sexum acceptat: quia si scrutabimur altè,
Præbuit exemplum surgens à morte Creator,
Fœmineum maribus sese præponere honorem.
Quòd ne fœmineum posthæc quis spernere sexum
Audeat, hic paucis uisum est ostendere uerbis.
Cùm diram lueret nostro pro crimine mortem,
In crucis excelso pendens sine crimine Christus,
Atq; animam, uiuos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc clauis diuino efflaret ab ore,
Deserit insoliti populus spectacula monstri,
Signaq; ferre nequit, cœlum quæ triste minatur:
Nam sol obductus, uultumq; auersus ab orbe,
Cesserat in iustas nocturnis luctibus horas,
Temporaq; externis dederat non uisa tenebris:
Et terra abscedens mutato cardine rerum
Nox erat in superis, lucemq; inferna uidebant:
Intremuit tellus, & nisu mœnia magno
Concußis summo nutarunt uertice cristis.
Senserunt motum priscis descendere iussa
Saxa locis, sonitusq; nouos collisa dederunt.
Hos inter strepitus cunctis fugientibus, illæ
Intereà

Interea ſanctæ matres, Chriſtumq́; ſecutæ,
Decernunt quanquam trepidæ, perſiſtere: cùm iam
Diſcipuli Chriſto fugiſſent antè relicto:
Vt quæ erga uiuum fuerat pia cura, ſepulto
Seruiat, & iuſtos defuncto ſoluat honores.
Ergo fragranti componunt illita ſucco,
Albaq́; ſaluificum quæ ſeruent lintea corpus,
His amor intentis lugubria dona parabat,
Supremum credens ſemet perſoluere munus,
Quod credebatur ſeruandum poſcere corpus.
　Omnibus his ergo ad funebria iuſta paratis,
Vncturæ accedunt Domini pia membra ſepulti:
Hic delectari noſtro conamine, ſeq́;
Quo non indiguit lætari munere Chriſtus
Oſtendit, matrum largè pia uota reponens,
Pro quîs reſpondens confeſtim gratia facta eſt,
Angelicos cernant humana ut lumina uultus,
Atq; reſurgentis primæ dent nuncia Chriſti:
Quæ primùm ut tumuli uenêre ad limina ſancti,
Appâret dextra cœleſtis parte miniſter.
Splendida candebat niueo cui corpore ueſtis,
Cui uultum rutilus conſperſerat undiq; fulgor,
Matribus ut dignis uerbum cœleſte ſonaret,
Occurſuq́; ſuo attonitas formidine cuncta
Solueret, aggreſſus ſancto quas taliter ore:
　Quid timidæ trepidatis, ait: conſiſtite, ne'ue
Aſpectu trepidate meo: uos nulla timendi
Cauſſa manet, quas cura pij confirmat amoris.
Quæritis (agnoſco) precioſi in ſede ſepulchri
Funere ſolenni tumulatum nuper Ieſum:
Sed meminiſſe decet, quid præſens ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius una
Seruandum ſe nocte. & iamiam tertius hicce eſt,
Qui complet promiſſa dies: patet ecce ſepulchrum,
Deſeruit uacuum uicta quod morte reſurgens.
　Taliter excelſus iuſſo ſermone miniſter,
Sparſurus mundo uitalis dona triumphi,
Has primùm gaudere dedit, luctuq́; leuauit.
Hinc læto impauidæ diſcedunt pectore matres,
Credula conceptæ ſeruantes corda ſaluti.
Cùm medium ſeſe Chriſtus gradientibus offert,
Agnoſciq́; iubet, blando & ſermone ſalutans:
Ite (ait) & noſtris hæc iam mandata referte
Diſcipulis, ut uel tandem me uiuere credant.
Mox illæ amplexis defigunt oſcula plantis,
Atq; ad diſcipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoresq́; docent, & quæ ſpargenda per orbem A
Primùm fœmineis iuſsi ſunt diſcere uerbis
Diſcipuli: tanta eſt muliebris gratia ſexus.
Communis uirtus igitur, commune periclum
Matribus atq; uiris: nulla eſt diſtantia cuiq;,
Si mens recta ſubeſt, ſi gratia conſtet utriſq;,
Vitaq́; ſi iuſto inſudat ſtudioſa labori.
Nam quid dona iuuant hominem, ſi mente ſoluta
Turpia collatum malè perdunt ocia munus?
Auxilium conatus amat. quis namq; uacantem
Adiuuat, aut ſomno uirtutem iungat inerti?
　Cœleſtis uult œconomus, concredita ſeruis
Creſcere dona ſuis, qui quondam abſcedere terra
Dum parat, & carnem peregrino immittere cœlo:
Mnas biſquinq;, prout cuiuſq; induſtria ſolers
Exigeret, famulis partiri cœpit. ibi unus
Quinq;, duas alius, ſed tantùm tertius unam,
Reddendas multo cum fœnore quiſq; recepit.
Hæc ita partitus, mox ſeruis talibus infit:
Theſauros geminate meos, ut fœnore multo
Cùm primùm fuero patria de ſede reuerſus,
Auctos inueniam, & meritis ſua præmia reddam. B
Dixit, & abſcedens cœleſtia regna petiuit.
Mnas autem quas ille dedit, diuerſa Parentis
Munera cœleſtis ſunt hæc, quæ pneumate miſſo
Chriſticolis ſacro infudit baptiſmate tinctis,
Naturæq́; etiam uel corporis, exteraq́; illa
Quæ bona fortunæ falſò appellare ſolemus:
Qualia diuitiæ, ualetudo corporis, ipſum
Robur, & ingenij quàm feliciſsima prompti
Dexteritas, uario quæ noſtra induſtria pacto
Diſpenſare ſolet: pars auget, & altera ſumptas
Imminuit retinens, quas ſola elemoſyna ſeruat.
Creſcit enim in cumulos quicquid confertur egenis.
At quidam, quibus exiguum æs, & rara facultas,
Si qua animi ſiue ingenij uirtute ualentes
Extiterint, rudibus iuuat exercere docendis.
Non deſunt contrà (quorum uel maxima pars eſt)
Qui ſiue externas, illa inſtrumenta bonorum,
Siue etiam internas cœleſti à Patre receptas
Diuitias, terra infodiunt, nec fœnore ſancto
Multiplicant: quos dura manet ſententia tandem.
Nam cùm terribilis iudex aduenerit ille,
Fœnora commiſsi poſcens reddenda talenti:
Tunc ſoli, quorum cumulos induſtria primos
Auxerit, ij uitæ referent promiſſa beatæ

Præmia,

A Præmia, centuplum cumulati fœnoris usum.
At uerò minimo qui sumpsit pondere libram,
In scrobibusq; datum foßis incluserit aurum,
Contempsitq; sui cumulare talenta magistri,
Degeneriq; fluens elegit uiuere luxu:
Sentiet incensi crudelem iudicis iram,
Talibus ad sese dictis, sic ore tonantem:
Tanta'ne te nostri tenuerunt ocia census,
Serue piger, reditusq; mei sic cura neglecta est?
Concessum ad mensam nequijsti ferre talentum?
Illam ego uel modico cum fœnore ut exegissem?
Ergo quos illi mea munificentia nummos
Tradidit, ablatos fidis concedite seruis:
Sic concessa suis ut crescant munera, Christus
Quærit, & ut meritis augescat gratia multis.
Ergo age succinctis ad fortia prælia lumbis,
Armata cum mente ueni, nec fœmina quanquam es
Duram formides aciem: uictoria dudum
Sexus ista tui, tibi credo incognita non est.
Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondã,
Duceret instructas post fortia claßica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata uiros: quos ipsa ferocem
B Exemplo uerboq; monens accendit in hostem.
Quas postquam ducens princeps animosa cateruas
Impulit, accendens uegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidêre manus, dissoluitur omnis
Hostilis uirtus. tum quà se fœmina monstrat,
Palantes dant terga uiri, latebramq; petentes,
Si uiuant, uicisse putant: tum maximus ille,
Forma gigantæa quem fecerat horrida molis
Conspicuum, immensamq; humani uerticis arcem
Sisara rex gestans, telorum fasce neglecto,
Incomitatus abit, metuens sublime notari,
Corpus & excelsa fugitiuum prodere massa.
Qui postquam latuisse putans, tectoq; receptus
Mollia perpetuo dimisit lumina somno,
Mox animosa Iahel peragit, quod Debbora uictrix
Cœperat, inq; solo strati terraq; iacentis
Tempora transfixo penetrans immania clauo.
Fœmineus duplex sic uno ex hoste triumphus.
At tu uirgo Dei, sanctis quam moribus ornant
Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis
Bella geris, iustis triplex quæ commouet hostis.
Spes tibi fida micat, felix in uertice caßis,
Continet & lumbos preciosi zona pudoris,
Iusticiæ lorica tuos constringit amictus,
Pro gladio uibrat bis acutum dextera uerbum.
Hæ uirtutis opes, hæc sunt solatia belli,
Quis dubium aduersus mẽtis cum corpore bellum
Ipsa suos armat clamantis buccina Pauli:
Quæ prudenti olim cecinit Prudentius ore.
Præterea tibi bellatrix, & robore plena
Virginitas armata uiget, quam fœda libido
Appetit, & casso uocat in certamina nisu,
Sed bellatricem te sentiat æmulus anguis:
Vt cùm pugnatam dederint tibi prælia palmam,
Læta feras summum calcato ex hoste trophæum.
Præterea uerò quis uicto ex hoste rebelles,
Atq; resultantes uictrici in corpore motus,
Artibus allidas, Christoq; in cote retundas,
Diuino eloquio Scripturaq; indice nosti.
Nam quicquid sacræ diuina uolumina legis
Aut sensu aut uerbo monstrant, quod prædicat ille
Antiquus mundi repetens exordia uates,
Siue ille historias texit, seu fortè figuras:
Quid'ue etiam ille Naue Mosi successor Iesus,
Succiduoq; simul quod quisq; in tempore Iudex
Gesserit, ut digitos soror isthæc omnia dudum
Docta tenes: quid enim nunc Ruth Moabitida dicã?
Præterea reprobo qui successêre Saüli,
Quiq; gubernarint Iudam atq; Israëla reges:
Quæq; instaurator templi promptißimus Esdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Thobias, quid pro populo confecerit Hester,
Fœmineaq; animi Iudith in mente uirilis,
Et quæ tam miserè afflicti patientia Iobi.
Porrò etiam unde animi poßis desumere mores,
Ter quinquagenos perscriptos ordine Psalmos.
Et quicquid docti Salomonis dextera scripsit,
Quodq; bis octoni post se uidêre prophetæ,
Et Machabæorum fortißima prælia fratrum.
Vis uno breuius complectar ut omnia uerbo?
Tota instrumenti ueteris tibi pagina nota est.
Dehinc quicquid priscæ succedens gratia legi
Intonat, atq; noui miracula Testamenti:
Quæ canit hinc hominis facies, uox inde leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus,
Quicquid apostolicis Lucas descripsit in actis,
Bisseptena pij quod spargit epistola Pauli,
Quid Petrus docet, & Iudas, Iacobus & ipse,
Et quæ diuini quondam secreta Parentis

Vidit Ioannes, nobiſq; incognita ſcripſit.
Et quæ ueridici, nec in hoc tamen ordine, patres
Expoſuere ſuis myſteria digna libellis:
Hæc tu cuncta tenens, animo ſitiente bibiſti,
Nec ſiquid ſacrum noſtri cecinere poetæ
Te latet, agnoſciſq; legens, ⁊ cognita ſeruas,
Atq; aliena tuo commendas carmina cantu.
Cætera quid replicem? tu ſenſibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, uel quæ percurſa legendo,
Ad uirtutis opus ſtudio conuerte uirili.
Nam niſi doctrinæ iungatur uita fideli,
Maiores faciet coniuncta ſcientia pœnas.
Eſurijt quondam Chriſtus cùm fortè, uianti
Conſpicitur diffuſa leui ficulnea fronde,
Nec iam maturum præbens ex arbore fructum.
Præteriens obiter Chriſtus, mox ut uidet illam
Indutam tantum folijs, ſed germine nudam,
Prorſus in hacce uirens ornatus inutilis horret.
Tum ſubitò quatitur radix afflata calore,
Aruit ⁊ poſito ramorum tegmine truncus.
Nec uerò immeritam temerè ficulnea pœnam
A' Chriſto maledicta luit. nos inde docemur,
Ne uanum præ ſe tumefacta ſcientia nomen
Noſtra ferat, ſed iuncta ſibi dilectio ſubſit.
Nam ſi Chriſticolas noſmet ſanctoſq; putamus,
Aggrauat hoc etiam nomen, ni facta ſequantur.
Sic ⁊ uirginitas ſacro deuota pudori,
Indiget adiunctis uirtutibus: ⁊ niſi mentem
Intactam ſeruans caſto cum corpore iungat,
Succumbit uitijs, nec caſtam dicere carnem
Iure poteſt, animus quem ſi corrumpat adulter,
Ira, furor, mœror, liuor, diſcordia, luxus,
Lingua duplex, conſtricta manus, laxata uoluntas,
Mœchantur cum corde hominis: tum ſemine mortis,
Fœtus mortis alunt. en quò perducitur omnis,
Nomine uirgineo quæ ſe dum iactitat intus,
Criminibus grauidam neſcit turgeſcere mentem.
Ecce tibi è multis unum, quo cætera noſcas,
Exemplum. Dominus plebem cùm fortè doceret,
Peruigili cura ſupremo attendere fini,
Cœlorum regnum, quæ Chriſti eccleſia ſancta eſt,
Virginibus ſacro ſignatis chriſmate confert.
Quarum quinq; ex his ſapientia diues adornat,
Quinq; alias ſtolido declarat inertia ſenſu.
Quas dum ſub noctem requies complectitur una,
Atq; obitum ſignans captiuat lumina ſomnus:
Ecce autem medio taciturnæ tempore noctis A
Perſtrepuit ſubitus, rupitq; ſilentia clamor,
Tandem ſponſus adeſt, de corpore torpor inerti
Abſcedat, ſapidæ raptim properate puellæ,
Vnaq; quæq; ſuo procedat ⁊ obuia ſponſo.
Protinus exiliunt omnes, ſtratiſq; relictis.
Aptauere ſuas quæſito lumine flammas.
Sed tunc quinq;, quibus maior ſolertia menti,
Lampades accipiunt, oleum quibus addere ſumptis
Sollicitudo fuit uaſis, pinguiq; liquore
Ignibus armatis ſquallentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera ſuccum,
Incenſos lychnos nequidquam ſuſtulit: unde
Emicat exiguus commoti luminis ignis:
Sed uirtute carens languentem lampada feruor
Deſerit, ⁊ ſiccam percurrit flamma papyrum.
Mox inter piceos nebuloſa uolumina fumos,
Caneſcunt pigra creſcentis mole fauillæ.
Ergo ut ſe indignas tali uidere paratu,
Quæ ſponſo occurrant, iam comminus aduenienti,
His prece ſubmiſſa prudentes uocibus orant:
Iam noſtræ inſpicitis moribundo ut lampades igne
Deficiant, niſi ueſtra oleum dilectio nobis B
Mutuet, extincto uitam quod præbeat igni:
Quòd niſi torpentes adiutrix dextera flammas
Suſcitet, æternum ſponſo excludente perimus.
Ergo agedum miſeris oleum concedite nobis.
Finierant paucis, longas inhibente loquelas
Aduentu ſponſi. ad quarum quæſita rogatæ
Reſpondent ſapidæ tali ſermone ſorores:
Eſt miſeranda quidem ueſtrorum cauſſa malorum,
Sed tamen hoc oleum non plus quàm ſufficit affert.
Vnuſquiſq; ſibi conſtat, quia copia uaſis
Et perfecta ſuum ſeruat menſura liquorem:
Nec fas quæſitum partiri aut perdere ſuccum,
Ne diſperſa cauis deſint fomenta lucernis:
Cumq; lucrum uobis diſpendia noſtra pararint,
Tota ſimul pereant extinctis lumina flammis.
Talibus abiectæ dictis, triſtiq; repulſa,
Perluſtrant quocunq; loci commercia feruent,
Vænaleſq; manus: ſed dum diſceditur, ecce
Introijt ſponſus thalamum, induxitq; paratas,
Dimittenſq; uagas excluſit clauſa ſorores
Ianua, nec tandem redeuntes excipit intro.
Virginei ecce uides quàm uanum nomen honoris,
Ni fertur ſanctus thalamis cœleſtibus ignis.

Fœlix

A Fœlix illa manus, largis quæ prouida donis,
Accensum pura fouit pinguedine lumen:
Tantum namq; olei uasis infunditur amplis,
Quantum quis miserans misero porrexit egeno.
Hinc dominus cunctos ardentes ferre lucernas
Admonet: hoc opus est, hæc claræ gloria uitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, uirtus.
Nec uerò est quod iam timeas, quicunq; pudicam
Fortunæ casus, discrimina'ue altera uoluant:
Vna tibi modò constiterit mens conscia recti,
Neglige quid de te rumor diuulget inanis.
Nec lædi iam fama potest, innoxia cuius
Vita uel inuitis tandem patet hostibus: ut se
Opponat mundus, mendaciaq; omnia fingat.
Nec deest ipse suis tandem expectatus amicis,
Qui uerum prodat uerax Deus, atq; fidelis:
Cuius habe monumenta rei paucissima paucis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, Christi quæ cùm pro nomine uitam
Fuderit, antè tamen fortes processit in actus.
Namq; habitum mentita uiri, non proinde uirile
Pectus, præficitur sanctis à fratribus abbas.
Tum patris officium complens, ac ueste uirili
B Fœmineum occultans sexum, muliebria spreuit,
Et meritis annisq; graues, longaq; uerendos
Relligione senes iuuenili rexit in æuo.
Tunc recti impatiens, omni qui tempore serpens
Mille dolos, damniq; artes ter mille uolutat,
Inuidet Eugeniæ, & sanctum crebrescere frendens
Nomen, ad assuetas redit undiq; callidus artes,
Eugeniam quærens uulgo traducere: uerùm
Quo famam uiolare cupit, dedit inde coronam.
Quæ sexum mentita piè, cùm munia patris
Sanctè exerceret, morbisq; leuaret ademptis,
Quotquot subsidium sancta pietate rogarent:
Contigit à morbo ut precibus reualesceret eius,
Iamdudum confecta grauis matrona, boniq;
Nominis, insano quæ mox accenditur igne
Virginis heu, specie infœlix decepta uirili.
Cumq; pudicitiam sanctam donisq; dolisq;
Non semel inuasam frustra captare, nihilq;
Proficere se nosset: (quid non amor impius ausit?)
Addere uim uerbis statuit, longeq; remotis
Arbitris, morbum simulans, morbiq; leuandi
Eugeniam causa appellans: ui nititur illam
Opprimere, inq; suos inuitam adducere nexus.
Illa autem ualido stuprum clamore repellens,
Auxiliumq; petens magna uirtute resistit.
Ergo luxuriæq; suæ matrona patrandæ,
Complendiq; expes mulier malè perdita uoti,
A' patre Eugenio (qualem decepta putabat
Ob mutatum habitum longa assuetudine plebes)
Interpellatam stupri sese impia fingit,
Inq; forum uocat innocuam: quo protinus omnis
Turba senum turbata coit, quo deniq; cuncti
Attoniti nouitate rei matresq; uiriq;
Currunt: interea Eugenius (sic nescia sanctam
Matrem turba uocat) populo spectante tribunal
Causam dicturus tam diri criminis intrat,
Et iam iamq; reum secreti ignara tenebat
Publica uis, odio tantum inflammata sinistro:
Conscia cùm sexus proprij, cordisq; pudici
Vincitur, ut uincat iam uirgo innoxia fraudem,
Et sexum ostendit dudum mentita uirilem,
Fœmineum, ac fraudes populo applaudente retexit
Dæmonis. usqueadeò casti custodia uoti
Semper tuta manet, multis licet acta procellis,
Quamlibet impugnet miseri fraus callida mundi,
Intendatq; dolis laqueos, mendaciaq; addat.
Nec fert immeritam mors culpæ ignara ruinam,
Quosq; tremens hostis fallaci uentilat astu,
Purgandos sancto patientia discutit igni.
Nec desperandum est, siquando aduersa uidentur
Numina, quæ norunt optatam afferre salutem,
Et sperata suis in tempore gaudia seruis.
Vendiderat puerum Ioseph manus æmula fratrū,
Quem cùm olim seruum tellus Mephitis haberet,
Pellicis insultus dominæ (quæ tota furebat,
Et tota interius iuuenis feruebat amore)
Sustinuit: quod se inuitam cognoscere, uiq;
Opprimere ausus erat, quanquam contraria passus:
Pertulit unde insons ergastula, uincla, cathenas,
Dum spacium replicans geminos sol duceret annos.
Et iam oblitus erat lucis, iam crine fluenti
Longus ad usq; pedes pendebat ab aure capillus:
Cùm uegetante Deo, nullis mens clausa tenebris,
Eruit è tenebris arcani abscondita sensus,
Atq; Canopæi patefecit somnia regis.
Vndè & tanta illi successit gratia coram
Principe, ut imperij consors, & totius esset
Aegypti secum dominus: quin protinus illi
Captiuo Pharaon diadema in uertice ponit.

Sic regno exilium commutat, principe ſeruum,
Opprobrium euitans, ac præmia magna reportans.
Suſannam poſt hunc dignis quis laudibus unquã
Excolat, infirmis quondam quæ uicit in annis
Improba uota ſenum, coniuratoſq; furores?
Optimus Ebræos & præſtantiſſimus inter
Illi uir Ioachimus erat, quem ſi quid habebat
Iudicij ac litis populus, referebat ad unum.
Mos eſt Ebrææ genti, unumquenq; per annum
Eligere ex omni ſenio & uirtute probatos
Gente duos, qui dent populo reſponſa petenti,
Iuſq; ferant. uerùm quodam (ut ſors cõtigit) anno
Lecti è plebe duo, non tam uirtute ualentes,
Quantum obdurati ſenio, atq; libidine fortes:
Exarſêre ſemel Suſannæ ardore, nec illos
Coniugis auctoritas, matronæ aut fama pudicæ,
Non propè natiuis defecta caloribus ætas
Continuit, quin luxuriæ paradigma ſenilis,
Et iuueneſcentes defecto in corpore flammas,
Proderet & mores probitas ſimulata malignos.
Fortè per urentes iam grandi æſtate calores,
Dum medium amplexus cœli ſol torridus axem,
Aequa ſorte diem atq; in partes diuidit æquas,
Caſta ſubingredier pomari clauſtra uirentis
Captatura leues auras Suſanna ſolebat:
Hunc uerò illius morem ſpeculata ſenilis
Luxuries, opportunam captabat & horam
Et tempus: (quanquam alterius neſciret amores
Alter, & improbitas uelut eſt ſuſpecta, timeret
Alter ab alterutro) cùm explere libidine ſeſe
Poſſet, & alterius fructu gaudere mariti.
Dumq; explorantes conceptæ accommoda fraudi
Tempora, ſæpe locum effrenes coguntur in unum,
Et nimium tardos ſecum indignantur amores:
Mutua ſenſerunt percuſſi incendia cordis,
Conſimilemq; ſui cauſſam agnouêre doloris.
Conueniunt ergo, atq; nemus (quò ſæpe ſolebat
Aduerſum æſtiuos Suſanna intrare calores)
Ingreſſi, denſam latitant ponè arboris umbram.
Ecce autem uiridis per mollia gramina luci,
Suſanna ingreditur famulis comitata duabus,
Quas ſmigma atq; oleum iubet ad ſe afferre, foraſq;
Deſtinat, imprudens caſuſq; ignara futuri.
Illi autem ut ſolam egreſſis uidêre puellis,
Illicet effrontes incautam fraude puellam
Appetiêre ſimul, uerbiſq; hanc talibus ambo

Aggreſſi: En, aiunt, ſoli ſumus, en age noſtris, A
Vndiq; dum clauſum nemus eſt, accedito uotis,
Larga tibi dabimus uiolati præmia lecti:
Contrà ſi noſtros temeraria ſpernis amores,
Fingetur tecum à nobis inuentus adulter,
Qui cum tu emiſſis habitaueris inde puellis.
Talibus aggreſſi iuuenem gens improba uerbis,
Inſuper intentant & uerbera, protinùs in ſe
Deliciaſq; ſuas ni ſtatim aſſentiat: hic tum
Anceps illa diu ſecum luctatur, & hærens
Fluctuat incertæ quò uergat pondere mentis.
Lex peccare uetat, rurſuſq; infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, & obſcœnas lachrymis extinguere flãmas.
Sed poſtquam nullis precibus monitis'ue repulſos
Obſtrictoſq; ſenes uincit cognata libido,
Fœmina præclaro mentem ſuccenſa pudore,
Decreuit iam caſta mori, ne crimine tanto
Fœdarent miſeram carnis commercia uitam.
Teſte Deo gaudet, famamq; recuſat inanem,
Iudicio contenta ſuo: tum protinùs omni
Auxilio deſerta hominum matrona, ſuæq; B
Conſcia uirtutis, ſuperis commendat inermem
Mœſta pudicitiam, quoſuis paſſura labores,
Antè ferat quàm luxuriæ aſſentire ſenili.
Ergo pudicitiæ cuſtos, ſpes una ſuorum
Summa Deus, ſoluſq; animi ſcrutator operti,
Rem cupiens aperire loco, facinuſq; recluſum
Pandere, & obtectas laqueis producere fraudes,
De cœlo auxilium, quod uis humana nequibat,
Miſit, & occultas ſeniorum in tempore fraudes
(Nil minus aduerſum ſeſe ſperantibus illis)
Prodidit, illorum puero prodente furores.
Fortè Semiramia puer hoc ætatis in urbe
Vnus erat, plebes Danielem Ebræa uocabat,
Cui tanta Aſſyrio quæſita eſt gratia coram
Principe, ut imperij primores inter haberet
Balthazarem (namq; hoc illi Chaldaica nomen
Gens dederat) cui coniunctos tres nouimus illos
Inſignes pueros, Sidrach, Miſach, Adenagoq;,
Quos ſtatuam Aſſyrij negligentes principis illam
Inſtar adorantum uenerarier Aſſyriorum,
Protinùs ardenti nudos fornace receptos
Ambibat ſaluos uſtis tortoribus ignis,
In medijs Domino reſonantes cantica flammis:
Quos meritis æquans Danielis candida uirtus,

Horrida.

A Horrida frendentum compescuit ora leonum.
Nam cùm in se Assyrios, & Belis imagine fracta,
Atq; sacerdotum detecta fraude suorum,
Dignus ob id mercede puer, mouisset, in antrum,
Quo septem ingenteis solitum nutrire leones,
Ora famescentum satiet qui dira ferarum,
Mittitur: utq; illi feritas minus horrida parcat,
Subtrahitur diris consueta leonibus esca.
At uerò qui nunquam non in tempore seruis
Nouit adesse suis, puero adfuit, inq; leones
Virtutem dedit, ut posita feritate, suæq;
Iam famis obliti, sarctum tectumq; fouerent,
Immunemq; suis à rictibus. & tamen illud
Quis non addiderit toti admirabile mundo?
Quòd tum in Iudæa degens regione propheta,
Angelica medium sublatus in aëra dextra,
Vertice de summo pendens, summoq; capillo,
Subiectasq; terens immotis greßibus auras,
Intulit optatas, puero nil tale putanti,
In Babylona dapes. gratijs tum protinùs actis
Excepit Daniel transmissas desuper escas:
B Et quanquam è longis ueherentur fercula terris,
Seruauêre suos peregrina in sede sapores.
Septima iamq; dies clauso Daniele redibat,
Cùm rex Assyrius Danielem ut ploret amicum,
Illuc inuidia populiq; timore repostum,
Dirorum tristis festinat ad antra leonum.
Vt uerò illæsum, uitæq; per omnia plenum,
Sæuitiaq; feras posita mansuescere uidit:
Magnũ illum Dominũ atq; Deum Danielis adorãs,
Abstulit & uinctum, multis & honoribus auxit.
Iste ergo impubis Susannam fortè uidebat
Ad tormenta rapi, ueri quam nescius antè
Vulgus inauditam damnauerat, & simul omnes
Insontis sontem certabant cernere mortem:
Cùm subitò in medium iuuenis se proripit agmen,
Accensum tenera castigans uoce tumultum:
Immeritam ecquid (ait) plebes insana puellam
In mortem rapitis? seniores quin magis illos?
Ecquid ad iniustum certatis currere lethum?
Protinùs ad uerbum pueri commota repreßit
Turba sequax animos, atq; huius criminis illi
Iudicium defert. tum læta precarier omnes
Susannæ, & finem attentos spectare uideres.
Ille autem ascendens populo impellente tribunal,
Confestim abiunctos seniores, quemq; seorsim.

Quæ sit adulterij series interrogat, & qua
Testibus his mulier deprensa sub arbore peccans.
At dum responsis uariant discordibus ambo,
Coniunctum facinus disiuncta uoce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit, undiq; clamor
Surgit, & auctores sceleris plebs obruit omnis,
Inq; Dei uarias iuncto modulamine laudes
Fertur, & accito Susanna erepta marito
Redditur. hic omnes communi uoce parentes
Collaudare Deum, dignisq; extollere psalmis,
Qui dare suppetias (modò ne fiducia desit)
Nouerit, auxiliumq;, suis in tempore seruis.
Ergo si nubens terrena lege puella,
Est etiam curæ Domino: connubia si quæ
Integra seruauit, seruari illæsa meretur:
Conijce uirgineis quantum disponitur illic
Quò Christus uocat hinc meritis, et quãta futura est
Illius, à prima quæ mox ætate pudica est
Gloria: cùm cuncti iudex atq; arbiter orbis,
Lasciuos castis hœdos secernet ab agnis,
Et sua pro merito dabit unicuiq; labore
Præmia, demeritis tormenta æterna reseruans:
Cùm uel in extremis quid quisq; cubilibus olim
Egerit, id nulla demùm cælabitur arte.
Et uerò hoc etiam memori tibi mente tenendum,
Chara soror, quòd iam potiori in parte locata es,
Quã (modò tu uigiles) unquã nemo auferet abs te.
Olim id dũ Mariam aduersus, pia murmura fundit
Martha soror, Christo didicit correpta magistro:
Optimum enim Maria elegit, nec segniter, inquit,
Illa uacat, uerbo curis attenta neglectis.
Ergo age iam germana, suis dum secula curis
Flagrant, inq; suos mundus conuoluitur æstus,
Electam seruare tibi non desine partem:
Te primam meruit cognatio tota patronam,
Iam te signiferam sequimur, uexillaq; Christi
Te præeunte libens sectatur stemma parentum:
Quos licet antiquo mundus donarit honore,
Et titulis à primæuo insigniuerit ortu,
Plus tamen ornantur sacris insignibus illi,
Quòd sanctas studio & meritis rexêre cathedras.
Nec iã atauos soror alma tibi proauosq; retexam,
Vita sacerdotum quos reddidit inclyta claros:
Pontificem sacris ad sumptum respice patrem,
Cumq; tibi genitor uel auunculus undiq; magni
Virtute & meritis præeant, sectarier aude

Siue præire magis: precibus nec desine Christum
Flectere, quò sumptos patrum ad consortia fratres,
Dignè suscepto fungi pro munere donet.
Pro quibus assiduas illi persoluere grates,
Fundere uel fletus non tædeat: ut tibi nullus A
Fratrum de numero desit, cùm præmia sumes
Factis digna tuis, materq; effecta parentum
Virgineæ uictrix sociabere læta cateruæ.

MARII VICTORINI RHETORIS AFRI, DE FRATRIBVS MACHABAEIS, interfectis ab Antiocho Epiphane.

REx fuit Antiochus Syriæ ditissimus olim,
In cuius regno mater natiq; fuisse
Septē (ut fama refert) de sācta gēte creati:
Quos cura assidui generis meminisse iubebat,
Et legi seruire datæ: sic namq; uolentes
De populo meliore Dei sua iura tenebant.
Rex auidus mutare fidem, mutare timorem
Voluit. & ut populo pariter misceret iniquo,
Præmia promittit matri promittit & illis,
Et quicquid posset totum perquirere regnum,
Si demutaret mentes, sensusq; priores,
Cogeret & natos alios sibi fingere mores.
Illa negat, tacitumq; premit sub corde dolorem.
Hanc postquam nulla potuit compellere præda,
Tentauit primùm tormentis uincere sæuis.
Pertulit illa tamen gemitus, & tristia regis
Verbera non timuit. uictum se uidit ut ille,
Heu quid agam? dixit: uincor. quid plura? dolendo,
Non tamen effugies: plus est, quod plura dolebis.
In natos sæuibo tuos, licet improba perstes,
Hac certè ratione meum sanabo dolorem.
Sustulit illa manus, cœlumq; inspexit in altum,
Emittens gemitus, & talia uerba locuta est:
Tu licet & gazas tradas, & regna tyranne,
Non capimur regum donis, nec munera sanctis
Eripient promissa Dei: spes certior illa est,
Quæ uitam nobis promittit tempore longo:
Hanc sequor, hanc didici, nō lubrica tangere regna.
„ Sumere diuitias facile est, & perdere uitam.
Sed licet & flammas post uerbera sæua mineris,
Nil mutare potes: primis accepimus annis
Virtutem cum lege datam: mihi linquere certum est
Quicquid sæue iubes. Natis quòd dura minaris,
Hoc solùm poteris matrem turbare timore:
Est mihi namq; Deus spes, est mihi certa meorum,
Per quem iam sperem te nullum uincere posse.
O terreq; faue * faue, cœliq; Parens, te iusta rogamus.
Rex furit Antiochus, turbataq; corda tumebāt,
Concutit & sæuos testatus lumine uultus,
Miraturq; diu possit quòd fœmina tantum.
Miles, ait, pare regi pareq; satelles,
Vos famuli parete mihi, data regna furenti
Fœmineo tormenta malo. sæuire furentem
Fœmina me cogit. quod plus est, fœmina uincit
Regis iussa sui. sed non impunè locuta est.
Membratim pereat: septem nam perfida natos
Intra regna tenet, quorum qui primus habetur,
Hic primus pereat: pereant sic ordine cuncti,
Cratibus impositos subiectis urere flammis
Cernat ut ipsa suos, sic cernat ut aspera natos
Pœna aut quem maneat, celeres decet esse ministros.
Interea fœcunda parens, iam crine soluto, B
Astitit hortanti similis, iam pectore nudo
Vbera protendens, natorum alimenta suorum,
Non confusa stetit. natumq; ut uidit ad ignes
Inconstante gradu timidum procedere, dixit:
Tu mea progenies, tu primus respice matrem,
Tu nunc certè meus, matris tu nate memento,
Te primum peperi, tu nunc imitare parentem,
Sume meos mores, & regem uince tacendo,
Tum poteris durare diu: sic tempora uinces
Perfida, ne superet sanctos uiolentia regis.
Vtere consilio, regis ne damna timete,
Fortior est isto, saxoq; potentior ipso:
Ingredere ut iuuenis, patienter uince dolorem.
Ille modò ad matrem uultus, modò tollit in altum,
Dumq; tacet, tacitusq; rogat quem debet, & orat,
Non sensit rapidos subiectos cratibus ignes,
Corpus inane fuit, mater gauisa dolore est,
Et dixit: Vici, uincam si sæpius orem,
Duret natorum uirtus incognita regi,
Sed iam nota Deo populi qui pectora nouit.
Finierat primi partus fœcunda dolorem,
Sed remanente metu, pro pluribus anxia mater:
Dissimulatq; tamen, ne regem gaudia tangant.
Rex stupet Antiochus, nec credit posse sequentes

Pœna

A Pœnæ tale genus ſimile peruincere natos,
Cœpta iubet peragi, mater non territa manſit.
Sed tamen ut uidit pallentem aſsiſtere natum,
Hæc ſecum uoluens, aliqua iam parte leuata:
Ecce ſecunda mihi partus producitur ætas,
Quàm ſimilis fratri formoſo pectore, dura
Si ſequeris primi partus ueſtigia noſtri,
Eſſe meus poteris, & ſic reparare ſalutem,
Quam iam frater habet. matris præcepta ſecutus,
Pone metus, regiſq; minas contemne furentis,
Regnaq́; quæ paruo labitantia tempore dantur.
Non poterit poſt iſta tibi rex iſte nocere.
Temporis ecce leuis accenſus cogitur ignis,
Virtutis locus eſt, languentem pone timorem,
Sume animos. noſtri generis ſi ſenſus inhæret,
Hic qui ſceptra tenet, regno qui ſæuit in iſto,
Tempus inane regit: regnum uitamq́; cremari,
Damnariq; nocens æternos ſentiet ignes:
Tu ſecurus eris, turba comitante piorum.
Accipe nate meos uultus, & reſpice cœlum,
Auctoremq́; Deum, per quem tibi uita paratur
Hac melior, fratriſq; tui ueſtigia calca.
B Non quod rex iuſsit, ſed quod Deus imperat, audi.
Sicut erat monitus matrem cœlumq́; uidere,
Conſtitit, atq; hilari uultu contemnere regem
Cœpit: & ut ridens ardentes irruit ignes,
Collapſuſq́; iacens anima ſuperante quieuit.
Mater ut hoc uidit, rigido ſic ore locuta eſt:
Felix parte aliqua, cùm iam uis, nec potes omnes
Sæue tyranne meos trucidando uincere natos.
Te grauior nunc pœna manet, crudelis, in igne
Quam patiere breui: Deus hic namq; omnia cernit.
Iam duo ſecuri contempto rege manebant,
Spes melior iam matris erat, iam tertius inſtat
Ecce locus pœnæ, ſi pœna eſt uincere regem,
Et ſeruire Deo: laus eſt, non pœna furentis.
Tertius attrahitur iuuenis mandante tyranno,
Qui nondum ſatiatus erat: furor intus & ira
Sæuibant pariter, quòd fortia pectora fratrum
Viderat impauidi regis ſuperaſſe furorem.
Conſtitit antè pedes iuuenis florentibus annis,
Egregius forma: diro qui regna teneret
Dignior Antiocho, & ſic meliora ſecutus
Regna, uocante Deo. Mater cui talia fatur:
Accipe nate tuæ ſecurus dicta parentis,
Accipe, ne ſegnis reddas uirtutis honorem.
Sunt tibi iam fratres pietatis ſede manentes,
Iam locus eſt melior quàm regna labentia regis:
Quorum ſi proprios attingis pectore ſenſus,
Victor apud populos regem ſuperaſſe fereris,
Sicut fama tuos iam miſit in ardua fratres:
Huc accede precor: ſunt hæc, ſunt apta dolenti
Contempſiſſe nefas, & iura relinquere regis
Indomiti, quem nulla manet poſt iſta uoluptas.
At iuuenis tacito mittebat murmure uocem,
Oranti ſimilis, palmas tendebat in altum,
Subnixoq́; genu matris figebat in ore
Quà licet aſpectum corpus, quà turba tenebat.
Qui ſimul admonitus, cratem cōſcendit, in ignemq́;
Intrepidus, certaq́; fide ſua membra locauit,
Sanctaq́; quæ ſupereſt anima inuiolata receſsit.
Conciderant flammæ tepida remanente fauilla,
Illæſum corpus tellus adaperta recepit.
At mater dubitans gemitus an gaudia ſumat,
Hæſitat, & querulo ſic eſt ſermone locuta:
Quid nunc dire paras? iuſsis paremus, & omnes
Munera ſed partus cuſtos ne ſubtrahat ulla,
Sed licet ipſe uelis non ſum paſſura tyranne:
Omnes nam pariter pereant certamine tanto,
Temporis ipſe tui mutes licet horride pœnam,
Duraq́; quæ ſanctis eadem ſententia natis
Sed grauiora paras, ſi ſunt grauiora, minari,
Quodq́; meos cernis uultus horrore teneri,
Gauderes partem quoties decernis in iſtam.
Ardet at ipſe magis rapida rex concitus ira,
Contemniq́; putat, nec ſicut cætera fratrum
Turba ferat pœnas, matrē hoc quoq; quærere ſtetit,
Duraq́; in exitium quartum producere natum
Penè manu uoluit: laſſati namq; miniſtri
Nec regis furias, nec regem ferre uolebant.
Proh pudor, erubuit uultus oſtendere matri
Natus, & attonitam mentem confundere cœpit.
Hunc poſtquam ſtantem ſummiſſo lumine uidit,
Talibus aggreditur dictis, monitura timentem:
A` primo quartus partus, mihi quartus ab imo,
Quæ nunc uerba tibi, quæ poſſum dicere nate?
Hoc niſi, quòd cœli durata potentia tecum
Sit ſimul, & uirtus, & ſanctus originis auctor.
Illi debemus regi, quodcunq; rogamur.
Ille dedit nobis Abraham cum ſemine ſancto,
Per quem nobilitas, per quē genus omne probatur,
Quod manet in Dominū: ſanctus cui naſcitur Iſac
Tunc

Tunc cùm iam nullum natum ſperare ſenectus
Sponte ſua poterat, ſterilis quia Sarra manebat:
Attamen hæc peperit, generiq́; propagine cœpta
Ex inſperato remanent tibi Sarra nepotes,
Eſauus & patriam deductus Iacob in unam,
Quos certum eſt partu gemino peperiſſe Rebecca:
Hinc ſumus, hic orimur, genus hoc tibi nate petēdū.
Tu tibi pande uiam generis. quis in arce piorum,
Quorum progenies totum diſperſa per orbem,
Inuidiam patitur? Dominum quia ſola potentem
Mente colit, mixtæ nec turbæ acceßit iniquæ.
Quid tibi cum triſti uultu? quid lumina terræ
Fixa tenes? cœlum potius, cœliq́; parentem
Conſpice: ne dubita, mater tibi proſpera monſtrat.
Quicquid id eſt, patienter adi, conſenſibus auge
Turbam nate meam, numerumq́; hortare ſequentū,
Nec decreta parens luctus & gaudia mixta
Finierat claros monitus, tum luminis orbes
Ipſe leuat, matremq́; oculis attendere cœpit,
Nil iam triſte gerens: habitus, uultusq́; fatentur
Se timuiſſe nihil, niſi triſtia uulnera matris
Per partus diuiſa ſuos: ſed & ipſe citato,
Elapſus manibus, curſu conſcendit in ignes.
Mira loquar, non flamma comas, non contigit ora:
Exanime ut corpus flammæ ſuperauerat ignis,
Ore patente tamen, tacitè quà ſpiritus iret,
Vnde acceptus erat, pariter cum ſanguine fugit.
Hoc ipſo eſt gauiſa parens, quòd qui modò triſti
Conſtiterat uultu, fretus quòd pectore tuto
Paruerit monitis, regis contemptor & iræ.
Sic exorſa parens, cùm rex dubitaret in illos
Qui ſuperant, gemitusq́; daret, pia turba miniſtri
Regem execrantur, tanto ſermone querentes:
Protrahe, quid dubitas? nulli iam parcere debes,
Nec potes, ut cupias, decretum rumpere nulli:
Appello Regem, totum qui temperat orbem,
Qui mare, qui cœlum, cœli cui ſidera parent:
Quòd niſi producis, timor eſt. iam ſegnius inſtas,
Iam ſentis quem pœna petat, iam gloria nobis
Parte in utraq; manet, liceat producere nullis.
Nam quoſcunq; tuum iußiſti excedere regnum,
Forſitan hoc morem credas furioſe tyranne,
Longa magis uita eſt, regnoq́; potentior iſto
Quod regis, extrema huius iam parte moraris?
Hos quoq; ſi metuis, ſuperant ætate minores,
Contemptuq́; ſimul uincunt tua regna ſuperbe.

Sed perage imperium, nec partus diuide noſtros, A
Hos quoq; da flammis, & uiribus utere regni:
Mortalis tamen es, nec in æuum regna tenebis.
Concipit Antiochus furias, ſæuusq́; tyrannus
Exhibet, & gemitus intra ſua pectora uoluit:
Conſentit cum mente color, triſtisq́; grauatos
Attollit uultus, & talia uerba profatur:
Hæc tua libertas, & dira potentia linguæ,
Atq; hic quem tumida portas ceruice rigorem,
Sentiet irati regis quid uulnera poßint.
Si nondum es ſatiata malis, & fingere tentas
Læticiam, luctusq́; tuos in gaudia uertis,
Non mutabo necem. gaude, lætare, triumpha,
Dummodò ſic uincas, ut ſis ſuprema tuorum.
Sic furioſa nimis natorum funere gaudes?
Hoc quoq; do flammis, hoc, nec mutare poteſtas
Vlla poteſt decreta, modò tu uiue ſuperſtes
Natis orba tuis, & ne mea iuſſa morentur,
Ordo ſuos peragat curſus. Producite natum,
Nec uano pereant ignis dubiúsue uidere
Rex poſt iſta reor, timor eſt mihi fœmina nullus.
Præcipuus de gente tua produceris index,
Quàm ſpecie mirande puer, cui pectore uirtus
Firma manet, iam quæ poterat uel uincere regem. B
Ad quem ſic placido mater ſermone locuta eſt:
Si dare complexus matri tibi nate liceret,
Confiteor ſoli, poſt uulnera nate dediſſem.
Sed me dura uetat, triſtisq́; potentia regis:
Sed neget amplexus, dum ſit uox libera nobis,
Et liceat meminiſſe Dei, legemq́; tenere
Non à rege datam, ſed quam Deus arbiter orbis
Tradidit, & mundi rector, Moſesq́; petitam
Accepit, populoq́; dedit: quàm maxima laus eſt
Noſſe Deum, meritò cui nos tribuamus honorem.
Tu modò ne dubita monitis parêre parentis:
Sed uigor & uirtus, penitusq́; in pectore toto
Mens maneat iam plena Deo: ſit fortior ætas
Quàm regi ſperare fuit, ſperare iubentis.
O quanta eſt uirtus, quanta eſt fiducia fortis?
Sed tu quid dubitas medias euincere flammas?
Victor eris (mihi crede) puer, uictorq́; redibis.
Oßibus & ualidis miſcebit corpora neruus,
Seruatasq́; animas iterum in noua uiſcera reddet.
Sed ne fortè tamen rapidus te terreat ignis,
Fratrum ſume animos, æternumq́; inſpice numen.
Iuſſa facit, tacitusq́; Deum teſtatus, & orat

A Murmure quo poterat, puerum non impedit ætas,
Amplius haud timet ille necem, matriq; uolenti
Paruit,& dicto citius superirruit ignis.
Cesserunt flammæ, cessit dolor omnis, & unà
Corpus & ignis erat, corpus superauerat ignem,
Spiritus antè tamen placidas superiuerat auras.
Læta dolet tacitè mater, pressitq; dolorem
Læticia, luctusq; suos in gaudia uertit,
Non de præteritis, sed de puerilibus annis
Qui superant, ne fortè negent, ne fortè timorem
Concipiant animis, regiq; accedere malint.
Quò minor est ætas, maior metus, anxia secum
Diuidit & curas, & spes, & sic timor unà
Luctantur, matrisq; piæ per uiscera cursant.
Spes tamen est melior. natum ut producere uidit,
Et procul intrantem: Videam quid possit in isto
Spes conferre mihi: uultus agnoscere nostros
Debet & hic, fratrum & numero parêre suorum.
Forsitan hunc solum puerilia pectora tangent,
Indigneq; ferat quòd sic uelut hostia detur.
Alloquar, & paucis conabor dicere uerbis,
Sit memor ut potius generis, quàm temporis huius.
B Si te nobilitas generis, si tangit origo,
Respice nate tuos, & nos quoq; respice nate.
Noli annos memorare tuos, puer incipe uerum
Pectore ferre Deum. tradent hoc secula seclis,
Quod tu fortè petis: des nunc exempla futuris
Temporibus, mundo quod ames nil amplius hoc est:
Respice quæ fugias, & quàm meliora petantur.
Nec te sollicitet miseri fallacia regis:
Sed crescas ipsi nunc in contraria uictor.
Spiritus extinctus flammis, sic deinde recessit:
Quod dederat corpus, tellus adaperta recepit,
Sanctaq; quæ superest anima inuiolata recessit.
Quamuis lassa parens per tot sua uulnera, regẽ
Pertulit, ast animo pariter manibusq; supinis
Has habuit uoces, & talia uerba locuta est:
Qui regis imperium cœli, terræq;, marisq;,
Sidera qui cœlis, qui das animantia terris,
Aequoribus pisces, uentum qui uerberat auras,
Ad te prima mei cupidæ fiducia surgit,
Qui chaos implicitum cæca caligine miscens
Diuidis in partes, & das noctemq; diemq;,
Lunamq; & rapidum solem, qui tempora seruent:
Et post hæc hominem, cuius de semine mundus
Completur, mortale genus, tum lingua liquescit
Dissona per gentes, sapor est tamen omnibus unus:
Sed qui mutauit meritis hominumq; loquelas.
Longa referre mora est, cœptis insistere certum est:
Tu mare diuisum uirga uoluisq; tenesq;,
Dum pede per siccũ populus transcenderet æquor,
Aegypti effugiens mortem, regemq; Pharaon,
Qui sibi sanctorum numerum seruire iubebat,
Quem tua maiestas Mose duce transtulit omnem,
Seruatumq; tua totum uirtute redemit.
Terra dabat fructus, quos te cogente ferebat,
Occupat & totis quæsitam lympha latebris:
Humor erat nullus, cuncti clamore querentes
Poscebant Mosen, daret ut sitientibus undas,
Ad quos ille breui sic est sermone locutus:
Credite posse Deum, quicquid petieritis illum,
Sed tamen hanc uirgam durum diffindere saxum,
Vt ueniant fontes tota regione morati.
Percussitq; simul: dicto uelocius, amnis
Emisit saxum fontes dulcedine prima.
Confiteor, totus cùm sit tibi debitor orbis,
Tu quicquid possunt gentes, potes omnia solus:
Tu mortale genus curas, onerasq;, leuasq;,
Te precor, attonita confirma mente timentem,
Ne desit fratrum numero meus infimus infans,
Ignarusq; sui, quem iam procul ecce teneri
Conspicio, turba circumueniente frequenti.
Hunc propter solum lacrymas, quas cõmouet ætas,
Vnus enim superest, de quo mihi maxima cura est,
Ne tener ignoret qua sit de gente creatus.
Hunc ego si possim secretò apprendere solum,
Blandirer, patriumq; genus patriamq; docerem:
Sed quacunq; tamen potero, solatia mittam.
Parue puer, tenerisq; tuis mihi carior annis,
Carior es regno, uita quoq; carior ipsa:
Tu potes in totum uictricem reddere matrem,
Tu finis partus, finisq; future malorum:
Si te cura mei tangit, si matris odorem
Mente create tenes: quamuis & carus, & infans,
Hoc magis aure pia dictis attende parentis.
Primùm disce puer, quid sis post ista futurus,
Si patiens fueris: tunc te mihi care futurum
Facta docent, fratrum sanctorum in parte locatus
Et requie securus eris, dum secula cursus
Sæua suos peragunt, finito tempore certo
Hanc lucem repetes, æternaq; regna uidebis,
Non maculata malis, sed erit concordia sanctis,

A

Nec morti locus ullus erit, nec bella citatis
Exercentur equis, sed pax æterna manebit.
Matrem crede tuæ semper cupidam esse salutis,
Hæc mihi cur tristi uultu sic dicta repellis?
Quid refugis, miserere mei, miserere tuiq;.
Si liceat, prior ire uelim: uetor ecce, sed ibo
Tunc, cùm uictorem cernam te nate malorum.
Quid sperare iubes? solus mea dicta moraris?
Solus adhuc æquum renouas mihi nate dolorem?
Annuis, an damnas quoq; me fratresq; genusq;?
Quod ne fortè uelis oro te, & deprecor, audi:
His ego te paruum nutriui nate papillis,
Te per ego has precor, & fletus lacrymasq; meorũ,
Vt remanere uelis, remanebis solus & huius
Non tibi iam fratres dederint solatia uitæ:
Dedecoras fratrum sanctißima nomina, matrem,
Et genus & patriam, si talia dicta recusas.
Heu quantò melius uitam seruabis in æuum,
Si facias tandem, quicquid fecère priores?
Audenter depone metus, depone timorem:
Concipe mente Deum, uires dabit ille uiriles.
Hæc dum mater agit, puer ad præcepta parentis
Respicit, & solum se uidit ut esse relictum,
Sustulit ad cœlum uultus, palmasq; supinas,
Et sic uoce petens æternum numen adorat,
Sensu & sic pariter secum nutuq; rogabat:
Vinceret ut regem, sæuos & uinceret ignes.
Atq; ita non segnis, nec pro pueribus annis
Prosilit intrepidus, medios dilapsus in ignes,
Vicit quicquid erat, sic ut uitam iret in altam
Spiritus, & fratrum peteret secreta piorum.
Dum puer ista gerit, soluerunt gaudia matrem:
Iamq; ut erat lassata malis, iam uoce negata
Suspirans, interq; manus collapsa suorum,
Concidit exanimis, resolutaq; membra quierunt.
Sic ipsa & nati sanctorum in parte recepta est.

IVVENCI PRESBYTERI HISPANI
IN HISTORIAM EVANGELICAM PRAEFATIO.

B

IMmortale nihil mũdi cõpage tenetur, (ma,
Nõ orbis, nõ regna hominũ, nõ aurea Ro-
Non mare, nõ tellus, nõ ignea sidera cœli.
Nam statuit Genitor rerum irreuocabile tempus,
Quo cũctum torrens rapiet flamma ultima mundũ.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et uirtutis honos, in tempora longa frequentant,
Accumulant quorum famam laudesq; poëtæ.
Hos celsi cantus, Smyrnæ de fonte fluentes:
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum decurrit gloria uatum,
Quæ manet æternæ similis, dum secla uolabunt,
Et uertigo poli terras atq; æquora circùm
Aethera sidereum iusto moderamine uoluet.
Quòd si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ ueterum gestis hominum mendacia nectunt:
Nobis certa fides æternæ in secula laudis
Immortale decus tribuet, meritumq; rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi uitalia gesta,
Diuinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus. hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc cùm flammiuoma descendet nube coruscans
Iudex, altithroni genitoris gloria Christus.
Ergo age, sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
Dulcis Iordanis, ut Christo digna loquamur.

LIBER PRIMVS.

REx fuit Herodes Iudæa in gente cruentus,
Sub quo seruator iusti, templiq; sacerdos
Zacharias, uicibus cui templum cura tueri
Digesto instabat lectorum ex ordine uatum.
Huius inhærebat thalamis dignißima coniux,
Cura ijs ambobus parilis, moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit ijs soboles, iam tunc uergentibus annis,
Gratius ut donum iam desperantibus esset.
Sed cùm forte adytis arisq; inferret odores
Zacharias, uisus cœlo descendere aperto
Nuncius, & soli iussas perferre loquelas:
Cætera nam foribus plebes astrata rogabat.
Quid tibi terribilis concußi corda pauore
Visus, cùm læti sermonis gratia placet?
Nam me propitius rerum Pater unicus alto
A cœli solio tibi nunc in uerba uenire
Præcipit, & chara tibi mox de coniuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat,
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.

Istius

A *Istius hic partem populi pleranq; docendo*
Ad uerum conuertet iter, Dominumq́; Deumq́;
Continuò primus noſcet, plebemq́; nouabit,
Nomine Ioannem quem tu uocitare memento.
Olli confuſa reſpondit mente ſacerdos:
Aemula promißis obſiſtit talibus ætas,
Nec ſenibus ſoboles poterit contingere feßis,
Quam Deus auertens primæuo in flore negauit.
Hæc trepidans uates. cui talia nuncius infert:
Si tibi mortalis ſobolem promitteret ullus,
Ad deſperandum forſan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens inſiſtere uerbis:
Nunc ego, quem Dominus cœli terræq́; creator
Ante ſuos uultus uoluit parêre miniſtrum,
Auribus ingratis hominis uiſuq́; receptus,
Summi iuſſa Dei non contemnenda peregi.
Quare promißis manet irreuocabile donum:
Sed tibi claudetur rapidæ uox nuncia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera uobis.
Hæc ait, & ſeſe teneris immiſcuit auris.
Interea populum miracula longa trahebant,
Quid tamen in templo uellet ceſſare ſacerdos.
B *Egreſſus trepidè, numen uidiſſe ſupernum*
Nutibus edocuit, miſeræ & diſpendia uocis.
Inde domum rediјt completo ex ordine uates
Officio, amiſſamq́; leuant promiſſa loquelam.
Nec dilata diu uenerunt munera prolis,
Anxia ſed uentris cælabat gaudia coniux,
Donec quinq; cauam complerent lumina lunam.
Tunc maiora dehinc idem mandata miniſter
Detulit, ad Mariæ demiſſus uirginis aures.
Hæc deſponſa ſuo per tempora certa propinquo
Abdita uirgineis caſtè pubeſcere tectis,
Et ſeruare diem, iußis permiſſa parentum.
Ad quam traquillum ſermonem nuncius infit:
Salue, progenie terras iutura ſalubri,
Deſine conſpectu mentem turbare uerendo.
Nam tua concipient cœleſti uiſcera iuſſu
Natum, quem regnare Deus per ſecula cuncta,
Et propriam credi ſobolem gaudetq́;, iubetq́;.
Huic, ubi ſub lucem dederis, ſit nomen IESVS.
Ad quem uirgo dehinc pauido ſic inchoat ore:
Nullos concœptus fieri ſine coniuge dicunt,
Vnde igitur ſobolem mihi nunc ſperabo uenire?
Nuncius hæc contrà celeri ſermone profatur:
Virtus celſa Dei circumuolitabit obumbrans,
Spiritus & ueniet purus, lectißima uirgo,
Ac tibi mox puerum caſto ſermone iubebit
Magnificum gigni: populis quem credere ſanctum,
Supremiq́; Dei natum uocitare neceſſe eſt.
Sic cognata tibi, ſterilis quæ credita cunctis,
Zachariæ coniux, mortali germine nuper
Aeuo defeßis auxit miracula membris.
Sextus adeſt menſis, parent ſic omnia iußis.
Virgo dehinc: Domino famulam nunc ecce iubenti,
Vt tua uerba ſonant, cernis ſeruire paratam.
Nuncius abſcedens, uacuis ſe condidit auris.
Illa dehinc rapidis Iudæam paßibus urbem,
Zachariæq́; domum penetrat, grauidamq́; ſalutat
Eliſabet: clauſæ cui protinus anxia prolis
Membra, uteri gremio motu maiore reſultant:
Et ſimul exiliјt mater concuſſa tremore,
Diuinæ uocis completa afflamine ſancto,
Et magnùm clamans: Felix ô fœmina ſalue,
Felicem geſtans uteri ſinuamine fœtum.
Vnde meam tanto uoluit Deus æquus honore
Illuſtrare domum, quam mater numinis alti
Viſeret? ecce meo gaudens in uiſcere proles
Exultat, Mariæ cùm prima affamina ſenſit.
Felix, quæ confiſa, fidem mox affore uerbo,
Quod Deus ad famulos (magnū dignādo) locutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore
Suppreſſo, uocis pauitantia dicta uolutat:
Magnificas laudes animus, gratesq́; rependit
Immenſo Domino mundi: uix gaudia tanta
Spiritus iſte capit, quòd me dignatus in altum
Erigere ex humili celſam, cunctisq́; beatam
Gentibus & ſeclis uoluit Deus æquus haberi.
Suſtulit ecce thronum ſæuis, fregitq́; ſuperbos,
Largifluis humiles opibus ditauit egentes.
Tunc illic manſit ternos ex ordine menſes,
Ad propriamq́; domum repedat, iam certa futuri.
Iamq́; aderat tempus, quo ſarcina deſerat aluum
Eliſabet, liquidas ſoluenda in luminis auras.
Ad partus fama tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum, tum gaudia mira frequētes
Concelebrant, nomenq́; iubent genitoris habere:
Abnuit hoc genitrix, ſed Ioannes uocitetur,
Ingeminat: placuit muti tunc iuſſa parentis
Conſulere, ſcriptoq́; rogant edicere nomen.
Sed pròh mira fides, tabulis cùm ſcribere tentat,
Implicitam ſoluit per uerba ſonentia linguam.

Mox etiam assuetam penetrans spiracula mentem,
Completusq; canit uenturi conscia dicta.
Cōcelebrent cuncti laudes, gratesq; frequentent,
Astrorum & terræ, pontiq; hominumq; parenti:
Visere qui uoluit, propriamq; absoluere plebem.
En beat antiquam gentem, cornuq; salutis
Erecto, indulget Dauidis origine lumen.
Hoc est quod prisci cecinere ex ordine uates:
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, ut iustè iusto seruire queamus.
Et tu parue puer, sanctus dignusq; propheta
Dicêre, & Dominum mox prægrediere uiando,
Illius & populum duces per lumen apertum:
Errorem per te spernent, mortisq; tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta sequentur.
Exin secretis in uallibus abdita semper
Vita fuit puero, donec poscentibus annis,
Vatis ad officium pleno pubesceret æuo.
Interea Mariæ sponso miracula mentem
Sollicitant, manifesta uteri quòd pondera uidit,
Et secum uoluit, quánam ratione propinquæ
Dedecus oppressum cœlet, thalamosq; recuset.
Talia tractanti torpescunt membra sopore.
Mox stertente, Dei uox est audita monentis:
Accipe coniugium nullo cum crimine pactæ,
Spiritus impleuit sancto cui uiscera fœtu.
Hanc cecinit uates uenturam ex uirgine prolem,
Nobiscum Deus est, cui nomen. protinus ille
Hæc præcepta sequens, seruat sponsalia pacta.
Sed tum fortè nouus, capitum discußio, census,
Cæsaris Augusti iussu per plurima terræ
Describebatur Syriæ, quam iure regebat
Cyrinus, proprij cui tota per oppida fines
Addebant populi uires, nomenq;, genusq;.
Vrbs est Iudææ Bethlem, Dauida canorum
Quæ genuit, generis censum quæ iure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quòd uterq; trahebat,
Desponsamq; sibi scribens, grauidamq; professus.
Hospitium amborum Bethlem sub mœnibus urbis
Angusti fuerant perparua habitacula ruris.
Illic uirgo nouum completo tempore fœtum
Edidit, & leni pannoso tegmine fotu
Texit, cui durum cunas præsepe ministrat.
Circà sollicitæ pecorum custodia noctis
Pastores tenuit uigiles per pascua læta.
Ecce Dei monitu iussus descendere cœlo
Nuncius, ac subito terror tremefacta pauore A
Prostrauit uiridi pastorum corpora terræ.
Talis & attonitis cœlo uox missa cucurrit:
Ponite terrorem mentis, mea sumite dicta
Pastores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer est Dauidis origine clara,
Qui populis lucem mox læticiamq; propaget.
Hoc signum dicam, puerum quod cernere uobis
Iam licet, implentem gracili præsepia uoce.
Talia dicenti iunguntur millia plebis
Cœlestis, cunctiq; Deum laudantq; rogantq;.
Talis & uniti uox agminis aëra complet:
Gloria supremum comitetur debita patrem,
In terris iustos homines pax digna sequatur.
Et simul ijs dictis, cœli secreta reuisunt.
Pastores properè ueniunt, puerumq; iacentem
Præsepis gremio cernunt. pòst inde frequentes
Dispergunt latè celebris uaga semina famæ.
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quòd uera recurrant.
Viderat octauam lucem puer: ecce recidi
Ad morem legis, nomenq; aptare necesse est,
Impositumq; illi est (monitis cœlestibus olim B
Quod Mariæ uox missa Deo præcepit) Iesus.
Scripserat antiquæ Moses moderamina legis:
Inter quæ primos prisco de sanguine uatum
Obseruare dedit, fœtus offerre sacrandos,
Implumesq; simul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo seruata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprendere sensum
Cœlestis uocis, cui quondam præscia rerum
Virtus prodiderat, quod carcere corporis ægri
Deposito, mortem liber requiemq; uideret,
Cùm primùm cœli laudem, terræq; salutem,
(Omnia quem uatum spondent oracula) Christum
Vidisset templo, solennes ferre palumbos.
Isq; ubi curuato defessus corpore templum
Iam grauior penetrat, monuit quod spiritus auctor,
Ecce simul paruum gremio genitricis Iesum
Ad templum sensit uenisse: trementibus ulnis
Accepit puerum, lætusq; hæc dicta profatur:
Nūc nunc me famulū Dominus, nūc liberet arctis
Corporis è uinclis, finemq; imponere uerbis
Dignetur cum pace suis, en splendida nostros
Lux oculos tua circunstat, radijsq; refulget,
Quam cunctis hominum lustratis gentibus addet
Israëli-

A Iſraëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait: Hæc quid uirgo tibi tam mira uidentur?
Quid tantum Mariæ ſtupuerunt pectora matris?
Hic puer ad populi caſum datur, iſte renaſci
Concedet populis: illi ſignum eſſe negabunt
Fœderis, hi contrà cœlo ueniſſe tenebunt.
Liuor edax faciet, lethum ut percurrat amarum,
Atq́; animam matris ferro fulgente machæra,
Quo pateant tecti tenebroſa uolumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus: uox ecce prophetæ
Fœmineam ſancto complet ſpiramine mentem.
Anna fuit natu grauior, quam in flore iuuentæ
Deſtituit uiduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur caſta caro pro coniuge uita,
Continuoq́; Dei cultu: quæ numine ducta,
Cognouit Chriſtum, & ſimili ſermone loquuta eſt.
Inde ubi ſolennem pueri pro nomine legem
Compleuit genitrix, & Ioſeph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, puerumq́; reportant.
Gens eſt Eoi, Phœbo orto proxima, regni,
Aſtrorum ſolers ortusq́; obitusq́; notare,
Huius primores nomen tenuere Magorum:
B Hinc lecti proceres, Solymas per longa uiarum
Deueniunt, regemq́; adeunt, orantq́; doceri
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret
Progenitum: & ſeſe ſtellæ fulgentis ab ortu
Admonitos, ueniſſe uiam, quo ſupplice dextra
Exortum terris uenerabile numen adorent.
Territus Herodes, uatum legumq́; peritos,
Quiq́; prophetarum ueterum præſagia noſcunt,
Imperio accitos, iubet omnia quærere legis,
Quâ pateat, quæ ſint genitalia mœnia Chriſto,
Omnia uenturum ſpondent quem oracula uatum.
Tunc manifeſtatur, Bethlem quòd mœnibus illum
Progigni maneat, cui ſacram ducere plebem
Iſraëlitarum ſacra uirtute neceſſe eſt.
Tunc iubet Herodes Perſas pertendere greſſum,
Inuentumq́; ſibi puerum monſtrare colendum.
Ecce uiæ medio ſtellam præcurrere cernunt,
Sulcantem flammis auras: quæ in culmine ſummo
Reſtitit, & pueri luſtrata habitacula monſtrat.
Gaudia magna Magi gaudent, ſidusq́; ſalutant.
At poſtquàm puerum uidêre ſub ubere matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram,
Submißiq́; ſimul mox myſtica munera promunt:
Aurum, thus, myrrham: regiq́;, Deoq́;, hominiq́;,
Dona ferunt. totam mox horrida ſomnia noctem
Sollicitant, ſæuumq́; iubent uitare tyrannum.
Deniq́; diuerſis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriamq́; Magi rediere latentes.
Ipſum etiam puerum, monitis cœleſtibus actus,
Aegyptum cum matre ſimul tranſportat Ioſeph.
At ferus Herodes ſibimet ſuccedere credit,
Quem callens aſtris quæſiſſet cura Magorum:
Quorum præcauto diſceſſu ſollicitatus,
Crudeli tinxit Bethlemica compita cæde,
Infantes mandans, teneroq́; ſub ubere plebem
Innocuam, in ſinubus rigido ſuccumbere ferro.
Hæc etiam cædes olim præſcripta manebat.
Nam pius hanc uates, diuino numine doctus,
Complorat, miſero ſobolis pro funere matres
Horrendis grauiter cœlum pulſare querelis.
Aſt ubi ſopitus furor eſt, & ſæua tyranni
Infantum horribili feritas ſatiata cruore,
Extinxiſſe putat cunctos, quos unus & alter
Annus lethiferi miſerè ſuppreſſerat æui.
Mirandis rurſum, deuinctus membra ſopore
Ioſeph, urgetur monitis, Mariam, puerumq́;
Aegypto ad patriam uectare: ubi Nazara felix
Olim prædictum puero dedit addere nomen.
Dixit & alterius quondam prænuncia uatis
Vox inſtincta Deo: Veniet, ueniet mea proles
Aegypto ex alta, terris lumenq́;, ſalusq́;.
Creſcebat rapidis annorum greßibus infans,
Præcurrens æuum ſapientia præueniebat,
Gratiaq́; in uultu & uerbis ueneranda micabat.
At iam biſſenos æui comprenderat annos,
Cùm Paſchæ ritum ſeruando ex more parentes,
Ad templum lætis puerum perducere feſtis,
Omnibus annorum uicibus de more ſolebant.
Ergo aderant Paſchæ pariter, cunctisq́; diebus
Feſtorum impletis patriam remeare parabant.
Tum puer in populo comitis ueſtigia matris
Deſeruit, templiq́; libens ſecreta petiuit.
Illum per uicos, urbisq́; per abdita tecta,
Perq́; uiæ ſtratas, per notos, perq́; propinquos
Quærebat genitrix: ſed lux ubi tertia uênit,
Ad templum properè remeat, uatumq́; coronæ
Inuênit inſertum, legumq́; obſcura ſenili
Tractantem cœtu. uix admiratio digna
De pueri uerbis ſenibus fuit. at pia mater:
Nate, ait, amiſſum lacrymis te quæro profuſis

Anxia cum genitore gemens: quæ caussa parentum
Secernit gressu, templiq; in sede retentat?
Ille autem: Quid me tantùm, quid quæritis? inquit.
An nondum sentis genitrix, quòd iure paternis
Aedibus atq; domo natum inhabitare necesse est?
Hæc ait: & gressum sociat, patriamq; reuisit.
Nec genitrix tanti persensit pondera uerbi,
Ordine cuncta tamen cordis secreta reseruat.
At puer obsequijs aptè prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.
Interea ueteris scripti per debita currens
Omnia seclorum series promissa trahebat.
Zachariæ soboles, desertis uallibus, omnes
Ad deponendas maculas clamore uocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lauacra,
Quîs animæ species abluta sorde niteret.
Isaias uates cecinit quod numine iussus:
Vox latè resonat desertis uallibus, amplas
Sternite iam stratas, omnis sit recta uiarum
Semita, quæ Domini dignè uestigia gestet:
Subsident colles, uallis complebitur omnis:
Corriget anfractus callis bona linea recti,
Corporeisq; oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor, Dominusq; salutis.
Ergo aderant populi, paßimq; hinc inde ruentes
Complebant ripas, auidiq; lauacra petebant.
Texta camelorum fuerant uelamina setis,
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam,
Aruis qui solitus ruralibus esse locustas,
Et tenuem uictum siluestria mandere mella.
Isq; ubi tot populos diuersis sedibus ortos,
Irruere ad fluuium cernit, sic increpat ore:
Vipereæ gentis soboles, quis debita uobis
Supplicia, urgentesq; iras euadere monstrat?
Sed facite ò miseri fructum (si pœnitet) aptum,
Nec generis uestri tollat fiducia mentes.
Nam potis est dura superûm rex cote creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat.
Proxima roboreis iamiam radicibus instat
Cunctorum ante oculos acies sublata securis.
Cædentur siluæ steriles, ignemq; fouebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui: ueniet sed fortior alter,
Cuius uincla pedum non sum contingere dignus.
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumq; globis purgabit noxia corda.

Illius & manibus, ruralis pala tenetur: A
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaq; implebit secreti copia farris,
Aeternusq; leues paleas populabitur ignis.
Hæc ait, & properis per siluam paßibus ipsum
Cernit Iordanis ueneranda lauacra petentem.
Sed uetat increpitans uates, & talia fatur:
Tu'ne meis manibus digneris mergier undis,
Cùm tua me melius poßint mundare lauacra?
Dixit Ioannes, cui talia reddit Iesus:
Nunc sine: nā decet hoc, sic sancta per omnia nobis
Iusticiæ consectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, uitreas penetrabat fluminis undas,
Surgenti manifesta Dei præsentia claret.
Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra,
Corporeamq; gerens speciem descendit ab alto
Spiritus aëream similans ex nube columbam,
Et sancto flatu corpus perfudit IESV.
Tunc uox missa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutumq; undis Christum, flatuq; perunctum
Alloquitur: Te nate hodie per gaudia testor
Ex me progenitum, placet hæc mihi gloria prolis.
Tum petit umbrosos montes, & lustra ferarum, B
Obsequiumq; illi patris præbere ministri
Certabant. rabidi mox liuor dæmonis ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum uersutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,
Ex quo nulla cibi potusq; alimenta dabantur:
Sed contexta simul firmi ieiunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus,
Horrendi interea sceleris fallacia tentans:
Si te pro certo genuit Deus omnibus, inquit,
His poteris saxis forti sermone iubere
Vsum triticei formamq; capessere panis,
Christus ad hæc fatur: Nil me iam talia terrent.
Nam memini scriptum, quoniam non sola tenebit
Vitam credentis facilis substantia panis,
Sed sermone Dei complet pia pectora uirtus.
Rursus at ille dolos uersutis artibus aptans,
Nectere tentator properat. nam mœnibus urbis
Mox inferre pedem sensit, uis liuida Christum
Culmine marmorei suasit consistere templi.
Tunc sic aggreditur uocis fallente ueneno:
Si Deus est uerè genitor tibi, culmine templi

Aëra

A Aëra per uacuum saltu iaculabere corpus.
Testis erit Scriptura tibi, quæ spondet apertè,
Mandatum summi genitoris tale ministris,
Vt lapsum studeant casu defendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra leuare,
Ne lapidis lædat summas offensio plantas.
Reddidit his Christus dictis contraria dicta:
Me meminisse magis scripti cœlestis oportet,
Ne uires Domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda iugis sensit fallacia Christum,
Ostendens olli fulgentia regna per orbem:
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum?
Cuncta tibi possum iamiam concedere regna,
Talia donantem si me ueneratus adores.
Tum sic instantem dictis reiecit IESVS:
Effuge pestiferi rabies uesana ueneni,
Hæreat ut semper nobis immobile iussum,
Vt iustus cœli Dominum deuotus adoret,
Vnius & famulans ueneretur nomen in æuum.
Talibus excussus fugit per deuia dæmon.
Inde ubi Ioannem cognouit carceris umbris
B Submersum, tristi compreßit corda dolore,
Finibus & statuit Zabulonum ponere sedes,
Vt dictum Isaiæ concurreret ordine secli:
Terra Zabulon, & regio cui Nephthala nomen,
Et uia trans pelagus longè, Galilæaq; rura,
Trans & Iordanem gentes, populiq; tenebris
Inclusi, magnum lumen subitumq; uidebunt:
In mortisq; illis umbra residentibus, alma
Exoritur fidei resplendens luce uoluntas.
Ergo instare Dei regnantis munera Christus
Nunciat, increpitans præconia larga salutis.
Præteriensq; uidet geminos per littora fratres,
Præsolidum Simonem, dignum cognomine Petri,
Andreamq; simul, sinuosa uolumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris undis:
Nunc, inquit, pisces capitis maris æstibus altis:
Sed me si libeat sectari, fortia uobis
Prouenient hominum præpulchra indagine lucra.
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abiectis pariter præcepta sequuntur.
Pòst fratres Iacobum Ioannemq; marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu
Vt uidit, similemq; dedit de littore uocem,
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt.
Illicò sectantes pulcherrima iussa salutis.
Exin per terram Galilææ sancta ferebat
Insinuans populis regni præconia Christus,
Donabatq; citam inualidis ægrisq; medelam.
Et mox crebra procul Syriam iam fama tenebat,
Mille sonans linguis præsentia munera Christi.
Deniq; certatim languoris tabe peresos,
Diuersisq; malis nexos, quis longa dolore
Absumpsit populans membrorum robora tabes,
Monstrabant Christo: facili sed munere cunctos
Reddebat properè miranda ad gaudia sanos:
Iamq; animæ ipsius morbi, sæuiq; furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis,
Discessere, graui sermonis pondere iussa.
Illum stipantes miracula magna mouentem
Mixtæ sectantur turbæ, Solymiq;, Syriq;,
Et Iudæa frequens populis, Galilæaq; plebes,
Et quos Iordanis dirimit stagnante fluento.
Hos populos cernens, præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit.
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit:
Illos nam cœli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur iuri pulcherrima tellus.
Hic modò lugentes, solatia digna sequentur.
Pabula iusticiæ qui nunc, potusq; requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Felix, qui miseri doluit de pectore sortem:
Illum nam Domini miseratio larga manebit.
Felices, puro cœlum qui corde tuentur:
Visibilis Deus ijs per secula cuncta manebit.
Pacificos Deus in numerum sibi prolis adoptat.
Felices nimium, quos insectatio frendens
Propter iusticiam premit: ijs mox regia cœli
Pandetur. Gaudete, operum quos iusta tenentes
Vrgebit præceps stimulis iniuria sæuis:
Plurima nam merces uobis seruatur in æthra,
Namq; prophetarum fuit insectatio talis.
Discite, uos hac in terra salis esse saporem:
Hic sapor amissa si iam uirtute senescit,
Quæ salis absumptos acuet substantia gustus?
Nec quisquam fatui post hæc superest salis usus,
Ni longè abiecti cuncta ut uestigia calcent.
Vos estis mūdi clarum (ne abscondite) lumen.
Nam quis præcelsis impositam rupibus urbem
Occultare queat? uestrum sed lumen ad omnes
Perua-

Perueniat, rerumq; decus sub luce serena
Ponatur. cunctis genitoris gloria uestri
Laudetur, celsi thronus est cui regia coeli.
Non ego nunc priscas leges dissoluere ueni,
Vertere nec ueteres ponunt quæ iussa prophetæ.
Omnia nam uobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec coeli terræq; marisq;
Interitus ueniat, legis ne littera saltem
Aut apicis parui gracilis distinctio deerit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine secli.
Si quis enim minimam mandati soluere partem
Ausus erit, pariterq; homines suadendo docebit,
Hic minimi nomen coelesti in sede tenebit.
At quicunq; operis proprij moderamina seruans,
Inuiolata simul tradet præcepta priorum,
Magnus erit, magniq; feret trans sidera nomen.
Audistis ueteris iussum moderamine legis:
Humano si quis macularit sanguine palmas,
Ille reus ferro persoluet uindice poenas.
Ast ego præcipiam, ne quis consurgere in iras
Audeat, atq; odio fratris feruente moueri.
Nam reus hic æquo poenas sub iudice pendet.
Nec minor illorum conuicia flamma sequetur,
Qui fatui miseri'ue cient sub nomine fratrem.
Sin offerre uoles, uenerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget,
Quòd tibi sit cum fratre domi suscepta simultas:
Munera cuncta adytis illis admota relinque,
Et prius ad pacem properans transcurre petẽdam:
Fraterno demùm iam conciliatus amori,
Offer grata Deo tranquillo pectore dona.
Est tibi præterea uirtus contraria semper,
Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita uitæ.
Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub iudice uinctum.
Damnatum rapient ad uincula sæua ministri,
Nec prius è tenebris solueris carceris atri,
Vltima quàm minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota reor uobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens: sed nunc mea iussa
Occulta internæ frenent molimina mentis.
Nec minus optati quàm facti poena luenda est.
Si te fortè oculi dextri laqueauerit error,
Auctorem miseræ properans conuellito labis,
Et iaculare procul. nam membrum perdere præstat
Exiguum, flammis quàm totum dedere corpus, A
Perpetuisq; animam pariter conuoluere poenis.
Et si dextra manus mentem per deuia ducit,
Erroris causam præstat decidere ferro,
Quàm totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt ueteres, si quis connubia rumpit,
Scribere dissidium iuris feralia uerba.
Sola uiri rectè discedet adultera tectis,
Ast aliæ maneant. nam casti iura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito.
Antiquæ leges prohibent periuria linguis,
Sed nostris cedat iurandi audacia iussis.
Nec fas est homini coelum iurare per altum,
Quòd sedes Domini: nec quæ uestigia gestat
Terra Dei, Solymæ'ue urbis uenerabile nomen,
Quòd regis magni patria est, iurabitur unquam.
Nec caput in proprium cuiquam iurare licebit:
Namq; potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, album'ue aut nigrum mutare colorem.
Est est, sufficiat. quod non est, dicite non est.
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo uis tetra ueneni.
Peruulgata diu legis præcepta tenetis: B
Lædentem semper similis uindicta sequatur,
Sed tranquilla malum melius patientia uincet.
Ac si quis partem palma percusserit oris,
Mox aliam uultus partem præbere memento.
Auferat aut tunicam si quis, ui iudicis instans,
Cede libens, pariterq; ferat tua pallia secum.
Si te fortè aliquis passus per mille iubebit
Ire uiam, grauis atq; oneris perferre laborem,
Mox perges, aliudq; uiæ comitabere duplum.
Si quis egens poscet, uel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largire: aut mutua si quis
Orabit, tribue, & mitem ne subtrahe uultum.
Nec tibi sit placitum, solis succurrere amicis,
Aut cæcis odijs inimicos ducere dignos.
Quin ego præcipiã, semper blando esse per omnes
Obsequio, precibusq; Deum mollire benignis
Pro uita ipsorum, qui uos excindere gaudent,
Aduersisq; truces animis odijsq; sequuntur:
Nam genitor noster communia lumina solis,
Communesq; dedit pluuias iustisq; malisq;.
Quòd si coniunctos tantum ueneramur amicos,
Quis locus hic iustæ poterit mercedis haberi?
Seruit amicitiæ tantum gens dedita lucris:

Sed uos

A Sed uos perfecto similes estote parenti.
Sicubi iustitiæ pandetur iusta facultas,
Deuitate oculos hominum: nam nulla manebit
Merces in cœlo, quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantùm sterilis laudatio uulgi.
Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram,
Cùm ueniet, iustis meritis tum digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt quos prætumidæ tollit iactatio mentis,
Et precibus proprijs gaudent aßistere turbas,
Multifluisq́; diem uerbis ducendo fatigant:
His uotis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domus precibus penetralia castis
Claudantur, paucisq́; Deũ uenerabere uerbis:
Scit pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil absente Deo loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegũt: præsens Deus omnia cernit.
His igitur uotum placeat concludere uerbis:
Sidereo genitor residens, in uertice cœli,
Nominis oramus ueneratio sanctificetur
In nobis pater alte tui: tranquillaq́; mundo
Adueniat, regniq́; tui, lux ampla patescat.
Sic, cœlo ut, terris fiat tua clara uoluntas,
B Vitalisq́; hodie sancti substantia panis
Proueniat nobis, tua mox largitio soluat
Innumera indulgens erroris debita praui,
Et nos haud aliter concedere fœnora nostris:
Tetri sæua procul tentatio demonis absit,
Deq́; malis tua nos in lucem dextera tollat.
Tunc etenim genitor populis delicta remittet,
Si uestra alterni uobis peccata uelitis
Cedere, nec durum erratis intendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo ieiunia plebis,
Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quò uanam captent hominum ieiunia famam.
Tu uerò & grato crinem nitefactus oliuo,
Lætantem puris de fontibus ablue uultum,
Vt solus genitor deuoti pectoris aptum
Seruitium cernens, laudem meritumq́; rependat.
Vanum est defoßis terra, inuigilare talentis,
Illic erugo & tineæ dominantur edaces,
Cunctaq́; diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros uobis in uertice cœli,
Non erugo illos, tineæúe, aut horrida furum
Pactio diripiet, uobis ubi condita res est,
Illic corda etiam simili ditione tenentur.
Corporis est lumen, quo publica lumina cernis:
Sed si pura acies oculi simplexq́; nitebit,
Clarè totius splendebunt corporis artus.
Sin uerò nequam fuerit, prauumq́; uidebit,
Obscuræ incumbent super omnia mẽbra tenebræ.
In nigras lumen sed si conuertitur umbras,
Ipsis horror erit quantus sine luce tenebris?
Nemo potest dominis æquè seruire duobus,
Vnius aut odijs cedet, uel cedet amori,
Nec pariter dominum seruus patietur utrunq;
Haud unquam poterit quis diuitijsq́;, Deoq́;
Inseruire simul. sed uos hæc iussa tenete,
Sollicitet proprio ne uos pro corpore uestis,
Neu faciles uictus ægra disquirite cura. (scas?
Non'ne animam pluris facimus, quàm corporis e/
Aut dubitat corpus quisquam præponere uesti?
Aëreas spectemus aues, non uomere presso
Terga soli subigunt, iaciunt nec semina farris,
Aut segetum culmos incurua falce recidunt:
Prouenit, & tamen his satias potusq́; cibiq́;,
Nónne Deo magis est hominum curatio cordi?
Nec dignum fuerat, uestis suspendere curam
Pectoribus nostris, num sicubi talia possunt
Incrementa suis homines imponere membris?
Cernite per pingues agros ut lilia florent,
Non ulli tamen ijs unquam incubuere ligones:
Nec Salomona grauem, cùm regni diuitis aula
Afflueret, talis contexit gratia uestis.
Quòd si pratorum fruticumq́; uirentia læta
Ipse Deus uestit, nostris obnoxia flammis,
Cur uobis potior non est fiducia patris?
Ergo cibum, potum, uestemq́;, & inania cuncta,
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius dignè cœlestia quærite regna,
Iustitiamq́; Dei, spontanea cætera current.
Crastina nec uobis curetur copia rerum,
Quisq; dies sibimet satis est pro fraude diurna.
Iudicium uestrum fugiat damnatio sæua,
Nam Dominus uestri iuris documenta sequetur.
Quæ nos in terris statuetis, tempore capti,
Hæc eadem uobis genitor seruabit in æthra.
Mensuram tibi quam ponis, portare necesse est:
Cernis adhærentem festucam in lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum consistere sentis:
Atq; oculum prius alterius purgare laboras?
Diripe sed proprio fallax de lumine tignum,

Demere tum minimã alterius curabis ariſtam.
Ne canibus ſanctum dederitis, néue uelitis
Turpiter immundis iactare monilia porcis.
Nanq; illa in cœno pedibus ſubiecta iacebunt,
Conuerſiq; canes uaſto uos uulnere rumpent.
Poſcenti dabitur, quærens inuenta tenebit,
Pulſantiq; aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poſcentibus, omnes
Num lapidem dabitis? piſcem'ue petentibus anguẽ?
Vos inquam rigidi, quibus altè eſt inſita cordi
Duricies, ueſtris dabitis dona optima natis:
Indulgens hominum genitor, bona mitia dignè
Quam præſtare magis gaudet poſcentibus æquis?
Quæ cupitis uobis hominum benefacta uenire,
Hæc eadem ueſtro cunctis præſtate fauore.
Hæc legis ſumma eſt, hoc ius dixere prophetæ.
Ite per anguſtam iuſti ſuper æthera portam:
Quàm lata & ſpacioſa uia eſt, quæ limite læuo
Præruptum conuoluit iter caligine mortis,
Innumeræq; illam penetrant per prona cateruæ.
Vitalis uaſtis ſtipatur ſemita ſaxis,
Celſaq; uix paucos ducet per ſcrupea uirtus.
At ſi quos nimium fallax illexq; malorum
Planicies ſuaſit, deformi lubrica lapſu,
Arripit hos, pronoſq; trahit, uelut impetus amnis,
Aut alacer ſonipes ruptis effrenis habenis,
Aut rectoris egens uentoſa per æquora puppis:
Obſeruate illos, falſo qui nomine uobis
Inſidias faciunt, appellanturq; prophetæ.
Hos ouium ſpecies ueſtit, ſed ſæua luporum
Pectora fraude tegũt, lacerantq; incauta trahentes
Agmina credentum, ſæuus quos decipit error.
Fructibus è proprijs noſcuntur talia monſtra,
Quemq; petat finem fallax doctrina, uidendũ eſt.
Nam neq; de tribulis ficus de ſentibus uuas
Proueniſſe unquam ruris per terga notaſtis.
Vtq; arbor proprio ueſtitur germine pomi,
Sic dolus illorum fructu monſtrante pateſcit.
Non ego palpantum uerbis et honore mouebor,
Nec me quòd Dominum perblanda adulatio dicit,
Præmia cœleſtis capiet ſpontanea ſedis.
Olli ſed merito gaudebunt munere regni,
Qui faciunt noſtri genitoris iuſſa uolentes.
Adueniet mox ſumma dies, quæ iure ſeuero
Præmia iuſtitiæ tribuet, ſceleriq; gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus:

Non'ne tuo quondam nobis ſub nomine uirtus A
Extitit, & noſtris parebant omnia iuſſis?
Sæpe etiã noſtra eſt uox annumerata prophetis,
Seruiuitq; tuo nobis ſub nomine dæmon.
Tunc iurabo illis, quòd talis cognita nunquam
Vita mihi eſt hominum, geſtis quæ ſordet iniquis.
Quiſq; meis monitis aureſq; & facta dicabit,
Hunc æquabo uiro, ſolidis fundamina ſaxis
Ponenti, librata ſuper quæ mœnia ſurgent.
Illa domus pluuijs uentiſq; illæſa manebit,
Torrentumq; minas firmato robore uincet:
Hærent immotæ quoniam fundamina petræ.
Qui uerò auditu tantum mea iuſſa tenebit,
Diuerſiſq; procul factis per lubrica perget:
Hanc ſimilem faciam, uolucri qui fulcit arena
Fundamenta domus: cui mox ut flamina uenti
Et pluuia effuſis cœpere incumbere riuis,
Omnis ſubuerſo procumbit pondere moles,
Inſequiturq; grauis tectorum ſtrage ruina.
Talia dicentem magna admiratio plebis
Immenſum ſtupuit, quoniam tranſcenderet altè
Doctrinam ueterum, Chriſto conceſſa poteſtas.
Deniq; linquentem celſi faſtigia montis
Stipabat gaudens populorum turba ſequentum. B
Ecce ſed horrenda confixus uiſcera tabe,
Quem toto obſeſſum fœdarat corpore lepra,
Procubuit uenerans iuuenis, Chriſtumq; precatur,
Vt careat tandem languoris pondere tanti,
Sufficiat uoluiſſe tuum. tum dextera Chriſti
Attactu ſolo purgauit lurida membra,
Incolumiq; dehinc cælaret gaudia iuſſit,
Et legi parens offerret munera templo.
Inde recedenti ſupplex ſe protinus offert
Centurio, & precibus proiectus talibus orat:
Impubis pueri cruciatur ſpiritus æger,
Cuius cuncta repens membrorum munia languor
Diſſoluit, uitamq; tenet iam pœna ſuperſtes.
Sed iuſſu miſerere precor: nam tecta ſubire
Crimina noſtra uetant uitæ luciſq; parentem,
Nunc uerbo ſatis eſt iubeas remeare ſalutem.
Subiectos mihi ſæpe uiros, ſic noſtra poteſtas
Officijs uerbo iuſſis parêre coëgit.
Dixerat: ille uiri motus precibuſq; fideq;,
Talia conuerſus populo dat dicta ſequenti:
Haud unquam talem memini me gentis auitæ
Inueniſſe fidem. ſed ueris diſcite dictis,

Quàm

A Quàm multos homines, diuersis partibus orbis
Progenitos, cœli regnum sublime uocabit,
Cum patribus nostris uitali accumbere mensæ:
Progenies quorum cæcis demersa tenebris,
Dentibus horrendũ stridens, fletũq; frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
Ac tibi iam, iuuenis mentis uirtute fidelis,
Vt credis, ueniet fructus cum luce salutis.
Dixerat, & dicto citius cum uoce loquentis
Ad puerum celeris transcurrunt munera uerbi.
Ingreßusq; domum miles properante recursu,
Præueniße Dei lætatur dona medentis.
Aedes inde Petri sanctus penetrabat Iesus,
Cuius anhela socrus æstu, febriq; iacebat.
Vtq; illi dextram tetigit saluator Iesus,
Sana ministerium præbebat fœmina mensis.

LIBER SECVNDVS.

IAmq; dies prono decedens lumine, pontum
Inciderat, furuamq; super nox cærula pallam
Sidereis pictam flammis, per inane trahebat.
Cùm multos homines, mentis languore ruentes,
Deuinctasq; animas scelerata dæmonis arte,
B Certatim populi cæca iam nocte ferebant.
Sed uerbum Christi, tanto languore remoto,
Omnibus indulgens, præbebat munera patris.
Ecce sed exortus maior cum luce tumultus
Gratantis populi, cum turbis anxius ille,
In mare ueliuolum celsam deducere iußit
Discipulis puppim: precibus tum scriba profusis,
Nauigio sancti pariter poscebat abire,
Olli Christus ait: Quo tu me scriba sequêris?
Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
Præbet, & aëreis auibus dat silua quietem:
Ast hominis nato nullus succedere tectis
Est licitum, gentis sic sunt molimina uestræ.
Tunc è discipulis unus sic ore rogabat:
Vltima defuncto debentur munera patri,
Hinc spacium tribuat tua nobis sancta uoluntas,
Vt liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc: itiner potius comitabere nostrum,
Et sine defunctis defunctos condere terra.
Conscendunt nauem, uentoq; inflata tumescunt
Vela suo, fluctuq; uolat stridente carina.
Postquàm altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus, & immensis hinc inde tumescere uentis
Cœpit, & abruptos ad cœlum tollere montes.
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram,
Illisosq; super laterum tabulata receptant
Fluctus, disiectoq; aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Iesus,
Illum discipuli pariter nautæq; pauentes
Euigilare rogant, pontiq; pericula monstrant.
Ille dehinc: quàm parua subest fiducia uobis?
Infidos animos timor arguit. inde procellis
Imperat, et placidam sternit super æquora pacem.
Illi inter sese timidis miracula miscent
Colloquijs, quæ tanta illi permissa potestas,
Quódue sit imperium, cui sic freta concita uentis,
Erectæq; minis submittant colla procellæ?
Iam Gerasenorum steterat sub littore puppis,
Ecce sed egresso iuuenis (mirabile dictu)
Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater
Horrenda implebat lacerans uirtute furoris.
Illi grata domus, tetris habitare sepulcris:
Nec poterat rabidum quisquam retinere furorem.
Ferrea quinetiam rumpebat uincula membris,
Scindebatq; graues ut linea fila catenas.
Et iam compedibus leuis insultare soluto
Ludus erat, saxisq; ferum concidere pectus.
Isq; ubi pergentem Christum per littora uidit,
Cum clamore ruit, longeq; accurrit adorans:
Regnantis semper Domini certißima proles,
Oramus, solitæ ne nos regionis ab oris
Excutias, longè tormentis excruciatos:
Nam nomen legio est nobis, multosq; sub uno
Nomine consociat flatus uis sola nocendi.
Cernis ut immundi subigunt hæc pascua porci,
His saltem liceat rabiem satiare repulsam,
Per patris altithroni nomen sublime rogamus.
Imperat ijs hominis mentem dimittere Christus,
Porcorumq; sinit gregibus finire furores.
Iamq; hominis stupidum discusso dæmone pectus,
Insperata suæ ueneratur dona salutis,
Et iam præcipites scopulòrum margine porci
In mare deiecti, properant disperdere uitas:
At uero è speculis miracula tanta pauentes,
Diffugiunt, urbisq; ruunt ad tecta subulci,
Et famam spargunt, populosq; ad littora cogunt.
Insanum iuuenum postquàm resipisse uidebant,
Credere cernentum populorum turba coacta est:
Orabant pauidi regionem linqueret illam.
Inde domum repedat terrarum lumen Iesus,

Ecce reuertenti iuuenis torpentia membra,
Officium quorum morbus dissoluerat acer,
Ante pedes ponunt tepido recubantia lecto.
Quem miserans animo, uerbis compellat Iesus:
Adsit certa tuæ iuuenis constantia menti,
Nam tibi præteritus uitæ donabitur error.
Hoc dictum scribæ mentis per operta malignæ
Carpebant, quòd uerba Dei uirtute ferenda
Protulerat Christus, sed pectora talia cernis,
Hoc, inquit, uerbum scribarum dicta retractant.
Quod quantò leuius fuerit dixisse, sequentis
Et dicti & facti pariter uirtute probabo,
Vt mihi concessum peccata remittere cernant:
Quapropter iuuenis, firmato corporis usu
Surge uigens, stratumq; tuum sub tecta reporta.
Surrexit, lectumq; humeris iam fortibus aptat,
Per mediumq; uigens populi mirantis abibat.
Tunc timor & laudes Domini per pectora plebis
Concelebrata, simul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc inde ad uectigalia, uidit
Consessu in medio Matthæum, protinus illi
Discipulis hærere iubet: nihil ille recusans,
Imperio Christi pâret, gaudetq; sequutus.
Inde iter ingrediens, simili sermone Philippum
Hortatur, comitemq; suis adsciuit amicis.
Ille ubi cognouit Christi uiresq; uiamq;,
Tum primùm iusto concurrit Nathanaeli:
En nostris, inquit, concessum est uisere seclis,
Quem uoces ueterum, et sancti cecinere prophetæ,
Hunc genuit ueniens Dauidis origine uirgo,
Nazara cui felix patria est, et nomen Iesus.
Ille refert, genuit quicquam si Nazara, miror,
Quod dignum tantis unquam uirtutibus esset.
Inde Philippus ait, cernes, dubitare quiesce,
Progrediensq; uide, nam oculis spectare licebit.
Illum ubi tendentem longè respexit Iesus,
Vir uenit hîc iustus, cui pectora nescia falsi,
Virtutem puram seruans, sine fraude maligna.
Ille sub hæc, ubinam, uel quo me tempore nosti?
Cui Dominus dicta hæc diuino pectore promit:
Cùm te diffusæ tegerent umbracula ficus,
Ante etiam quàm te uocitarent uerba Philippi,
Vidit & elegit comitem te spiritus auctor.
Talibus attoniti sequitur uox Nathanaelis:
Progenies ueneranda Dei, rex inclyte gentis,
Tu populi terræq; salus, uitæq; magister.

A Christus ad hæc, facilis suasit tibi credere uirtus,
Arborea quòd te uidi recubare sub umbra:
Sed maiora dehinc rerum miracula restant.
Cernetis pariter totum se scindere cœlum,
Atq; Dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis nato claram deferre coronam.
Interea thalamis connubia festa parabant
In regione Chanan, ubi mitis mater Iesu
Cum nato pariter conuiuia concelebrabat.
Vina sed interea conuiuis deficiebant.
Tunc mater Christum per talia dicta precatur:
Cernis lætitiæ iam defecisse liquorem?
Adsint nate bonis ex te data munera mensis.
Olli respondit terrarum gloria Christus:
Festinas genitrix, nondum me talia cogit
Aduictus hominum tempus concedere dona.
Mensarum tunc inde uocat lætata ministros
Mater, & imperijs nati parêre iubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulchra cauatis
Vascula, quæ ternis aperirent ora metretis,
Hæc iubet è fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent iuuenes, undasq; coronant,
Completis lapidum labijs, tum spuma per oras
Commixtas undis, auras ad summa uolutat:
B Hinc iubet ut summo tradant gustanda magistro.
Ille ubi percepit uenerandi dona saporis,
Nescius in uini gratum transisse liquorem,
Egestas nuper puris de fontibus undas,
Increpat ignarum sponsum quòd pulchra reseruās,
Deteriora prius per mensas uina dedisset.
His signis dignè credentum discipulorum
Perpetuam stabili firmauit robore mentem.
Inde ubi Iudæis aderant solennia Paschæ,
Ad Solymos direxit iter, temploq; subibat.
Repperit hîc populum uenalia multa locantem,
Pars uendebat oues, pars corpora magna iuuēcum,
Pars inhians nummis, mensas onerauerat ære.
Restibus hîc Christus connectit uerbera flagri,
Et tales populos sancta perturbat ab æde,
Et mensas uertens, æris profundit aceruos,
Et super increpitans: procul hæc auferte profani,
Vt meus hic genitor, non sordida lucra colantur.
Tunc poscens signum plebes Iudæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta leuaret,
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet:
Soluite pollutis manibus uenerabile templum,

Hoc

A Hoc, ego restituam, cùm tertia lumina solis
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter sese tractantes murmure cæco:
Hoc, aiunt, uix sex & quadraginta per annos
Constructum ueteris regni molimine templum:
Tu poteris ne trium spacio renouare dierum?
Hoc uerbum quondam post tempora debita, digni
Cognouere uiri, proprio de corpore Christum
Delubrum dixisse Dei: sed signa uidentes,
Tum multi cepere fidem, sanctumq́; sequuti.
Nocte sub obscura, celso sublatus honore,
Primorum procerum Iudæi nominis unus
Vênit, & ad Christum submissa uoce profatur:
Haud dubium est quòd larga Dei te sancta uolũtas
Humanis lucem conceßit surgere rebus.
Nec quisquam tantis tribuit miracula signis,
Ni comitata Dei iubeat splendescere uirtus.
Christus ad hæc: callis iusti si culmina quæris,
Nullus ad excelsum poterit conscendere regnum,
Reddita ni penetret nascendi exordia rursus,
Atq; nouam capiat diuino munere uitam.
Ille autem tantis stupefactus corda loquelis:
Hoc, inquit, nostræ non est comprændere mentis.
B Quis poterit cœptæ reuocare exordia uitæ?
An rursus senior matris correpet in aluum,
Vt nouus in lucem ueniat, uitamq́; resumat?
Ille sub hæc: Liquido siquis de fonte renatus,
Et flatu sancto, rudibus consistere membris
Cœperit, ætheream liber conscendet in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore natum est:
Spiritus haud aliter similem generat sibi flatum.
Spiritus hic Deus est, cui parent omnia mundi.
Hic, ubi uult quocunq; uolat, uocemq́; per auras
Iactat: sed nescis quæ sint exordia uocis,
Quamq́; petent eius currentia flamina partem.
Quisq; igitur iustæ repetit primordia uitæ,
Hunc, similem sancti flatus, reuigescere certum est.
At Iudæus ad hæc: nihil horum cernere possum.
Talia tum Christus: Solymorum magne magister,
Israëlitarum sublimis gloria gentis,
Túne etiam mentem uitæ de lumine raptam
Demergis præceps furuis miserande tenebris,
Nec potes obtuso comprændere talia sensu?
Ecce fides nulla est, tantum terrestria dixi:
Quid si cœlestis uires conscendere sermo
Cœperit, & superas rerum comprendere formas?
Quis uestrûm duram poterit mihi pãdere mẽtem?
Accipite ergo nouis quæ sit sententia rebus.
Sidereum nullus poterit conscendere cœlum,
Ni solus cœli missus qui uênit ab aula:
Idem hominis natus, cœli qui in sede moratur.
Vt serpens olim uastæ regionis in oris
Moseis manibus summo sublatus honore est:
Sic hominis natum tolli in sublime necesse est,
Vt quicunq; fidem mentis penetralibus altis
Illius ad numen statuit, sub turbine secli,
Proculcet pedibus lethum, & trans sidera surgens
Sublimis capiat donum inuiolabile uitæ.
Nanq; Deus mundum tanto dilexit amore,
Eius ut in terras descenderet unica proles,
Credentes domino uitæ iunctura perenni.
Nec Deus hunc natum disquirere iure seuero,
Iudicio'ue truci terras expendere misit:
Mitia sed populis ueniant ut munera uitæ.
Nanq; ubi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio iuris.
Ast ubi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Iam propria ipsorum mentem damnatio torquet:
Vnica nam domini fuit ijs incognita proles,
Aduentum lucis miseri fugere supernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicunq; malis mentem maculauerit actis,
Ad tenebras pauidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis:
At quicunq; piæ tenuit uestigia uitæ,
Ad medium properat, lucemq́; nitescere gaudet,
Splendeat ut claris uirtutis gloria factis.
Inde Galilæam repetit saluator Iesus:
Præteriens sed fortè uenit Samaritida Sichem,
Illic fundus erat, Iacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demersus in abdita fonte.
Sederat hic rapido Seruator anhelus in æstu,
Discipuliq́; escas mercantes mœnibus urbis
Paßim dispersi, solum liquere magistrum.
Mœnibus egrediens Samaritis fœmina uênit,
Hauritura cauis putei penetralibus undas.
Olli Christus ait, laticis da fœmina potum.
Respondens mulier: mirum mihi præcipis, inquit,
Vt tibi Iudæo mulier Samaritica potum
(Dispernens ueterũ Samaritûm iussa) ministrem.
Tum Saluator ait: Domini si munera noßes,
Et quis te sitiens putealia pocula poscat,

Tu potius peteres uiuam tibi traderet undam.
Illa sub hæc: puteus gremium sinuatur in altum,
Vrceus est nullus, nec sunt tibi uincula funis,
Vnde igitur poteris undam mihi tradere uiuam?
Num tu maior eris nostri uirtute parentis?
Hoc etenim Iacob puteo cum prole bibebat,
Et proprios huc sæpe greges ad pocula duxit.
Olli respondit mundi regnator Iesus,
Ex ista plenè nullus satiabitur unda,
Nam rursus sitiet: sed nostri dona liquoris,
Ardorem excludent æterna in secla bibendi.
Dulcia prouenient nostri cui pocula fontis,
Largior inde fluet uitalis gratia fluctus.
Sed desiderium nostræ si te capit undæ,
Excitus ueniat tecum mox urbe maritus.
Coniugio sese mulier negat esse reuinctam.
Tunc sic prosequitur mentis perspector Iesus:
Fœmina, ueridicis loqueris de coniuge uerbis.
Nam tu connubijs nexa es iam quinq; uirorum,
Nunc aliena super thalamorum uincula tollis.
Tum mulier: sanctum te certum est esse prophetam.
Sed nostri istius uenerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquere parentes:
At uos in Solymis orandum dicitis oris.
Talia dicenti, mox talia reddit Iesus:
En aderit tempus, montis cùm uertice uestri
Omnibus & Solymis aberit ueneratio longè.
Sed nunc certa salus Iudæis surgit ab oris,
Et nunc instantis cursus iam temporis urget,
Cùm ueri sanctum genitorem, errore remoto,
Cultores, iustis armati legibus, orent.
Spiritus ijs ac plena fides erit, & pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc: scimus quòd Christus nuncius orbi
Aduentu proprio uitalia secula pandet.
Et tunc peccantum largus miserator Iesus,
Se lumen terris Christum uenisse fatetur.
Et iam discipuli reduces, stupuere magistrum,
Quòd secreta pijs poteretur fœmina uerbis.
At properans urnam mulier fontē propè liquit,
Et populum totis eduxit mœnibus urbis:
Omnia nam memorat sibimet sermone prophetæ,
Gesserat ipsa prius quæcunq;, ex ordine dicta.
Tum properè Christum fusæ petiere cateruæ.
Discipuli interea rogitant ut sumeret escas:
Ille satis sibi pulcrorum superesse ciborum

Respondit. sed tum mirantûm discipulorum A
Inter se occultis currebat sermo loquelis:
Fortè aliquis prior hic epulas dedit antè magistro,
Nostras ut meritò satiatus respuat escas.
Ille sed internæ cernens molimina mentis:
Hæ mihi sunt epulæ, pectus satiabitur istud,
Si faciam magni genitoris iussa per orbem.
Quatuor hinc menses lætæ ad primordia meßis,
Frugiferæ æstati certè superesse putatis:
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos,
Cunctaq; maturam iam rura exposcere messem.
Nunc quicunq; metet, pulcri mercede laboris,
Vitaliq; dehinc gaudebit fruge redundans,
Et sator accipiet messorum gaudia lætus.
Hos ego nunc misi grauidam succidere messem,
Quæ non est uestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquijs comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritûm populi uenêre rogantes,
Exorantq; illic geminos expendere soles.
Iamq; fides multos plebis fundauerat alta,
Nec iam fœmineis tantum concredere uerbis
Ipsos, sed coràm uirtus manifesta docebat,
Venisset secli quòd iam saluator Iesus. B
Iamq; Galilæam remeauerat in regionem,
Quondam ubi fontanas uino mutauerat undas.
Regius hic iuuenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis uitæ torrebat in oris)
Comperit ut Christum certo remeasse recursu,
Aduolat, & precibus sobolis pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis,
Ne pius ad lethum natus traheretur acerbum.
Christus ad hæc: signis nisi suadeat omnia uirtus,
Non erit ulla fides: sed perge, & sospite uita
Aedibus in uestris dulcem complectere natum.
His uerbis, fructum mox perceptura salutis
Pulchra fides, animum lætanti in pectore firmat.
Iamq; iter ingresso, properantibus obuia seruis
Nuncia fama uenit, pueroq; in luminis oras
Limine de mortis subitam remeasse salutem.
Ille ubi cognouit certum concurrere tempus
Sanantis Christi uerbis, seseq; domumq;
Mancipat, amplexus fidei uenerabile donum.
Fortè dies epulis multos sociauerat unus,
Publica conductis qui uectigalia lucris
Professi, rapiunt alieno nomine prædam.

Hos

A Hos cum discipulis simul accipiebat Iesus,
Ecce Pharisæi occulto reprendere risu,
Quòd legis doctor conuiuia talia adiret:
Ille sed inspiciens quid pectora clausa tenerent:
Non, inquit, medicis opus est, ubi fortia membra
Intemerata salus uegetat, uiresq; ministrat:
Aegris sed meritò miserans adhibenda medela est.
Discite nunc saltem, iubeant quid uerba prophetæ:
Non ego sacra magis, quàm mitia pectora quæro.
Haud etenim iustos ueni ad directa uiantes,
Sed reuocare malos peccantum à limine gressus.
Ecce sed è numero mirantum munera Christi,
Vnus Ioannis quærebat discipulorum,
Cur ipsi legis ieiunia crebra tenerent,
Nullaq; sub Christo plebes ieiunia ferret?
Christus ad hæc contrà placido sic ore profatur:
Qui sponsi lætis comitantur uota choreis,
Non præsente illo ieiunia tristia portant.
Iamq; dies aderit, cùm sponsus turbine secli
E medio comitum rapietur: tristibus illi
Tuncq; dabunt animos lachrymis, horrore ciborū
Languida concipient animis ieiunia flentes.
Quàm stultū est rudibus ueteres subtexere pannos
B Vestibus, ut ueteris peior scissura patescat?
Vtribus aut calidum tritis committere mustum,
Quîs ruptis, totum sequitur disperdere uinum?
Vtribus est rectum rudibus spumantia musta
Condere: sic uinum conseruant fortia uasa.
Talia tractanti, perculsus pectora luctu,
Ecce sacerdotum princeps procumbit adorans,
Et sibi defunctam, funus miserabile, natam
Implorat lacrymans, certamq; uenire salutem
Defunctæ uita poscebat munere Christi.
Haud mora, consurgens graditur saluator Iesus.
Progreßi mulier sequitur uestigia seruans,
Quam languore graui bis sex labentibus annis
Carpebat fluxus, lacerans sine fine, cruoris:
Viribus absumptis, & toto corpore fessam.
Pectoris hæc tacitam uoluebat credula mentem,
Arcana secumq; fide iam certa tenebat,
Actutum fesso fugeret quòd corpore tabes,
Extremam Christi poßet si tangere uestem.
Hæc ubi per populum summi pendentia pepli
Fila manu trepida tractauit, protinus ille,
Et causas morbi, & credentia pectora cernens,
Conceßit celerem tali cum uoce salutem:
Accipe, quod meruit fidei constantia, munus.
Et mox constricto riguerunt sanguine uenæ.
Postquam peruentū est, ubi funera uirginis ingens
Plangentis populi fremitus, clangorq; tubarum
Vltima supremæ celebrabant funera pompæ:
Abscedant, inquit, tectis hæc tristia uestris:
Namq; puella iacet placido demersa sopore,
Defunctam retur flentum quam nescia plebes.
Talia dicentem, ridentum turba reliquit,
Quòd morte abreptam dixit dormire puellam.
Sed Christus lethi uictor, uitæq; repertor,
Frigentis dextram dignatus prændere dextra,
Surgere mox iußit miranda ad gaudia patris.
Inde reuertenti clamor se protinus offert,
Lumine captorum greßu labente duorum.
Atque his Christus ait: Si credunt pectora uestra,
Nunc uirtute mea se reddet lumen ademptum.
Olli firmato se credere corde fatentur.
Tunc Christus fatur: credentes cernite lucem,
Nec cuiquam nostrum post hæc edicite nomen.
Dixit: sed maior per gaudia tanta uidentum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
Offerturq; dehinc iuuenis, cui rapta sonoræ
Dæmonis incursu fuerat substantia uocis.
Atq; ubi propulsus fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur: cernens sed millia tanta uirorum,
Ingemit, ut ruris dominus, cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes,
Tunc ad discipulos depromit talia uerba:
Quam latè segetes ruris per terga patescunt,
Sed rarus messor frugis superatur aceruo.
Iam superest, dominum segetis deposcere tantæ,
Vt sua rura uelit numero complere colentum.
Hæc fatus, populo ex omni delecta seorsum
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu,
Hos ubi delegit, præceptis talibus implet:
Deuitate uiam, quam gentes perfidiosæ,
Et Samaritarum fraudis uestigia calcant.
Pergite, qua patrij pecoris custodia balat.
Pergentes uerò similem mihi sumite mentem;
Vt uobis subigat uirtutes dæmonis atri
Sancta fides, curamq; piam languoribus aptet.
Hæ uires nulla uobis mercede dabuntur,
Et uos haud aliter cunctis impendite dona.

Non auri argent'ue domet possessio mentem,
Nec uos nummorum subigat scelerata cupido,
Nec geminas uestes, nec plantis tegmina bina,
Virtuti nudæ cupiat seruire minister.
Ingressi muros urbis, perquirite semper
Hospitio quorum par sit succedere iustis,
Ingressiq; dehinc pacem sub tecta uocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit:
Sin erit indignis habitantum moribus horrens,
Diffugiet, uestrumq; abitum pax uestra sequetur,
Excludet quicunq; ferus uos limine tecti,
Auribus aut duris spernet uitalia uerba,
Siue auersa Dei famulos succedere tectis,
Hospitiiq; focos miscere grauata uetabit:
Excutite egressi domibus uestigia uestra,
Hæreat iniustæ ne uobis portio uitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Suppliciis, ueniet mundo cùm terminus omni.
Pergitis en ut oues sæuorum præda luporum.
Sed uos arguto serpentum corde uigete,
Simplicitate tamen puras superate columbas.
Nam sæpe incumbet uobis iniuria præceps,
Conciliisq; hominum statuentur corpora uestra.
Vos flagris, uinclisq; feris, durisq; tyrannis
Frendens urgebit pro me uiolentia secli.
Cùm uos prodiderint, uerborum ponite curam,
Sponte fluens dabitur sermonis gratia uobis:
Spiritus in uobis, pro uobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem scelerata insania fratris,
Ad lethumq; dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia urgebunt semper pro nomine nostro:
Sed finem fidei comitatur gloria uitæ.
Profugite è tectis, quæ uos sectabitur, urbis.
Inde aliam, mox inde aliam conquirite sedem.
Nam uobis urbes semper superesse necesse est,
Israëlitarum quæ dent sub nomine plebem.
Discipulus nunquam transcendat celsa magistri
Culmina, nec dominum tentet præcellere seruus.
Discipulo satis est, uires æquare magistri,
Vel domini similem uirtutem prændere seruo.
Pectoribus uestris semper timor omnis aberret:
Nam nudata suis promentur cuncta latebris.
In tenebris tacitè uobis quæcunq; iubentur,
Dicite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus & uestris dicam quæcunq; susurrans,
Excelso in populos spargantur culmine tecti.
Despicite illorum rabiem, qui corpora uestra A
Prosternent ferro: non est iis ulla potestas
Viuacem letho pariter demittere mentem.
Illum sed potius cordis secreta pauescant,
Corporis est animæq; simul cui cuncta potestas.
Passeribus precium nummi uix portio parua
Proueniet: non est tamen unum credere dignum,
Ni iussu Domini, laqueos incurrere uestros.
Quis dubitet sapiens Domini sub pectore multis
Cedere pennatis hominum pro millibus unum?
Qui me confessus fuerit sub iudice terræ,
Hunc ego non aliter coram genitore fatebor,
Sic itidem coram genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere ueni,
Sed gladium: patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem natam dirimat qui pectore matris.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri sobolíue meum postponet amorem,
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam.
Contemnet quicunq; animam pro nomine nostro,
Inueniet læta florentem fruge salutis.
Qui uos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete uita. B
Talia discipulis bis sex cum iussa dedisset,
Iustus Ioannes cæci de carceris umbris,
Sectantum è numero delectos, talia dicta
Ad Christum portare iubet, uerumq; referre:
Tune piis animis requies, quam regia cœli
Pollicita est terris, nostro sub tempore fulges?
An superest aliam posthac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit:
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumq; uigent firmato robore membra,
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,
Aëriæ uocis penetrat surdas sonus aures,
Redditur amissa lethi post funera uita,
Ad corpus remeans animæ iam libera uirtus,
Pauperibusq; suis non dedignata patescit
Fulgentis splendens aduentus gloria terris.
Ille beatus erit, quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro.
Hæc super ad populum depromit talia Christus:
Cur in deserto uoluistis uisere nuper
Stramen arundineum uento uibrante moueri?
Cur etiam molli uestitum ueste uidere?

In

A In domibus regum molli cum ueste tenentur.
Ille prophetarum solus transcendere uires,
Indicio ueteris scripti, promittitur olim.
Hunc etenim memorat uenerandæ lectio uocis:
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos uultus:genuit nec fœmina quenquam,
Maior Ioannis nostri qui uiribus esset:
Sed minimus cœli qui in regno est,maior habetur.
Huius ab exortu uim cœli regia sensit,
Et cœli regnum uiolentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ ad tempora cepit,
Atq; prophetarum finis conclusus eodem.
Si uultis uolucris penetralia noscere secli,
Ipse est Elias,felix uenturus in æuum.
Corpus Ioannis felix habitabile sumpsit
Elias quondam,quem turbine iussa corusco
Flammipedum rapuit simulatio quadriiugorum.
Audiat hæc dictis pandens uitalibus aures.
Nunc tibi confiteor Genitor,cui gloria seruit
Fulgentis cœli,& terrarum frugiferarum,
Cælasti nunc quòd sapientibus ista superbis,
Paruulaq; infantum uis hæc comprendere corda.
Iam mihi regnantis sunt omnia tradita patris:
B Nec quisquam Domini poterit cognoscere natum,
Ni solus genitor,genitorem mente uidebit
Filius,aut idem pandet cui talia natus.
Huc omnes ueniant,oneris quos sarcina uasti
Comprimit,iis poterit uirtus mea,munere patris,
Antiquas uires hilari reparare quiete.
Sumite forte iugum, leuis est mea sarcina iustis,
Namq; humili dulcem largitur corde salutem.
Hæc ubi dicta dedit,messis per culta grauatæ
Præterit,& populus sectantum discipulorum
Spicarum grauidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies ueteri poscebat lege quietem.
Sabbata nam priscis repetebant ocia iussis.
Ecce Pharisæi curant reprehendere Christum,
Quòd sanctæ legis calcarent iussa metentes
Discipuli.legum sed tunc completor Iesus
Incipit,iis ueteris scripti monumenta retexens:
Legistis certè in templo Dauida canorum,
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
Et propriam,comitumq; famem sedasse:sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos.
Eiusdem scriptum est iusto moderamine legis,
Vates in templo sine crimine festa profanent.
Nec minor est istic uestræ glomeratio turbæ,
Quàm templi uirtus.caperent si pectora uestra,
Quòd non sacra Deus,sed mallet mitia corda,
Non tam sæpe uiros damnasset factio uestra
Expertes culpæ.sed nunc ego sabbata cuncta,
Sponte mea dominans,legis sub iure tenebo.
Tunc conuenticula ipsorum post talia dicta
Ingreditur:mox hîc iuuenem pro limine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat:sed tum dictis tentando dolosis,
Aegris an liceat per sabbata ferre medelam,
Quærunt,calcatæ ut legis uindicta maneret.
Christus ad hæc:Foueam si fortè pecuscula uestra
Inciderint,certè transibitis ocia legis,
Et pecus abrupto tolletis uile profundo.
Quantò igitur nobis hominum curatio maior
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age tu iuuenis rediuiuã extendito dextram.
Cum dicto,palmam sanus porrexit utramq;.
Istis pro signis,quæ uix ueneratio posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Concilijs trucibus conclamant decipiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus,
Decedens,uarijs hominum languoribus aptat
Concessam in populos patria uirtute medelam.
Oblatusq; illi est,quem dæmonis horrida uirtus
Et lingua & uisu truncatum uiuere pœnæ,
Et proprijs escam cruciatibus esse uolebat.
Hunc ubi curatum,uisuq; & uoce uigentem
Cæca Pharisææ cognouit factio gentis,
Dæmonis auxilio(qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ uires ditione teneret)
Hæc illum fecisse ferunt.sed talia Christus
Veridicis aperit conuincens pectora uerbis:
Si gemina regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa aduersum sese distractio pugnet,
Disruptis properè labentur cuncta medullis:
Horridus & dæmon si dæmone pellitur atro,
Aduersa sibimet scissus uirtute repugnat.
Quis poterit prædam tectis auferre uirorum,
Ni prius aggressor,custodum brachia nodis
Vinciat,ut facilis ueniat direptio prædæ?
Quisq; meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in aduersa consistet fronte duelli:
Quisq; meis gregibus cogendis liber oberrat,

Disijcit ille mei pecoris per deuia pastus.
Sed quicunq; hominũ fuerit super omnibus error,
Dimitti poterit: tantùm, ne spiritus unquam
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Siue furens hominis nato conuicia quisquam
Ingerit, hæc etiam poterunt peccata remitti:
Spiritus at sanctus tantùm cuicunq; profana
Verborum rabie uiolabitur, irreuocatis
Supplicijs nunc & semper torrebitur igni.
Quando ueneniferi serpentis suæ propago,
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia iustis,
Et mala lethifero procedunt ore uenena,
Verborum meritis dabitur sub iudice uita,
Verborum meritis ueniet sub iudice pœna.
Quæ genitor faciet, sectabitur omnia natus:
Nanq; idem nato manifestat cuncta uidenda,
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim genitor demortua corpora reddit
Ad claram uitæ lucem: sic omnia natus,
Quæ uolet, ad superos surgentia corpora ducet.
Nec genitor quenquam uestrûm se iudice quæret,
Sed dedit hæc nato quærendi iura per orbem,
Gloria quo maneat similis natoq; patriq;.
Nanq; repulsus erit uestro si natus honore,
Improbitate pari genitorem despicietis.
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figit,
Mox me mittentis genitoris dona uidebit,
Aeternamq; dabit præsens constantia uitam,
Iudiciumq; illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisq; uigens ad limina tendit.
Adueniet tempus, quo mortua corpora uocem
Accipient nostram, & uitam cum uoce tenebunt.
Nam sicut genitor uitam sibi poßidet in se,
Sic tribuit nato uitam, & ius dicere iußit
In terris, hominis quoniam de corpore uênit.
Nec uobis mirum uideatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum proprijs exurgere bustis,
Iustorumq; animas rediuiuo corpore necti,
Iudicioq; graui miseros exurgere prauos.
Nec mihi iudicium tribuet mea sola potestas:
Arbitrio quoniam genitoris cuncta iubentur,
Qui me iustitiam terris disquirere iußit.
Nanq; ego si proprio testis pro nomine surgam,
Falsa loqui possem: ast alius quia testis habetur
Pro nobis, recte mihi talia temnere fas est.
Nam ueris operum signis manifestior omni A
Luce nitet, præsens nostris testatio factis.
Talia concedens genitor mihi testis adhæret,
Qui me demisit terris, sua ponere iußa.
Huius enim uocem nunquam comprendere quistis,
Nec speciem propriam conceßit uisere uobis.
Nec sermo ipsius poterit per uestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est.
Quæratur ueterum scriptorum lectio uobis,
Perpetuam cunctis uitam quam ferre putatis.
Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis,
Ne ueræ uobis contingant gaudia uitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis.
Nanq; ego, qui summi genitoris nomine ueni,
Respuor à uobis: ueniet sed dyscolus alter,
Nomine quẽ fultum proprio, gens uestra sequetur,
Alternæ in uobis captatur gloria famæ,
Vnius & solam fugitis disquirere laudem,
Ne uos arguerim coram genitore: sed illic
Accusator erit, quem spes modo uestra celebrat,
Moses, quem fidei nullo seruatis honore.
Eius enim scriptis uester si crederet error,
Crederet & nobis, Mosi quem scripta frequentãt. B
Talia tùm contrà scribarum uerba sequuntur:
Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si uirtus certis firmet miracula signis.
Ille dehinc: Polluta malis generatio quærit
Signa sibi, rebus stabunt sed signa futuris.
Nanq; propheta cauo quantum sub pectore ceti
Temporis absumpsit: terræ in penetralibus altis
Progenies hominis tantum demersa manebit.
Adueniet tempus, cùm surget reddita uitæ
Gens hominum proprijs in fletum dedita gestis,
Hæc istam digno damnabit crimine gentem:
Quod maris è fundo surgentis uoce prophetæ
Cõmonita, in lacrymas dominũ proiecta reflexit.
Hic & Ionæis monitis potiora iubentur,
Contemnitq; feris animis gens impia lucem.
Et regina Notiuitales surget in oras,
Illius ad specimen damnabitur effera plebes:
Finibus extremis Libyæ quod uenerit illa,
Vt Solomona pium præceptis dedita iustis
Audiret: potior nunc est Solomone potestas,
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.
Expulsus si quando fugit de pectore dæmon,

Quem:

A Quem turbat ſanctus purgato è corpore flatus,
Ille uenenatis colluſtrat paßibus oras,
Quâ nulla excurrit fontani gurgitis unda.
Si requiem placidæ ſedis non repperit, ardens
Tunc repetit ſuetæ ſitiens habitacula mentis.
At ſi fortè ſuis obnoxia corda uenenis,
Ornatuq́; leui ridentia limina cernit,
Aſſociat ſeptem ſimiles glomerando furores
Vis inimica homini, penetratq́; in uiſcera ſerpens.
Sic genus hoc uero ſenſu cùm degener errat,
Vincula perpetuis deflebit ſubdita pœnis.
Atq; ea cum populis uitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus aſtitit illic,
Et miſcere foris ſermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit:
Hîc mecum genitrix, mecum germana reſidunt
Corpora. nam patria impletur cuicunq; uoluntas,
Ille meo proprium connectit ſanguine corpus,
Et matris generisq́; mei ſub nomine habetur.
Progreditur templo terrarum lumen Ieſus,
Et maris extrema terræq́; reſedit in ora,
Innumeræq́; illuc plebis fluxere cateruæ.
Ille ſed excelſam ſcandens quæ proxima puppim,
B Littora complenti depromit talia plebi:
Ecce ſator proprio commendat ſemina ruri,
Illa cadunt diuerſa ſolo, ſorteſq́; locorum
Pro uirtute ferunt. nam ſicubi trita uiarum
Sub pedibus ſolido denſetur limite tellus,
Aërijs auibus dant nudam ſemina prædam.
Aſt ubi pertenui uelantur puluere ſaxa,
Farra quidem uiridem depromūt germinis ortum:
Sed quia nulla ſubeſt ſiccis ſubſtantia glebis,
Inſerto areſcunt radicum fila calore,
Cunctaq́; mox apicum labuntur acumina letho.
Seminibusq́; alijs contingunt aſpera rura,
Sentibus hic ſpiniſq́; feris uelocius exit
Roboris augmentum, frugemq́; internecat angens.
Vberibus uerò dantur quæ ſemina glebis,
Illa ferunt pulchram ſegetem, cui læta frequentat
Incrementa ſui centeno copia fœtu.
Audiat hæc aures mentis qui geſtat apertas.
Talia diſcipuli mirantes dicta requirunt,
Implicitis populo cur clauderet omnia uerbis?
Ille ſed admota credentum plebe profatur:
Vobis, qui firmo robuſtam pectore mentem
Ad capienda Dei penetralia conſtabiliſtis,
Conceſſum eſt adytis penitus conſiſtere regni:
Illis pro merito clauduntur lumina mentis.
Sed quid habet dignus, capiet potiora redundans.
Qui uerò expertes cœleſtis muneris errant,
Amittent etiam proprium quodcunq; retentant.
Idcirco obſcuris cooperta ambagibus, illum
Promitur in populum ſermonis gratia noſtri,
Vt dictum Iſaiæ merita de plebe recurrat:
En populi mentes uelantur ad omnia craßis
Obicibus, ſenſu ne tangant munera uitæ.
Auribus aßiſtunt clauſis, oculiſq́; grauatis,
Ne conuerſa bono ſanetur noxia plebes.
Quam ueſtræ nunc ſunt aures oculiq́; beati?
Nam multi ueteres iuſti ſanctiq́; prophetæ,
Quæ uobis clarent, orarunt cernere dona.
Accipite ergo animis, qui ſit de ſemine ſenſus.
Quiſq; meum uerbum ſummas demittit in auras,
Nec ſenſus recipit ſtabili præcepta uigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon:
Hic agro eſt ſimilis, duro qui germina calle
Exponit rapidis auibus ſine fruge rapinam.
Sunt alij, læto qui pectore noſtra receptant,
Sed breuis eſt illis perceptæ gratia frugis.
Nam ſi dura premat mentem ſtrictura coërcens,
Continuò trepidi produnt ſibi credita farra:
His ſaxoſus ager ſimili leuitate uireſcit.
At ſpinoſus ager, curarum mole grauatis
Reſpondet, preſſant quos pondera diuitiarum.
Semina ſic noſtri ſermonis preſſa grauantur,
Nec fructus ſequitur, ſpinarum horrore necatus.
Pinguia ſic itidem paribus ſtant uiribus arua
Illis, qui claræ capiunt præcepta ſalutis,
Quæ penetrant animum ſenſu tractante tenaci,
Centuplicemq́; ferunt uirtutis robore frugem.
Hæc tum diſcipulis, plebiq́; hæc inſuper addit:
Agricolæ ſimile eſt regnum ſublime Tonantis:
Ille iacit proprio mandans bona ſemina ruri,
Sed poſt ſurripiens (homini inſidiando) ſaporem
Trux inimicus adit, loliumq́; inſpargit amarum:
Ecce ſed ad fructum culmus cum ſpiceus (horror)
Proceßit, lolio meßis maculata redundat.
Tum Domino famuli mirantes talia fantur:
Nónne bonum terræ ſemen per terga dediſti?
Vnde igitur lolio turpi tua rura grauantur?
Sed iam, ſi iubeas, meſſem purgabimus omnem,
Triticeuſq́; nitor ſelecta ſorde niteſcet.

Tum Dominus miti contrà sermone profatur:
Hic dolus est inimice tuus: sed farra sinamus
Crescere cum lolio. pleno nam tempore messis,
Secretum lolium connexo fasce iubebo
Ignibus exuri: at nostro de semine messor
Horrea nostra dehinc purgata fruge replebit.
Haud aliter simile est (cordis si panditis aures)
Præparui grano regnum cœleste sinapis,
Quod proprio insinuans disponit cultor agello,
Seminibusq; illud minus omnibus esse uirentum
Creditur, ac iusti mox ut crementa uiroris
Sumpserit, erecto transcendit uertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumea turba
Considat, posítq; umbras habitare uirentes.
Fermento par est munus cœleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conducto unius coalescit corpore massæ.
Talia tum populo perplexis condita uerbis
Promebat, ueteris quò possent dicta prophetæ
Ordine seclorum iussis concurrere rebus:
Os aperire meum dignabor, condita mundi
Conuoluet ructans uarij sermonis imago.
Inde domum repetit seruus, turbasq; relinquit.

LIBER TERTIUS.

FVderat in terras roseum iubar ignicomus sol:
Discipuli rogitant, lolij quid quæstio uellet,
Et segetis? clarus quibus hæc depromit Iesus:
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis: mundum sub nomine ruris
Accipite, atq; homines puro pro semine iustos.
At lolium infelix, cooperti dæmonis arte
Sunt homines: inimicus erit uis horrida dæmon.
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores patris uenient per rura ministri,
Quos hominis natus proprij de corpore regni
Colligere erroris laqueos, labemq; iubebit,
Collectosq; simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper, fletusq; perennis:
Secretisq; pijs ueniet lux aurea uitæ,
Sedibus ut cœli uibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriamq; redit Saluator in urbē,
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Iustitiæ leges, uitæq; salubria iussa,
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc liuore graui plebes commota suorum,
Præsentisq; simul Domini miracula uoluens, A
Et generis noti reputans ex ordine gentem,
Hæc inter sese mussanti uoce uolutant:
Non'ne hic est fabri soboles, cui nomen Ioseph?
Nō Maria est genitrix? nō fratrum nota propago
Vnde igitur legis doctor, tantæq; magister (est?
Virtutis, cedit cui labes uicta laborum?
Nazara sic plebes: cui talia reddit Iesus,
Temnuntur proprijs miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede prophetæ.
Talibus indignans pressit sua munera Christus.
Interea ad regem uolitabat fama superbum,
Quòd mala cuncta illic uirtus diuina domaret.
Sed putat Herodes, lethi quòd lege remissus
Tanta ut Ioannes uirtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liuenti pectore dæmon
Erroris labem, puris quod solueret undis
Iustus Ioannes, damnis accensa malorum
Tunc petit Herodem pestis sæuissima regem,
Et facile iniusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, sancto quod iure uetabat
Doctus Ioannes. feritas sed nescia recti B
Subiecit leges pedibus, fruiturq; nefandis
Connubijs, ipsumq; super (quia praua uetabat)
Carceris immersit tenebris, uinclisq; grauauit.
Sanguine nam iusti, primo compressa timore,
Abstinuit sitiens feritas, quia magna prophetam
Plebis Ioannem ueneratio suscipiebat.
Natali sed fortè die cùm læta tyrannus
Herodes celsis strueret conuiuia tectis,
(Luxuriæ quoniam coniuncta superbia gaudet)
In medio iuuenum, reginæ filia uirgo,
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas cithara iungit modulante choreas.
Ipse sed in primis mirata uirginis arte
Attonitus stupuit, nunc præmia cuncta patêre
Iuratus spondet, quæcunq; puella petisset.
Illa sed horrendæ seruans scelera impia matris,
Vrget Ioannis caput à ceruice reuelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentum Herodes procerū sub pondere tristis,
Iurandiq; memor iuris, tamen imperat ægrè
Insontis caput inferri, tradiq; puellæ.
Illa (nefas) matris scelerata ad gaudia portat.
Corpo-

A Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christumq; sequuntur.
Ille ubi cognouit iusti miserabile lethum,
Deserit insonti pollutam sanguine terram,
Frondosaq; latet secretæ uallis in umbra.
Sed populi immensæ uirtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in ualle remota
Conuenisse uidet, morborum tabe repulsa,
Corpora subiecit miseratus multa medelæ.
Iamq; sub extremo labentis lumine solis,
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Vt sibi quisq; paret, quærens per compita, uictum.
Ille iubet cunctis illic conuiuia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum,
Ni pisces geminos, & farris fragmina quinq;.
Hoc, inquit, satis est. tum mox discumbere plebem,
Gramineisq; toris iussit componere membra,
Suspiciensq; dehinc cœlum, genitore precato,
Ipse duos pisces & quinq; ex ordine panes
Diuidit, & dapibus mensas onerauit opimis.
Iamq; expleta iacet (dictu mirabile) plebes,
Relliquiasq; dehinc mensis legêre ministri,
Bis senosq; sinus cophinorum fragminis implent.
B Cœnantum numerus tum millia quinq; uirorum,
Præterea populus matrum fuit, & puerorum.
Discipulis tunc inde iubet conscendere nauem,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes
In sua quenq; uiros. tunc montis celsa petiuit,
Secretusq; dehinc genitoris numen adorat.
Iamq; soporata torpebant omnia nocte,
Cùm puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Iactata aduerso surgentis flamine uenti.
Ast ubi iam uigilum quarta statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens Lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis, sicco uestigia gressu
Suspensus carpebat iter, mirabile uisu.
Iamq; propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo uibrabant corda pauore,
Clamoremq; simul confusa uoce dederunt.
Tũ pauidis Christus loquitur: timor omnis abesto,
Credentumq; regat uegetans constantia mentem.
En ego sum, uestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus:
Si tua nos uerè dignatur uiscere uirtus,
Me pariter permitte tuo super æquora iussu
Fluctibus in liquidis immersos figere gressus.
Annuit his Dominus, nauem mox linquere Petrus
Audet, & innixus figit uestigia ponto.
Verùm ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, uentiq; minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ ualidum fidei gestabant æquora robur.
Iamq; Simon medio submersus corpore, clamat:
Fluctibus horrendis pereuntem diripe Christe.
Dextera confestim protenditur obuia Petro,
Et dubitata fides uerbis mulcetur amaris,
Ascensæq; rati contraria flamina cedunt,
Præsentemq; Dei sobolem stupuere rogantes,
Cuncti nauigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta feruida puppis,
Optatumq; grauis cõprenderat anchora portum.
Conueniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, uestisq; attingere fila
Extrema exoptant, (mirumq;) hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.
Ecce Pharisæi, Scribæq; hinc inde dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta:
Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis ueterum? manibus nam cura lauandis
Præterit, assumuntq; simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur: Magis hoc est quærere dignum,
Transgressi mandata Dei quòd proditis omnes.
Nanq; Deus mortem defixa lege minatur,
Si genitor cuiquam uerbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati uerbis pulsetur acerbis.
Irrita uos isthæc facitis, peruersa docendo,
Quàm manifesta uigent de uobis dicta prophetæ?
Me populus summis labijs sublimat honore,
Sed diuersa procul cordis secreta pererrant.
Accipite ergo omnes, aatresq; aduertite cordis.
Non illata homini (fuerint quæcunq;) pudẽdis
Sordibus aspergent, uitæue animóue sedebunt:
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam miserè maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quòd uerba loquẽtis
Occulto traherent Scribarum pectora risu.
Ille dehinc, genitor plantarum semina noster,
Quæ non ipse sui conseuit in æquore ruris,
Abijciet penitus radicibus eruta longè.
Cæcus fortè ducem cæcum si nactus oberret,
Decidet in foueam pariter demersus uterq;.
Tunc petit absolui Petrus, quid quæstio uellet,

ii 3 Ipse

Ipse Pharisæis quam mox scribisq; dedißet.
Tum sator æternæ respondit talia uitæ:
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Iussa, nec admittit mentis dubitatio lucem?
Nam quæcunq; hominum ueniunt extrinsecus ori,
In uentrem cedunt, animoq; incognita currunt.
Quæ uerò interno concepta è pectore promunt
Ora hominum, mentem poßunt aspergine labis
Polluere, immundoq; hominem maculare piaclo.
Secreto cordis promuntur noxia uitæ
Consilia, & cædes, & furta nefanda thororum,
Et fraudes, fallaxq; hominum pro testibus error,
Et rabidæ cœlum pulsans insania uocis.
Hæc sunt quæ maculent hominē, quæ sordibus im/
Illotis autem manibus non polluit unquam, (plent.
Corporis arbitrio terrenum sumere uictum.
Hæc ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorū,
Sidonem, Tyrumq; petit: cùm fœmina fusis
Crinibus & precibus, natam causata iacentem,
Voluitur, & tacitum non desinit anxia Christum
Orare, ut mentem uexatam dæmone sæuo
Redderet, & miseræ tandem resipisse liceret.
Tunc etiam precibus sectantum discipulorum
Respondit, proprias genitoris malle bidentes
Cogere, quas uanus latè dispersérat error.
Crebrius instanti, tum talia fatur Iesus:
Natis quisq; suis panem non detrahet unquam,
Et canibus iaciet. tum talia fœmina fatur:
Micarum saltem canibus sua portio mensæ
Decidit, & nihilo dominorum cœna grauatur.
Tum Dominus loquitur: ueniant tibi digna salutis
Præmia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.
Talia Saluator uerbis & uoce loquutus,
Virginis & mentem, discusso dæmone, uirtus
Complexam impleuit donis fœcunda salutis.
Inde Galilæas repedat Saluator in oras,
Præcelsiq; procul montis consedit in arce.
Haud mora, conueniunt populi, secūq; trahebant
Pars captos oculis, & crurum debile uulgus.
Elinguesq; alios, morbiq; uocabula mille.
Omnibus ille tamen languores dempsit amaros,
Viribus & ualidis uenerando munere donat.
Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
Aeternoq; Patri laudes gratesq; celebrant.
Discipulos Christus cogens in uertice montis,
Secretè alloquitur: Plebis miseratio multa est, A
Tertia nam terris remeant iam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum.
Ieiunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa uiantes.
Discipuli Christo ostendunt, septem sibi panes
Esse, & pisciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum iußit terræ per terga cubare,
Quodq; fuit, totum proprijs decerpere palmis,
Et cunctæ curat mensatim tradere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusq; repletur
Ad satiem dapibus, relegunt mox fragmina panis,
Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quatuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quisquam matres pverosq; notauit.
Inde Mageddarum naui transcurrit in oras.
Ecce Pharisæi, Sadducæiq; dolosi
Poscere tentantes instant cœlestia signa.
Sed Christus cernens fallacia pectora fatur:
Conuexum quoties claudit nox humida cœlum,
Si ruber astrifero procedit uesper olympo,
Dicitis: adueniet uentura luce serenum.
Iamq; sub exortu solis si tristia rubro
Nubila miscentur confusa luce colori, B
Dicitis, agricolis nautisq; uenire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumq; furores.
Fallaces, nostis faciem discernere cœli,
Seclorum uerò nescitis tempora signis
Explorare suis, sed uobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam uenêre profundo,
Bellua cùm tenuit, uentris sub carcere, uatem.
Hæc ait, & properè puppis retinacula soluens,
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
Arua Philipporum, socijs hæc talia fatur:
Sollicitè uobis uitentur noxia farra,
Fermentumq; ferox uestris auertite mensis,
Illa Pharisæi Sadducæiq; dolosi
Admiscent escis, falluntq; in nomine panis.
Cur uobis tacitas uoluit contatio mentes?
Proh quàm parua fides sensu torpente fatiscit?
Dicitis auersi, naui quòd tollere panes
Non fuerit uobis uacuum, farrisq; cauendas
Insidias iubeam: meminisse & scire putabam,
Quòd panes quini plebis mihi millia quinq;
Implerint dapibus, cophinisq; superflua tantis
Fragmenta

A Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum.
Quatuor & rursum cœnantum millia panes
Quod facile implerint septem, sportasq; referri
Vidistis rursus completas relliquiarum.
Sed moneo, istorum semper fermenta cauenda.
Discipuli tandem uitalia uerba sequuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Inde ubi peruētū est liquidi per terga profundi,
Clara Philippæo qua pollent nomine rura,
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit quem se populorum fama putaret.
Respondent, multas plebis tunc esse loquelas.
Crebrius audisse, & multos firmare, quòd esset
Iustus Ioannes, populos qui flumine lauit.
Pars memorat uolucris famæ sibi cognita uerba,
Eliam uenisse iterum, quem præpete cursu
Turbine cœlesti quondam simulata quadrigis
Astris inseruit rapidæ uis feruida flammæ.
Ieremiam dixere alij, pars esse prophetam.
Tunc Christus cunctis arridens pectore blando,
Conquirit quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus: Tu sancti filius, inquit,
Christus, magnifico terras qui lumine comples.
B Tum Dominus forti respondet talia Petro:
Petre beatus eris, nam talia pandere certè
Humanus sanguis, uel terræ portio corpus,
Haud unquam poterit: genitoris munera sola
Possunt tam ualidum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna uirtute tueris,
Hac in mole mihi saxiq; in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Inferni domus hæc non exuperabile portis
Claustrum, perpetuo munitum robore habebit.
Cœlestisq; tibi claues committere regni
Est animus, terrisq; tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cœlis pariter nodata manebunt.
Soluerit & rursus tua quæ sententia terris,
Haud aliter uenient cœli sub sede soluta.
Sed uos discipuli Christum me dicere cunctis
Parcite, quò soli, cognoscant talia, digni.
Iam lux adueniet properis mihi cursibus instans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona furore
Eximios uatum saturabit sanguine nostro.
Ast ubi sol reddet tertius luciftuum ortum,
Consurget radijs pariter redimita salutis
Vita mihi, cunctisq; dabit sua munera terris.

Tunc Petrus magno perculsus corda dolore:
Absint Christe tuis, inquit, tam tristia sanctis
Mōstra procul mēbris, nec fas est credere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere casus.
Christus ad hæc procul hinc, inquit, procul effuge
Nil diuina tibi mentē prudentia tangit, (dæmon,
Sed terrena sapis, molliq; timore tremiscis.
Sed si quis uestrum uestigia nostra sequetur,
Abneget hic sese, corpusq; animamq; recusans,
Atq; crucem propriam comitatibus addere nostris:
Gaudeat, amissam redimet cui gloria uitam.
Nam seruata perit terris possessio lucis.
Sed quid proficient secli mortalia lucra,
Si damnum pariant uitæ, lucisq; perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis ueniet sub nomine patris,
Cœlestesq; illum fremitu comitante ministri
Stipabunt, reddetq; hominum sua debita uitæ.
Vera loquor: certos istic sub limine lucis
Inueniam, cœli fulgens cùm regna capessam.
Hæc ubi dicta dedit, passus bis terna dierum
Lumina conuexo terras transcurrere cœlo,
Tum secum iubet abruptum conscendere montem,
Petrum, Zebedeiq; duos per deuia natos.
Inde ubi peruentum est secreti montis in arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, uestisq; niuis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumq; assistere sanctis
Eliæ Mosiq; uident. tum talia Petrus:
Respice num nobis potius discedere longè,
An ne istic tantæ spectacula cernere molis
Conueniat? trina attamen hic tentoria uobis,
Si iubeas, frondis faciam diuersa paratu,
Singula sub noctem quæ uos aulæa receptent.
Talia dum loquitur, cœlo præfulgida nubes
Circumiecta oculis, uestibat lumine montem,
Et uox è medio lucis manifesta cucurrit:
Vnicus hic meus est natus, mea summa uoluptas,
Huius iustitiam iusto comprændite corde.
Discipuli pauido presserunt corpore terram,
Nec prius è prono uultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi quam dextera tactu
Demulcens blandis firmasset pectora uerbis:
Surgite, & abiectum fortes calcate timorem.
Gloriæ & huiusce expertes uos reddite cunctos:
Nec cuiquam præsens pandatur uisio uobis,

Ni prius huc hominis soboles speciosa reportet
In lucem referens mortis de sede trophæa.
Consurgunt, solumq; uident, & uoce requirunt,
Cur scriptis ueterum Scribarum factio certet,
Eliam primùm cœli de sede reuerti
In terras, Christiq; dehinc consurgere lucem.
Christus ad hæc: ueniet certo sub tempore iustus
Elias, reddens mox omnia debita seclo.
Sed si quis credit, iam uenerat antè renascens,
Ignotum ueluti rabies quem cæca furoris
Demersit letho: mox sæuior altera cædes,
En hominis nato trucibus laniatibus instat.
Hæc ait, & populũ repetit, montẽq; relinquit.
Ecce sed inflexis genibus, fletuq; solutus
Vir senior, precibus Christum ueneratus adorat:
Dauidis soboles, hominum lumenq; salusq;,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddasq; seni solatia uitæ.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, & in liquidas deiectum proijcit undas,
Aut miserum medio proiectum uoluit in igni.
Nam tua discipuli sectantes iussa, frequenter
Connisi, nulla in solidum mihi dona dederunt.
Tunc Christus magno commotus corda dolore:
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar uobiscum me fore terris?
Sic ait, & puerum mandat perferre parenti
Ante suos uultus. tum uocis pondere multo
Incubuit, mentisq; simul conuulsa uenena
Dæmonis horrendi, purgato corde, fugauit.
Discipuli rogitant, cur non successerit illis
Eiusdem pueri toties tentata medela.
Respondit Dominus: titubat quia pectore uestro
Instabilis fidei nutans per lubrica gressus.
Nam si tanta foret credendi portio uobis,
Instar quæ minimi posset præstare sinapis,
Istius hinc montis poteritis uellere uerbo,
Inq; alias sedes cunctam transuoluere molem.
Nam genus hoc morbi duntaxat uota precesq;,
Multaq; robusti ieiunia pectoris arcent.
Inde Capharnitum gradiens peruenerat oras.
Conuenere Petrum, quibus instat cura tributi,
Soluere poscentes solidum pro nomine Christi.
Ille sed ad Petrum conuersus, talia fatur:
Dic, inquit, reges, quorum dependere natos,
Externos, proprios' ne, sibi iussere tributa?
Respondit Petrus: alienos soluere certum est. A
Cernis, ait Christus, natum non soluere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum suscipe nostrum:
Et maris undisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa, Simon, hamusq; profundo,
Stamine setarum connexus præcipitetur:
Hæserit & curuo qui primus acumine piscis,
Huius pandantur scissi penetralia uentris,
Illic inuentum duplex dissolue tributum.
Discipuli pòst inde rogant, quis maximus alto
In cœli regno meritis pro qualibus esset?
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, & placido doctor sermone profatur:
Istius en similem pueri se reddere certet,
Quisq; cupit celsam cœli conscendere sedem.
Erroris laqueos seclis increscere certum est:
Sed tamen infelix, per quem generabitur error.
Qui uerò è paruis istis deceperit unum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
Præcipitemq; maris sese iaculetur in undas.
Nec quisquam fastu paruos contempserit istos.
Horum custodes cœlest. in sede tuentur
Altithroni uultum genitoris, sidera supra.
Sed si quis pastor, cui pascua credita tondent B
Centum balantes, unam cum fortè seorsum
Nescius error habet: quæsitor deserit omnes,
Vnius & totis lustrat uestigia siluis.
Illam si magno possit reperire labore,
Lætitia inuentæ maior tum nascitur agnæ,
Quam pro cunctarum numero quod nulla resedit.
Ex istis paruis genitor sic perdere quenquam
Non patitur, gaudetq; suis increscere regnis.
Si fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solus.
Si tua uerborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua solius contemnet uerba reluctans,
Tunc alius pariter monitor pia iussa frequentet.
Sed si decutiet doctorum frena duorum,
Tunc ad concilium referantur crimina plenum,
Vt populi saltem sanetur pondere uictus.
Sin & multorum contempserit efferus ora,
Sit tibi diuisæ mulctatus nomine gentis.
Namq; in concilium semper præsentia nostra
Adueniet, mediumq; duûm me stare necesse est,
Siue trium fuerit cœtus sub nomine nostro.
Tum

A Tum Petrus quærit, quot fratri errata remittat?
An septem lapsus homini indulgere liceret?
Christus prosequitur: non septem crimina tantum,
Sed decuplata super donentur uulnera fratri.
Nam cœli regnum domino prædiuitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Iusserit, & seruum debentem multa talenta
Præcipit abreptum cum coniuge, progenieq́;,
Atq; opibus cunctis uænali nomine sisti.
Tum seruus dominum prostrato corpore adorat,
Et spondet, spacij sibi si foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino dissoluere summam.
Commouit Dominum famuli miseratio flentis,
Cunctaq́; trans meritum concessit debita seruo.
Ille sed egrediens, conseruum limine in ipso
Nactus constringit: tum debita fortius urget
Persolui, precibusq́; locum truculentus ademit,
Carceris & mersum tenebris pœnisq́; premebat.
Quæ postquàm dominus famulorũ noscere uerbis
Incipit, adducto ingeßit iustißima seruo
Dicta dolens, iramq́; mouet, iußisq́; seueris
In tormenta ferum detrusit, cuncta reuoluens
Debita, dum dignas lueret per uincula pœnas.
Sic uobis faciet genitor, qui culmina cœli
Poßidet, immites sæuo si pectore fratrum
Peccata orantum durè punire uoletis.
Talia dicta dedit, Galilææq́; arua reliquit,
Iudæamq́; petit, quà pinguia rura silenter
Agmine Iordanis uiridis prorumpit amœno.
Nec minus in stratis ægris donare salutem,
Sublimisq́; patris concedere munera perstat.
Ecce Pharisæi tentantes quærere pergunt,
Coniugis an liceat reiectum scindere uinclum,
Quicquid erit, læsi tanget quod corda mariti.
Hæc ubi percepit, depromit talia Christus:
Principiò Deus in terris par, dispare sexu,
Constituit, iußitq́; uno de corpore necti,
Amborumq́; animos iunctis inolescere membris.
Quod Deus ergo iubet proprio cõcrescere uerbo,
Illicitum est homini fœdo secernere luxu.
Moses præcepit (quòd pectora dura uideret)
Scribere dißidium, quo saxea corda reuinci
Per proprios apices poßint sub iudice flamma.
Nam temere exoluet casti qui iura cubilis,
Alteraq́; illius thalamis sociabitur uxor:
Crimen adulterij populo sub teste subibit.
Discipuli referunt, urget lex ista uirorum,
Seruitijq́; premit non æquo pondere partem,
Vt melius fuerit thalamis caruisse perosis.
Respondit Dominus: non omnes pondere tanto
Subijcient humeros. lectæ sunt talia dona
Virtutis. primo truncantur corpora more,
Quæ nulla gaudent genitali lege thororum.
Nanq; alios tales progigni in luminis oras
Comperimus, plerosq; hominum uis ferrea sexu
Exuit, ast alios ipsos sibi demere constat
Pro cœli regnis pronum de pectore amorem.
Quisq; capax fuerit, celsa uirtute capessat,
Quod paucis, lectisq́; Deus uult pandere, munus.
Hæc ait, & pueros quos gaudens cura parẽtum,
Cum precibus læti certatim hinc inde ferebant,
Suscipit, & plebem sectantum quòd prohiberet,
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cœlestis. sanctas hinc ordine palmas
Imponit, redditq́; ulnis portare parentum.
Ecce sed è populo iuuenis, cui rura domusq́;,
Et gazæ stabat rerum possesio fulgens,
Accedit, Christumq́; palàm submissus adorat:
O bone præceptor, dic nunc quæ facta sequamur,
Vt mihi perpetuam liceat comprendere uitam.
Huic autor uitæ tum talia reddit Iesus:
Nunc demum quæris, ueteri quæ lege tenentur.
Non hominis perimes uitam, non furta thororum
Inuades, quæstumue alienis noxia rebus
Mens aut dextra leget, non testis falsa loquêris.
Sit genitor genitrixq́; tuo sublimis honore,
Proximus & puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc: ista hæc semper mihi perpete cura
Obseruata reor. sed ne quid forte relictum
Desit, præsenti liceat me uoce moneri.
Tum Christus fatur: nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis uestigia uitæ,
Omnia quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, & miseros confer securus egentes.
Tunc thesaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutisq́; tenax uestigia nostra sequêris.
Hæc adolescentis ueniunt ubi dicta per aures,
Deiecit uultum, tristisq́; in tecta refugit.
Tunc sic discipulis uitæ spes unica fatur:
Difficile est terris affixos, diuite gaza
Auelli, cœliq́; leues in regna uenire.
Nam citius tenuis per acus transire foramen

Deformis poterunt immania membra cameli,
Quàm queat ut diues cœleſtia regna uidere.
Talibus attoniti comites,ſtupidiq; ſilebant,
Voluentes quæ tanta foret ſub pectore uirtus
Humano,talem poſſet quæ prendere uitam.
Reſpicit æterne iuſtorum gloria uitæ,
Atq; ait:hæc homini forſan uideantur acerba,
Sed Deus electis facilem præpandit in æthra,
Poßibilemq; uiam,uirtus quam celſa campeßit.
Tum Petrus fidei munitus mœnibus,infit:
Omnia noſtra olim proiecta reliquimus omnes,
Et tua iuſſa ſequi nobis ſpes unica reſtat.
Quid noſtris animis ſupereſt?dic Chriſte,preca-
Talibus ad Petrum uerbis reſpondet Ieſus: (mur.
Vos quicunq; meum mentis penetralibus altis
Credentes ſeruatis iter,cùm ſederit altè
Progenies hominis,celſo quem cinget honore
Maieſtas,bis ſex illic pulcherrima uirtus
Conſtituet uobis ſublimi in uertice ſedes,
Iudiciumq; hominum pariter tractare licebit,
Hic quicunq; ſui linquet generisq; domusq;
Gazas,affectusq; omnes pro nomine noſtro,
Centuplicata dehinc capiet,uitamq; perennem.
Primorum meritum poſtremi tranſgredientur,
Vltima præteriti capient uix præmia primi.
Sedulus ut ruris dominus,cui dulcia fundum
Pinguibus in campis latè uineta coronant.
Hic ubi progreſſus primo cum lumine ſolis,
Conduxit iuuenum fortißima robora,pactus
Vnius in lucis certa mercede laborem,
Et ſua tum iußit cultu uineta polire.
Ipſe ſed egrediens ubi tertia uenerat hora,
Inuenit ecce alios,ad opus quos ire iubebat,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta ſequuntur.
Aſt ubi ſexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud ſecus hinc alios iuuenes conducere pergit.
Horaq; nona dehinc ubi ſolis curſibus acta eſt,
Tunc alios pariter conductos iußit adire.
Vltima labentis reſtabat portio lucis,
Egreſſus cernit iuuenes,cauſasq; requirit,
Cur pigris manibus torperent ocia lenta.
Conductor (reddunt ipſi) quòd nulla dediſſet
Iuſſa ſibi.dominus mox hos inſiſtere ruri
Tunc etiam iußit.ſed ueſpere protinus orto,
Præcipit ut cuncti caperent mercedis honorem,
Aequaliq; omnes portarent præmia nummo. A
Tunc manus illa uirûm,prima quæ luce laborem
Suſtulerat,factisq; diem tolerauerat æquum,
Indignans,ſecum tali cum murmure fatur:
Iniuſtum eſt,iſtos ſimilem ut nos,quærere nummũ,
Vltima quos operi ſero conduxerat hora.
Tum dominus ruris ſedato pectore fatur:
Illibata tibi mercedis portio ſaluæ
Redditur,& pacti ſeruantur iura fidelis.
Iſtis de noſtro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomerauit portio ruri.
Nam multos homines dignatio ſancta uocauit,
E quîs per minimam dignum eſt ſecernere partem.
Hæc ait,et Solymos repetit,comitesq; ſeorſum
Alloquitur,Solymisq; iterum regionibus infit,
Ingredimur gnari,truculentaq; mœnia adimus:
Filius hîc hominis tradetur ad ultima mortis,
Scribarum procerumq; ferens ludibria membris,
Affixusq; cruci,poſt tertia lumina ſurget.
Hîc tum Zebedei coniunx ſubmiſſa rogabat,
Vt Chriſto medio,cœli ſublimis in arce,
Felices nati dextra læuaq; ſederent.
Tum quærit Chriſtus,calicem ſi ſumere poſſent,
Quem ſibi præceptis inſtaret ſumere patris. B
Reſpondent,ſe poſſe ſimul. tum talia Chriſtus:
Vos noſtrum calicem fas eſt potare:ſed altis
Sedibus æquali mecum conſidere honore,
Non hoc noſtra dabit cuiquam pro munere uirtus,
Hæc certis genitor ſublimia dona reſeruat.
Exin diſcipulos dictis pro talibus omnes
Commotos,tali ſermonis mulcet honore:
Gentibus infidis celſa ditione poteſtas
Imponit,quoſcunq; uelit,dominatur eorum,
Exercentq; trucem ſubiectis urbibus iram.
Vos inter longè tranquillior æquora uitæ
Concordi ſternit mitis moderatio pace.
Magnus & obſequijs creſcit ſuper alta miniſter:
Nec primus quiſquam,niſi cunctis ſeruiat,unus
Eſſe poteſt.hominis natus ſic cuncta miniſtrat,
Obſequio ſolus proprio pia munera geſtans,
Pro multisq; animam precioſo ſanguine ponit.
At uos ex minimis opibus tranſcendere uultis,
Et ſic è ſummis lapſi comprænditis imos.
Si uos quiſq; uocat cœnæ conuiuia ponens,
Cornibus in ſummis deuitet ponere membra,
Quiſq; ſapit;ueniet forſan ſi nobilis alter,

Turpiter

A Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per ſumma locarat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorq́; dehinc ſi mox conuiua ſubibit,
Ad potiora pudens tranſibit ſtrata tororum.
Proxima tũ Solymis cõſcẽdit culmina montis,
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis oliuæ.
Hinc lectis iuſsit ſectantum diſcipulorum,
Obuia caſtelli monſtrans habitacula Chriſtus,
Inde aſinam pariter fœtu comitante repertam
Ducere.uel ſiquis cauſſam diſquirere uellet,
Cur ſua tam ſubito quoquam iumenta trahantur,
Reddere huic:noſtro nunc ijs opus eſſe magiſtro.
Diſcipuli celeri complent præcepta paratu.
Adducunt,mollisq́; ſuper uelamina ueſtis
Inſternunt placidum pullum,præbentq́; ſedendum.
Hinc ueteris quondam fluxit uox nuncia uatis:
Ecce uenit placidus tibi rex,quem terga ſedentem
Præmitis geſtant aſinæ,pulliq́; ſequentis.
Tum populi ſtratas prætexunt ueſtibus omnes,
Quaq́; iter eſt Chriſto,ſubnexa fronde coronant.
Proxima tunc alij ſpoliant palmeta uirore,
Conclamantq́; omnes Dauidis origine creto,
B Oſchanna excelſis ſit gloria læta trophæis.
Sic adeò ingreditur Solymorum mœnia Chriſtus.
Ingreſſo occurrit primo ſub limine templi
Cruribus atq; oculis certatim debile uulgus.
Quos ubi tam ſubitò greſſu,uiſuq́; uigentes
Cuncta ſacerdotum cognouit factio,mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore,
Oſchanna egregia Dauidis ſtirpe creato,
Tum percontantur cuncti,quæ cauſa canôris
Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
Chriſtus ad hæc inquit:legis uos ſcripta tenere
Creditur, infantum quæ dicit ab ore uenire,
Lactentum & linguis iuſti conſurgere laudem.
Hæc ait,ingratam linquens cum ciuibus urbem,
Bethaniamq́; petit:rediensq́; in margine cernit
Stratæ,tendentem diffuſa umbracula ficum.
Illic fortè cibi pertentans corda uoluntas,
Arboris attrectat ramos,ſed nulla facultas
Pomorum ſterili frondis concreuerat umbra.
Olli Chriſtus ait:non ſit tibi fructibus unquam
Copia promendis:tunc protinus aruit arbos.
Diſcipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Chriſtus ſtupidis aſsiſtens talia fatur:
Nunc ligni iſtius noſtro ſtupuiſtis honore
Deſiſſe ad uires,terrenos ducere ſuccos.
Sed ueris uerbis iterumq́; iterumq́; monebo:
Nanq; fides ſi certa animi conſiſtet in arce,
Nec dubijs nutans uicijs tremebunda iacebit,
Arboris iſtius uobis ſubſtantia cedet:
Nec tantùm iſtius,ſed montis celſa reuelli
Credentum uerbo poterunt,undisq́; profundi
Cum ſiluis pariter,ſaxisq́; ferisq́; recondi.
Et quæcunq; fides robuſto pectore poſcet
Credentum,ſemper digna uirtute tenebit.
Hæc ubi dicta dedit,templi ſe mœnibus infert,
Confeſtim proceres populi,miracula rerum
Collecti inquirunt,uirtus quæ tanta dediſſet.
Ollis Chriſtus ait:quærentibus omnia uobis
Dicere iam facile eſt,ſi nobis ueſtra uiciſsim
Percontata prius paucis ſententia ſoluat.
Nuper Ioannes puro qui gurgite lauit
Sordentes populi maculas,diuina poteſtas,
An'ne hominis potius uobis fallacia uiſa eſt?
Hæc ait,ancipiti uerborum pondere claudens
Captantum procerũ mentẽ.nam magna prophetã
Plebis Ioannem ueneratio ſuſcipiebat,
Nec poterant eius fallacem dicere uitam.
Rurſus ſublimem dixiſſent ſi eſſe prophetam,
Occidiſſe illum,traheret confeſsio culpam.
Se neſcire tamen reſpondit factio fallax.
Tum Chriſtus:non eſt iniuſtum claudere uocem,
Cùm mihi claudantur procerum reſponſa ſuperba.
Nam geminæ prolis genitor,maioris in aures
Talia dicta dedit:uitis mihi portio maior
Semiputata iacet:ſed perge, & robore forti
Nũc ſcrobibus,nũc falce premens,uineta retunde.
Tum iuuenis,ſeſe tam ſordida uincla laboris
Nolle pati memorat:pòſt ,omnia iuſſa parentis
Exequitur,duræ damnans reſponſa loquelæ.
Pòſt alium natum ſimili ſermone iubebat
Ad uineta ſui dependere iuſſa laboris:
Annuit his iuuenis,nec dictis facta repenſat.
Dicite,uter potius genitoris iuſſa ſequatur?
Illi collaudant nati reſponſa prioris.
Proſequitur Chriſtus:nunc uera aduertite dicta,
Iam magis hinc cœli ſedem comprendere certũ eſt,
Corporis è uitijs quærentes ſordida lucra,
Quàm ueſtrum quenquam . uobis nã uenerat ante
Iuſtus Ioannes,ſed non eſt credere ueſtrum.

Nanq; fidem potius meretricum pectora certam
Hauſerant, ſordesq́; animi poſuere pudendas:
At uos tantorum ſcelerum nil pœnitet unquam.
Sic quidam diues, cui iugera multa nitentis
Vineti ſæpes circumdenſata coërcet,
In medio turrem prælumq́; & dolia fecit,
Cultoresq́; dedit, fructusq́; locauit habendos,
Impoſitam ſtatuens mercedis ſoluere legem.
Tum longinqua petit. ſed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, quis portio ſalua
Cultorum certa ruris mercede daretur.
Ecce colonorum rabies hos uerbere ſæuo,
Aſt alios lapidum proterrent undiq; telis,
Deniq; lethali proſternunt uulnere multos.
Tum dominos ruris plures incedere ſeruos
Præcipit, & rurſum mercedis pacta repoſcit.
Maior at implures audax iniuria ſurgit.
Vltima iam domino natum dimittere mens eſt,
Quòd ſobolem partemq́; ſui uis digna pudoris
Cultorum cordi uenerandam poſceret eſſe.
Sed contrà illorum iam mens maculata cruore,
Progenie extincta domini ſibi pòſt dominatum
Cedere credentes, crudeli uulnere fixum
Obtruncant, iaciuntq́; foras trans ſepta cadauer.
Pòſt hæc iam dominus ueniet, pœnasq́; repoſcet
Tantorum ſcelerum: ſed uobis tradita quondam
Fulgentis regni ſedes, translata feretur
Ad gentem, dignos poſſit quæ reddere fructus.
At rex qui nato thalamorum uincula nectens,
Præcepit, proceres conuiuia læta frequentem,
Accitos famulos uoti regalis honorem
Concelebrare ſimul, cuncti ſed adire recuſant
Regales thalamos, regalis pocula menſæ.
Pòſt alios mittit, ſeſe largiſſima cuncta,
Magnificasq́; dapes, conuiuia læta paraſſe.
Illi neglectis dapibus diuerſa petebant:
Hîc ædes proprias, hîc ruris tecta propinqui,
Aſt alius potius merces ac lucra reuiſit.
Multi præterea miſſos, qui ad læta uocarent,
Inſontes famulos rapiunt, & corpora ferro
In mortem cruciant. tum rex, ubi comperit acta,
Millibus armatis ciues cum mœnibus ipſis
Subruit, effuſi famulorum ſanguinis ultor.
Tunc ſeruis fatur: nunc feſta iugalia cœnæ
Prælargis dapibus quæcunq; inſtruximus illis,
Contempſere meis proceres contingere menſis.

Ite igitur properè per publica ſepta uiarum, A
Et quoſcunq; illic caſus glomerauerit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete uocantes.
Progreſſi famuli per compita cuncta uiarum,
Inuentos duxere ſimul: iam deniq; cunctæ
Complentur menſæ, mixtæ ſine nomine plebis.
Hic iuſti iniuſtiq́; ſimul cubuere uocati.
At rex ingreſſus, conuiuia læta reuiſit,
Hîc uidet indutum pollutæ ueſtis amictu,
Lætitiæ thalami fuerat quæ diſſona longè.
Isq́; ubi regalis ſermonis pondere cauſas
Reddere pro ueſtis maculis & labe iubetur,
Oppreſſo tacuit non puri pectoris ore.
Et tum conuerſus famulis rex præcipit, illum
Connexis manibus pedibusq́; & corpore toto,
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic ſtridor erit uaſti ſine fine doloris,
Et ſemper fletus. multis nam ſæpe uocatis,
Paucorum felix hominum ſelectio fiet.

LIBER QVARTVS.

Talia dicentem confeſtim factio frendens
Tentare aggreditur uerbis cũ fraude malignis:
Certum eſt, ueridicum te nunc ueniſſe magiſtrum,
Nec quenquam metuens, domini ueſtigia ſeruas. B
Dic ergo, an liceat noſtræ diſſoluere genti
Cæſaris urgentis ſemper ſub lege tributum?
Ille ſed inſpiciens ſæui penetralia cordis:
Cur tentatis, ait, nunc me concludere uerbis?
Fallacis mentis prodit fallacia fructum.
Aſpicite en nummum, ſculptiq́; nomiſmatis æra,
Cæſaris expreſſum proprium eſt ibi cernere uultũ.
Soluite nunc illi proprium ſub lege tributum,
Atq; Deo proprium legis ſeruetis honorem.
Pòſt Sadducæi tali cinxere latratu:
Moſea qui legum poſuit præcepta, iubere,
Si quis coniugium properata morte relinquet,
Pignoribus medijs nondum de germine cretis,
Huius germano rurſus ſociabile uinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapſi.
Finibus in noſtris ſeptem germana fuerunt
Corpora, ſed maior natu cùm uincula nuptæ
Sumpſit, præceleri cecidit ſub acumine mortis.
Pòſt alius frater thalami ſine fructibus æquè
Concidit, & cuncti iacuere ex ordine fratres,
Vnius & cunctos fletus gemuere maritæ,
Pòſt ipſam rapuit gelidæ inclementia mortis.

A Si uenient igitur cuncti sub lumina uitæ,
Cuius connubijs mulier reddenda resurget?
Ollis Christus ait: errori obnoxia prauo,
Legibus, & iussis Domini mens dura resistit:
Nanq; sequenda dehinc lætæ reparatio uitæ,
Non thalamos nouit, non terræ gaudia uana:
Sed similes leuibus genitoris iusta ministris,
Constituet regni uirtus sublimis in aula.
Nec Deus illorum dominum se ponere mauult,
Qui tetram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius uitæ possunt qui prændere lucem.
Ecce alij rogitant, quæ sit firmissima legis
Regula, quod summum comprændat cætera uerbũ.
Ille indefessus, nulli responsa negabat.
Sublimem cœli dominum deuotio cordis
Diligat: est isthæc uirtus firmissima legis.
Consimile est isti: magno teneantur amore
Ad ius fraternum iustæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia iussis.
Sed uobis, cuius soboles uentura uidetur
Christus, quem cuncti spondent in secla prophetæ?
Respõdent, illum Dauidis germine nasci.
Prosequitur Christus: cur illum dicere Dauid,
B Diuino flatu scriptum est, Dominumq; Deumq;?
Quòd proprio patrem non æquũ est dicere nato.
Talia Saluator, cuncti obstupuere silentes.
Ille sed accita credentum plebe, profatur.
Aspicite Scribas sublimi sede superbos.
Hi quæcunq; docent, iustũ est comprændere cordis
Obsequio, maculas ipsorum temnite uitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera uestris,
Ipsi quæ, digito saltem, contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, fastuq; superbo,
Atq; salutantum uano tolluntur honore,
Et nomen sublimè uolunt gestare magistri.
Sed uos noluerim præcelsi nominis arcem
Affectare, tamen uobis est una magistri
Imposita æternum cœli de lege potestas.
Vos eadem fratrum parili coniunxit amore.
Vnus item pater est, cœli qui in culmine regnat:
In uobis si quis sublimia colla leuabit,
Decidet, & baratri mergetur ad ultima cœno.
Ast humilis claram conscendit liber in ætram.
Deflendi semper Scribæ, & lachrymabilis æui
Cæca Pharisææ cunctis fallacia plebis.
Nam uobis itiner clausum quia iure negatur,
Non finitis quenquam penetrare per ardua lucis,
Et cunctos trahitis sæuæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulcris,
Quis facies nitida est, internaq; turpia bustis.
Sic uox uelatur iustæ sub imagine uitæ,
Atq; adytis mentis cælantur sordida corda.
O Solymi Solymi, ferro qui sæpe prophetas
Ad uestram missos uitam sine fine necastis,
Quàm uolui uestram gentem populumq; tueri,
Ales uti molli solita est sub corpore pullos,
Obijce pennarum circumcomplexa fouere?
Sed uobis semper cœlestia munera sordent:
Deseritur iam nunc domus hæc uastata ruinis.
Nec uobis nostrum fas ultra est cernere uultum.
Egreditur templo, cuius præcelsa notantes
Mœnia discipulos, tali sermone docebat:
Hæc operum uobis miracula digna uidentur
Obtutu stupido. ueris sed discite dictis,
Quòd mox cuncta solo passim disiecta iacebunt.
Hæc ad Oliueti dicens peruenerat arcem.
Discipuli solum postquàm uidere, rogabant
Vt sibi uenturi tempus distingueret æui,
Promissa ipsius quem poscant prændere finem,
Cuius & aduentus terræ consumeret orbem.
Quærentum uerbis respondet talia Christus:
Obseruate dolum, falso ne nomine capta
Credulitas laqueis errantum præcipitetur,
Discurrent cunctis bellorum incendia terris.
Sed uos præualido consistite robore cordis,
Ne mens accepto iaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prælia finem.
Gentibus & gentes & regibus obuia reges
Signa ferent, nec tunc morbi corrumpere tractum
Aeris, aut pestes prosternere corpora parcent.
Fissa etiam solido per inania pondere tellus,
Per diuersa loci, motu quassante, tremiscet.
Hæc in primitijs tentamina parua manebunt.
Prodentur multi uestrum, lethoq; dabuntur,
Proq; meo uobis incumbere nomine gentes,
Tormentis, pœnisq; feris, odijsq; necesse est.
Liuor erit terris, erroribus omnia plena,
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum à uulnere pectus
Ad finem seruare queat, sublimia lucis,
Aeternis uitæ sertis redimitus, adibit.
Regnorum cœli celebratio peruolitabit

In cunctas terræ metas: gens omnis habebit
Teſtem lucifluo ſanctæ ſermone ſalutis.
Et tunc finis erit, currentia ſecula ſoluens.
Aduenıet iam tunc triſtis defectio terris,
Quæ Danielis habet iuſſam ueriſſima uocem.
Hæc dignus tantùm poterit cognoſcere lector.
Iudæi longè fugient, monteſq; capeſſent,
Nec quiſquam domibus repetet ſuſtollere ſecum,
Quæ fuga cõſociet, ueſtémue, aut mobile quidquã.
Deflendæ tum ſunt uteri cum pondere matres,
Et miſeros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poſcite iam precibus, triſtis ne frigore brumæ
Adueniat fuga ueſtra, aut ne tum ſabbatha feſta
Anceps præcipiti turbet trepidatio curſu.
Nam cunctis uenient ſæuiſſima pondera terris.
Tale malum non ſecla prius, nec poſtera norunt.
Et ni ſublimis genitor decerpere tempus,
Et numerum miſerans uellet breuiare dierum:
Nulla dehinc trepidæ ſuperarent corpora uitæ.
Sed propter lectos ueniet miſeratio iuſtos.
Nomine fallentes Chriſti, falſiq; prophetæ
Exurgent terris, & monſtra potentia fingent,
Quæ forſan lectos capient miracula iuſtos.
En prædicta patent, inſtantia ſecula uobis.
Deſertum ſi quis Chriſtum peragrare loquetur,
Occultiſq; procùl penetralibus eſſe repoſtum,
Longè credulitas abſit uaniſſima uobis.
Sicut enim fulgor cœlum tranſcurrit apertum,
Et cerni facile eſt cunctis, orientis ab oris
Vſq; ſub occiduum cœli uergentis in orbem:
Sic rapido aduentu clarebunt lumina Chriſti.
Sol rutilus furuis radios abſcondet in umbris,
Amittet curſum lunaris gratia lucis,
Ignicomæq; ruent ſtellæ, cœlumq; relinquent.
Omnis item uirtus cœli commota ſuperni,
Signa dabit, proles hominis quî uertice cœli
Clareat, omnigenaſq; tribus defectio lucis
Vrgebit, ueniet cùm nubibus ignicoloris,
Maieſtate potens hominis per ſidera natus.
Tum tuba terrifico ſtridens clangore uocatos
Iuſtos, quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præſens generatio ſecli,
Donec cuncta ſequens claudat ſibi debita finis.
Hæc tellus cœlumq; ſuper ſoluentur in ignes,
Sed mea non unquam ſoluentur ab ordine dicta.
Qui ſit at ille dies, neſcire eſt omnibus æquum,
Ni ſoli rerum domino, qui ſidera torquet. A
Vt quondam terras undæ inuoluêre furentes,
Et diuerſa ſibi tractantes munia cunctos
Diluuij rapuit ſubito uiolentia tractu:
Sic ſubitas flammas uoluens, deſcendet ab æthra
Aduentus noſter. nec cunctos ille ſub una
Conditione premet: nam tunc, ubi iugera lata
Infindent duo depreſſis ſub uomere ſulcis,
Vnus correpto tolletur corpore arator,
Ignaruſq; alius uaſto linquetur in agro.
Vno quin etiam recubantes ſtramine lecti,
Diſpar iudicium diuerſa ſorte ſubibunt.
Vnus enim ſocium quæret, per ſtrata relictus.
Idcirco famuli uigilent, quia neſcius illis
Aduentus Domini ſubitas deſcendet in horas.
Præmonitum furis tempus ſi inſiſtere ſciret
Quiſq; domus cuſtos, uigilaret, & obuia ferret
Arma procul, ruptas nè quis penetraret in ædes,
Sed uos intentis animis aſſiſtite ſemper.
Nanq; repentinus uobis ſubituſq; recurret
Filius huc hominis, iuſtis ſua præmia ſeruans.
Ille fidelis erit ſeruus, cui credere cunctas
Aedes, & famulos uoluit per longa profectus,
Vir pater ipſe domus: ſapiens, nimiumq; beatus, B
Quem ueniens dominus ſeruantem iuſſa uidebit,
Illum maiori famulum cumulabit honore.
Aſt ille infelix, qui obſcœnè luxuriatus,
Tardantem contemnit herum, famuloſq; fatigat
Verberibus, ſegniſq; indulgens ebrietati,
Luxurioſorum conuiuia concelebrabat:
Adueniet Dominus, ſeruumq; incauta furentum,
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus, ſtridorq; manebit.
Conferri poſſunt cœleſtia regna puellis
Bis quinis, quarum pars eſt ſapientior una,
Altera præſtupido pars eſt ſtolidiſſima corde.
Occurrêre illi uotis ſponſalibus omnes,
Ornatu accinctæ tedarum flammicomantum.
Sed ſapiens pars illa, ſibi quô lumina flammæ
Suſciperet, portare ſimul curabat oliuum.
Stultarum uerò non eſt prudentia talis.
Cumq; moraretur ſponſus, tum membra ſopore
Soluuntur cunctis per compita lata uiarum.
Iam noctis medio clamor crebreſcere magnus
Incepit, lætoq; dehinc occurrere uoto
Admonuit, tediſq; uias ornare coruſcis.
Surgere

A Surgere tunc properant, & claro lumine tedas
Instruere, & flammas pingui componere oliuo.
Tunc stolidæ rogitant olei sibi cedere partem,
Prudentes secum quod tunc gestare uidebant.
Sed quoniam sapiēs pauitat chorus, omnibus æquè
Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Ex paruo æqualis si detur portio cunctis.
Tunc pergunt stultæ, liquidum ut mercētur oliuū.
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ,
Et sponso tantum comitatur factio prudens.
Adueniunt fatuæ sero post tempore segnes,
Et sponsi pulsare fores, & limina clausa
Nequidquā ingemināt, precibusq; ingrata frequen
Vt liceat miseris penetrare in limina læta. (tant,
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquam,
Non sponsus uoluit: quare uigilate timentes,
Aduentus uobis quòd non est certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens seruis tractanda talenta,
Vni quinq; dedit, duo cepit & alter habenda,
Tertius unius curam tractare talenti
Suscepit, uires quoniam diuersa merentur.
Sed maior quibus est concredita portio nummi,
B Certatim duplis auxerunt munera donis.
Ille sed unius cui credita cura talenti est,
Telluri infodiens condit sine fructibus æra.
Iamq; aderat præsens dominus, tū primus & alter
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus, potioraq; credere tantæ
Promittit fidei. sed tertius ille refodit,
Reddidit & domino tali cum uoce talentum:
Quod scirem domino memet seruire seuero,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumq; tuum concredere terræ
Malui, uti semper saluum tibi reddere possem.
Tum dominus famulo respondens talibus infit:
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ ueniam concedere possem.
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat,
Vt fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostra,
Prudentiq; dehinc detur possessio maior,
Quem duplis cumulasse lucris mea quinq; talenta
Inueni: nanq; est certum, potiora mereri,
Cui res uberior cumulatæ sortis abundat.
At cui parua subest segni substantia corde,
Id minimum penitus iustè tolletur ab illo.
At nequam seruus tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.
En hominis natus ueniet, patrisq; ministris
Stipatus, celsa iudex in sede sedebit.
Tunc gentes cunctæ diuersis partibus orbis
Conuenient, iustosq; omni de labe malorum
Secernet, dextraq; libens in parte locabit,
At prauos læua despectos parte relinquet.
Vt pastor pecoris discernit pascua mixti,
Lanigeris dextræ permittens mollia parti,
At læuos hirtis dumos tondere capellis.
Sed Rex ad dextros conuersus, talia dicet:
Huc ueniant sancti, iamdudum debita sumant
Dona patris, mundo quæ sunt æquæua nitenti,
Et iustis primo promissa parantur ab ortu.
Nanq; fame fessum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potuq; sitim mihi sæpe remouit,
Hospitiumq; domus patuit mihi sæpe uocato,
Et nudus uestis blandißima tegmina sumpsi,
Carceris & pœnis horum solatia cepi.
Tum Domino tali respondent uoce beati:
Non meminit nostrum quisquam te uisere nudum,
Nec famis oppressum dura ditione rotauit,
Carceris aut pœnis meminit uidisse reuinctum.
Respondens illis dicit tum talia iudex:
Fratribus ista meis, humiles miserando labores,
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At uos iniusti iustis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam,
Quas Pater horrendis barathri per stagna profun
Dæmonis horrendi socijs, ipsiq; parauit. (di
Nanq; sitim passo quondam mihi pocula nulla,
Nec famis in pœna parui mihi fragmina panis,
Aut peregrina mihi tecti, uestisue parumper
Tegmina, de magnis gracili pro parte dabantur.
Carceris aut septo claustris, morbisue iacenti,
Vnquam uisendi solatia uestra fuerunt.
His damnata dehinc respondet factio uerbis:
Haud equidem nostrum meminit te uisere quisquā,
Aut sitis, aut sæuæ famis ægrum agitare laborem,
Hospita uel feßis errare per oppida rebus,
Carceris aut mersum pœnis, morboue grauatum,
Vt tibi sollicito fieret miseratio iusta.
His rerum dicet dominus: cum uestra superbo
Angustis rebus feritas sub corde tumebat,

Calcauitq; humiles minimos, me spreuit in illis.
Hæc ubi dicta dabit, meritis sua præmia reddet,
Aeterna (miseriùm) pœna fodientur iniqui,
Aeternumq; salus iustis concessa manebit.
  Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo iustis soror anxia curis,
Hortatur iuuenem rapido præcurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus seruaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obsequio cuius fratremq; domumq; merentem
Complexus, pleno Christus retinebat amore.
Nuncius adueniens narrat sub agone iacêre
Dilectum Christo iuuenem, per tristia morbi
Et lethi & uitæ confinia summa tenere.
Lazarus hic habuit nomen, sed Christus amaris
Perculsus uerbis: non est, si creditis, inquit,
Ad lethum ducens isthæc uiolentia morbi:
Sed Deus ut digno iustis celebretur honore,
Et soboles hominis sancta uirtute nitescat.
Tunc ad discipulos, dormit iam Lazarus, inquit:
Sed charum iuuenem faciam consurgere rursus.
Reddunt discipuli: somno succedere plena
Et remeare salus poterit? nec mente sequuntur,
Quòd mortem somni dixit sub nomine Christus.
Errorem quorum tali sermone remouit:
Lazarus in lethum cecidit, sed gaudia menti
Hinc ueniunt, uestramq; fidem mihi fortius armãt.
Cernitis absentem longè quoq; cuncta uidere,
Sed properemus, ait Didymus. dum talia fatur,
Pergamus, pariterq; omnes procumbere letho
Cogamur, toties quod gens Iudæa minatur.
Hæc ait, & cuncti Christo præeunte sequuntur.
  Iamq; aderat Christus, fuerat sed fortè sepulto
Quarta dies, mersasq; atris de morte tenebris
Germanas, luctus lachrymosaq; tecta tenebant.
Conuenere illuc, solatia debita dantes,
Iudææ gentis proceres, chariq; propinqui.
Sed Martha, audito Christum uenisse, cucurrit
Obuia deseruitq; domum, mæstamq; sororem.
Et procul, ô utinam præsens nobis tua uirtus
Afforet, haud morti frater cessisset acerbæ.
Nam quicquid poscis, certum est tibi posse uenire.
Quam dominus tali solatur uoce gementem:
Robustam mentem mulier uirtute resume.
Lazarus hæc uitæ rediuiua in lumina surget.
Et mulier: certè surgent in munera uitæ
Mortales cuncti, ueniet cùm terminus orbi. A
Christus item sancto depromit pectore uocem:
En ego sum claræ uobis reparatio uitæ.
In me qui credit, mortem deponere sumptam,
Et uitam poterit iugi comprendere seclo.
At quicunq; fidem uiuo sub pectore sumet,
Horrida non unquam continget limina mortis.
Isthæc num credis puro de pectore Martha?
Illa dehinc: hæc una fides mea corda tenebat,
Sublimis ueneranda Dei quòd uenerit in te
Cœlestis soboles celso sub nomine Christi.
Hæc ait, & Mariam cursu monitura sororem
Interiora petit, sanctum uenisse magistrum,
Et pariter luctu oppressam uocitare sororem,
Admonuit tacito designans omnia nutu.
Prosilit illa foras, audito nomine Christi,
Prosequiturq; simul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquam conspexit Iesum,
Procidit ante pedes, rupitq; hanc pectore uocem:
Si mihi germanum potuisses uisere uiuum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
  Fletibus hîc Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper B
Membra forent, animæ uolucris spoliata calore.
Haud mora, demonstrãt flenti mœstoq; sepulchrũ
Rupe sub excisa, lapidis quod pondere clausum
Vt uidit sanctus, multo mox uecte moueri
Præcipit, at Marthæ talis uox uerberat aures:
Quatuor en luces, totidemq; ex ordine noctes
Prætereunt, quo membra solo cõposta quiescũt.
Crediderim corpus, motu fugiente caloris,
Fœtorem miserum liquefactis reddere membris.
His dictis contrà depromit talia Christus:
Iam toties dictum est, magnis consistere rebus
Credentum uirtute fidem, sed gloria summi
Iam genitoris adest, fidei si robur habetis.
Hæc ubi dicta dedit, saxumq; immane reuulsis
Obicibus patuit, uirtus mox conscia cœlum
Suspicit, & tali genitorem uoce precatur:
Eximias grates Genitor tibi sancte fatemur:
Me placidus semper uenerandis auribus audis.
Sed populus præsens me missum credere discat.
Hæc ubi dicta dedit, tumuli mox limine in ipso
Restitit, aduerso complens caua saxa canore:
Lazare, sopitis redeuntem suscipe membris

En

A En animam, tuq; ipse foras te prome sepulchro.
Nec mora: connexis manibus, pedibusq; repentè
Procedit tumulo, uultum cui linea texta
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solui iußit, lætumq; ad tecta remittit.
Iudæi postquàm factum uenerabile cernunt,
Qui tantùm Mariam fuerat Marthamq; sequuti,
Pars credens sequitur sanctæ uirtutis honorem:
Ast alij repetunt urbem, procerumq; superbis
Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant.
Ergo ad concilium Scribæ, plebisq; uocatur
Iam grauior numerus, qua uatum principis altè
Pulchra Caiphææ collucent atria sedis.
Illic complacuit Christum prosternere letho,
Sed uitare dies Paschæ, ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipsius diffugerat. ecce cubanti
Accedit mulier propius, frangensq; alabastrum,
Quo preciosa inerant latè fragrantis oliui
Vnguenta, ab summo perfudit uertice Christum.
Discipuli increpitant, fantes, potuisse iuuari
De precio unguenti miserorum corpora egentum.
B Has dominus prohibet uoces, factumq; probauit:
Desinite obsequio iusto prohibere puellam.
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus,
Sed me nòn semper tribuetur uisere uobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat
Officiò, mundumq; implebunt talia facta.
Tunc è discipulis unus se subtrahit amens,
Iudas, qui ad proceres tali cum uoce cucurrit:
Quod precium sperare datur, si prodere uobis,
Quæsitumq; diu poßim monstrare Magistrum?
Argenti ter dena illi mox pollicebantur
Pondera: dehinc Iudas sceleri se subdidit alto.
Iamq; dies Paschæ primo processerat ortu,
Discipuli quærunt, ubi cœnam sumere paschæ
Vellet. at ille sibi quendam sine nomine quæri,
Vltima qui Domini caperet mandata, iubebat.
Vespere mox primo bis sex recubantibus unà
Discipulis, tali diuinat uoce magister:
En urget tempus, Christum cum tradere morti
E uobis unus scelerato corde uolutat.
Continuò cuncti quærunt, quis talibus ausis,
Insano tantum cepisset corde uenenum?
Ille dehinc: epulis mecum nunc uescitur, inquit.
Sed soboles hominis quondam præscripta subibit
Supplicia ad tempus. miserabilis ille per æuum,
Qui iustum tradet: quanto felicior esset,
Si nunquam in terris tetigisset limina uitæ.
At Iudas grauiter tunc pectora conscia pressus:
Nunquid, ait, Iudam talis suspectio tangit?
Respondit Dominus: Te talia dicere cerno.
Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panē,
Diuisumq; dehinc tradit, sanctèq; precatus,
Discipulos docuit, proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, uinoq; repletum
Magnis sanctificat uerbis, potumq; ministrat,
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atq; ait: hic sanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum. nam (ueris credite dictis)
Posthac non unquam uitis gustabo liquorem,
Donec regna patris melioris munere uitæ
In noua me rursus concedent surgere uina.
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis Oliueti conscendunt culmina cuncti.
Talia dum Christus depromit pectore uerba:
Omnes præsentis noctis uos tempore longè
Disperget, misere deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est: pastoris casibus omnes
In diuersa fugam capient per rura bidentes.
Post ubi uita nouos cœli mihi reddet honores,
Præueniam, uestrosq; choros genitalibus aruis
Grata Galilææ uolitans per rura docebo.
Respondit Petrus: cunctos si credere fas est,
Quòd tua labentes poßunt præcepta negare:
Sed mea non ullus mutabit pectora casus.
Ille dehinc: nox hæc, quæ lucida sidera terris
Inducet, lucemq; premens nunc incubat undis,
Audiet, ut trinis pauidus mendacia uerbis
Dices, & Christum fortißime Petre negabis,
Et prius alitibus resonent quàm tecta domorum.
At Petrus: duram mortem mihi sumere malim,
Vox oblita suum quàm deneget ista magistrum.
Has uires cordis perstant promitere cuncti.
Nominis Ebræi sunt Gethsemaneida rura,
Illò progreditur uitæ lucisq; repertor.
Quem mox discipuli, Iuda fugiente, sequuntur.
Atq; illic reliquos iußit residere ministros.
Ille sed assumpto longè procedere Petro
Zebedeiq; simul natis, per deuia tendit.
Tunc angore graui mœstus sic uoce profatur:

Tristia nunc uoluens animus mihi pectora turbat
Mortetenus, sed nũc uos segnẽ excludite somnum,
Sollicitamq; simul uigilando ducite noctem.
Hæc ait, & paulùm procedens, corpore terram
Deprimit, & tali proiectus uoce precatur:
Si fas est, Genitor, calicis pertranseat huius
Incumbens ualido nobis uiolentia tractu.
Sed tua iam ueniat potius, quàm nostra uoluntas,
Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus.
  Tunc ad discipulos repedat, sed somnus anhelis
Prostratos terra membris dissoluerat omnes.
Tunc ait ad Petrum: non est tibi ponere uirtus
Vnam peruigilem tantis sub casibus horam?
Sed uigilate precor, ne uos tentatio raptos
Horrida præcipitet sæuæ per lubrica mortis.
Spiritus iste uiget, sed corpus debile lapsat.
Secessit rursus secreti montis in arcem,
Orabatq; Patrem: rerum mitissime rector,
Hunc quoniam calicem non est transire facultas,
Iam tua præueniat nostra de sorte uoluntas.
  Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Inuenit, & rursus per idem genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis:
Iam dormire licet, sociosq; reuisere uestros.
Nam uenit ecce meum qui dedat in omnia corpus,
Quæ maculata meis imponet factio membris.
  Cum dicto Iudas, numero stipante cateruæ,
Aduênit procerum iussu, populiq; ferocis.
Pars strictis gladijs, pars fidens pondere clauæ,
Signa sequebantur Iudæ promissa furentis.
Oscula nam pepigit sese contingere Christi,
Quo facile ignotum caperet miserabile uulgus.
Ille ibi dissimulans blanda cum uoce salutat,
Attigit & labijs iusti miserabilis ora,
Continuò Christus: totum complere licebit,
Huc uenisse tuo quæcunq; est causa paratu.
Iniecere manum turbæ, Christumq; prehendunt.
  Tunc è discipulis unus fulgente machæra
Occurrit natis famulo, sublatus in iram,
Tempore & excisam rapuit ui uulneris aurem.
Olli Christus ait: gladium tu ponito noster:
Nam quicunq; ferox confidit uindice ferro,
Hunc iusti similis ferri uindicta manebit.
An ego non possim cœlestia castra uocare,
Et patris innumeras in prælia ducere turmas?
Sed scriptura meis complenda est debita rebus.

Vos autem stricto quid me comprendere ferro, A
Fustibus & gladijs concurritis? en ego uobis
Occurro: templi media qui semper in arce
Vobiscum residens docui, nec talia quisquam
Insonuit, tantis circum latratibus audax.
Discipuli passim Christo fugêre relicto.
  Iamq; Caiphæa steterat Saluator in aula,
Conuenere omnes scribæ proceresq; uocati.
At Petrus longè seruans uestigia, solus
Occultè mœstus sedit cum plebe ministra,
Extremum opperiens tanto sub turbine finem.
Ecce sacerdotes falsos conquirere testes
Incumbant, fictasq; uolunt contexere causas,
Quîs mortem insonti possent imponere Christo.
Sed nullus tanto uisus satis esse furori.
Tandem prosiliunt testes, qui dicere Christum
Audissent, templum quòd solus uertere posset,
Et uersum trinis iterum instaurare diebus.
  Ipse sacerdotum princeps urgere tacentem
Insistit, feruens furijs, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas nunc respondere querelas,
Conuictus ueris procerum sub testibus audes?
Adiurabo tamen summi per regna Tonantis,
Vt fateare palàm, si fas te credere Christum. B
Ille dehinc tali compellat uoce superbum:
Isthæc sola tibi procedunt pectore uerba.
Vera tamen ueniet uobis uisenda per auras
Maiestas, proles hominis uirtutis ad altæ
Cùm sedeat dextram, per nubes ignicolores.
Talibus auditis, scindit de pectore uestem,
Insultat furijs, & cæco corde sacerdos,
Atq; ait: audistis pugnantis fœda profani
Verba Deo: polluta malis consurgat in iras
Relligio, & uestram cuncti iam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortiq; addicere certant.
Tunc sanctam Christi faciẽ sputa improba cõplẽt,
Et palmæ in malis, colaphiq; in uertice crebri
Insultant, uerbisq; omnes illudere certant:
Christe, prophetabis cuius te palma cecîdit.
  At Petrum mulier tristẽ quòd uiderat intus,
Tu'ne etiam iuuenis fueras comes additus, inquit,
Isti, quem ludens procerum sententia damnat?
Ille negat, tectisq; foras se promere tentat.
Ecce sed egressum primo sub limine cernens
Altera, consimili prodebat uoce ministris.
Rursus periurans, illum se nosse negauit.

Tunc

A Tunc percontatum multi accessere sequentes,
Deq; sono uocis sese cognoscere dicunt,
Cuncta Galilæam streperēt quòd uerba loquelam.
Et Petrus iurans deuotis omnia uerbis,
Nescire affirmat, quisquis foret ille, negando.
Hanc uocem, plausum quatiens sub culmine tecti
Ales prosequitur cantu, mentemq; Simonis
Circumstant tristem uerbis præsagia Christi,
Egressusq; dehinc ploratus fudit amaros.
Sidera iam luci concedunt, & rapidus sol
Progreditur, radijs terras crepitantibus implens,
Iamq; è concilio Christum, post terga reuinctum,
Præsidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celsum Dominus stans ante tribunal,
Talibus exceptum Pilatus uocibus ursit:
Tu rex Iudææ gentis, qui dicitur, astas?
Respondit Christus: uestris hæc audio uerbis.
Exin terribilis iusti accusatio surgens
Infremit, & sanctum mendax facundia pressat.
Respondere nihil trucibus dignatur Iesus.
Pilatus quærit, quæ nam sit causa tacendi.
Ille magis perstans, miranda silentia seruat.
Solenni sed forte die concedere leges
B Vnum damnati capitis de more iubebant.
Et fuit in uinclis famoso nomine latro,
Quem Christo infensus populus, dimittere uitæ
Ardebat. trucibus somno sed territa uisis
Pilati coniunx, iusti discedere pœna
Mandatis precibusq; uirum suspensa rogabat.
Tum iudex iterum procerum disquirere mentem
Tentat, & instanti cuperent quem soluere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
At proceres populum fusa ambitione rogabant,
Latronem legi peterent, Christumq; necarent.
At postquàm procerum incendit sententia uulgus,
Latronisq; petit potius sibi cedere uitam,
Consuluit præses populum, quid uellet Iesu.
Plebs incensa malo, sæuos miscere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterumq; iterumq; petebat,
Qui regis nomen cuperet, qui Cæsaris hostem
Confessus, sese proprio damnauerit ore.
Deniq; ui uictus, detestatusq; cruentum
Officium, increpitans se libera sanguine ab huius
Corda tenere sibi, coramq; à crimine palmas
Abluit, ut genti tantùm macula illa maneret.
Hoc magis inclamant: nos, nos cruor iste sequatur,
Et genus in nostrum scelus hoc & culpa redundet.
Pilatus donat plebi leniq; Barabbam,
Et crucis ad pœnam uinctam concedit Iesum.
Proditor at Iudas postquàm se talia cernit
Accepto sceleris precio signasse furentem,
Infelix ægris damnans sua gesta querelis,
Argentum & culpans sacram proiecit in ædem,
Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de uertice mortem.
Inde sacerdotes, precium quòd sanguinis esset,
Illicitum fantes adytis iam condere templi,
Quod dare tum licitū, dum sanguis distraheretur,
Credebant: agrum mercati nomine uero
Sanguinis, horrendo signant scelera impia facto.
Hæc quondā coopertæ canens uox uera prophetæ,
Euentum rerum patefecit in ordine secli:
Argenti triginta minas posuere profani,
Hoc precium preciosi corporis instituentes,
Quod mox ad figuli rursus transfertur agellum.
Traditus at trucibus, iustus: scelerisq; ministris,
Innocuus, scelerata opprobria corpore perfert.
Purpureamq; illi tunicam, chlamydemq; rubentem
Inducunt, spinisq; caput cinxere cruentis,
Inq; uicem sceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi, regem dominumq; salutant
Iudææ gentis: faciem lauere saliuis,
Vertice & in sancto plagis lusere nefandis.
Hæc ubi transegit miles ludibria demens,
Indutum propriæ ducebat tegmine uestis,
Et crucis ad pœnam sanctum iustumq; trahebat.
Ecce sed egressi, quendam cepere Simonem,
Cyrene genitum, lignumq; afferre iubebant,
Quo dominum lucis, duris suffigere clauis
Instans urgebat secli immutabilis ordo.
At postquā uētū est, ubi ruris Golgotha nomē,
Permixtum felli uinum dant pocula Christo:
Ille sed in summo gustu tractata recusat,
Vt satis antiquis fieret per talia dictis,
Nec tamen insultans hominū furor omnia posset.
Iamq; cruci affixum pendebat in arbore corpus,
Intactamq; dedit tunicam sub sorte per omnes
Militis unius seruans possessio textum.
Et scriptum causæ titulum meritiq; locarunt,
Quòd rex Iudææ plebis gentisq; fuisset.
Accidit ut pariter pœnæ consortia ferrent
Latrones hinc inde duo, sed cæce furentis

Insultat plebis fixo uesania Christo:
Hic est qui templum poterat dissoluere solus,
Hic est qui trino lucis reparare meatu.
Sed nunc descendat proles ueneranda Tonantis,
Et crucis è pœna corpusq; animumq; resoluat.
Hæc uulgi proceres uecordis dicta sequuntur.
Atq; Pharisæi Scribæq; & factio demens
Illudunt, motuq; caput, linguasq; loquelis
Insanis quatiunt, æternæ ad uincula pœnæ:
Non'ne alios quondam trucibus seruare solebat
Morborum uinclis? sese cur soluere pœnis
Non ualet? en regem nostræ quem credere gentis
Debemus, soluat ligni de robore corpus,
Tunc sanctis dignè poterimus credere signis.
Confidit genitore Deo: dimittere pœna
Cur propriā non uult sobolem uenerāda potestas?
Nec minus increpitant dextra læuaq; gementes
Affixi crucibus scelerum pro sorte latrones.
Iam medium cursus lucis conscenderat orbem,
Cùm subitò fugit ex oculis, furuisq; tenebris
Induitur, trepidumq; diem sol nocte recondit.
Ast ubi turbatus nonam transiuerat horam,
Consternata suo redierunt lumina mundo.
Et Christus magna genitorem uoce uocabat,
Ebrææ in morem linguæ: sed nescia plebes,
Eliam uocitare putat. tum concitus unus,
Cogebat spongo turpi calamoq; reuincto
Impressum labijs acidum potare saporem.
Cætera turba furens, tali cum uoce cachinnat:
Spectemus pariter, cœlo ne fortè remissus
Elias ueniat, celsa qui sede quiescit,
Liberet & misero confixum stipite regem.
Tunc clamor Domini magno conamine missus,
Aethereis animam comitem commiscuit auris.
Scinduntur pariter sancti uelamina templi,
Carbasaq; in geminas partes dirupta dehiscunt,
Et tremebunda omni concussa est pondere tellus,
Dissidiumq; suo ruptæ de corpore cautes.
Tum ueterū monumēta uirûm patuere repulsis
Obicibus, uiuæq; animæ per membra reuersæ,
Et uisum passæ populi, per mœnia latè
Errauere urbis: sic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pauore,
Dedita qui sæuæ seruabant corpora pœnæ,
Et sobolem dixere Dei, Christumq; fatentur.
E speculis matres miracula tanta tuentur.
Omnes, obsequium Christo quæ ferre solebant. A
Iamq; recedenti uesper succedere soli
Cœperat, & procerum solus tum iustior audet
Corpus ad extremum munus deposcere Christi.
Hic ab Arimathia nomen gestabat Ioseph,
Qui quondam uerbis aures præstabat Iesu.
Pilatum tunc iste rogat, sibi cedere membra,
Quîs nuper tulerat uitam uis horrida pœnæ.
Concessit præses: sed corpus fulgida lino
Texta tegunt, saxiq; nouo componitur antro.
Limen concludunt immensa uolumina petræ,
E speculis seruant matres, & cuncta tuentur.
Iamq; dies rutilo complebat lumine terras,
Ocia qui semper prisca de lege iubebat:
Nulla sed immitis procerum furor ocia seruat.
Conueniunt, onerantq; simul sic iudicis aures:
Erroris laqueos iustissima pœna resoluit.
Nūc meminisse decet, quoniā planus ille solebat
Vulgari semper iactans promittere plebi,
E mortis sese tenebris ad lumina uitæ
Cum terno solis pariter remeare recursu.
Sed petimus, custos miles noua funera seruet,
Ne fera discipulis furandi audacia corpus
Consurgat, turbetq; recens insania plebem. B
Et Pilatus ad hæc: miles permittitur, inquit:
Seruate, ut uultis, corpus tellure sepultum.
Conueniunt, saxiq; ingentia pondera uoluunt,
Et limen signis, & saxum milite seruant.
Sidera iam noctis uenturo cedere soli
Incipiunt, tumuli matres tum uisere septum
Concurrunt. motus sed terram protinus omnem
Concutit, & cœlo lapsus descendit aperto
Nuncius, & saxum tumuli de limine uoluit.
Illius & facies splendet, ceu fulguris ignis,
Et niuis ad speciem lucent uelamina uestis.
Militibus terror sensum discluserat omnem,
Et iacuere simul ceu fusa cadauera letho.
Ille sed ad matres tali cum uoce profatur:
Vestra pauor nullus quatiens nunc corda fatiget.
Nam manifesta fides sanctum uos quærere corpus,
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit.
Surrexit Christus, æternaq; lumina uitæ
Corpore cum sancto, deuicta morte, recepit.
Visere iam uobis licitum est, quod sede sepulchri
Nulla istic iaceant, fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri properoq; recursu.

A Diſcipulis, Chriſtum remeaſſe in luminis oras,
Inq; Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis uiſiſq;, animos perfuderat ardens
Lætitia, attonitos ſtupido ancipitiq; fauore.
Deniq; præcipiti celebrantes gaudia curſu,
Talia diſcipulis referunt, tumulumq; relinquunt.
Ecce uiæ medio clarus ſe oſtendit Ieſus,
Et fidas matres blandè ſaluere iubebat.
Occurrunt illæ, & genibus plantiſq; prehenſis
Victorem lethi pauidæ uenerantur Ieſum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat:
Mentibus abſiſtat fidei pauor omnis, & iſthæc
Fratribus hinc noſtris properè mandata referte.
Noſtri conſpectus ſi curæ eſt, ite uolentes,
Inq; Galilæam properè tranſcurrite terram.
Interea tumuli cuſtodum exterrita corda
Mittunt è numero partem, quæ tanta referret
Iudæis rerum miracula: ſed manus amens
Iam ſemel inſano penitus deuota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quod limine rupto
Furtim ſuſtulerit corpus defenſa tenebris
Occultè rapiens audacia diſcipulorum.
B Iamq; Galilæos conſcenderat anxia montes
Mandatis Chriſti concurſans turba ſuorum.
Cernitur ecce ſuis proles ueneranda Tonantis,
Illum procumbens ſanctè chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus uirtus: nam pars dubitabat eorum.
Tunc ſic diſcipulos clarus compellat Ieſus:
In cœlo & terris Genitor mihi cuncta ſubegit,
Me pater eſt uobis dignatus mittere lucem.
Gentibus haud aliter nunc uos ego mittere cunctis
Inſtitui, ueſtrum eſt cunctas mihi iungere gentes:
Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine ſub ſancto Patris Natiq; lauate,
Viuifici pariter currant ſpiramina flatus,
Ablutiſq; dehinc noſtra inſinuate docentes
Præcepta, ut uitam poſſint agitare perennem.
Nec uobis unquam noſtri præſentia deerit,
Donec conſumens diſſoluat ſecula finis.

OPERIS CONCLVSIO.

Has mea mens fidei uires, ſanctiq; timoris
Cepit, & intantum luxit mihi gratia Chriſti,
Verſibus ut noſtris diuinæ gloria legis,
Ornamenta libens tulerit terreſtria linguæ.
Hæc mihi pax Chriſti tribuit, pax hæc mihi ſecli,
Quam fouet indulgens terræ regnator apertæ
Conſtantinus, adeſt cui gratia digna merenti,
Qui ſolus regum, ſacri ſibi nominis horret
Imponi pondus, quo iuſtis dignior actis
Aeternam capiat diuina in ſecula uitam,
Per dominū lucis Chriſtum, qui in ſecula regnat.

CAELII SEDVLII SCOTI

PRESBYTERI MIRABILIVM DIVInorum ſiue Operis Paſchalis LIBRI IIII.

DOMINO SANCTO, AC PATRI BEATISSIMO MACEDOnio, Abbati, Cælius Sedulius in Chriſto S.

PRiuſquam me, uenerabilis Pater, operis noſtri decurſo uolumine cenſeas, & rite forſitan ſeuereq; obiurges, utpote qui nulla ueteris ſcientiæ prærogatiua ſuffultus, tam immenſum Paſchalis pelagus maieſtatis, & uiris quoque peritiſsimis formidandum, paruo lintre tyro cucurrerim: huius apud te facti cauſas expurgem, ut cum me non audacem fuiſſe probaueris, ſed deuotum, in pectoris tui portum blanda tranquillitate recipias: quem, gubernante Deo, lætaberis nulla pertuliſſe naufragia. Cum ſecularibus igitur ſtudijs occupatus, uim impatientis ingenij, quod diuinitatis in me prouidentia generauit, non utilitati animæ, ſed inani uitæ dependerem, & literariæ ſolertia diſciplinæ, luſibus infructuoſi operis non auctori deſeruirem: tādem miſericors Deus, rerū conditor, clementius fabricam ſui iuris

aſpexit,& ſtultos in me mundanæ ſapientiæ diutius haberi ſenſus indoluit,ac fa
tuũ prudentię mortalis ingeniũ cœleſti ſale cõdiuit.Mox ut cordis oculos interi
or caligo deſeruit, per ſentes dumoſi ruris errãtia,in herbã florei ceſpitis reuolui
ueſtigia,totoq́; niſu melioris arbitrij cultũ illuſtrati pectoris Deo dicaui,nõ prę-
ſumptione uiriũ ſarcinã tantæ molis arripiẽs,ſed onus Chriſti, quod leue nimis
eſt,humili pronus deuotione cõplectẽs:culpa me ſcilicet arbitratus ſilentij nõ ca
rere,ſi ſtudioſę mentis officium,quod uanitati detuliſſem,ueritati denegarem:cũ
et diuina reuerenter aſſeri,& humana poſsint honeſtè tractari.Angebar alia rur-
ſus animi procella turbati,& ęgros anhelitus illa mihi ratio ſæpe commouebat,
qua me noueram uel tua pater beatiſsime,uel aliorum,quos gratia ſimiliter cœ-
leſtis illuſtrat, quiddã profeciſſe doctrina. Quanquam ipſi cuncta monſtrantes,
aliquẽ credatis igniculum in me poſſe lucere:ſed torpor cordis obtuſi,tãquã ſili-
cis per uenas,ſcintillam tenuem uix emittit. Et idipſum parui fomitis nutrimen-
tum,quod in me potuit doni cœleſtis oleo permanare, nefas eſſe putabam, muti
tenacitate ſilentij cum nullo partiri,ne unius talenti creditam quantitatem,dum
nitor cautius cuſtodire, culpa defoſſæ pecuniæ non carerem. Inuidiæ ſiquidem
maculam de ſeſe non abluit,qui alteri conferre denegat, quod cùm dederit, non
amittit.Inter diuerſas tamen anxiæ trepidationis ambages, ad iaciendum huius
operis fundamentum, hoc maximè prouocatus acceſsi, ut alios exhortationi-
bus ueritatis, ad frugem bonæ meſsis inuitans: ſi quando infirmitatis humanæ
uicijs,neceſsitate forſitan laceſsitus impugner,uerbis propriæ diſputationis ad-
monitus metuam.Et qui furta prohibui,fur uideri uerear:& qui rectæ ſoliditatis
iter oſtendi,procliuioris lubrici periculoſa ſectari,& clypeo dominicæ protectio
nis armatus,inimicæ iaculationis tela facili repulſione contemnam. Cur autem
metrica uoluerim hac ratione componere,breuiter expedire non differam.Raró,
Pater optime(ſicut tua quoq; peritia lectionis aſsiduitate cognoſcit)diuinæ mu-
nera pietatis,ſtylo quiſquam huius modulationis aptauit:& multi ſunt,quos ſtu
diorum ſecularium diſciplina, per poeticas magis delicias & carminum uolu-
ptates oblectat. Hi quicquid rhetoricæ facundiæ perlegunt, negligentius aſſe-
quuntur, quoniam illud haud diligunt: quod autem uerſuum uiderint blandi-
mento mellitum,tanta cordis auiditate ſuſcipiunt,ut in alta memoria ſępius hoc
iterando conſtituant & reponant. Horum itaque mores non repudiandos æſti-
mo,ſed pro inſita conſuetudine,uel natura tractandos,ut quiſq; ſuo magis inge-
nio uoluntarius,acquiratur Deo.Nec differt,qua quis occaſione imbuatur ad fi-
dem,dum tamen uiam libertatis ingreſſus, nõ repetat iniquæ ſeruitutis laqueos,
quibus antea fuerat irretitus.Hæ ſunt Pater egregie,noſtri operis cauſæ, non ſu-
peruacuæ,ſicut didiciſti,ſed commodæ:quæ ſi probabili ratione non diſplicent,
benignitatis tuæ donentur fauore, quo paululum ab ſcripturis celſioribus ua-
cans, humilioribus te quoq; libenter impertias. Non ſemper aquila ſupra nubes
eleuata peruolitat, ſed etiam remiſsioribus aliquando pennis deſcendit ad ter-
rã.Sępe belliger miles,armis,quibus aſſuetus eſt dimicare, delectatur etiã ludere.
At forſitã,ut ab hac te moleſtia perlegẽdi carminis,in occultis abducas,talib. me
blãdæ orationis uocibus alloquêris:Cur,inquies,affabilis amice,quẽ gratia purę
dilectionis amplector,dũ me profuſius niteris uenerari,prę cęteris,& fidi propo
ſiti ſedulitate ſectaris,alios tãquã neglectos offendis:qui cùm ſint doctrina nõ im
pares,& unà mecũ ſoleãt religioſæ fidei ſocietate cõiungi, me potiſsimũ ac ſolũ
eligas uel ſecernas, cui deuotionis tuæ dicta committas? Habes antiſtitẽ plenum
reue-

reuerentiæ ſacerdotalis Vrſinũ, qui ab ętatis ſuę primęuo tirocinio Regis æterni caſtra non deſerẽs, uixit inter barbaros pius, inter bella pacatus. Accepit teſtimoniũ beati iã meriti, & euãgelicę ſacramentũ doctrinę. Legim⁹ enim, Beati pacifici, quoniã ipſi filij Dei uocabuntur. Habes Laurentiũ difficili cõparatione presbyterũ, qui ſubſtantiã ſui patrimonij ſic erogauit, ut eccleſijs & egenis uniuerſa diſtribuẽs, tãti cenſus effuſione nihil perderet: ſapiẽtia peruigil, lenitate placabilis, quo & ſerpẽtis aſtutiã cum lege cuſtodiat, & columbæ ſimplicis animũ non amittat. Habes quoq; meum Gallicanum æquè presbyterũ, non in libris ſecularibus eruditum, ſed placida bonitate mitiſsimũ, catholicę regulam diſciplinę factis potius edocentẽ, quàm ſermone monſtrantẽ. Quid Vrſini dicam quoq; presbyteri annoſam patientiam, & in Chriſti famulatu non deficiẽdo iuuenilem ſenectam? Quid felicẽ referã, uerè felicẽ? ſeculi huius inimicũ, cui crucifixus eſt mũdus. Sunt et alij memorabiles uiri quàm plurimi, quos ad hoc ſuſcipiendũ idoneos conſtat eſſe officiũ. Nec Hieronymi diuinæ legis interpretis, & cœleſtis bibliothecę cultoris exempla te pudeat imitari, atq; ad generoſas quoq; fœminas & pręclaræ indolis fama ſubnixas, in quarũ mentib⁹ ſacrę lectionis inſtãtia ſobriũ ſapientię domiciliũ collocauit, proprię diſputationis documenta tranſmittere. Quis non optet & ambiat eximio Sindeticis ſacrę uirginis & miniſtrę Chriſti placere iudicio? quę ſuperbi ſanguinis nobilitatẽ ſic humilitate prouexit ad gloriã, ut in cœleſtis patrię ſenatu fieri mereatur athleta. Verè dignũ, in quo dominus habitet, tẽplum, ieiunijs caſtigatũ, orationibus refertũ, puritate mundiſsimũ: ſcripturas etiam eccleſiaſtici dogmatis ita ſitiens epotauit, ut niſi ſexus licẽtia defuiſſet, potuiſſet docere, quàm in mẽbris fœminei corporis animus ſit uirilis. De quotidianę uerò miſericordię diſpenſatione reticeo, quã ſic exercet, ut ſileat: ſic largitur, ut lateat. Indicat tamẽ eius pauper habit⁹, ubi cẽſus pficiat diues. Et ut magnitudo tãtę prudentię, gemina reſplendens lampade, plus luceret, habet & germanam, nomine meritoq; Perpetuã, annis imparẽ, factis æqualem, æuo teneram, probitate grandęuã: quę dũ nominis ſui dignitate paſcit, ſic uiuit, ut nequeat amittere, quod uocat. Illuſtris maritali potẽtia, illuſtrior religione diuina, pximã uirginitati cõtinet palmã, in cõiugij fœdere pmanens pudica. Cætera, præter cõſpicuos, utpote nuptæ cõuenientes ornatus, quæ de ſorore dixim⁹, in huius quoq; moribus inuenimus. Ad hæc ego congrua rurſus ita reſpõſione perfungar: Ne quęſo Domine mi pater, quẽ diligere te profiteris, abijcias: quẽ fouere aſſoles, inuidioſe deterreas. Nullum ſiquidẽ ex his omnibus uito, de nullius meritis aut inſtructiõe diffido: ſed in te cunctos aſpicio. Quoſdã collationib⁹ aſſiduę diſputationis ad meliora uexiſti, quoſdã placidæ maturitati doctrinę, deſiderio ſanctę cõuerſationis impleſti, quibuſdã exemplũ fact⁹ es ad ſalutẽ: alios intra ſepta gregis tui accipiẽs, oues feciſti: alios ſaluos in fide enutriſti: omnib⁹ omnia fact⁹ es, ut oẽs ſaluos efficeres. Ceſſet obſecro plurimorũ iactura uerborũ, ceſſent deinceps lõge excuſationis ambages, nec pigeat te poſt tãti gurgitis emenſa diſcrimina adhuc fluctuãti paginę authoritatis tuę anchorã cõmodare. Quatuor ergo Mirabiliũ diuinorũ libellos, quos (ex plurib⁹ pauca cõplexus) uſq; ad paſſionẽ, & reſurrectionẽ, aſcenſionẽq; Domini noſtri Ieſu Chriſti. quatuor Euangeliſtarũ dicta cõgregãs ordinaui, cõtra omnes ęmulos, tuę defenſioni cõmendo. Huic aũt carmini (fauẽte Deo) opera Paſchalis ideo nomẽ impoſui, quia Paſcha noſtrũ immolat⁹ eſt Chriſtus: cui honor & gloria, cum Patre & S. ſpiritu, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

CAELII SEDVLII PRESBYteri in Opus Paschale Praefatio.

Paschales quicunq; dapes conuiua requiris,
Dignatus nostris accubitare toris,
Pone supercilium, si te cognoscis amicum,
Nec quaeras opus hic codicis artificis:
Sed modicae contentus adi solennia mensae,
Plusq; libenti animo, quàm saturare cibo.
At si magnarum caperis dulcedine rerum,
Diuitiasq; magis deliciosus amas:
Nobilium nitidis doctorum uescere coenis,
Quorum multiplices nec numerantur opes:
Illic inuenies, quicquid mare nutrit edendum,
Quicquid terra creat, quicquid ad astra uolat.
Caetera gemmatis flauescunt mella canistris,
Collucentq; suis aurea uasa fauis.
At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod appositum testa ministrat, holus.

LIBER PRIMVS.

Cum sua gentiles studeant figmenta poëtae
Grandisonis pompare modis, tragicoq; (boatu,
Ridiculóue Getae, seu qualibet arte, (canendi,
Saeua nefandarũ renouent contagia rerũ,
Et scelerum monumenta canant, rituq; magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Dauidicis assuetus cantibus, odas
Chordarum resonare decem, sanctoq; uererer
Stare choro, & placidis coelestia psallere uerbis?
Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Cùm possim manifesta loqui, dominumq; Tonãtem
Sensibus & toto delecter corde fateri:
Qui sensus & corda dedit, cui conuenit uni
Facturam seruire suam, cui iure perenni
Arcibus aethereis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Aequus honor, uirtus eadem, sine tempore regnũ,
Semper principium, sceptrum iuge, gloria consors,
Maiestas similis: haec est uia nanq; salutis,
Haec firmos ad dona gradus Paschalia ducit,
Haec mihi carmen erit: mentes huc uertite cuncti,
Hanc constanter opem laesis adhibete medullis,
Quos lethale malum, quos uanis dedita curis,
Attica Cecropij sepit doctrina ueneni,
Sectantesq; magis uitam, spirantis odorem
Legis, Athenaei paedorem linquite pagi.
Quid labyrintheo Thesidae erratis in antro,
Caecaq; Daedalei lustratis limina tecti? A
Labruscam placidis quid adhuc praeponitis uuis,
Neglectisq; rosis saliuncam sumitis agri?
Quid lapides atq; aera coli, quid fana profanis
Proderit & mutis animas damnare metallis?
Parcite puluerei squallentia iugera campi,
Et steriles habitare plagas, ubi gignere fructum
Arida nescit humus: nec de tellure cruenta
Liuida mortiferis uellatis toxica succis,
Tartareo damnata cibo, sed amoena uireta
Florentum semper nemorum, sedesq; beatas
Per latices intrate pios, ubi semina uitae
Diuinis animantur aquis, & fonte superno
Laetificata seges spinis mundatur ademptis:
Vt messis queat esse Dei, mercisq; futurae
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.
Omnipotens aeterne Deus, spes unica mundi,
Qui coeli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere uicinae prohibes confinia terrae,
Qui solem radijs, & lunam cornibus imples,
Inq; diem ac noctem lumen metiris utrunq;,
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus, B
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti:
Qui diuersa nouam formasti in corpora terram,
Torpentiq; solo uiuentia membra dedisti,
Qui pereuntem hominem uetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potuq; sacrati
Sanguinis infusum depellis ab angue uenenum:
Qui genus humanũ (praeter quos clauserat arca)
Diluuij rapida spumantis mole sepultum
Vna iterum de stirpe creas, ut mystica uirtus,
Quod carnis delicta necant, hoc praeside ligno
Monstraret liquidas renouari posse per undas:
Totum nanq; lauas uno baptismate mundum.
Pande salutarem paucos quae ducit in urbem
Angusto mihi calle uiam, uerbiq; lucernam
Da pedibus lucere meis, ut semita uitae
Ad caulas me ruris agat, qua seruat amoenum
Pastor ouile bonus, qua uellere praeuius albo
Virginis agnus ouis, grexq; omnis cãdidus intrat.
Te duce difficilis non est uia, subditur omnis
Imperijs natura tuis, rituq; soluto
Transit in aduersas iussu dominante figuras.
Si iubeas medijs segetes arere pruinis
Messorem producet hyems: si currere mustum
Vernali

A Vernali sub sole uelis, florentibus aruis
Sordidus impressas calcabit uinitor uuas,
Cunctaq; diuinis parebunt tempora dictis.
Indicio est antiqua fides, & cana priorum
Testis origo patrum, nullisq; abolenda per æuum
Temporibus constant uirtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci perstringere pauca relatu
Vix animis committo meis, siluamq; patentem
Ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.
Nam centum licet ora mouens, uox ferrea clamet,
Centenosq; sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet, quorum nec lucida cœli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur harenæ.
Primus ab usq; chao meritis uiuacibus Enoch,
Multa per innumeros iam secula contigit annos,
Natura perdente modum, quem iure creandi
Terra tulit, genitum sed mors miratur ademptum.
Saucia iam uetulæ marcebant uiscera Saræ,
Grandæuo consumpta situ, prolemq; negabat
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis:
Cum seniore uiro gelidi præcordia uentris
In partum tumuere nouum, tremebundaq; mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimæ
B Edidit, & serum suspendit ad ubera natum.
Mactandumq; Deo pater obtulit, at sacer ipsam
Pro pueri iugulis aries mactatur ad aram.
O' iusti mens sancta uiri, pietate remota
Plus pietatis habens, contempsit uulnera nati,
Amplexus præcepta Dei, typiciq; cruoris
Auxilio uentura docet, quòd sanguine fuso
Humana pro gente pius succumberet agnus.
Loth Sodomæ fugiente chaos, dũ respicit uxor,
In statuam mutata salis, stupefacta remansit,
Ad pœnam conuersa suam: quia nemo retrorsum
Noxia contempti uitans discrimina mundi,
Respiciens, saluandus erit: nec debet arator
Dignum opus exercens, uultũ in sua terga referre.
Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec iuncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida uiuens
Sensit damna frutex: sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.
Mitis in immitem uirga est animata draconem,
Per flexos sinuata globos, linguisq; trisulcis
Squamea colla tumens inimicos ore chelydros
Sorbuit, & proprij redit in uirgulta rigoris.
Peruia diuisi patuerunt cærula ponti,
In geminum reuoluta latus, nudataq; tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perq; profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutauit natura uiam, mediumq; per æquor
Ingrediens populus, rude iam baptisma gerebat.
Cui dux Christus erat: clamat nam lectio, multas
Vox Domini super extat aquas, uox deniq; uerbũ,
Verbũ Christus adest, geminæ q̃ cõsona legis (est.
Testamenta gerens, ueterem patefecit abyssum,
Vt doctrina sequens planis incenderet aruis.
Quid referã, innumeras cœlesti pane cateruas
Angelicos sumpsisse cibos, nimbisq; superni
Nectaris, aërea populum dulcedine pastum,
In pluuijs habuisse dapes, & in imbribus escas?
Rursus in exustis sitiens exercitus aruis,
Quã nimium loca sicca diu, qua terra negatis
Aegra iacebat aquis, quã spes ablata bibendi
Viuendiq; fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas, steriliq; latex de rupe cucurrit,
Et ieiuna nouum uomuerunt marmora potum:
His igitur iam sacra tribus dans munera rebus,
Christus erat panis, Christus petra, Christus in un- (dis.
Angelicis tremefacta minis affatur asella
Sessorem per uerba suum, linguaq; rudenti
Edidit humanas animal pecuale loquelas.
Sol stetit ad Gabaon, medijq; cacumine cœli
Fixit anhelantem dilato uespere lucem,
Insolitus frenare diem: nec luna cucurrit
Ordine pigra suo, donec populantibus armis
Feruidus ingentem gladius consumeret hostem,
Coniurante polo: iam tunc famulata uidebant
Sidera uenturum præmisso nomine Iesum.
Eliam corui quondam pauere ministri
Præbentes sine more dapes, alesq; rapinis
Deditus, atq; auido saturans caua guttura rostro,
Tradidit illæsam ieiunis morsibus escam,
Nunc bonus Eliæ, qui perfidus ante Noë,
Abluit in terris, quicquid deliquit in undis.
Plenus at ille Deo postquàm miracula terris
Plura dedit, meritisq; suis succedere dignum
Hæredem propriæ fecit uirtutis amicum,
Aurea flammigeris euectus in astra quadrigis,
Quã leuis æthereos non exprimit orbita sulcos,
Sidereum penetrauit iter, curruq; corusco

Dexteriora petens, ſpacio maiore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit æui.
Quàm bene fulminei prælucens ſemita cœli
Conuenit Eliæ, meritóq; & nomine fulgens
Aethere dignus erat. nam ſi ſermonis Achiui
Vna per accentum mutetur littora, ſol eſt.
Vltima labentis miſeratus tempora lucis,
Ter quinos quondam regi Deus addidit annos,
Vſus iure ſuo, patefactáq; limina claudens
Mortis, ab occaſu uitam conuertit in ortum.
Ionas puppe cadens, ceto ſorbente uoratus,
In pelago non ſenſit aquas, uitale ſepulchrum
Ne moreretur habens, tutus' que in uentre ferino
Depoſitum, non præda fuit, uaſtum' que per æquor
Vênit ad ignotas inimico remige terras.
Cùm ſpirante Deo Babylonia ſacra negarent,
Tres una cum mente uiri, durúmq; ſubirent
Exitium ſæui Chaldæa lege tyranni,
Cuius Achæmeniam rabies accenderet iram,
Plus fornace ſua medios truduntur in ignes
Nil ardente rogo, tantóq; ardore calentes
Cordis, imagineæ uincunt incendia pœnæ
Igne animi. ô quanta eſt credentum gloria: flammis
Ardentis fidei reſtincta eſt flamma camini.
Digna ſed immitem mox percudit ultio regem:
Nam quod ab humana uecors pietate receſſit,
Agreſtes conſors pecudum fuit ille per herbas,
Aulica depaſto mutans conuiuia fœno.
Pronus ab amne bibit, ſeptenáq; tempora luſtrans,
Omnibus hirſutus ſiluis & montibus errat.
Nec minus & Darij furuerunt iuſſa tyranni,
Ecce etenim ſceleri ſcelus addidit ira furentis.
Ebræûmq; decus Daniel decernitur inſons
Ieiunis cibus eſſe feris: ſed bellua iuſto
Mitis facta uiro, ſanctos ne læderet artus,
Cœpit amare famen, rabies mollita furorem
Depoſuit, ſæuisq; in faucibus ira quieuit,
Et didicere truces prædam ſeruare leones.
Dic ubi ſunt natura tuæ poſt talia leges,
Quis toties tibi iura tulit, qui tartara iuſſit
Translatum neſcire uirum, ſterilemq; marito
Fœcundauit anum, ſacram præcepit ad aram
Sponte uenire pecus, muliebres tranſtulit artus
In ſimulacra ſalis, ramos incendia paſſos
Non ardere dedit, uirgultum ſoluit in anguem,
Per pelagus ſiccauit iter (mirabile) nimbis
Manna pluit, ſaxo latices produxit ab imo, A
Quadrupedem fari plano ſermone coëgit,
Suſpenſis rapidas elementis diſtulit horas,
Per uolucres hominem paſci dedit, atq; coruſcis
In cœlum tranſuexit equis, iam morte grauato
Adiecit tria luſtra uiro, prædonis in ore
Nauifrago fundauit opem, flagrante camino
Seruauit ſub rore pios, per paſcua regem
Pauit, ut hirſutam pecudem, rictusq; leonum
Inſtimulante fame iuſſit neſcire furorem.
Nempe creatori (cuius quæcunq; uidentur,
Seu quæcunq; latent, & rerum machina ſerua eſt)
Omne ſuum famulatur opus, ſequiturq; iubentis
Imperium, quocunq; trahit ſententia nutu.
Heu miſeri qui fana colunt, qui corde ſiniſtro
Relligioſa ſibi ſculpunt ſimulacra, ſuumq;
Factorem fugiunt, & quæ fecere uerentur.
Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Vt uolucrem, turpemq; bouẽ, tortumq; draconem,
Semihominẽq; canẽ ſupplex homo pronus adoret?
Aſt alij ſolem, cæcatis mentibus acti,
Affirmant rerum eſſe patrem, quia ritè uidetur
Clara ſerenatis infundere lumina terris,
Et totum luſtrare polum: cùm conſtet ab iſtis B
Motibus, inſtabilem rapidis diſcurſibus ignem,
Officium, non eſſe Deum: quiq; ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduas demiſſus in oras
Partitur cum nocte uices, nec ſemper ubiq; eſt,
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cùm geminum ſine ſole diem nouus orbis haberet.
Sic lunæ quoq; uota ferunt, quam creſcere cernunt,
Ac minui, ſtellisq; litant, quæ luce fugantur.
Hic laticem colit, ille Larem: ſed iungere ſacris
Non audent inimica ſuis, ne lite propinqua
Aut rogus exiguas deſiccet fortior undas,
Aut ualidis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras,
Inſtituitq; dapes, & ramos flebilis orat,
Vt natos, charamq; domum, dilectáq; rura,
Coniugijq; fidem, famulos, cenſumq; gubernent.
Lignee ligna rogas, ſurdis clamare uideris,
A' mutis reſponſa petis, quæ iura domorum
Hac ratione regunt, ſi cæſa ſecuribus actis
Ardua pendentis ſuſtentent culmina tecti,
Aut ſubiecta focis, dapibus famulentur edendis.
Nonnulli uenerantur olus, mollesq; per hortos
Numina.

A Numina ſicca rigant, ueriq; hac arte uidentur
Tranſplantatorum cultores eſſe deorum.
Plura referre pudet, ſanctoq; in carmine longum,
Vel damnare nefas, ne mollia ſentibus uram
Lilia, purpurei neu per uiolaria campi
Carduus, & ſpinis ſurgat paliurus acutis.
Iam ſatis humanis erroribus addita monſtra
Riſimus, aut tales potius defleuimus actus.
Nunc cœptam iuuat ire uiã, montẽq; per altum
Nitentes firmare gradus, properemus in urbem
Libertatis opem, radians ubi regia, fuluis
Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti,
Quærenti ſpes certa manet, clauſtrisq; remotis
Peruia pulſanti reſerantur limina cordi.
Hic eſt ille lapis, reprobus quem uertice geſtat
Angulus, atq; oculis præbet miracula noſtris.
Cuius onus læue eſt, cuius iuga ferre ſuaue eſt.
Per digeſta prius ueteris miracula legis
Rettulimus, ſancti coniuncto ſpiritus actu,
Quæ genitor ſocia nati uirtute peregit:
Per digeſta rudis nec non miracula legis,
Dicemus ſancti coniuncto ſpiritus actu,
Quæ natus ſocia Patris uirtute peregit,
B Sẽper ut una manẽs Deitatis forma perẽnis (plex.
Quòd ſimplex triplicet, quodq; eſt triplicabile ſim
Hæc eſt uera fides, hanc ſpreuit habere ſalutẽ,
Arrius infelix, qui curua per auia rectum
Flectere niſus iter, foueam delapſus in atram
Corruit, & tetri merſus petit ima profundi.
Tam uacuus ſenſu, iuſtæ quàm tempore pœnæ
Viſceribus fuſis uacuus quoq; uentre remanſit,
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura, caducorum gradibus ſimulauit honorum.
Nanq; homines inter, natum genitore minorem,
Lex carnalis habet, quoniam pater ipſe parentis
Filius antè fuit: mox & qui filius eſt nunc,
Adforet eſſe pater: ſic per genus omne nepotum
In noua progenies, & aui numerantur auorum.
At Dominus, uerbum, uirtus, ſapientia, Chriſtus,
Et totum commune Patris de lumine lumen,
De ſolo ſolus, cui nec minus eſt Patre quidquam,
Nec quo creſcat habet genitus: nõ quippe creatus,
Ipſe eſt principium. nam ſicut clarus habetur
In genitore manens, genitor quoq; clarus in ipſo
Permanet, & rerum caput eſt Deus unus ubiq;.
Non quia qui ſummus Pater eſt, & Filius hic eſt;
Sed quia quod ſummus Pater eſt, & Filius hoc eſt.
Sic ait ipſe docẽs: et ego in Patre, et Pater in me eſt
Rurſus. ego atq; Pater unum ſumus. Arrius unum
Debet ſcire, ſumusq; Sabellius eſſe fatendum.
Iſte fidem trinam, aſt hic non amplectitur unam.
Ambo errore pares, quanquã diuerſa ſequantur,
Qualiter aſſueti uarias producere ſectas,
Impugnant ſua dicta uiri, qui brachia nudis
Oſtendunt, exerta humeris, nil tradere docti,
Sed tantùm certare cati: prudentia quorum
Stulta iacet, quia uana Deo eſt ſapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet, hic ambulat, hic ſtat:
Alter amat fletus, alter criſpare cachinnum,
Diuerſisq; modis par eſt ueſania cunctis.
Interea dum ritè uiam ſermone leuamus,
Speſq; fideſq; meũ comitãtur in ardua greſſum,
Blandius ad ſummam tandem peruenimus arcem,
En ſigno ſacrata crucis uexilla coruſcant,
En regis pia caſtra micant, tuba clamat herilis,
Militibus ſua porta patet, qui militat intret,
Ianua uos æterna uocat, quæ ianua Chriſtus,
Aurea perpetuæ capietis præmia uitæ,
Arma quibus Domini tota uirtute geruntur,
Et fixum eſt in fronte decus, decus armaq; porto,
Militiæq; tuæ bone Rex, pars ultima reſto.
Hîc proprias ſedes, huius mihi mœnibus urbis
Exiguam concede domum, tuus incola ſanctis
Vt merear habitare locis, alboq; beati
Ordinis extremus conſcribi in ſecula ciuis.
Grandia poſco quidem, ſed tu dare grandia noſti:
Quem magis offendit, quiſquis ſperando tepeſcit.
Chriſte faue uotis, qui mundũ in morte iacentẽ
Viuificare uolens, quondam terrena petiſti
Cœlitus, humanam dignatus ſumere formam.
Sic aliena gerens, ut nec tua linquere poſſes.
Hoc Matthæus agẽs hominẽ generaliter implet,
Marcus ut alta fremit uox per deſerta leonis,
Iura ſacerdotis Lucas tenet ore iuuenci,
More uolans aquilæ uerbo petit aſtra Ioannes.
Quatuor hi proceres una te uoce canentes,
Tempora ceu totidem, latũ ſparguntur in orbem.
Sic & Apoſtolici ſemper duodenus honoris
Fulget apex numero, menſes imitatus & horas,
Omnibus ut rebus totus tibi militet annus.
Hinc igitur ueteris recolens exordia mortis
Ad uitam properabo nouam, lacrimaſq; ſerendo

Gaudia longa metam: nam qui defleuimus in Adam
Semina mittentes, mox exultabimus omnes,
Portantes nostros Christo ueniente maniplos.

LIBER SECVNDVS.

EXpulerat primogenitum sæuißimus anguis
Florigera de sede uirum, blandiq; soporis
Illecebris lethum misero portarat amarum.
Nec solus meritam præsumptor senserat iram
Mortali sub lege iacens: sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. heu noxia coniunx,
Noxia tu coniunx magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoq; noxia coniunx,
Proh dolór, æterni fuerant duo. crescere postquā
Cœpit, origo perit, clādemq; à semine sumpsit,
Quid numerosa dies, quid tempore proderat illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos,
Progeniemq; senum decimam expectare nepotum,
Iamq; suum nescire genus? cùm uicta supremis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ
Sera licet uentura foret, longumq; per æuum
Vita breuis, nihil esse diu cum fine, doceret,
Nec reducem spes ferret opem, primiq; sepulcrum
Terrigenæ, cæca sorberet fauce nepotes.
Ni pius ille sator culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne factura periret,
Quæq; Deo similis uiuens astabat imago,
Dißimilis de morte foret, ueniale misertus
Instauraret opus, pomisq; uetaret acerbis
Quæ mandère patres, natorum horrescere dentes,
Donaretq; suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem.
Et uelut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habēs, matremq; obscurat honore:
Sic Euæ de stirpe sacra ueniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua uirgo piaret.
Vt quoniam natura prior uiciata iacebat
Sub ditione necis, Christo nascente renasci
Posset homo, & ueteris maculā deponere carnis.
Hæc uentura senes postquàm dixere prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ,
Et dictum comitata fides, uterumq; puellæ
Sidereum mox implet onus, rerumq; creator
Nascendi sub lege fuit: stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetq; suum paritura parentem.
Iamq; nouem lapsis decimi de lumine mensis
Fulgebat sacrata dies, cùm uirgine fœta
Promissum compleuit opus, uerbum caro factum, A
In nobis habitare uolens. tunc maximus infans
Intemerata sui conseruans uiscera templi,
Illæsum uacuauit iter, pro uirgine testis
Partus adest, clausa ingrediēs, & clausa relinquēs.
Quæ noua lux mundo, quæ toto gratia cœlo?
Quis fuit ille nitor Mariæ, cùm Christus ab aluo
Proceßit splendore nouo? uelut ipse decora
Sponsus ouans thalamo, forma speciosus amœna,
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labijs diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas, ne nos seruile teneret
Peccato dominante iugum, seruilia summus
Membra tulit Dominus, primiq; ab origine mūdi
Omnia qui proprijs uestit nascentia donis,
Obsitus exiguis habuit uelamina pannis:
Quemq; procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spaciosaq; lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, & angusto Deus in præsepe quieuit.
Salue sancta parens, enixa puerpera regem,
Qui cœlum terramq; tenet per secula, cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium, sine fine manet, quæ uentre beato B
Gaudia matris habens cum uirginitatis honore,
Nec primam similem uisa es, nec habere sequentē,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.
Tunc prius ignaris pastoribus ille creatus
Emicuit, quia pastor erat, gregibusq; refulsit
Agnus, & angelicus cecinit miracula cœtus.
Talia Bethleis dum signa geruntur in oris,
Eoi uenere Magi, sæuumq; tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuncia dictis,
Iudaicis nuper populis, orientis ab axe,
Progenitum fulsiße ducem: hoc cœlitus astra,
Hoc stellam radiare nouam. ferus arbiter aulæ
Aestuat Ebrææ, ratis hunc succedere posse
Mox sibimet, qui primus erat. tunc fronte serena
Nubila mentis alens, clàm mandat ubiq; requiri,
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis Herodes? Christum sermone fateris,
Et sensu iugulare cupis, legemq; legendo
Negligis, & regi regum tua regna minaris.
Ne tamen insano careant tua nomina facto,
Patrandum sub honore crucis, sed crimine gentis,
Herodes alius, quod tu molire, uidebit.

Ergo

A Ergo alacres ſummo ſeruantes lumina cœlo
Fixa Magi, ſiduſq; micans regale ſecuti,
Optatam tenuere uiam, quæ lege futura
Duxit adorantes ſacra ad cunabula gentes,
Theſauriſq; ſimul pro relligione ſolutis,
Ipſæ etiam ut poſſent ſpecies oſtendere Chriſtum,
Aurea naſcenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuere ſepulto.
Cur tria dona tamẽ? quoniã ſpes maxima uitæ eſt
Hunc numerum confeſſa fides, et tempora ſummus
Cernens cuncta Deus, præſentia, priſca, futura,
Semper adeſt, ſemperq; fuit, ſemperq; manebit,
In triplici uirtute ſui. tunc cœlitus illi
Per ſomnum moniti contemnere iuſſa tyranni,
Per loca mutati gradientes deuia callis,
In patriam rediere ſuam: ſic nos quoq; ſanctam
Si cupimus patriam tandem contingere, poſtquàm
Venimus ad Chriſtũ, iam non repetamus iniquum.
Ergo ubi deluſum ſe comperit impius iram
Rex aperit, ſi iure queat Rex ille uocari,
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram:
Ereptumq; gemens facinus ſibi, ceu leo frendens,
Cuius ab ore tener ſubitò cùm labitur agnus,
B In totum mouet arma gregem, manditq; trahitq;
Molle pecus, trepidæq; uocant ſua pignora fœtæ
Nequicquam, & uacuas implent balatibus auras.
Haud ſecus Herodes Chriſto ſtimulatus adempto,
Sternere colliſas paruorum ſtrage cateruas
Immeritò non ceſſat atrox: quo crimine ſimplex
Turba perit. cur qui uixdum potuere creari,
Iam meruere mori? furor eſt in rege cruento,
Non ratio: primoſq; necans uagitus, & audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangoremq; dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato uertice rupit,
Ille genas ſecuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, & infelix mater (nec iam modò mater)
Orba ſuper gelidum fruſtra premit ubera natum.
Quis tibi nunc lanio cernenti talia ſenſus?
Quosue dabas fremitus? cùm uulnera feruere latè
Proſpiceres arce ex ſumma, uaſtumq; uideres
Miſceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Extinctiſq; tamen quamuis infantibus abſens,
Præſens Chriſtus erat, qui ſancta pericula ſemper
Suſpicit, & pœnas alieno in corpore ſentit.
Aſt ubi biſſenos ætatis contigit annos,
Hoc ſpacium de carne trahens, æuiq; meatus
Humana pro parte tulit, ſenioribus eſſe
Corde uidebatur ſenior, legiſq; magiſtros
Inter, ut emeritus reſidebat iure magiſter.
Nec mora (quas etenim uolitãs per tẽpora mundus
Nouit habere moras?) uſus maiore iuuenta,
Sex quaſi luſtra gerens, placidã Iordanis ad undam
Venit, ut acciperet hoc, quod dare uenerat ipſe.
Hunc Baptiſta potẽs ut uidit ab amne Ioannes,
(Quem, matris dum uẽtre latet, nõdumq; creatus,
Senſerat, obſtruſo iam tunc ſermone prophetes,
Vt muto genitore ſilens, cui munera linguæ
Poſt noni taciturna diu ſpiramina menſis
Parto redduntur nato) mox prædicat: Agnus
Ecce Dei, ueniens peccatum tollere mundi.
Tollere cùm dicit, quod non habet, hoc mihi tollit:
Non mala ut ipſe gerat, ſed ut ipſe nocentia perdat,
Qualiter in medias dum lux præclara tenebras
Funditur, & proprium non obfuſcata ſerenum
Decutit, expulſas illæſis uultibus umbras.
Sic delicta fugans Saluator noſtra gerendo
Terſit, et à tactu procul euaneſcere iuſsit.
Tunc uada torrentum ſimplex ingreſſus aquarum,
In ſe cuncta lauat noſtræ contagia uitæ.
Ipſe nihil quod perdat habens, ſanctoq; liquentes
Corpore mundauit latices, lymphaſq; beauit
Gurgitis, & proprijs ſacrauit flumina membris.
Senſerunt elementa Deum, mare fugit, & ipſe
Iordanis refluas curſum conuertit in undas.
Nãq; propheta canẽs, quid nã eſt mare quòd fugis,
Et tu Iordanis retro quid ſubtrahis amnẽ? (inquit,
Ergo ubi flumineum poſt myſtica dona lauacrum
Egrediens Dominus, ſiccas calcauit arenas,
Confeſtim patuere poli, ſanctuſq; columbæ
Spiritus in ſpecie Chriſtum ueſtiuit honore,
Manſuetumq; docet, multumq; incedere mitem
Per uolucrem quæ felle caret, natoq; uocato
Voce patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quod Pater & natus, quod ſpiritus eſt ibi ſanctus:
Quo manet indignus, qui non numerauerit unum.
Inde quater denis iam noctibus atq; diebus
Ieiunum dapibus, ſacro ſpiramine plenum
Inſidijs tentator adit, doctuſq; per artem
Fallaces offerre dapes: ſi filius, inquit,
Cerneris eſſe Dei, dic ut lapis iſte repentè
In panis uertatur opem: miracula tanquam

Hæc non ſemper agat Dominus, qui ſaxea terræ
Viſcera, fructiferis animans fœcundat ariſtis,
Et panem de caute creat. hac ergo repulſus
Voce prius, hominem non ſolo uiuere pane,
Sed cuncto ſermone: Dei labefactus, & amens,
Altera uipereis inſtaurans arma uenenis,
Cum Domino montana petit, cunctasq́; per orbẽ
Regnorum monſtrauit opes: hæc omnia dicens,
Me tribuente feres, ſi me proſtratus adores.
Quantum peruerſus, tantum peruerſa locutus:
Scilicet ut fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat, monſtrumq́; nefandũ
Pronus adoraret, cuius ſuper æthera ſedes,
Terra pedum locus eſt, quẽ nullus cernit, et omnis
Laudat in excelſis ſummiſſa uoce poteſtas.
Chriſtus ad hæc: tantũ Dominum ſcriptura, Deũq;
Iuſſit adorari, & ſoli famularier uni.
His quoq; deficiens cõgreſſibus, audet iniquus,
Ter ſeſe attollens, animo perſtare ſuperbo,
Terq́; uolutus humo, fragili confidere bello.
Tunc aſſumpſit eum ſanctam ſceleratus in urbem,
Et ſtatuens alti ſupra faſtigia templi:
Si natum genitore Deo tete aſſeris, inquit,
Impiger è ſummo demiſſus labere tecto.
Nam ſcriptura docet, de te mandaſſe Tonantem,
Angelicis ſubuectus eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne fortè pedem collidere poſſis.
O quàm cæca gerit nigro ſub pectore corda,
Mens tenebris obſcura ſuis: hunc ardua templi
Culmina, & erectæ quamuis faſtigia pinnæ
Credidit in præceps horreſcere, maxima ſummi
Curuauit qui membra poli, cœlosq́; per omnes
Vectus in extremæ deſcendit humillima terræ,
Inferiora petens, ſed non excelſa relinquens,
Dixerat, & ualidi confoſſus cuſpide uerbi,
Quòd tẽtare ſuũ Dominumq́;, Deumq́; nequiret,
Victoris fugit ora gemens. tunc hoſte repulſo
Cœlicolæ aſſiſtunt proceres, cœtusq́; micantes,
Angelici Chriſto famulantur ritè miniſtri.
Protinus ergo uiros ex piſcatoribus aptos
Humanas piſcari animas, quæ lubrica mundi
Gaudia ſectantes, tanquam uada cærula ponti,
Cæcaq́; præcipites tranant incerta profundi,
Diſcipulos iubet eſſe ſuos, talesq́; ſupernæ
Conciliat uitæ, quos non uentoſa loquendi
Gloria, nec uana de nobilitate ſuperbus

Sanguis alat, ſed fama tacens, humiliq́; refulgens A
Mente nitor, cœlo faciat de plebe propinquos.
Nam quæ infirma potens elêgit, et infima mundi,
Fortia confringens Deus, & ſapientia perdens.
Quinetiam celerem cupiens conferre ſalutem,
Orandi præcepta dedit, iudexq́; benignus
Indulgenda peti breuiter iubet, ut citò præſtet,
Sic dicens: orate patrem baptiſmate noſtrum,
Iure ſuum, propriumq́; homini conceſſit honorem,
Et quod ſolus habet cunctos permiſit habere.
Qui Dominũ cœli patrẽ memoramus, in ipſo
Iam fratres nos eſſe decet, nec origine carnis
Germanum geſtare odium, ſed ſpiritus igne
Flagrantes abolere doli monumenta uetuſti:
Atq́; nouum geſtare hominem, ne forſan ab alto
Degenerent terrena Deo, cui nos duce Chriſto
Fecit adoptiuos cœleſtis gratia natos.
Sanctificatur ubi Dominus, qui cuncta creãdo
Sanctificat, niſi corde pio, niſi pectore caſto?
Vt mereamur eum nos ſanctificare colendo.
Annuat ipſe prior, ſicut benedicier idem
Se iubet à nobis, à quo benedicimur omnes.
Adueniat regnum iamiamq́; ſcilicet, illud
Morte uacans, & fine carens, cui nulla per æuum B
Tempora ſuccedent: quia neſcit tempus habere
Continuus ſine nocte dies, ubi principe Chriſto
Nobile perpetua caput amplectente corona,
Victor opima ferens gaudebit præmia miles.
Iugibus hoc uotis, hoc nocte dieq́; precemur,
Illius ut fiat cœlo terraq́; uoluntas,
Qui nuſquã uult eſſe nefas, hoſtemq́; nocentem
Vtq́; polo, ſic pellat humo, ne corpora noſtra
Tanquam uile ſolum, ſæuus ſibi uendicet hydrus.
Sed qui cuncta fouet plena pietate redundans,
Omnipotens, animas pariter conſeruet, & artus.
Altera pars etenim cœli ſumus, altera terræ.
Annonam fidei ſperamus pane diurno,
Ne mens noſtra famem doctrinæ ſentiat unquam,
A Chriſto ieiuna ſuo, qui corpore & ore
Nos ſaturat, ſimul ipſe manens uerbumq́; cibusq́;.
Dulcia nam Domini noſtris in faucibus hærent
Eloquia, exuperantq́; fauos atq; omnia mella.
Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoq; laxemus. proprij nam cautio uerbi
Spondentes manifeſta tenet, grauiusq́; ſoluti
Nectimur, alterius ſi ſoluere uincla negamus.

Incipit

A Incipietq; pius decies millena talenta
Dimittens dominus, si nos affligere propter
Denarios centum conseruum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inq; feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta breuē reddamus adusq; quadrātem.
Nō quia nos Dominus lucis uia, semita pacis,
In laqueos tentantis agat, sed cùm mala nostra
Deserit, ire sinit. nam quisquis retia mundi
Deliciosa sequens, luxus & gaudia blandæ
Perditionis amat, Deus hunc, uirtutis amator,
Linquit, & ingreditur quà se tentatio ducit.
Iugibus hanc igitur studijs uitemus, & arctum
Corde petamus iter, tenuis qua semita monstrat,
Ire per angustam regna ad cœlestia portam.
Si cupimus uitare malum, debemus adire,
Sectariq; bonum: hic quia liberat, ille trucidat,
Hic alit, ille necat. nam quantum sidera terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita sepulturis: tantum bona longius absunt
Dissociata malis. dextrum cuicunq; necesse est,
Aut læuum gradiatur iter. sed dextra bonorum
Semita, conspicuos uocat in sua gaudia iustos,
B Inq; tuos Patriarcha sinus: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Ergo agnis ouibusq; Dei est hæc sola uoluntas,
Et bona libertas euadere torua cruenti
Ora lupi, uitaq; frui per pascua Christi.

LIBER TERTIVS.

PRima suæ, Dominus thalamis dignatus adesse,
Virtutis documenta dedit, conuiuaq; præsens
Pascere non pasci ueniens (mirabile) fusas
In uinum conuertit aquas: amittere gaudent
Pallorem latices, mutauit læta saporem
Vnda suum, largita merum, mensasq; per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula musto.
Impleuit sex ergo lacus hoc nectare Christus,
Quippe ferax qui uitis erat, uirtute colona,
Omnia fructificans, cuius sub tegmine blando
Mitis inocciduas enutrit pampinus uuas.
Regulus hinc nato quidam moriente rogabat
Flebilis & supplex Dominum, quô uiseret ægrum,
Febre laborantem puerum, trepidamq; uetaret
Labi animam de sede sua: tunc larga potestas,
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat
Velocem comitata fidem, sermone salutem
Concedens facili: uiuit iam filius, inquit,
Perge, tuus. quantum imperij fert iussio Christi!
Non dixit uicturus erit, sed iam quia uiuit,
More Dei, qui cuncta prius quàm nata uidendo,
Præteritum cernit, quidquid uult esse futurum.
Inde salutiferis incedens gressibus urbes,
Oppida, rura, casas, uicos, castella peragrans,
Omnia depulsis sanabat corpora morbis.
Ecce autem mediæ clamans ex agmine turbæ
Leprosus poscebat opem, uariosq; per artus
Plus candore miser: si uis Domine, inquit, ab istis
Me maculis mundare potes: uolo, Christus ut in- (quit,
Cōfestim redit una cutis, proprioq; decôre
Læta, peregrinam mutarunt membra figuram,
Inq; suo magis est uix agnitus ille colore.
Fortè Petri ualidæ torrebat, lampadis æstu,
Febris anhela socrum, dubioq; in funere pendens
Saucia sub gelidis ardebat uita periclis,
Immensusq; calor frigus lethale coquebat.
At postquam fessos Domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totisq; extincta medullis
Fonte latentis aquæ cecidit uiolentia flammæ.
Quinetiam rabidas nigrorum depulit iras
Spirituum, ne flatus atrox laceraret iniqua
Peste homines, operisq; Dei uexaret honorem,
Quem norat non esse Dei, passimq; cateruas
Vt prius innumeras, pulso languore saluti
Reddidit, & uaria populos à clade leuauit.
Inde marina petens, arentes gressibus algas
Pressit, & exiguæ conscendens robora cymbæ
Aequoreas intrauit aquas, dominumq; sequentes
Discipuli, placido librabant carbasa ponto.
Iam procul à terris fuerat ratis, actaq; flabris
Sulcabat medium puppis secura profundum:
Cùm subitò fera surgit hiems, pelagusq; procellis
Vertitur, & trepidā quatiunt uada salsa carinam.
Perculerat formido animos, seseq; putabant
Naufraga littoreis iam tendere brachia saxis.
Ipse autem placidum carpebat pectore somnum,
Maiestate uigil, qui non dormitat in æuum,
Qui regit Israel, neq; prorsus dormiet unquam:
Ergo ubi pulsa quies, cunctis clamantibus una
Voce simul: miserere citus, miserere perimus,
Auxilio succurre pio: nil uota moratus,
Exurgens Dominus, ualidis mitescere uentis
Imperat, & (dicto citius) tumida æquora placat.

Non erat illa feri pugnax audacia ponti,
In Dominum tumidas quæ surgere cogeret undas,
Nec metuenda truces agitabant flamina uires:
Sed lætum exiliens Christo mare, compulit imum
Obsequio seruire fretum, rapidoq; uolatu
Mouerunt auidas uentorum gaudia pennas.
Interea placido transuectus marmore, puppim
Liquerat, & medios lustrabat paßibus agros,
Cùm procul è tumulis gemino stridore ruentes
Prosiluere uiri, quos non mala dæmone pauco,
Sed legio uexabat atrox, nexuq; cruento
Sæua catenatis gestabant uincla lacertis.
Angebat quoq; pœna duplex: heu dira furoris
Conditio, qui uim patitur, magis ille ligatur.
Tunc Domini præcepta tremens exire iubentis
Spiritus infelix, hominem non audet adire,
Effigiem fugiens, quam Christum cernit habere:
Sed pecus immunda gaudens lue, semper amicum
Sordibus, atq; olido consuetum uiuere cœno,
Pro meritis petiere suis: tristesq; phalanges
Porcinum tenuere gregem: niger, hispidus, horrẽs,
Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.
Hinc alias Dominus pelagi delatus in oras,
Intrauit natale solum, quo corpore nasci
Se uoluit, patriamq; sibi pater ipse dicauit:
Ecce aderant uiuum portantes iamq; cadauer,
Bis bina ceruice uiri, lectoq; cubantem
Vix hominem, cui uita manens sine corporis usu,
Mortis imago fuit, resolutaq; membra iacebant
Officijs deserta suis, fluxosq; per artus
Languida demißis pendebant uincula neruis.
Hunc ubi uirtutum Dominus conspexit egentem
Robore, peccatis primùm mundauit ademptis,
Quæ generãt augmenta malis: misero inde iacẽti,
Surge, ait, et proprium scapulis attolle grabatum,
Inq; tuam descende domum: nil iussa moratus,
Cui fuerat concessa salus, uestigia linquens
Tandem aliena, suis lætatur uadere plantis,
Vectoremq; suum grata mercede reuexit.
Principis interea synagogæ filia, clauso
Puncta die superas moriens amiserat auras.
At genitor, cui finis edax spem prolis adultæ
Sustulerat, sanctos Domini lacrimansq; gemensq;
Corruit ante pedes, uix uerba precantia fari
Singultu quatiente ualens: miserere parentis,
Orbati miserere senis, modò filia, dicens,
Vnica, uirgineis nec adhuc matura sub annis, A
Occidit, & misero patris mihi nomen ademit:
Affer opem, lapsamq; animam per mẽbra refunde,
Qui totum præstare potes: hæc inquit, & auctor
Lucis ad extinctæ pergebat funera, gressum
Vix populo stipante mouens, permixtaq; turbis
Ibat inundantem mulier perpessa cruorem,
Quæ magnas tenuarat opes, ut sanior esset,
Exhaustaq; domo, nec proficiente medela,
Perdiderat proprium pariter cũ sanguine censum.
Ast ubi credentis iam sano pectore cœpit
Diues adesse fides, medijs immersa cateruis
Nititur auersi uel filum tangere Christi,
Posteriusq; latens, subitam furata salutem
Extrema de ueste rapit, siccisq; fluentis
Damnauit patulas audax fiducia uenas.
Senserat ista Deus, cuius de fonte cucurrit,
Quod uirtus secreta dedit, furtumq; fidele
Laudat, & egregiæ tribuit sua dona rapinæ.
Ventum erat ad mœsti lugentia culmina tecti,
Deflentemq; domum, moriens ubi uirgo iacebat
Extremum sortita diem, trepidusq; tumultus
Omnia lamentis ululans implebat amaris,
Funereosq; modos cantu lacrimante ferebat B
Tibicen, plangorq; frequens confuderat ædes:
Ponite sollicita conceptos mente dolores,
Hic sopor est, Saluator ait, nec funus adesse
Credite, nec somno positam lugete puellam.
Dixerat, & gelida constrictum morte cadauer
Spiritus igne fouet, uerboq; immobile corpus
Suscitat, atq; semel genitam bis uiuere præstat.
Obstupuere animis, inopinaq; uota parentes
Aspiciunt, uersisq; modis per gaudia plaudunt.
Inde pedem referens geminos uidet ecce sequẽtes
Cæcatos clamore uiros: fili inclyte Dauid,
Discute nocturnas extinctis uultibus umbras,
Et clarum largire diem. quàm credere tutum,
Quàm sanum est cognosse Deum. iã corde uidebãt
Qui lucis sensere uiam, tunc cæca precantum
Lumina, diffuso ceu torpens ignis oliuo
Sub domini micuere manu, tactuq; sereno
Instaurata suis radiarunt ora lucernis.
His ita dimißis, alius producitur æger,
Multiplici languore miser, qui uoce relictus,
Auditu uacuus, solo per inania membra
Dæmone plenus erat: hunc protinus ordine sacro
Curauit,

A Curauit,uersis Deus in contraria causis,
Dæmonio uacuans,auditu & uoce reformans.
Nec minus interea proprios iubet omnia posse
Discipulos,totisq; simul uirtutibus implens,
Ite,ait,& tristes morborum excludite pestes,
Sed domui Israel(quia necdum nomine gentes
Auxerat hoc omnes)cœlorum dicite regnum,
Dæmonijs auferte locum,depellite lepram,
Functaq; subductæ reuocate cadauera uitæ.
Sumpsistis gratis,cunctis impendite gratis.
Ac uelut hoc dicens,ego uobis quippe ministris
Seruandos committo greges:ego deniq; pastor
Sum bonus, & proprios ad uictum largior agros,
Nemo meis ouibus,quæ sunt mea pascua,uendat.
Hæc in Apostolicas ideo prius edidit aures
Omnipotens,ut ab his iam sese auctore magistris
In reliquum doctrina fluens decurreret æuum:
Qualiter ex uno paradisi fonte leguntur
Quatuor ingentes procedere cursibus amnes,
Ex quibus in totum sparguntur flumina mundum.
Quisquis enim deitatis opus,quod non habet ex se,
Sed domino tradente gerit,sub nomine puro
Suscipiet,puro dispenset munere,poßit
B Vt dispensator,non ut mercator haberi,
Dauidisq; modis uitam cantare futuram,
Intrabo in Domini requiem,quia nescio mercem.
Exin cōspicuam synagogæ ingressus in aulam,
Aspicit inualidum demisso corpore mancum,
Seminecem membris, non totum uiuere,cuius
Arida torpentem damnarat dextera partem,
Imperioq; medens gelidam recalescere palmam
Præcipit,& reddit diuino more salutem:
Sicut semper agit,nil tollit,& omnia reddit.
En iterum ueteres instaurans lubricus artes,
Ille chelydrus adest,nigri qui felle ueneni
Liuidus humano gaudet pinguescere tabo.
Quodq; per alternos toties disperserat ægros
Virus,in unius progressus uiscera fudit.
Cui uocem lucemq; tulit,tripliciq; furore
Saucia membra tenens,mutū quatiebat,& orbum.
Tunc dominus mundi,lux uera,& sermo parentis,
Sordibus exclusis oculos atq; ora nouauit,
Verbaq; per uerbum,per lumen lumina surgunt.
Venerat & mulier morbo contracta uetusto,
Non senio:tremebunda,gemens,incurua,caducis
Vultibus,& solam despectans cernua terram,
Quæ miserante Deo,iuges post octo decemq;
Membra leuat messes,cœlumq; & sidera tandem
Cernit,et ardentem solis reminiscitur orbem, (stis,
Totū erecta uidēs: quia, quos malus opprimit ho-
Ima petunt:quos Christus alit,sine labe resurgunt.
Cumq; dehinc populū sese in deserta sequutum
(Vt typicus Moses uerusq; propheta)uideret
Antiquam sentire famem,maioribus actis
Antiquam monstrauit opem:tunc alite multo
Carnis opima dedit,geminis modo piscibus auxit:
Sufficiens tunc manna pluit,modo panibus amplū
Quinque dedit uictum per millia quinq; uirorum.
Cætera turba latet,numero nec clauditur ullo,
Maxima paruorum legio,uel maxima matrum.
Quodq; magis stupeas, cophinos ablata replerūt
Fragmina bissenos,populisq; uorantibus aucta
Quæ redit à cunctis non est data copia mensis.
Iamq; senescentem gelidi sub cœrula ponti
Oceano rapiente diem,cùm pallor adesset
Noctis, & astriferas induceret Hesperus umbras,
Discipuli solo terris residente magistro
Vndosum petiere salum,fluctuq; tumente
Torua laborantem iactabant æquora puppim.
Aduersus nam flatus erat,tunc noctis opacæ
Tempore calcatas dominus superambulet undas,
Et uasti premit arua freti,glauciq; fluentis
Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors sub calle pedestri
Nauigeras patuisse uias:at Petrus amicam
Doctus habere fidē, Christumq; agnoscere semper,
In medias descendit aquas,quem dextra leuauit
Labentem Domini,nil tanto in gurgite passum:
Cui portus fuit illa manus,pelagiq; uiator
Libera per uitreos mouit uestigia campos.
Genesar inde solum domino ueniente,coloni
Infirmos traxere suos,ut fimbria saltem
Vix attacta Dei,morbis medeatur acerbis.
Senserunt iugem,quotquot tetigere salutem.
Quàm preciosa fuit,quæ nunquam uendita uestis,
Ipsa omnes modici redimebat munere fili.
Hinc Tyrias partes Sidoniaq; arua petentem
Anxia pro natæ uicio(quam spiritus atris
Vexabat stimulis)mulier Cananæa rogabat,
Se canibus confessa parem,qui nare sagaci
Semper odoratæ recubant ad limina mensæ,
Assueti refluas dominorum lambere micas.

Vox humilis,ſed celſa fides,quæ ſoſpite nata
De cane fecit ouem,genitisq; in ſentibus ortam
Compulit Ebræi de gramine ueſcier agri.
Alta dehinc ſubiens mõtis iuga, plebe ſequente
Millia cæcorum,claudorum millia paßim,
Leproſosq; ſimul populos,ſurdasq; cateruas,
Inualidasq; manus,& quicquid debile uulgi
Venerat,in priſcum componit motibus uſum,
Et reuocata ſuis attemperat organa neruis.
Dumq; medens ægrũ refouet uirtute tumultum,
Tertia lux aderat,ſteriliq; in ceſpite nullum
Contigerat plebs tanta cibum,nimiosq; labores
Nutribat geminanda fames,ſi ſaucia callem
Turba per ingentem dapibus ieiuna rediret,
Qua flexus pietate Deus,qui ſemper egentum
Panis adeſt,uictumq; locis ſine frugibus infert:
Piſciculis paucis,& ſeptem panibus agmen
Pauit enorme uirûm,præterq; infirma ſecundi
Sexus,ætatis ſaturauit quatuor illic
Millia ueſcentum,plus ut mireris,& auctas
Diſce fuiſſe dapes:epulas nutriuit edendo
Vulgus,& attritæ creuerunt morſibus eſcæ,
Relliquiasq; ſuas ſportarum culmina ſeptem
Expauit fugitiua fames,ubi fragmine ſumpto
Vidit abundantem modico de ſemine meſſem.
Nec tamẽ humano quãuis in corpore Chriſtũ,
Matris ab occaſu mortalia membra gerentem
Clàm fuit eſſe Deum:quia non abſconditur unquã
Vrbs in monte ſedens,modio nec ſubditur ardens
Lychnus,anhelantem ſed ſpargens altius ignem
Cunctis lumen agit:radians nam teſtibus amplo
Diſcipulis fulgore tribus,uelut igneus ardor
Solis in æthereã uerſus ſplendore figuram,
Vicerat ore diem:ueſtemq; tuentibus ipſam
Candida forma niuis Domini de tegmine fulſit.
O meritum ſublime trium,quibus illa uidere
Contigit in mundo,quæ non ſunt credita mundo.
Quid?quòd & Eliam,& clarum uirtute Moyſen,
Ignotos oculis uiderunt lumine cordis,
Vt maior ſit noſtra fides,hunc eſſe per orbem
Principiũ ac finẽ,hũc ſimul alpha uiderier,hũc ω,
Quem medium tales circumfulſere prophetæ,
Alter adhuc uiuens,alter ſtans limine mortis.
Sidereoq; ſono:meus eſt hic filius,aiens,
Oſtendit uerbo genitum uox patria Chriſtum.
Poſtquàm corporeos uirtus regreſſa per artus
Texit adoratam carnis uelamine formam, A
Seq; palàm Dominus populis dedit,ecce repentè
Vir humilis mœſto deiectus lumina uultu
Procedit,ſupplexq; manus & brachia tendit,
Imploratq; gemens:unus mihi filius,inquit,
Eſt Domine,horrenda lacerat quem ſpiritus ira,
Nec linquit,niſi mergat aquis,aut ignibus atris
Opprimat,atq; animam dubia ſub morte fatiget.
Hunc precor expulſo miſeratus utrunque furore
Redde mihi,uel redde ſibi,ne cæca poteſtas
Expellat trepidam ſubtracto lumine uitam.
Dixerat,& genua amplectens,genibusq; uolutans
Hærebat,dominusq; pio iam pectore uotis
Annuerat.tunc prædo furens,ac noxius hoſtis,
Cui poſſeſſa diu eſt alieni fabrica iuris,
Peruaſa migrare domo compulſus,in iram
Tollitur accenſam,correptaq; carpere membra
Nititur, & fruſtra domino prohibente laborans
Fugit in obſcuras puero uiuente tenebras.
Rex etiam ſolus regũ, et dominus dominorum,
Non dedignatus Petro piſcante tributum
Soluere Cæſareum,medij de gurgite ponti
Hamum ferre iubet gerulum,didrachmatis aurei.
Incola mox pelagi pendentia fila momordit, B
Iuſſa tributa ferens,grauiorq; onerante metallo,
Vilis honor piſcis precio maiore pependit.
Diſcipulisq; ſuis ſe percontantibus,aula
Cœleſtis regni maior quis poßit haberi?
Vt Deus & doctor mirabilis omnibus inquit:
Celſior eſt humilis,cunctisq; potentior ibit,
Qui cunctis ſubiectus erit,ſeſeq; minorem
Demiſſa ceruice feret: uelut iſte uidetur
Paruulus, & monſtrat puerum cõſiſtere paruum,
Scilicet ingenium teneri ſectemur ut æui,
Non annis,ſed mente iubet:quia mollior ætas
Nil pompæ mortalis amat, non ambit honorem,
Nec reſupina tumet:ſic puræ ſemita uitæ
Quantum prona ſolo,tantum ſit proxima cœlo,
Mens etenim uergens,altum petit,altaq; uergit,
Inferiorq; gradus,quô uult deſcendere,ſurgit.
Ecce humilem Dominus de ſtercore tollit egenum,
Et facit egregios inter reſidere tyrannos:
At contrà tumidum pugnaci mente rebellem,
Præcipitem cœlo ſub tartara iußit abire.
Parua loquor.ſi facta Dei per ſingula curram,
Et ſpeciale bonum,cùm ſit generale,reuoluam.

Iam

A Iam placidas Iordanis item trangressus arenas,
Iudææ sectatur iter, sine nomine mixtum
Vulgus, & innumeras releuans à clade cateruas,
Suscipit infirmos, & dat discedere sanos.
Nil igitur summo, de se sperantibus, unquam
Difficile est conferre Deo, cui prona facultas
Ardua planare, & curua in directa referre:
Et quicquid natura negat, se iudice præstat.
Namq; foramen acus, sicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit: sic diues opima
Fertilitate tumens, tenuem non poßit adire
Cœlestis regni ducentem ad limina callem,
Ni genitor rerum (qui mundum lege coërcet,
Et nulla sub lege manet, cui condere uelle est,
Quem frons nulla uidet, sed totum conspicit) ipse
Hoc impoßibile est homini, dixisset: at alto
Poßibile est ius omne Deo, multisq; molestum
Diuitibus tandem faceret mitescere censum.
Nam proprias bene tractat opes, cœloq; recondi
Thesauros uult ille suos, ubi quicquid habetur,
Non mordax ærugo uorat, non tinea sulcat,
B Nec malè defossum famulatur furibus aurum.
Ieiunis quicunq; cibum, sitientibus haustum,
Hospitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, perfouet ægros,
Atq; alijs largus, sibi tantùm constat egenus.
Nec dubiè in cœlum substantia peruenit illa,
Quæ Christo collata datur sub paupere forma,
Quæ damnis augmẽta capit, quæ spargitur ut sit,
Quæ perit ut maneat, quæ uitam mortua præstat.
Præterea geminos dominus considere cæcos,
Dum quoddam transiret iter comitante caterua,
Conspicit, extinctæ poscentes munera formæ,
Flebilibusq; uagas implentes uocibus auras.
Nec cunctata solens pietas inferre salutem,
Quæ sentit flagrare fidem, mox lumina tangens
Euigilare iubet, quæ somnus presserat ingens,
Atq; diu clausas reserans sub fronte fenestras,
Ingrediente die fecit discedere noctem.
Hinc repetita sacri gradiẽs per mœnia templi,
Lumina cæcatis dedit, & uestigia claudis.
Talia Dauidicam post facta reliquerat urbem,
Bethaniæ uicina petens, eademq; reuersus
Clarescente die properabat uisere tecta.
Ecce autem medijs astans sublimis in aruis,
Frondea ficus erat, cuius in robore nullum
Repperit esuriens lustrato stipite pomum,
Arboreisq; comis: iam nunc ex germine uasto
Nullus, ait, fructus reliquum generetur in æuum.
Confestim uiduata suis ficulnea succis
Aruit, & siccis permansit mortua ramis.
Omnis enim quicunq; Deo nil fertile nutrit,
Ceu sterilis truncus lignis æquabitur ustis:
At iustus palmæ similis florebit amœnæ,
Semper habens frondes, & tanquã Libana cedrus
Multiplicandus adest, & sidera uertice tangit.
Post oblatus ei uirtutem sensit herilem
Insanus, sermone carens, quem faucibus arctis
Angebat uis clausa mali, uicinumq; tacendo
Prodiderat. sed cuncta solens infirma leuare,
Conditor obsessa pepulit de fauce latronem,
Et uocis patefecit iter, nexuq; soluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.
Post Dominus Pharisæa petens conuiuia cœnæ,
Orantis dapibus sese impertiuit amici.
Tunc mulier (quam fama nocens, & plurima uitæ
Mordebant delicta suæ) clementia supplex
Corruit amplectens uestigia, quæq; profusis
Irrigat incumbens lacrimis, & crine soluto
Nec tergêre sacras, nec cessat lambere plantas,
Vnguento fragrante fouens, sententia donec
Læta Dei (quem ferre manum nõ pœnitet unquã,
Si nos pœniteat ueterem quæsisse ruinam)
Vade, fides mulier tua te saluauit ab omni,
Dixisset, quodcunq; malum gesßisse uideris.
Vtere pace mea: magna est medicina fateri,
Quod nocet abscondi, quoniã sua uulnera nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata receßit
Per gemitum, proprijq; lauans in gurgite fletus,
Munda suis lacrimis redit, & detersa capillis.
Iamq; Capharnææ synagogã intrauerat urbis,
Ritè docens populos, quem cùm uidisset iniquus
Humano sub corde latens, clamore proteruo
Spiritus infremuit, quid nobis, & tibi? dicens:
Perdere nos heu Christe uenis, scio deniq; qui sis,
Et sanctum cognosco Dei. nec plura locutus,
Imperio terrente tacet, hominemq; reliquit
Pulsus, & in uacuas fugiens euanuit auras.
Hic etiam uarijs finem languoribus esse
Fecit, & exclusos semper reticere coëgit
Dæmonas, ac talem prohibet se pandere testem.

Olim quippe ferox,& nigræ mortis amator,
Ille nocens anguis,deiectus culmine cœli
Cum pompis socijsq; suis,omniq; nefandæ
Agmine militiæ Christum,quem nouerat illic,
Conspicit in terris uelamine carnis opertum:
Et gemit esse homini, Dominum uirtutis,amicum.
Dumq; Tyri transgressus iter,Sidonia rursus
Arua legens,placidas dominus calcaret arenas,
Curauit gemino miserum spiramine clausum,
Qui uocem non ore dabat,non aure trahebat,
Sidereæq; manus,ruptis penetralibus omnes
Attactu patuere fores,lætusq; repente
Audiriq; loquens,meruitq; audire loquentes.
Tu quoq; uirtutis sensisti munus herilis,
Procumbens oculis,in cuius lumina Christus
Exspuit,& speciem simulatæ mortis ademit.
Hinc maiora docens populos cœlestia uerum,
Se reserat sermone Deum,turbasq; frequentes
Quæ nimis irruerant,cupiens uitare parumper
Stagna petit,paruaq; sedens in Simonis alno,
Littore sistentem firmabat ab æquore plebem.
Et dictis iam finis erat,tunc altius actam
In pelagus iubet ire ratim,uastoq; profundo
Retia demitti piscantia,quæ nihil omnem
Claudere per noctem uacuo potuere labore.
Simon pâret ouans,et aquosis gentibus instans
Linea claustra iacit:tantumq; immanis apertos
Impleuit captura sinus,ut præda redundans,
Turbaret geminas cumulato pisce carinas.
Nam socia istic puppis erat:sic maxima sæpe
Gaudia non ferimus,propensaq; uota tenemus:
Quodq; Deo facile est, homines optare nec audet.
Talibus insignis uirtutibus ibat in urbem,
Quæ sit dicta Naim,populo uallatus opimo,
Et grege discipulûm:miserum tunc cominus ecce
Conspicit efferri iuuenem,gelidumq; cadauer
Pluribus exequijs,& inani funere passum
Triste ministerium,cuius sors inuida matrem
Iamdudum uiduam gemina uiduauerat urna.
Nec remorata diu pietas inimica doloris
Auxilium uitale tulit,tactoq; pheretro,
Surge,ait,ô iuuenis,parensq; in tempore dicto
Mortuus assurgit,residensq; loquensq; reuixit,
Atq; comes genitricis abit.nam funere torpens,
Ilicet amissæ passus discrimina uitæ,
Non poterat famulus domino clamante tacere,
Nec uita præsente mori.mox agmine uerso A
Deponens trepidum rediuiuo tramite luctum,
Candida felicem reuocauit pompa parentem.
Nec tibi parua salus domino medicante Maria,
Multiplici læsum curauit uulnere sensum,
Quam fera septenis rabies inuaserat armis
Dæmonico cuneata globo:sed squameus anguis
Imperiosa sacri fugiens miracula uerbi,
Corde tuo depulsus abit,uolucresq; per auras
In chaos infernæ lapsus penetrale gehennæ,
Septem ingens gyros,septena uolumina traxit.
Neue redundantem cumulato germine messem,
Exiguis dominus sineret languere colonis,
Discipulos alios,quorum mens conscia recti
Puraq; simplicitas numero,meritoq; refulgens
Aurea libra fuit,uelut agnos præcipit inter
Sanguineos properare lupos:assumite,dicens,
Iura potestatis,nullum metuatis ut hostem.
Vipereasq; minas,& scorpion,atq; inimica
Omnia uirtutis sensu calcate fideli.
Nulla meis feritas famulis aduersa nocebit.
Nec tantùm hoc gaudete uiri,quòd spiritus ater
Subiaceat uobis,quantùm quod nomina uestra
Scripsit in æterno cœlestis littora libro. B
Ius est quippe Dei,uitam præponere factis.
Nam merito cessante bono miracula nil sunt,
Quæ faciunt plerunq; mali, quibus arbiter orbis,
Nescio uos,dicturus erit,discedite cuncti
Artifices scelerum,rebus qui semper iniquis
Diuinum simulastis opus.sic tempore Mosi
Carminibus quidam uanis Memphitis in oris
Signa dabant,non sponte Dei,sed imagine falsa
Visibus humanis magicas tribuere figuras.
Pòst Pharisæorum cuiusdam principis intrat
Clarificare domum,non escam sumere tantùm,
Ad quam tunc facili conuenerat ille precatu.
Hîc homo perspicuo distentus uentre tumebat,
Plenus aquæ,grauidamq; cutem suspenderat aluus
Inclusam paritura necem,iam membra fluebant
Accrescente sinu,miserosq; infusa per artus
Turgida perflatum macies tenuauerat ægrum,
Inq; uteri spacium totus conuenerat hydrops.
Non tulit hanc speciem mundi pater,& sua trãsit
Sabbata non curans,hominem curare paratus,
Quem uoluit magis esse suũ. nam sabbata propter
Cõdita sunt hominẽ,sed nõ homo sabbata propter.

Tunc

A Tunc pius humentem ßiccata corporis unda
Iußit abire luem: fluidus mox uiſcera morbus
Deſerit, & uacuæ reſident in pectore fibræ,
Carnalemq; lacum peſtis lymphata relinquit.
Cœperat interea dominus Galilæa per arua
Tranſgrediens, ſancto quoddã pede tãgere caſtrũ.
Hunc procul ut uidere decem, maculoſa gerentes
Leproſi portenta uiri, quos corpore fœdo
Diſcolor obſcœnis turpabat pœna figuris:
Præceptor miſerere (potes namq; omnia) Ieſu,
Clamantes dixere ſimul. tunc flexa poteſtas,
Quæ nunquam pietate uacat, clementior infit:
Ite, ſacerdotum conſpectibus ora referte.
Cumq; uiam peterent, ſubito mundata uicißim
Mirantur ſua membra uiri, uariumq; tuentes
Eſſe nihil, ſeſe pariter ſpeculantur, & omnes
Explorant proprias alterno lumine formas.
E quibus, ut grates ageret pro munere tanto,
Vix unus reduci conuerſus tramite, pronus
Sternitur ad terram, dominum uirtutis adorans,
Atq; ſacerdoti uero ſua protulit ora.
Deniq; pontificum princeps ſummusq; ſacerdos,
Quis niſi Chriſtus adeſt? gemini libaminis auctor,
B Ordine Melchiſedec, cui dantur munera ſemper
Quæ ſua ſunt, ſegetis fructus, & gaudia uitis.
Cùm reſidens, cæcus Timæi filius, illud
Propter iter, dominum per quod cognouerat ire,
Vociferans crebro lumen clamore petiſſet,
Nec populo prohibente tacens, accedere iuſſus
Ad dominum, palpante manu, uiſumq; recepit,
Et nullo ducente redit. cùm fortiter inſtat
Importuna fides, quidquid res dura negarit,
Sola frequens uotis oratio præſtat honeſtis.
Vnanimum panem ſic ille petebat amicum,
Qui foribus clauſis per opaca ſilentia noctis,
Obnixeq; diu confidenterq; neganti
Vocibus aßiduis precibusq; extorſit anhelis.
Præteriensq; uiæ dominus loca Samaritanæ,
Humanam flagrante ſitim collegerat æſtu,
Fonsq; perennis aquæ, modicam deſiderat undam,
Vt biberet, quã corpus erat. tunc accola gentis
Stans mulier, paruũ puteo quæ traxerat hauſtum,
Cùm dare cunctatur perituræ munera lymphæ,
Agnoſcens propriam numeroſo coniuge uitam,
Orat inexhauſti tribui ſibi dona fluenti
Aeternam poſitura ſitim: qua nemo carere

Dignus erit, Domini niſi merſus gurgite Chriſti,
Percipiat placidas animæ, non corporis undas.
Dumq; ſui media reſidens teſtudine templi
Ore tonans patrio, directi ad peruia callis
Errantem populum monitis conuertit amicis:
Ecce trahebatur, magna ſtipante caterua,
Turpis adulterij mulier lapidanda reatu.
Quam Phariſæa manus placido ſub iudice ſiſtens,
Dum damnare parat, plus liberat. omnibus illis
Nam ſimul è turbis, proprio ſine crimine nullus
Accuſator erat, ſaxum qui mißile primus
Sumeret, obſcœnæ feriens contagia mœchæ.
Nec poterat quiſquam feſtucam euellere paruam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret ineſſe trabem, profugus ſic ille receßit
Impetus, & clemens donat ſententia culpam,
Iam non peccandi ſub conditione ſolutam:
Nam uomitum quicunq; ſuum canis ore relambit,
Nec ueterem ſtudet hic ueniã, nec habere futuram,
Huius damna tenens, huius compendia perdens.
Inde means, genitum cernit conſidere cæcum,
Qui malè prægnantis dilapſus uentre parentis,
In lucem ſine luce ruit. tunc ſanguinis ille
Conditor humani, mundiq; orientis origo,
Imperfecta diu proprij non paſſus haberi
Membra operis, natale lutũ per clauſtra genarum
Illiniens, hominem ueteri de ſemine ſupplet.
Nec uiſum tamen antè capit, quàm uoce iubentis
Accepta domini, Siloam ueniſſet ad undam,
Et conſanguinei fotus medicamine limi,
Pura oculos fluiſſet aqua. mox ergo gemellæ
Vultibus effulgent acies, tandemq; merentur
Ignotum ſpectare diem. cognoſcite cuncti,
Myſtica quid doceant animos miracula noſtros.
Cæca ſumus proles miſeræ de fœtibus Euæ,
Portantes longo natas errore tenebras:
Sed dignante Deo mortalem ſumere formam:
Tegminis humani, facta eſt de uirgine nobis:
Terra ſalutaris, quæ fontibus oblita ſacris
Clara renaſcentis reſerat ſpiramina lucis.
Bethaniæ inde ſolum repetens intrarat, ibiq;
Lazarus occidua tumulatus ſorte iacebat
Iam quarto ſine luce die, clauſusq; ſepulchri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem.
Flebant germanæ, flebat populatio præſens,
Flebat & omnipotens, ſed corpore, non deitate,

Exanimesq; artus, illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lacrimisq; impleuit amicum
Maiestate Deum. quid credere Martha moraris,
Quid' ue Maria gemis? Christū dubitatis, an unum
Poßit ab infernis hominem reuocare cauernis,
Qui dabit innumeras post funera surgere turbas?
Ergo ubi clamantis domini sonuit tuba dicens,
Lazare perge foras: magno concußa pauore
Tartara dißiliunt, erebi patuere recessus,
Et tremuit lethale chaos, mortisq; profundæ
Lex perit, atq; anima proprias repetente medullas
Cernitur ante oculos uiuens astare cadauer.
Postq; sepulchralem tandem recreatus honorem,
Ipse sibi moriens, & postumus extat, & hæres.
Vtq; caduca uagi contemnens culmina secli,
Monstraret se ritè Deum, non curribus altis
(Qui pompæ mortalis honor) rapidisq; quadrigis
Puluereum sulcauit iter, nec terga frementis
Ardua preßit equi, phaleris qui pictus, & ostro,
Ore cruentatum mandendo concutit aurum:
Sed lento potius gestamine uilis aselli
Rectori sufficit honos, leuis ungula cuius
Vt tanto sessore, decus mirabile portans,
Nobilior sub fasce foret, non illius impar,
Qui patulo Christum, licet in præsepe iacentem,
Agnouit tamen esse Deum, plebs omnis adorans
Insolito molles subiecit tramite uestes.
Dicite gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit, cui palmis compta uel unquam
Frondibus arboreis laudem cœlestibus hymnis
Obuia turba dedit? domino nisi cū patre Christo,
Qui regit æthereū princeps in principe regnum,
Cui sanctus semper conregnat spiritus æquè.

LIBER QVARTVS.

HAs inter uirtutis opes, iam proxima Paschæ
Cœperat esse dies, domini cū gloria uellet
Ponere mortalem, uiuamq; resumere carnem,
Non aliam, sed rursus eam quam munere plenam
Lucis ab infernis releuans ad sidera duxit,
Exclamansq; palàm: pater ista memet in hora
Saluifica, sed in hanc ideo ueni tamen horam,
Clarifica nomenq; tuum, permagnaq; cœlo
Vox resonans uenit per nubila: clarificaui,
Clarificabo iterum. quid apertius est patre teste,
Cœlo assertore? at nec sic cognoscere Christum
Gens uoluit Iudæa Deum. pars esse ferebat
Hoc tonitrum, pars angelicā crepuisse loquelam. A
O gens cæca oculis, ô gens durißima corde.
Num tonitrus potuit Christum, siue angelus ullus
Auctorem generasse suum, qui nomine Patris
Audito responsa daret? sed ab ore tonantis,
Natum agnoscentis, populus quô crederet astans,
Vox emissa, suo respondit consona uerbo.
Annua tunc sacræ celebrans per munera cœnæ
Paschales ex more dapes, humilemq; ministrum
Se faciens, & grata suis exempla relinquens,
Assurgit, famulisq; libens famulatur, & omnem
Linteolo accinctus tantum inclinauit honorem,
Discipulis ut sponte lauans uestigia cunctis,
Nec Iudam exciperet, quem proditionis iniquæ
Nouerat auctorem. sed nil tibi gloria sæue
Traditor illa dabat, pedibus consistere mundis,
Qui sensu pollutus eras: uelut omne sepulcrum
Exteriora gerens albæ uelamina formæ,
Sordibus interius, fœdoq; cadauere plenum.
Nec dominum latuere doli, scelerisq; futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat. nam corporis atq;
Sanguinis ille sui postquàm duo munera sanxit, B
Atq; cibum, potumq; dedit, quo perpete nunquam
Esuriant, sitiantq; animæ sine labe fideles:
Protinus in Iudam, sedes ubi liuor habebat,
Spiritus intrauit teterrimus, armaq; sumens
In dominum seruile dedit consurgere bellum.
Pactus grande nefas, parua mercede: neq; illi
Culpa datur precio, sed inhærent crimina facto.
Tantundem sceleris, terdena nomismata sumens
Argenti, paruo cæcatus munere, geßit
Quantum cuncta simul terrarum regna, marisq;
Diuitias, omnemq; uagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat. neq; enim bona mundi
Sufficerent, magni fuso pro sanguine Christi,
Qui pater est mundi, qui fecerat hunc quoq; nasci.
Atq; utinam sterili damnatus matre nequisset
Natalem sentire diem, nec luminis huius
Hausißet placidas flabris uitalibus auras,
Aeterno torpore latens, miseroq; fuisset
Sors melior nescire datam, quàm perdere uitam.
Aut malè fusus humo, confestim munera lucis
Perderet, ut puluis, quem uentus proijcit ingens
A facie terræ, rapidisq; uolatibus actus
Spargitur in uacuas nebulis obscurior umbras.

A Tunc cruente, ferox, audax, insane, rebellis,
Perfide, crudelis, fallax, uenalis, inique,
Traditor immitis, ferè proditor, impie latro,
Præuius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegamq; aciem gladijs, sudibusq; minacem
Cùm moueas, ori ora premis, melliq; uenenum
Inseris, & blanda dominum sub imagine prodis?
Quid socium simulas, & amica fraude salutas?
Nunquid terribiles aut pax coniurat in enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno?
Traditus ergo uiris operator sanctus iniquis,
Consuetam non liquit opem, puerorq; reuulsam
Ense Petri (nequa pius à pietate uacaret)
Reddidit auriculam. nec enim uindicta tonanti
Conueniens humana fuit, qui millia patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere pœnas
De meritis, quàm sponte suas ignoscere plagas:
Tunc parci mucrone iubet, quia uenerat ipse
Ponere pro cunctis animam, non tollere cuiquam.
Iamq; Petro clara iamdudum uoce fatenti
Cum domino se uelle mori, prius aliger, inquit,
Quàm gallus cantet, hac me ter nocte negabis,
B Non reprobando fidem, sed prædicendo timorem.
Continuò ad tristes Caiphæ deducitur ædes,
Ille sacerdotum fuerat tunc deniq; princeps,
Et princeps scelerũ. namq; hoc residente cathedra
Pestifera, falsis agitatum testibus ardet
Concilium, iamiamq; uolant mendacia mille
In dominum, uanis hominum conflata fauillis.
Quæ pereunt leuitate sui, uelut ignis oberrans
Arentes stipulas, uires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, uictoq; furore
Labitur inualidæ deformis gloria flammæ.
Postquam nulla dolis patuit uia, brachia tolli
Armat in insontẽ sæuus furor: heu mihi quantis
Impedior lacrimis, rabidum memorare tumultum,
Sacrilegas mouisse manus, non deniq; paßim
Vel colaphis pulsare caput, uel cædere palmis,
Aut spuere in faciem plebs execranda quicuit.
Ille tamen patiens, subiecto corpore totum
Sustinuit, nostræq; dedit sua membra saluti.
Nãq; per hos colaphos, caput est sanabile nostrũ.
Sputa hæc per dominum nostram lauere figuram.
His alapis nobis libertas maxima plausit.
At senior, cui cuncta potẽs prædixerat auctor,
Quæ uentura forent (quoniam transire nequiuit
Infectum, quod Christus ait) se prorsus adesse
Ipsius ex socijs, semel, ac bis, terq; negauit,
Vt gallus cecinit, completa est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petro. memor ille malorum
Immemoris damnauit opus, gemituq; sequente
Culpa fugit: cedunt lacrimis delicta profusis,
Et dulcem ueniam fletus generastis amari.
Iamq; dies aderat nocturna mœstior umbra,
Flagitium uisura nouum, tenebrisq; remotis
Pandebat populis Iudææ crimina gentis.
Mox igitur dominum Pilati ad mœnia duci
Nexibus astrictum Iudas ut uidit iniquus,
Diriguit scelerisq; sui commercia, reddens
Incassum facti precium, non facta reliquit.
Nam quod enim prodest illic trepidare timore,
Nullus ubi timor est? aut quæ confeßio tetro
Lucet in inferno? cùm iam demersa securis
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina uertat
Funditus, et dignis pereant mala robora flammis:
Continuoq; trucis correptus mente furoris,
Se quoq; morte petit, tanquã tunc sanior esset,
Cùm scelus ulcisci præcurreret, ipsaq; diræ
Guttura uocis iter, cuncti quæ uendere mundi
Ausa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.
Lenior ira quidem tanto pro crimine culpæ,
Cunctorum cui nulla foret par pœna malorum.
Exitus hic mortis tamen, & sublime cadauer
Ostendit populis, quanto de culmine lapsus
Pridem discipulus, qui nunc reus, alta relinquens
Sidera, tartareum descendit adusq; profundum:
Tunc uir apostolicus, nunc uilis apostata factus.
At dominus patiens, cum præsidis ante tribunal
Staret, ut ad iugulum ductus mitißimus agnus,
Nil inimica cohors insontis sanguine dignum
Repperiens, regem quòd se rex dixerat esse
Obijcit: & uerum, mendax pro crimine ducit.
Nec mirum, si iura Dei gens perfida uitet,
Imperiumq; neget, lucos quæ semper amauit,
Idola dilexit. simili nam more furentes
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam,
Damnatoq; pio, conseruatoq; proteruo
Mutauit per utrumq; uiam sententia iustam.
Auctor mortis erat iussus qui sumere lucem:

Auctor lucis erat, iussus'qui sumere mortem.
Credite iam Christum, pro cunctis credite passum.
Quid dubitatis adhuc? en sectus terga flagellis,
Subditus opprobrijs, pœnas amplectitur omnes,
Nec dignus sentire necem ceu latro periret.
Heu falx torua patrum, segetem cæsura nepotũ:
Heu facinus Pilate tuum, quot gesseris uno
Crimina iudicio, uigili si mente notares:
Non solas lauisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum ueniæ sperare lauacrum.
Corripis insontem, sistis sub præside regem,
Præponisq; humana Deo: qua morte teneris,
Qui dominum numerosa cruci post uulnera figis?
Cumq; datus sæuis ad pœnam sanctus abiret
Militibus, rubri uilem subtegmine cocci
Vestitur chlamydem, species ut cuncta cruenta
Mortis imago foret, spinis circumdedit amplum
Nexa corona caput, quoniam spineta benignus
Omnia nostrorum susceperat ille malorum, (per,
Implet harũdo manũ, sceptrum, quod mobile sem/
Inualidum, fragile est, uacuum, leue: moxq; alienos
Deponens habitus, proprium suscepit amictum:
Scilicet humanæ positurus tegmina carnis,
Et sumpturus item, nil iam ut mutabile ferret
Post mortem, propria cum maiestate resurgens,
Humano ponens mortalem tegmine carnem.
Nec sine diuino cõstat moderamine gestum,
Quòd uinum cum felle datum, tristemq; saporem
Suscipiens tetigit labijs, & ab ore remouit,
Quippe necem paruo degustaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pararet.
Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Relligione pia mutans discriminis iram
Pax crucis ipse fuit, uiolentaq; robora membris
Illustrans proprijs, pœnam uestiuit honore,
Suppliciumq; dedit signum magis esse salutis,
Ipsaq; sanctificans in se tormenta beauit.
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ dominum portauit ouans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis:
Splendidus auctoris de uertice fulget Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem,
Cunctaq; de membris uiuit natura creantis,
Et cruce complexũ Christus regit undiq; mundum.
Scribitur & titulus, hic Rex est Iudæorum,
Quod nihil à deitate uacet. nam cœlitus actum, A
Hoc Ebræa refert, hoc Græca, Latinaq; lingua,
Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.
Huius in exuuijs sors mittitur, ut sacra uestis
Intemerata manens, à Christo schisma uetaret.
Quinetiam insontis latere ex utroq; cruentos
Constituere uiros, meritum licet omnibus unum,
Non faciat similes quamuis sententia. nanq;
Inter carnifices sancto pendente latrones,
Par est pœna trium, sed dispar causa duorum.
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo:
Huic reus est mundus, saluatus sanguine iusto,
Supplicijsq; tamen rerum dominator in ipsis
Iura potestatis non perdidit. æquus utrumq;
Iudex nanq; tuens, hunc eligit, hunc reprobauit,
Amborum meritum præcelso examine pensans.
Vnus enim, quem uita ferox nec morte reliquit,
In dominum scelerata mouens conuicia, dictis
Mordebat proprijs, & tanquam setiger hircus
Ore uenenoso uitem lacerabat amœnam:
Alter adorato per uerba precantia Christo,
Saucia deiectus flectebat lumina, tantum
Lumina, nam geminas arcebant uincula palmas.
Quem dominus, ceu pastor ouem deserta per arua B
Colligit errantem, secumq; adducere gaudet
In campos paradise tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumq; uoluptas
Irriguis nutritur aquis, interq; benigne
Conspicuos pomis non deficientibus hortos,
Ingemit antiquum serpens habitare colonum.
Ambo igitur uarium diuerso calle latrones
Aggressi facinus uiolentum, grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iste supernas:
Ille profunda sequens, penetrauit claustra gehẽnæ:
Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.
Interea horrendæ subito uenere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœstisq; nigrantem
Exequijs texere diem. sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro uelatus amictu
Delituit, tristemq; infecit luctibus orbem,
Tota sibi oppositum fratrem quòd Delia haberet,
Cùm suberat terris, supero ille in culmine cœli,
Impia perpetuam timuerunt secula noctem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere uultum
Auxilijs orbata Patris lætata per ortum,
Mœsta per occasum. nam lux ut tempore fulsit


A Nascentis domini, sic hoc moriente recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spacium secreta suum: quippe ut tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cœli,
Sic dominus clausi triduo tulit antra sepulchri.
Nec tellus sine clade fuit, quæ talia cernens
Funditus intremuit, dubioq; in fine supremum
Expauit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens succumbere molem,
Auctoremq; sequens per tartara mundus abiret:
Sed pietas immensa uagas properabat ad umbras,
Perdita restituens, non consistentia perdens.
Nulla tamen tanti metuerunt signa pericli,
Qui dominum fixere cruci: quin insuper haustum
Cùm peteret sitiens, unus de plebe nefanda
Peniculo infusum calamo porrexit acetum.
Manzeribus populis in deteriora uolutis
Conueniens liquor ille fuit. nam dulcia uina
Sicut in horrendum cùm conuertuntur acetum,
A mensis proiecta iacent: ita tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.
Ergo ubi cuncta boni cōpleta est passio Christi,
Ipse animam proprio dimisit corpore sanctam,
B Ipse iterum sumpturus eam: quia mortuus idem,
Idem uiuus erat, membris obeuntibus in se,
Non abeunte Deo: cuius uirtute retrorsum
Infernæ patuere uiæ, ruptæq; fatiscunt
Diuisa compage petræ, rediuiua iacentum
Corpora sanctorum fractis abiere sepulcris
In cineres animata suos, subitoq; fragore
Illud ouans templum maioris culmina templi
Procubuisse uidens, ritu plangentis alumni
Saucia discisso nudauit pectora uelo,
Interiora sui populis arcana futuris,
Iam referanda docens: quia lex uelamine Mosi
Tecta diu, Christo nobis ueniente patescit.
Dic ubi nunc tristis uictoria? dic ubi nunc sis
Mors stimulis horrenda tuis? quæ semper opimis
Instaurata malis, cunctas inuadere gentes
Pœnali ditione soles. en pessima, non tu
Peruenis ad Christum, sed Christus peruenit ad te:
Cui licuit sine morte mori, quiq; omnia gignens,
Omnia constituens, te non formauit ut esses:
Semine uipereo, culpa genitrice crearis,
Et uenia regnante peris. iam spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo iam frigida ligno
Viscera pendebant, & adhuc furor arma ministras
Cuspide perfossum uiolat latus: ecce patenti
Vulnere purpureus cruor & simul unda cucurrit.
Hæc sunt quippe sacræ pro relligionis honore,
Corpus, sanguis, aqua, tria uitæ munera nostræ.
Fonte renascentes, membris & sanguine Christi
Vescimur, atq; ideo templum deitatis habemur,
Quod seruare Deus nos annuat immaculatum,
Et faciat tenues tanto mansore capaces.
Ergo ubi depositi thesaurum corporis amplum
Nobilis accepit domino locus ille iacente,
Nobilior surgente tamen: generatio fallax
Audebat sub corde nefas, quòd nocte silenti
Discipuli Christum raperent, & abisse referrent
Ter redeunte die, sicut prædixerat ipse.
Quo stimulante metu, uigilum munimina poscunt
Plura dari, sæuaq; locum obsidione teneri.
Si nōdum post uincla crucis, post uulnera ferri,
Post obitum mortis, numerosa cede cruentum
Carnifices implestis opus, nec creditis illum:
Qui toties imis animas produxit ab umbris,
Posse suam reuocare magis: peioribus aptos
Consilijs armate dolos, signate sepulchrum,
Ponite custodes, monumento aduoluite saxum.
Quis poterit seruare Deum, cui cardine rerum
Cuncta patent, undis habitat, per tartara regnat,
Et cœli de nube tonat? quid sæue tumultus
Excubijs deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non uis credulus esse?
Cœperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A domino dominante trahit, primusq; uidere
Promeruit nasci mundum, atq; resurgere Christum.
Septima nam Genesis cùm dicit sabbata, claret,
Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis
Nunc etiam proprij donans fulgore trophæi,
Primatum retinere dedit. hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæq; simul cum munere matres
Messis aromaticæ, notum uenēre gementes
Ad tumulum, uacuumq; uident iam corpore factum,
Sed plenum uirtute locum. nam missus ab astris
Angelus, amoti residebat uertice saxi,
Flammeus aspectu, niueo præclarus amictu,
Qui gemina specie terrorem & gaudia portans,
Cunctaq; dispensans custodibus igne minaci
Venerat, in forma Christum quærentibus alba.

Illæ igitur dominum calcata uiuere morte
Angelica didicere fide: perterritus autem
Miles, in ancipiti retinet discrimine uitam,
Deserta statione fugax: testisq; timoris
Vera refert gratis, sed post data munera fallit,
Discipulûmq; globum placidi sub tempore somni,
Clàm sibi nocturna Christum abstraxisse rapina
Compositus simulator ait. fare improbe custos,
Responde scelerata cohors, si Christus (ut audes
Dicere) concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus,
Cuius ad exuuias sedet angelus? an' ne beati
Corporis ablator uelocius esse putauit
Soluere contectum, quam deuectare ligatum?
Cùm mora sit furtis contraria. cautius ergo
Cum domino potuere magis sua lintea tolli,
Mentita est uox uana sibi. tamen ista figuram
Res habet egregiam: Iudæis constat ademptum,
Quem nos deuoto portamus pectore Christum.
Plange sacerdotes perituros, plange ministros,
Et populum Iudæa tuum pro talibus ausis.
Non tuba, non unctus, nõ iam tua uictima grata est.
Quæ' nam bella tibi clanget tuba rege perempto?
Quis tuus unctus erit, quæ uerũ amiseris unctum?
Victima quæ dabitur, cùm uictima pastor habetur?
Discedat synagoga, suo fuscata colore,
Ecclesiam pulchro Christus sibi iunxit amore:
Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ,
Quæ cùm clarifico semper sit nomine mater,
Semper uirgo manet: huius se uisibus astans
Luce palàm Dominus prius obtulit, ut bona mater
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc sit redeuntis & index.
Mox alijs conuiua potens in fragmine panis
Agnitus enituit, quia uerus panis apertis
Semper adest oculis fidei quos gratia claros
Efficit, ut dominum uiuentem cernere poßint.
Sæpe dehinc proprios diuersi temporis horis
Discipulos manifestus adit, uescentibus illis
Extemplò nunc ora ferens, nunc piscis obusti
Atq; faui mandens epulas, quo ritè doceret
Corporeas res esse dapes, seseq; uideri
In membris, quibus antè fuit: formidine rursus
Plebis apostaticæ, dominum quæ cæca negasset.
Cùm foribus clausis resideret turba fidelis
Pace salutantis sese intulit, atq; foratas
Expandens palmas, nudat latus. ast ibi Thomas, A
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus unà
Non fuerat, dubiamq; fidem sub corde gerebat,
Donec rursus eo pariter residente ueniret,
Qui nunquam subtractus erat: tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactuq; probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius, quòd sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
Instruit, & uanas cupit exercere figuras,
Non uult agnosci, non uult sua facta requiri,
Vt lateant sub nube doli, nebulaq; recludens
Omnia, sollicitos odit simulator amicos.
Gnarus item dominus Petro piscãte per æquor
Cum socijs, captum esse nihil, demittere lina,
In dextras hortatur aquas, mox gurgite clauso
Pendula fluctiuagam traxerunt retia prædam,
Per typicam noscenda uiam. nam retia dignis
Lucida sunt præcepta Dei, quibus omnis in illa
Dextra parte manens concluditur, ac simul ulnis
Fertur apostolicis Domini ad uestigia Christi.
Nec piscis prunæq; uacant, & panis in uno
Discipulis inuenta loco, quis' nam ambigat unam B
His rebus constare fidem? quippe est aqua piscis,
Christus adest panis, sanctus quoq; spiritus ignis.
Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, inde sacra (mur,
Tunc præceptor eos epulis inuitat edẽdis,
Alloquijs de more pijs, mensamq; petentes
Vnanimes nota domini pietate fruuntur,
Et Christum sensere suum. modicoq; paratu
Postquam uicta fames, & surrexere relictis
Ritè toris, an corde Petrus se diligat alto
Explorat dominus, Petrus annuit. ergo nitentes
Pastor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commẽdat oues, commendat & agnos:
Hoc terno sermone monens, ut terna negantis
Culpa recens, parili numero purgata maneret.
Inde sequenda docens, pacem omnes, inquit, ha (bete,
Pacem ferte meam, pacem portate quietam:
Pacem per populos monitis dispergite sanctis.
Et mundum uacuate malis, gentesq; uocate
Finibus è cunctis, latus quâ tenditur orbis,
Iußis mando meis, omnesq; in fonte lauari.
Hæc ubi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniæ mox arua petit, coramq; beatis

Qui

A Qui tantum meruere uiris ſpectare triumphum,
Aethereas ſubuectus abit ſublimis in auras.
Ad dextram ſedet ipſe patris, totumq; gubernat
Iure ſuo, qui cuncta tenens excelſa, uel ima.
Tartara poſt cœlum penetrat, poſt tartara cœlũ.
Illi autem lætis cernentes uultibus altas
re ſuper nubes dominum, tractusq; coruſcos
Veſtigijs calcare ſuis, ueneranter adorant,
Sidereasq; uias alacri ſub corde reportant,
Quas cunctos doceant. teſtes nam iure fideles
Diuinæ uirtutis erant, qui plura uidentes
Innumerabilium ſcripſerunt pauca bonorum.
Nam ſi cuncta ſacris uoluiſſent tradere chartis
Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
Sufficeret denſos per tanta uolumina libros.

CAELII SEDVLII PRESbyteri ueteris et noui Teſtamenti collatio.


Cantemus ſocij Domino, cãtemus honorẽ,
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio
Primus ad ima ruit, magna de luce ſuperbus:
B Sic homo cũ tumuit, primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum, cuncti periere minores:
Saluantur cuncti, unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit quá ianua letho:
Et quá uita redit, ſola fuit mulier.
Frater iniquus erat, iuſtum qui perculit olim:
Damnator Chriſti, frater iniquus erat.
Tanſitus ille monet, quid prima amiſit origo:
Quid uentura parent, tranſitus ille monet.
Arca leuatur aquis, homines ne perderet æquor:
Ne pereant homines, arca leuatur aquis.
Sume pater populos pro nati uulnere cunctos:
Cùm Chriſtum tradis, ſume pater populos.
Hoſtia ſumma patris tacitis ſignata figuris,
Quam reſerat Chriſtus, hoſtia ſumma patris.
Claudicat ecce, uidẽs dominũ, dũ præualet heros,
Aſpera gens Chriſtum claudicat ecce uidens.
Reppulit ille famem diſtractus crimine fratrum,
Venditus eſt Chriſtus, reppulit ille famem.
Perfide corde peris, dum uaſtant omnia plagæ:
Dum ceſſant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoſte ſacer reuocauit ſanguine patres,
Sanguine nosq; refert agnus ab hoſte ſacer.
Obruit unda nefas populo gradiente per æquor,
Nunc mundi populis obruit unda nefas.
Murmurat impietas, manna ueniente, refecta,
Panis adeſt Chriſtus, murmurat impietas.
Plebs ſibi dura caput terræ cultoris adoptat:
Abſtulit heu Chriſtum plebs ſibi dura caput.
Lex dedit indicium ueteris de crimine pœnæ,
Quoq; ſalus ueniat lex dedit indicium.
En lapis irriguus, ſatiare incredule fonte:
Qui Chriſtum reprobas, en lapis irriguus.
Carpitur igne ſacro munus, uotumq; piorum,
Seditioſa tribus carpitur igne ſacro.
Regna beata patris legis non contigit hæres,
Chriſtus diſpenſat regna beata Patris.
Deſtruit arca Dei muros, dum circuit hoſtis:
Sic hoſtem mundi deſtruit arca Dei.
Area uellus habet, madido ſed uellere ſicca eſt:
Siccum tota madens area uellus habet.
Vincis honore Dei promiſſo munere gentes,
Affectum natæ uincis amore Dei.
Tu decus omne tuis, qui ſternis cæde Goliam,
Qui uincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona Dei cuncti cecinere Prophetæ,
Impleuit Chriſtus maxima dona Dei.
Pondera dura tulit, mandatum legis, & iram,
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet, nullo temerante pudorem,
Poſt partum pueri, uirgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima quæſtio mundi,
Nobiſcum Deus eſt filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus percepit & ambit,
Reſpuit heu mundus gaudia magna Dei.
Signa mouent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros ſigna mouent populos.
Aſpera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno, aſpera mors populis.
Ipſe tulit Dominus, pro pœnis munera, ſeruis,
Pro ſeruis pœnas ipſe tulit Dominus.
Vita beata necem miſeris auertere uẽnit,
Pertulit à miſeris uita beata necem.
Lumen adeſſe Dei perſenſit tartarus ingens,
Nec cernunt homines lumen adeſſe Dei.
Mors fera per hominẽ miſerũ ſibi ſubdidit orbẽ,
Subdita contremuit mors fera per hominem.
Suſcitat ecce genus morti pater ille profanus,
Ad uitam Chriſtus ſuſcitat ecce genus.
Hic populus dominum dura ceruice negauit,
Suſcepit primus hic populus dominum.

Sanguine læta redit fuso gens impia Christi,
Gustato Christi sanguine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit auctor,
Dissoluit Christus crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus deuinxerat olim,
Nunc reficit Christus libera corda sibi.
Fortia uincla dedit peccati sæua potestas,
Dulcis amor Christi fortia uincla dedit.
Iam super astra sedet, cuncti exultate fideles,
Perfide quid sæuis, iam super astra sedet.
Mortuus ille tonat, cœlum terramq; subegit:
Quid facient hostes? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die, Christo ueniente, figura:
Christus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent, & signa, & secula prima:
Nos sacra quæ gerimus, te properare docent.
Vnicus aduentens firmauit uota piorum,
Vota dedit nobis unicus adueniens.
Paßio Christe tua compleuit munera legis,
Munera nostra replet, paßio Christe tua.
Hic homo, qui Deus est, spes est antiqua piorum,
Spes in fine dijs, hic homo, qui Deus est,
Munus erat fidei toto credentibus æuo:
Qui dedit ut credat, munus erat fidei.
Te ueniente Deus, mundanus concidit error,
Occidet hic mundus, te ueniente Deus.
Gratia plena Dei est, quæ totis gentibus extat:
Abscedant sectæ, gratia plena Dei est.
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem:
Discedant corui, sola columba redit.
Adueniet dominus dare digna pijs, mala prauis:
Credite iam miseri: adueniet dominus.
Visio Christe tui, tormentum & pœna malorũ est:
Gloria cuncta bouis, uisio Christe tui.
Gloria magna Patri, semper tibi gloria nate
Cum sancto Spiritu gloria magna Patri.

CAELII SEDVLII PRESBYteri Hymnus Acrostichis, totam uitam Christi continens.

A solis ortus cardine
Adusq; terræ limitem,
Christum canamus principem
Natum Maria uirgine.
Beatus auctor seculi,
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans
Ne perderet quod condidit.
Clausæ parentis uiscera
Cœlestis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat,
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei,
Intacta, nesciens uirum,
Verbo concepit filium.
Enixa iam puerpera est,
Quam Grabriel prædixerat,
Quem matris aluo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoq; lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cœlestium
Et angeli canunt Deo,
Palamq; fit pastoribus
Pastor, creator omnium.
Herodes hostis impie,
Christum uenire quid times?
Non abripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.
Ibant Magi, quam uiderant
Stellam sequentes præuiam,
Lumen requirunt lumine.
Deum fatentur munere.
Katerua matrum personat,
Collisa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Christo sacrauit uictimam.
Lauacra puri gurgitis
Cœlestis agnus attigit:
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.
Miraculis dedit fidem,
Habere se Deum Patrem,
Infirma sanans corpora,
Resuscitans cadauera.
Nouum genus potentiæ.
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumq; iussa fundere
Mutauit unda originem.

Orat.

A Orat salutem seruulo
Flexus genu centurio.
Credens ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulans
Christi leuatur dextera:
Natura quam negauerat,
Fides parauit semitam.
Quarta die iam foetidus
Vitam recepit Lazarus,
Cunctisq; liber uinculis
Factus superstes est sibi:
Riuos cruoris horridi
Contacta uestis obstruit,
Fletu rigante supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore
Iussus repentè surgere,
Suis uicissim gressibus
Aeger uehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex
Ausus magistrum tradere,
Pacem ferebat osculo,
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius,
Cruciq; fixus innocens,
Coniungitur latronibus.
Xeromyrrham post sabbatu
Quaedam uehebant corpori:
Quas allocutus angelus,
Viuum sepulchro non tegi.
Ymnis uenite dulcibus,
Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum,
Qui nos redemit uenditus.
Zelum draconis inuidi,
Et os leonis pessimi,
Calcauit unicus Dei,
Seseq; coelis reddidit.

ARATOR SVBDIACONVS
FLORIANO ABBATI.

B QVi meriti florē maturis sensibus ortum
Nominis ore tui iam Floriane tenes,
Nā primaeuus adhuc senib. documēta dedi (sti,
E quib. in coelū uita pararet iter,
Ad carmen concurre meum, pedibusq; labanti
Porrige de placido saepe fauore manum.
Ieiuno sermone quidem, sed pinguia gesta
Scripsimus, ac pelagi pondere gutta fluit.
Inter grandiloquos per mille uolumina libros
Maxima cum teneas, & breuiora lege:
Naturaeq; modo, quam rerum condidit auctor,
Concordent studijs celsa uel ima tuis.
Quae genuit tigres, quae nutrit terra leones,
Formicis, apibus, praebuit ipsa sinum.
Et si respicias dispenset ut omnia rector,
Ingenium mites, uim meruere truces.
Ipsaq; continuum uirtus infracta laborem
Deserit, & uarias quaerit habere uices.
Loricam solitus membris imponere miles,
Gymnasij gaudet nudus adire locum.
Et qui ferratas acies atq; agmina uincunt,
Imbelles feriunt per sua tela feras.
Ergo gradū retinens, & prisca uolumina linquēs,
Cede dies operi, quod pia causa iuuat.

ARATOR SVBDIACOnus Vigilio Pontifici.

MOenibus undisonis bellorum incēdia cernēs,
Pars ego tunc populi tela pauentis eram.
Publica libertas, Vigili sanctissime Papa,
Aduenit incluso soluere uincla gregi.
De gladijs rapiuntur oues pastore ministro,
Inq; humeris ferimur, te reuocante, pijs.
Corporeum satis est sic euasisse periclum,
At mihi plus animae nascitur inde salus:
Ecclesiam subeo, dimissa naufragus aula,
Perfida mundani desero uela freti.
Transferor ad niueas Petri sine turbine caulas,
Et fruor optati iam statione soli.
Littoris ille sinus ad carbasa nostra parauit,
Fluctibus in medijs cui uia sicca fuit.
Esse reus potero, grates si reddere cessem,
Vnius officio displicuere nouem.
Sensibus ardor inest, horum celebrare labores,
Quorum uoce fides obtinet orbis iter.

Verſibus ergo canam, quos Lucas rettulit, actus
  Hiſtoriamq́; ſequens, carmina uera loquar.
Alternis reſerabo modis, quod littera pandit,
  Et tres ſiqua mihi myſtica corde datur.
Metrica uis ſacris non eſt incognita libris,
  Pſalterium lyrici compoſuere pedes.
Hexametris conſtare modis, in origine linguæ,
  Cantica, Ieremiam, Iob quoq; dicta ferunt.
Hoc tibi magne Pater cũ deſero munus amoris,
  Reſpice quod meritis debita ſoluo tuis.
Te duce tiro legor, te dogmata diſco magiſtro,
  Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

ARATORIS HISTORIAE Apoſtolicæ, Liber Primus.

Vt ſceleris Iudæa ſui polluta cruore,
Auſa nefas, compleuit opus, rerumq́; creator
Hoc quod ab humanis ſumpſit ſine crimine membris,
Humana pro ſtirpe dedit, dignatus ut ima
Tangeret inferni, non linquens ardua cœli,
Soluit ab æterna damnatas nocte tenebras,
Ad manes ingreſſa dies: fugitiua relinquunt
Aſtra polũ, comitata Deum, cruce territa Chriſti,
Vult pariter natura pati, mortiſq́; poteſtas
Se uincente perit, quæ pondere merſa triumphi
Plus rapiens nil iuris habet, diuinaq́; uirtus
Rurſus membra ligans, animata cadauera mouit.
Ad uitam monumenta patent, cineresq́; piorum
Natalem poſt buſta nouant, lux tertia ſurgit.
Maieſtas cum carne redit, ſpeciemq́; coruſcam
Vmbrarum de ſede refert, ut ab exule limo
Intercluſa diu patriæ repetatur origo,
Omnipotens parat ipſe uias, & corpora ſecum
Poſt tumulos regnare iubet, moriente ueneni
Semine florigero ſua germina reddidit horto.
  Iamq́; quater denis dominus manifeſta diebus
Contulerat per ſigna fidem, cernentibus illis,
Vſq́; ſub extremum diffuſo in limite mundum,
Quos teſtes iubet eſſe ſuos: miracula rerum
Non poterant cælare Deum, documenta reſurgens
Quæ ſic certa daret, quã mandere: corpora uitam
Hinc humana probant: cœlum petiturus, oliuæ
Progreditur luſtrare nemus, quâ germine ſacro
Luminis & pacis locus eſt. uult inde reuerti,
Vnde creaturam ſignata fronte micantem
Diuinus commendat odor, cùm deſuper unctos A
Abluit interius Chriſti de nomine chriſma.
Tollitur aſtrigerum rediturus uictor in axem,
Et ſecum quod ſumpſit habet: noua pompa triũphi
Arua Deus petijt, homo ſidera. quis datur illi
Aetherea de patre fragor, quantumq́; reſultant
Cœleſtes in laude chori, cùm rector Olympi
Euehit excelſis, quicquid ſuſcepit ab imis?
Ingrediensq́; polum carnis comitante trophæo,
Exuuias atri raptas de fauce profundi,
Lucis in arce locat, terrenoſq́; erigit artus,
Quos pietate capit, propter quem uenerat iuit.
Diſcipulos ſtupor altus agit, quibus ore coruſco
Perſpicui dixere uiri, quæ cognita nobis
Et miranda ſonant, nunc iam ſpeculemur ouantes;
Imperijq́; modum per ſubdita iura probemus.
Virgine matre ſatus, calcata morte reſurgens,
Cœli ſceptra petens, bis nunciat acta miniſtris:
Nec ceſſant elementa ſuo ſeruire Tonanti,
Stella comes prægreſſa Magos, uenientis honori
Militat, obſequio nubes famulatur euntis.
  Angelicis igitur poſtquàm eſt affatibus uſa, B
Liquit oliuiferi ueneranda cacumina montis,
Ad meſſem prælecta manus, qui calle citato
Mœnia nota petunt, quo per ſua ſabbata mille
Paßibus ire licet, qua tunc ſtatione ſedebat
Porta Maria, Dei genitrix intacta creantis,
A natoq́; ornata ſuo, mala criminis Euæ
Virgo ſecunda fugat: nulla eſt iniuria ſexus,
Reſtituit quod prima tulit, non uoce querelas
Excitet, aut gemitu mœrentia corda fatiget
Antiqua pro lege dolor: ſcelera ipſa, nefaſq́;
Hac potius mercede placent, mundoq́; redempto
Sors melior de clade uenit, perſona ruinam,
Non natura dedit: tunc fœmina fœta periclum,
Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,
Et diuina ferens, per quam mediator in orbem
Prodijt, & ueram portauit ad æthera carnem.
  Primus apoſtolico parua de puppe uocatus
Agmine Petrus erat, quo piſcatore ſolebat
Squamea turba capi, ſubitò de littore uiſus
Dum trahit, ipſe trahi meruit: piſcatio Chriſti
Diſcipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus. quæ geſſerat hamum
Ad clauim translata manus, quiq́; æquoris imi
Ardebat madidas ad littora uertere prædas,

A Et ſpolijs implere ratem melioribus undis
Nunc alia de parte leuat: nec deſerit artem
Per latices ſua lucra ſequens, cui tradidit agnus
Quas paſſus ſaluauit oues, totumq́; per orbem
Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſummus
Surgit, & inſinuans diuina negotia, coràm
Sic uenerandus ait: noſtis quam proditor amens
Mercedem ſceleris ſoluit ſibi, tædia noxæ
Horruit ipſe ſuæ, ſtringens in gutture nocens
Exemplo ceſſante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit, crimenq́; retractans
Iudicio tali permiſit membra furori,
Aëris ut medio communi poneret hoſti
Debita pœna locum: cœli terræq́; peroſus
Inter utrumq; perit, nullis condenda ſepulchris
Viſcera rupta cadunt, tenuesq́; elapſus in auras
Fugit ab orbe cinis, non hæc uacat ultio Iudæ:
Quæ ſuprema negat, uindictaq́; mercis iniquæ
Sic placitura uenit. nam cùm modo rura paraſſet
Funeris ex precio, cum nomine ſanguinis emptus
Ceſpes, in externas componens buſta fauillas
De tumulis fœcundet humum, caret impius agri
B Fertilitate ſui, ſolusq́; excluditur aruis
Quæ monumenta ferunt, cuius tuba ſæua cruẽtum
Eſt exorſa nefas, qui ſignifer oſcula figens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno. (mãt,
Nũc opus eſt uotis, quod uerba prophetica cla-
Quem liceat ſupplere uices. tunc ſumma precãtes
Conſtituere duos, Ioſeph cognomine Iuſtum,
Matthiamq́;, Dei paruum quod nomen, ut aiunt,
Ebræo ſermone ſonat, humilemq́; uocando
Comprobat. ò quantum diſtant humana ſupernis
Iudicijs, parui merito tranſcenditur ille,
Laude hominum qui iuſtus erat. duodena refulgent
Signa chori, terrisq́; iubar iaculatur olympi.
Hæc quoq; lux operis quid præferat, edere pergã.
Quatuor eſt laterum diſcretus partibus orbis,
Trina fides uocat hunc, quo nomine fonte lauatur.
Quatuor ergo ſimul repetens ter, cõputat omnem
Quam duodenarius circuntulit ordo figuram:
Diſcipulisq́; pijs quibus hoc baptiſma iubetur,
Myſtica cauſſa dedit numerum recreare priorem.
Spiritus ætherea deſcendens ſanctus ab aula
Irradiat fulgore locum, quo ſtemma beatum
Eccleſiæ naſcentis erat, quibus igne magiſtro
Imbuit ora calor, dictisq́; fluentibus exit
Linguarum populoſa ſeges, non littera geſſit
Officium, non ingenij ſtillauit ab aure
Vena, nec egregias ſignauit cera loquelas,
Sola fuit doctrina fides, opulentaq́; uerbi
Materies, cœleſte datum noua uocis origo
Quæ numeroſa uenit, totoq́; ex orbe diſertis
Sufficit una loqui. dudum uetus æquoris arca
Cùm ſuperaſſet aquas, turrim uolucre maligni
In cœlum proferre ſuam, quibus impia corda
Sermonum ſecuere modos, ſocijsq́; ſuperbis
Affectus cum uoce perit. confuſio linguæ
In ſimili tunc gente fuit, nunc pluribus una eſt,
Eccleſiæ quoniam uenientis imagine gaudet,
Concordes habitura ſonos, & pace modeſtis
Fit fœcunda redux, humilisq́; recolligit ordo.
Quod tumidi ſparſere uiri, res maxima cogit
Non reticere diu, quid ſit quod ſpiritus almus
His datur in flamma, Iordanis ab amne columba.
Quod tunc rite canam, promiſſaq́; debita ſoluam,
Si ſua dona ferat. duo ſunt hæc ſigna figuræ.
Vt ſit ſimplicitas, quam congrua diligit ales:
Quæ ne tarda gerat ſine dogmatis igne tepores,
Sit pariter ſuccenſa fides. ibi deſtinat undis
Vnanimes, hic ore iubet flagrare docentes.
Mentibus inſtat amor, ſermonibus æſtuat ardor.
Hos etiam muſto typica ratione moueri
Error priſcus ait, quos ebria fonte recenti
Compleuit doctrina poli: noua uaſa liquorem
Suſcepere nouum, nec corrumpuntur acerbo,
Quo ueteres maduere lacus, de uite bibentes,
Quæ Chriſto cultore dedit conuiuia uerbis.
Vnde rubent, quas uertit, aquæ, tenuemq́; ſaporem
Legis in eccleſiæ fecit feruеſcere libris.
Tertia ſidereis inclaruit hora loquelis,
Hunc numerũ Deus unus habet, ſubſtantia ſimplex
Perſonis diſtincta tribus. quàm plurima nobis
Inſtrumenta patent, ſimul hoc & tẽpora mõſtrãt.
Primus at ille Petrus, q figit in æquore greſſus,
Retia iam cupiens hominum uibrare ſaluti,
Vt piſcatur ouans leuet has de fonte cateruas,
Rettulit æthereos populo mirante triumphos.
Venit ad occiduas carnaliter editus oras,
Humana ſub lege Deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit: nec uile putauit
(Maieſtate potens) terreni ſumere formam
Corporis: atq; opifex hominum pars eſſe, ſuoq́;

Nos precio reuocare ſibi,poſt dona ſalutis,
Poſtq; tot erectos pulſis languoribus ægros.
Cum defleta etiam perfundaq; corpora luci
Redderet,& ſuperas iterum concederet auras.
Se quoq; permittens fuſæ,genitricis ab aluo
Carnis iura pati;uitam ne perderet orbis,
Maluit ipſe mori ſed quod de uirgine fœta
Naſcitur,illud obit:ligno ſuſpenditur inſons,
Et ligni uacuatur onus.ſic uulnus iniqui
Fit medicina Dei.pauidis reſplenduit umbris,
Pallida regna petens,propria quem luce coruſcum
Non potuit fuſcare chaos:fugere dolores,
Infernus tunc eſſe timet,nullumq; coërcens
In ſe pœna redit,noua tortor ad ocia languet,
Tartara mœſta gemũt,quia uincula cũcta quieſcũt.
Mors ibi quid faceret,quo uitæ portitor ibat?
Hũc Deus omnipotens,cui nunquã terminus inſtat
Poſt ſacra buſta leuat,radiantem in corpore Ieſum
Vidimus,& proprijs reducem conſpeximus aſtris.
Sed fugite ô miſeri,funeſta piacula gentis,
Cui,ueniente Deo ueteres auertere noxas,
Addita ſacrilegæ creuerunt uulnera culpæ.
Cur natos Iudæa tuos per uota cruoris
Parricida trahis?quid Chriſti ſanguine fuſo,
Hos tecum damnata premis?necdumq; creatos
Feſtinas proferre reos?homicidaq; lingua
Naturæ percuſſit iter,cui ſerior ortus
Quàm facinus,diſcrimẽ alit,ſcelerumq; propago
De natale perit,quæ ſaucia uoce parentum
In lucem punita uenit.ſi ſoluere cura eſt
Fœcundi crementa mali,fœlicibus undis
Extinctum reparate genus,ſpes una remitti
Debita ſupplicij,poſt crimina uelle renaſci.
Multiplicat iam paſtor oues,tria millia uulgi
Non minus illa dies in flumine diluit agni.
Hic primùm poſt iuſſa Dei baptiſmatis uſus
Exoritur,data iura probans.nam trina poteſtas
Colligit hanc prolem,numerũ partita per æquum.
Perfectum eſt quod mille ſonat:ſic deniq; ſeclis
Ponimus ætates,cum tempora dicimus orbis.
Res perfecta ſemel ter iungitur,& facit agmen
Myſtica uis numeri:gregis eſt pia forma nouelli.
Funditur interea per cunctos gratia ſenſus,
Diuitiasq; metit locuples in amore uoluntas.
Vtq; pij coeant in fœdera pignore certo,
Res laxant,& corda ligant,ſine limite cenſus.

Affectu conſorte licet noua iura beatis A
Munifica fluxere manu,quibus ubere læto
Diuiſæ geminantur opes,& creſcit in omnes
Quod faciunt commune ſibi,totumq; capeſſunt
Qui proprium nil eſſe uolunt:quo fonte cucurrit
Hæc probitas,quæ ue illa fuit bonitatis origo,
Hinc canere incipiam.ſacris bis ſpiritus almus
Diſcipulis conceſſus erat,ſpiratus in illos
A Chriſto ſurgente ſemel:pòſt miſſus ab aſtris,
Neſcia uerba uiris facundus detulit ignis.
Ne quid inexpertum ſtudio meditemur inani,
Spiritus alme ueni,ſine te non diceris unquam,
Munera da linguæ,qui das in munere linguas.
Hæc iterata reor,confirmant præmia iuſtos,
Vt duo iuſſa colant,tabulis conſcripta duabus.
Dilige mente Deum feruenti plenus amore.
Rurſus ait,charus quoq; ſit tibi proximus,ut tu.
Hoc pactum ius omne tenet,quod ſpiritus almus
Bis uenięs per corda creat,ſemel hũc dedit auctor
In terris,ut ametur homo:pòſt miſit ab aſtris,
Vt flagrent humana Deum.dilectio prima eſt,
Quæ dominũ uehementer amat:cui deinde ſecũda.
Quæ ſociat mortale genus.tamen incipit ante
Poſterior numero,ſequitur comitata ſecundam B
Quæ prior eſt. ſic forma docet:niſi diligis,inquit,
Cernere quẽ potis es fratrem: quem cernere nõ eſt,
Neſcis amare Deum,concordia nexa caleſcat.
Ergo pari uoto Dominumq; in pectora condat
Fratris amor.geminæ ſibi ſit ſubſtantia cauſſæ.
Claudus erat,cui prima dies exordia uitæ
Membrorum cum ſtrage dedit,languore coæuo
Octo luſtra gerens.ad quem comitante Ioanne,
Reſpice,Petrus ait,uotum ſpes luſit auarum,
Cumq; negat,meliora parat. quàm ſæpe grauatos
Deſperata iuuant,& ſemine nata ſiniſtro
Proſperitas,celans mœſtis confinia læta
Principijs,ad uota uenit.gaudebat egenus
Plus uacua meruiſſe manu,qui munera poſcens
Eſt datus ſibi.nulla hìc mihi uena metalli,
Reſpondit,quæ fundat opes:ego ditior ægro
Pauper ero,progreſſus abi.de uoce iubentis
Exilijt medicina potens,atq; hoſpite greſſu
Conuixere pedes,cunabula longa relinquens
Calcauit ueteranus humum,plantisq; nouellis
Materies ſe priſca mouet,cui præpete curſu
Protulit inceſſus,quicquid non eddidit ortas.

Stat

A Stat facti manifesta fides. sed & altera nobis
Res aperit quod caussa gerit. gens nomen ab illo
Israel dicta tenet, qui bella reliquerat æger
Conatus certare Deo: tulit ipse figuram
Corporis ante grauē: quam pòst in uulnere mentis
Israel claudus habet, qui per sua crimina labens
Corde magis quàm carne fluit, spacijsq; sub ipsis
Quadraginta annos Aegypti fine remotus
Claudicat: Aegyptum cupiens, atq; idola quærens.
Ponitur ad portam Speciosam debilis, ultra
Non ualet ire miser, nec limina tangere portæ.
Culpa negauit iter: nam sunt qui pectore claudum
Israel ferre solent, portæq; adiungere certant,
Quæ speciosa suo prodit de nomine Iesum?
Isaias, Daniel, similes quiq; ore prophetæ,
Obscuris manifesta canunt miracula Christi,
Et portæ qui nomen habet, sic admonet ipse:
Porta ego sum uobis, qui per me intrare recusat,
Fur erit ille nocens: possunt portare prophetæ
Ad portam, cernenda magis quàm uisa loquentes:
In templum non ferre queunt, hæc inaua Petro
Credita, qui Christum confessus, cognita monstrat,
Non uentura sonat. uetus ô sine fine iacebis,
B Ni Petrum iam claude roges, qui noxia pellens,
Auri uitat onus, rerum cui censuit author
Nec peram gestare sibi: pete dona salutis.
Non fragiles secteris opes, quas spernere debet
Cum domino qui diues erit. post limina templi
Porticus hunc Salomonis habet, qui iure uocatur
Pacificus. regnante fide quis semper in orbe
Pacificus, nisi Christus erit? hic protegit omnem
Qui Petro ductore placet, quo præsule surgit.
Agmine iam niueo per millia quinq; uirorum
Ecclesiæ crescebat apex. arcere laborat
Hunc Iudæa coli, cuius de munere fluxit
Quod uirtus operata dedit. sed linquere Christum
Petri nescit amor: non hunc reticebimus, inquit,
Quo remeat præstante salus, qui iure creantis
Infectum suppleuit opus, solidumq; decorem
Pars reparat quā iussa nouant. hic mēbra redēptor
Saucia restituit, hic mortua surgere fecit.
Fert animus patrare nefas, sanctisq; uerendis
Sacrilegas inferre neces. ô semper iniqui,
Dona uidēt, et bella mouēt, sed cœpta relinquunt,
Ne uiolent quos turba fouet, quibus indice claudo
Testis erat meriti, cumq; hoc sua corda leuabant.
Nam non parua dedit populo miracula gressus.
Quem rudis atq; senex nullis iam legibus æui
Vernula sumpsit humi, cum quo stupet ipsa moueri
Quæ iacuit natura diu, firmataq; nuper
Incessu properata nouo uestigia signat,
Quæ fuerant aliena sibi. tam improba proles
Sæuit adhuc, fariq; uetat, quod gaudia clamant.
Quid toties Iudæa cadis? surrectio Christi
Vt furto celetur emis? sed inania demens
A somno documenta petis, liuore caduco.
Quæ sentis uirtute geri, uis fraude negari.
Infernum dominus cùm destructurus adiret,
Detulit inde suam spoliato funere carnem.
Victor ab arce crucis radiantia signa ministrat,
Sol ruit in tenebras, tu pectore nigra rebellas.
Arua tremunt concussa locis, tu fixior hæres.
Saxa crepant, tu dura manes iam scißio ueli,
Quæ latuêre diu, nudauit mystica templi.
Lux tua nos adijt, tecum nox sola remansit,
Mors sine fine premit, cui nunquam uita resurgit.
Planta uetus sociare nouis, & condere libris
Ne pereas uiduata cibis, sine munere quorum
Arida ficus eris, nullo quia tempore fructum
Ad Christi uis ferre manum, neq; cernere quantum
Floruit insertus faciens oleaster oliuas,
Plenaq; per gentes de spinis pullulat uua.
Imminet exhaustis radicibus ira securis,
Vt succisa ruas, ni iam translata uirescas.
Postquàm mira salus in corpore nata uetusto
Discipulis audita liquet, gentisq; superbæ
Cognouere minas, celebrant his uocibus hymnum:
Tu qui cuncta Deus proprijs animata figuris,
Artifici sermone facis, quiq; edita cernens
Ante uides, rerumq; creans per nomina formas,
Cùm fierent, uox semen erat, nec distulit ortus
Imperium natura sequens: mox spiritus oris
Aethera curuauit, sola nexuit, æquora fudit,
Materiamq; operis sola est largita uoluntas.
Ne deforme iugum similis portaret imago,
Tegmine seruili latuit regnator Olympi,
Vt sua gentiles implerent cœpta furores.
Quis dolus Herodis cùm tristia bella moueret
Infantum mandata neci, quos ubere raptos
Vulnera suscipiunt, paruis errantia membris
Vix habitura locum, sæuoq; iubente tyranno
Nasci pœna fuit, cuius tulit impetus æuum

Quem nesciuit agi, qui perdidit. ô noua mortis
Conditio, solo uitam pro fine subire:
Et cùm prima dies atq; ultima sit simul una,
Posse magis quàm scire mori. quis lumine sicco,
Aut gemitu cessante queat memorare, Pilati,
Quod deflent elementa, nefas? quo iudice Christus
Subdere pro mundi uoluit sua membra periclis,
Vt carnale malum caro solueret, & ferus hostis,
Cuius ab ingenio fluxerunt tela ueneni,
Perderet antiqui lacrimosa piacula belli,
Materia superante pari, ne criminis ultra
Per sobolem prodiret onus. damnatio iusti
Libertas est facta reis, da semina uerbi
Per tua dona coli, signisq; noualibus usa.
Colligat ista manus te fructificante maniplos,
De quibus ipse tui componas horrea cœli,
Triticeamq; fidem lolio pereunte corones.
Qua sancti fulsere pedes, concurrere uisa est.
Pondere terra graui, moxq; almus spiritus illis.
Splenduit, & linguis facundia creuit obortis.
Auditæ ualuere preces humana propago,
Materies terrena sumus, limumq; parentem
Nomine prodit homo: uis flexit, & impulit arua
Vocis apostolicæ, quæ de tellure creatos
Fecit habere fidem. sed quod magis exilit unus
Concutiturq; locus, cecinit scriptura decoros
Pacem ferre pedes. horum sub greßibus ergo
Læta mouetur humus, quibus est sermone magistri
Pax commissa pij quæ deportata per illos
Exijt in cunctas ueloci munere terras.
Ecce tot egregijs unum cor esse cateruis
Incipit, atq; animam populus nanciscitur unam.
Quis dubitare queat mysteria dogmatis, unum
Personas tres esse Deum? cùm millia uulgi
Conueniant sub mente pari, numeriq; frequentis
Sint animi uelut unus homo: quæ turba perennem
Portatura crucem, dominumq; secuta fidelem
Spreuit agros, habitura polos. hæc nempe facultas
Fortior est de parte magis conquirere totum,
Atq; caducorum pensare manentia caußis,
Et quæstum per damna sequi. non prodige rerum
Venditor ista facis, sed qui tua iura tenere
Ambitiose cupis, paruoq; in tempore linquis
Quod semper uis esse tuum: sic spargere rura,
Nolle carere fuit. quid enim substantia prodest,
Quæ seruata perit? quam sideris arce locatam,
Commodius qui cedit habet. pete creditor inde A
Vsuræ maioris opem, gazasq; reconde,
Quæ nequeant aduersa pati, non deterit ullus
Perpetuas ibi casus opes, sine fine tenebis
Quæ dominum debere facis. nunc aspice partes
Lector docte pias, & tecum mente sagaci
Volue quid esse putes, rutili quòd pompa metalli
Ponitur ante pedes, non sacris debita dextris,
Destitui debere probant, quod tangere uitant:
Calcandumq; docent, quod subdũt greßibus aurum,
De quo terrenæ ueniunt ad pectora curæ,
Consimili iactatur humo. quo sistat auare
Mens tua disce loco. quod tu custodis anhelus,
Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes,
Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris:
Horrescunt tractare pij, nec tunc quoq; gestant,
Cùm bona facta parant. quantũ speculantur in illo
Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.
Occidit infelix Ananias uulnere culpæ,
Fur census sub fraude sui: cadit impia coniunx
Supplicio percussa pari, quia crimine ab uno
Fit commune nefas, quoties scelus antè peractum
Consensus facit esse suum, nam mentis auaræ
Vindex illa fuit sententia. deniq; quando B
Auri cessat amor, qui pectora semper adurit,
Quo capitur mortale genus, qua pullulat omne
De radice malum, cuius uiolentior ardet
Ambitio crescente modo, stimulantq; rapinis
Addita lucra famem: sed quod mutata uoluntas
Falsi crimen habet, cumq; est iam cautio uoti,
Stare decet, nec uelle prius, uiolare sequenti,
Ius proprium retinere magis, quàm demere, fas est.
Omnibus exemplum sanxit uindicta duorum,
Ne quis dona uocet, quæ sponsio debita poscit.
Respice uera fides, ac dogmata clara beati
Verba require Petri. quis nam te fallere suasit,
Conclusitq; probans? homines haud talia fando
Deludis mentire Deo: quæ damnat iniquos,
Aedificat doctrina pios. quòd spiritus almus
Sit Deus ex multis plena est instructio libris.
Et tamẽ hinc capit arma fides: quò tendimus ultra?
Quis dubitet quod Petrus ait? qui iure uenitis
Ad latices, hoc state loco: satis hostibus obstat
Ecclesiæ quod forma sonat, diuisor amare
Iudicium de fine time. qui criminis auctor
Errorisq; tui est, fusa ruit Arrius aluo,

Infelix;

A Inſelix, plus mente cadens, lethumq́; peremptus
Cum Iuda commune tulit: qui gutture pendens
Viſceribus uacuatus obit. nec pœna ſequeſtrat,
Quos par culpa ligat: qui maieſtatis honori
Vulnus ab ore parant, hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de uoce rei: Deus arbiter orbis
Perſonis tribus eſt, in quo ſimul una poteſtas
Abſtulit his ſpecies operum bonitate creatas,
Qui fabricatoris non inſpexere decorem,
Erranteſq́; putant qui fecerit omnia factum.
Fama ciet populos ad myſtica ſigna ſalutis
E' cunctis properare locis, & peſtibus ægros
In lectis deferre ſuis, quos urbis in illa
Parte locant, qua ſacra tenet ueſtigia Petrus.
O' miri ſi curſus facundior ora moueret,
Centenoſq́; daret uox ferrea, lingua diſerta
Hac in laude ſonos, quantum ſpecioſior eſſet
Ambitus eloquij, uarijs aperire figuris
Singula nec modicis includere grandia uerbis,
Quæ fuerit rerum facies, cùm tempore paruo
Morborum cedidere greges, & fluxit ad omnes
Improuiſa ſalus, quam corpore fuſa ſereno
B Luminis umbra creat, dubiaq́; à morte remoti
Erexere caput: ſed non deprendere uiſu
Auctorem potuere boni, quibus ardua uirtus
Occultat quam præſtat opem, reſq́; ante paratur
Quàm ſpes ulla foret, furtiuaq́; præmia uitæ
Dat medicina latens, & anheli corporis æſtus
Ignaro languente rapit. quam neſcit adeſſe
Qui ueniſſe probat, creſcitq́; potentia facti
Agnitione carens, cuius ſplendoris imago
Omnia peruolitans, tactuq́; nocentia mundans
Stat donis fugitiua oculis: & munere plenos
Linquit ubiq; toros, hoſteſq́; à ſenſibus atros
Proijcit, ac nebulis larualibus exuit artus.
I citus, & curas hominum de calle frequentans
Excute Petre gradus, tecum medicina ſalutis
Ambulat, adde uiam, ſpes eſt ad gaudia uelox,
In pedibus non eſſe moram: tua ſemita uita eſt.
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus umbræ
Corpora cuncta leuas, atq; hoc ſimul inſcia uoti
Sumit turba iacens: quod cùm rogat, accipit unus.
Omnibus ergo ſalus uno poſcente uenibat.
Quærite quos agitat tanti reuerentia facti,
Quid typicum res iſta ferat, libriſq́; uolutis
Noſcite quòd ſoli conceſſa hæc gloria Petro,
Quæ'ue ſub hac ſpecie latitant documenta, uidete:
Quæ tentabo loquens, & ſi datur iſta facultas,
Aridus ut magnas impellat riuulus undas.
Rurſus ab antiquis ueniunt miracula cauſsis,
Firmior in cunctis capitur ſubſtantia rerum
Corpore ſenſa ſuo, ſequitur quæ à corpore certo
Funditur, & ſolidam non terminat umbra figurā.
Sed tamen ipſa ſibi præcedere corpora, ſignat
Eccleſiam terris colimus, quam prodere nullis
Aetheream dubitaſſe licet: ſed uerior illa eſt
Quæ ſuper aſtra manens, cœleſtis & alta uocatur:
Hæc in transcurſu dubij quæ cernitur orbis
Ad uitæ datur eſſe uiam, ſpacioq́; ſub iſto
Deſtinat æternæ quos colligit, atq; probatis
Hinc iter eſt excelſa ſequi, regit agmen utrunq;
Petrus, & hinc ductis ſorti dat ſidera turmis,
Vt patuit per uerba Dei: quod ſolueris, inquit,
Quodq́; ligas terris, ſic uinctum ſiue ſolutum
Aethere perdurat. culta hæc quam cernimus aruis
Ergo figura foret: firma eſt quam nubila geſtant.
Petrus utramq; regēs, ibi corpus, & hic parat um-
Et quos hîc uitijs noxiſq́; reſoluerit ægros, (brā:
Innocui ducuntur ei, quæ permanet aſtris,
Suſceptura pias hac emundante cateruas.
Interea templi zelo mordente priores
Eccleſiam creuiſſe dolent, animæq́; colonos
Neſpargant, quod corde metant, in ſede relegant
Carceris, ut deſint naſcenti ſarcula meſsi.
Angelus adueniens tenebroſa uolumina noctis
Reppulit, & ſubito micuerunt antra ſereno,
Erumpenſq́; dies alieno tempore ſanctos
Ad templum facit ire uiros. ſed cardine fixo
Irrita ſignato cuſtodia permanet antro,
Stanſq́; ſuis foribus uallante crepidine carcer
Clauſus apoſtolicis ueſtigia pandit aperta
Greſsibus, & uigiles illudit ianua fallax.
O' nunquam neglecta fides. cui ſubiacet illud
Quod natura negat, proprijs quam legibus uti
Non ſinit omnipotens, quoties iubet ipſe uiciſsim
Poſſe, quod inſolitum fieri mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat. quia tūc penetrata recepit
Ianua clauſa Deum, mirum eſt ſi corpore portam
Sic adeat quem uirgo parit, quem uiſcera matris
Integra concipiunt? humanam quæ, rogo, carnem
Sumere cauſſa fuit, niſi ſuſcitet? inde reuerſus

Exhibuit pro teste latus, nostriq; fauillas
Corporis exemplo proprij docet esse nouandas
Vulneribus sua mēbra probās. modo Didyme discis
Quàm fuerit dubitasse nefas, an fecerit auctor
Quod uobis licuisse uides. si uoluere sensu
Cura subit quod Christus ait, non indiga uocis
Est species, cur has sancti liquere tenebras?
Dixit, opima parans, hos luminis esse ministros,
Et candelabri positas uelut arce lucernas
In tota fulgere domo. nox nulla retentat,
Quos lumen lux ipsa uocat, qui dona ferentem
Et testem meruere Deum. qua lege cauernis
Occulerit locus ille suis, tot in ordine soles.
De quibus, ut tenebras pulsis erroribus orbis
Vinceret, æternam meruit cognoscere lucem.
Iura ministerij, sacris altaribus apti,
In septem secuere uiros, quos undiq; lectos
Leuitas uocitare placet: quàm splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula uitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.
Huic numero delatus honor, sublimia secum
Sacramenta gerit, per quæ nunc longius ire
Non patitur mensura uiæ, ne plura loquutus,
Inueniar dixisse minus. sit cura ministris
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero, cui dant cœlestia formam.
Promissum seruabo modum. uenerabilis orbi
Cœtus ait: uerbi potius nos conuenit omnes,
Quàm mensæ captare cibos. ô gloria diues
Oris Apostolici, nunquam permittere plebem
Virtutum sentire famem: dispersa talenti
Crescere summa solet, commissa pecunia linguæ
Displicuit, cùm sola fuit. locus indicat iste,
Quod meliora rudi populo sint fercula mentis,
Quàm fusæ per membra dapes, lauteq; peritum
Nutriat ingenium uerbi pinguedo superni.
Nam quid corporeæ prosunt alimenta saginæ,
Esuriente anima? cuius ieiunia pasci
Semper ab ore decet, mensam ut tendamus ad illam
Vberibus uerbis, ad quam conuiua recumbit
Qui uestis candore nitet: ne fulcra beata
Deserat abstractus, quisquis deformis, ad illam
Eloquio sordente uenit. ferat esca salutem
Progrediens de pane poli: gula pectoris ipsum
Ambiat, atq; animi pleno gustare palato,
Interior festinet homo. ne uilior esset A
Caussa relicta tamen, claris tractanda ministris
Creditur, & numerum tenuit preciosa supernum.
Emicat hinc Stephanus qui primus agone coro
Hæres huius habet, de quo prænūcia palmæ (nā,
Vox cecinit: quod caussa dedit, fere prælia martyr
Felices habitura neces: ubi gloria pœna,
Et cadere est ortus, iugulisq; patentibus æuum
Nascitur, æternæ complectens munera uitæ.
Vitæ principium fuit en sine fine beatæ,
Sic meruisse mori: lapides Iudæa rebellis
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea semper eris: hunc deniq; Christus adoptat,
Ad quem miles ouans, per uulnera sacra uocatus,
Sanguine fecit iter, cupiensq; in præmia uictor
Hac properare uia niuei metitus honorem
Callis, ad excelsi pergit fastigia regis,
Et per tot lapides petræ coniungitur uni.
Quis furor iste nouus, nulli feritate secundus,
Parcere nolle pio? uibrantibus acta lacertis
Saxa iacis. parat ille preces, nec respicit unde
Grando nefanda cadat, qui tempore mortis, amicē
Pro populo peccante rogat. licet omnia tecum
Tela feras, silicesq; graues, & pondera libres, B
Quem perimis, uicturus erit: qui fine, colono
Seminat exemplum, quo surgat uinea Christi,
Et calicem domini conuiuia festa coronent.
Lumina cordis habens, cœlos conspexit apertos,
Ne lateat quod Christus agat, pro martyre surgit.
Quem tunc stare uidet, confeßio nostra sedentē
Cùm soleat celebrare magis, caro iuncta Tonanti
In Stephano fauet ipsa sibi. dux præscius armat,
Quos ad dona uocat, ne quîs hic dimicet anceps.
Corpus in arce Dei patuit, pro munere testis
Ad Sauli posuere pedes uelamina sæui.
Infernum quod Ebræus ait, iam constat utrisq;
Hinc meritum sentire suum, cùm sidera martyr,
Carnifices inferna petunt, sors prima reuelat,
Exemplumq; creat, quod talia bella gerenti
Hoc de fonte fluit, sic occidentibus ut mox
Tartara succedant, morientibus astra patescant.
Sæpe sibi socium Petrus facit esse Ioannem,
Ecclesiæ quia uirgo placet: quo deniq; iuncto
Samariæ uicina petens, baptismatis undis
Ablutas signauit oues, quibus affuit almus
Spiritus, & uarias fecit procedere linguas.

A Fonte quidem lotus, sed non in pectore mundus,
Hic fuerat Simon ille magus, quem prodidit orbi,
Pœna sequens nescisse fidem, contractibus auri
Munera uult æquare Dei, numinisq; referre
Quod precio mercator emat. quem talia Petrus
Attentare uidens: quis nam te perdite, dixit,
Mouit ad ista furor, domini quod gratia donat,
Vt uenale putes? sensu hoc, non sumitur auro.
Nec licet ut cœlum corrupta pecunia quærat,
Quam terræ scrutator amat. tibi nulla profectò
Hac superest in sorte quies, nec ad ista uenire
Tu pollute potes donis, qui cordis amari
Felle tumens, aliena petis. nanq; atria mentis
Spiritus illa subit, quæ simplicitate nitescunt.
Hac de uoce sacræ lux est manifesta figuræ.
Ecclesiæ speciem præstabat machina quondam
Temporibus constructa Noë, quæ sola recepit
Omne genus, clausisq; ferens baptismatis instar,
Cùm uaga lethales pateretur turba procellas,
Ad uitam conuertit aquas, simul ipsa columbam
Diluit, & coruum. sed non concordia mentis
Fecit utrosq; pares. hunc guttura plena rapinæ
Subduxere uiæ, cupiensq; in funere pasci,
B Nil potuit uitale sequi. redit ales amica
Frugibus, & nullis succumbit naufraga lymphis,
Nutriri de morte timens, studioq; laboris
Dat documenta pij, quanto teneatur amore
Plus operi deuota fides, rostriq; modesti
Pignus oliua fuit. dilectio semper in ore
Fructum pacis habet. uolitant in fluctibus ambo,
Ex uno sanctoq; sinu seruantis in aluo
Purgati uallante freto. tamen exulat unus,
Et reditu cessante perit. non ergo saluti
Sufficit unda lauans, nisi sit sine felle columba.
Qui generatur aquis, Simō hic baptismatis undam
Contigerat: sed coruus erat, sua lucra requirens,
Quæ nunquam meruere Deum, qui limine templi
Vendentes arcere solet. meliora sequamur,
Petrus ad ista uocat, qui filius esse columbæ
Dicitur ore Dei, meritoq; hac matre creatus,
Ecclesiæ sublimat opus. de munere prolis
Nomen habet genitrix, quod spiritus eligit almus,
Alitis innocuæ dignatus imagine cerni.
Angelus alloquitur plenum uirtute Philippum,
Australem celerare uiam, qua spado iugatis
Aethiopum pergebat equis. qui fidus in aula
Reginæ seruabat opes, uolat axe citato
Gaudia fixa petens, curruq; merebitur ipso
Errorum iactare rotas. ô quanta bonorum
Semina percipies, qui tam preciosa lauacri
Sumere dona uenis, steriliq; in corpore condis,
Quod fructu meliore metas. impone Philippum,
Lampadis os quod Ebræus ait, qui mentis honorem
Nomine teste probat: iuuat hūc audire magistrum
Discipuli, qui iure docet: dabit ipse, prophetæ
De quo uerba sonent, cùm qui omnia fecerit olim,
Qua fuerit nunc parte satus, si credulus audis
Et tibi nascetur, tuq; inde renasceris illi.
Conspectis properanter aquis ardescere cœpit
Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus,
Deposuit serpentis onus, plaustroq; cucurrit
Eliæ meditatus iter, non parua figuræ
Causa sub obscuræ regionis imagine lucet.
Comprobat omnipotens, tædarū fœdere Mosen
Aethiopam sociasse sibi, quem dogmata produnt,
Post ea cum domino uicinus ore loquutum.
Quid mirum, si legis amor tunc crescere cœpit,
Ecclesiæ cùm iuncta fuit? quod sponsa perennis
Hac ueniat de gente magis, nec cantica celant
Quæ fuscā pulchrāq; uocant. hæc pergit ab austro
Aethiopum qui torret humum, Solomonis in ore
Pacificum laudare suum, quo nomine dudum
Signatū est quod Christus habet. iam debita mūdo
Custodem præmittit opum, quo pignore gazas
Incipiat proferre suas. thesaurus in illa
Quis potior quàm fontis honor? quod ditius aurū,
Quàm locuples sub corde fides? quàm deniq; rectè
Præuius huic spado est, quo procedente libido
Pellitur, & capiunt cœlestia regna pudici.
Saulus, acerba fremēs, cōmittere bella Damasci
Iudaica feritate parat: sed amabitur agnus,
Quò properat sæuire lupus. sors læta ruinæ
In qua culpa cadit, didicit de corpore lapso,
In mentis iam stare gradu, cùm lumina claudit,
Pectora tunc aperit, cœliq; agnoscitur auctor.
Discedente die. quantum meruere tenebræ,
Post oculos maiora uidet. mirabile seclis
Exemplum dedit alma fides, Anania furorem
Excutit. ô noua palma: lupū domat ille rapacem,
Ebræus quem dixit ouem. clamabitur orbi
Hoc præcone Deus, legisq; exutus ab umbra,
Sub qua cæcus erat, terras lucebit in omnes.

Perpetuo de sole calens, ne desine Saule
Hunc celebrare diem, multorum lumine plena
Nox datur ista tibi, tuq; hîc tua nubila portas,
Vt mundi purgare queas: nunc plena figuris
Interius documenta sequar, tectumq; latebris,
Aggrediar proferre iubar, quod tẽpora Saulus
In tenebris triduana gerit, facit esse fidelem
Exempli mensura sui, tandemq; coactum
Pœna magistra docet, dominum ne respuat ultra.
Post triduum superasse chaos, cùm cœperit ipse
Sic uisus reparare suos, quòd ab orbibus atris
Et squamæ cecidere graues: natura quod anguis
Ferre solet, ratione uiget. Iudæa uenenum
Semper ab ore uomit, crudelior aspide surda,
Perfidiæ coluber, synagogæ sibilat antro.
Discipulis saluator ait: calcabitis angues,
Purior obsequijs ut sit cœlestibus actus.
Vipereum iacit ante nefas, & prælia doctor
Mox meliora gerit. qui cùm superasset iniquos,
Insidias meruit clausis euadere portis.
Sporta solens texi iuncis, palmisq; uicißim
Tegmina dat Saulo, retinens in honore figuram
Ecclesiæ. nam iuncus aquis, & palma coronæ
Semper inest: iuuat ecclesiam baptismatis unda,
Martyrijq; cruor. dudum uescente caterua
Nutriti sub dente cibi, distendere septem
Sportarum cœpere sinus, tot in orbe profectò
Ecclesias scriptura canit, quod spiritus illic
Sic operator adest, & signat nomina uirtus,
Cùm tamen ecclesiam celebremus in omnibus unã.
Protegit ergo uirum species, cui militat ipse
Vas in uase manens, atq; hac duce tutus ab hoste
Egreditur, cunctis ductor cui uincit in armis.
Peruigil excubijs commißi Petrus ouilis,
Postquã cuncta uidens lustrauit in ordine sanctos,
Per Lyddæ tulit arua gradus, ubi mœnibus astans
Respicit Aeneam defunctis uiuere membris,
Atq; anima nodis laxata mole salutis
Non moriente mori: surgens paralytice, dixit,
Vectorem compone tuum, nec reddere tardes
Officium portare diu. quo munere uocis
Stringitur in solidum, qui fluxerat antea neruis.
Tunc iterum formatus homo, longiq; cadauer
Temporis, extinctos ad uitam surrigit artus,
Seq; leuans uacui linquit monumenta cubilis,
Quod misero pars mortis erat, plebs cũcta per illã
Cœpit stare uiam, multisq; superuenit ampla A
Vnius languore salus, tactoq; liquore
Expulit inclusi sua mox contagia morbi,
Fonte lauans animas alieno robore firmas.
Eloquar hîc sacræ quæ sint arcana figuræ:
Si mihi corda mouet, cuius uox corpora reddit.
Octo quòd annorum languoris proditur ætas,
Iure per hoc tempus membris defecit ademptis,
Antiqua sub lege iacens. iugulantia quippe
Vulnera semper habent, quorum fit saucius infans
Octauo ueniente die. sanauit ab illa
Parte grauem, lacerumq; diu discrimine carnis
In liquidis solidauit aquis: octauus ut ægrum
Solueret à plagis extincti corporis annus.
Quo numero ueniente die, solenne resurgens
Iam Christus sacrauit opus. stat temporis usus,
Sed uoto meliore redux. hinc uulnera serpunt,
Hinc ablata ruunt, ubi subdit regula pœnis.
Hic purgat medicina uadis, spacioq; priore
Dudum laxa neci stringuntur membra saluti.
Signatis etiam numero paralyticus annis
Ille iacebat iners, cui proxima mota Siloa
Heu nullas præstabat aquas. piscina ligata
Porticibus, Iudæa fuit. namq; atria quinq; B
Ad sua claustra tenet, per quinq; uolumina Mosi
Legis adepta modum, cuius circundata gyro
Debilis æternum uidit sine munere Iesum,
In libris ægrota suis. hinc eripit unum,
Cui ueniens peccata tulit, quam ritè figuram
Mundus ubiq; gerit: quem postquã sabbata soluens
Impulit ad fontem, superauit gratia legem.
Petrus ad ecclesiam reuocat documenta magistri,
Cuius in orbe manu paralyticus exilit unus,
Et gradiente fide sua uincula proijcit orbis.
Te quoq; laude potens, cœlestibus inclyta signis
Carminibus Ioppe canimus, qua sede Tabitha
Mansuras fundebat opes, & semper egenis
Munere mater erat. quæ uitæ tempore clauso
Ponitur in medio, lacrimis plus lota feretro,
Post funus uictura suum. fiducia Petrum
Euocat: ille gerens diuini pignus amoris,
Vt nunquam pietate uacet, quod uota requirunt
Præstaturus adest. lugentia tecta petenti
Stant inopes uiduiq; greges, & brachia monstrãt,
Exuuijsq; onerata suis, quas Dorcadis ipsis
Texuerant dederantq; manus. ô qualia feruens
Implorat

A Implorat fomenta dolor: non murmure tristi
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Instrumenta precum: quidquid benefacta merẽtur,
Officijs uoluere loqui, uocisq; repulsam
Elegere suæ, lateant ne uulnera cordis,
Quæ lacrimis fecere uiam. facunda gementi
Materia est, dixisse nihil. nimiumq; sonora
Caussa petit, quod lingua tacet. nec cessat ab aure
Clamosa pulsante fide, qua Petrus aditur
Qui mentes audire solet: iubet ocyus omnes
Ire foras, flexoq; genu fit pronior aruis.
Tunc magis alta petens, oratio fusa Tonanti
Mox super astra uolat, proprijsquia clauibus in- (trat:
Dic ubi sunt mundana tuæ sapientia leges,
Qua uirtute negas in se corrupta reuerti,
Quæ uitam de morte uides? ut munera Petrus
Sensit adesse Dei, quibus est reddenda saluti
Quæ defleta iacet, fatur conuersus ad illam:
Surge Tabitha, uocata redit, luciq; reducta
Se stupuit superesse sibi. quam protinus ipse
Prendit, & erectam turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit, qua uita reuertens
B Cætera membra leuat, corpusq; itura per omne.
Hinc subijt quæ caussa fuit, si iure mouemur,
Instaurata dies, animæ patet apta figuris,
Quam nimis antiqui depresserat umbra pericli:
Ad uocem conuersa Petri, caput, antè grauatum
Legis in obscuræ gremio, uelut altera surgens
Ecclesia præsente leuat, tenebrasq; repellit
Lux operum comitata fidem, quæ legis ab ore
Non fuerat promissa salus. quia fonte renatis
Gratia perpetuæ cœpit dare munera uitæ.
Cæsarea uenerandus erat Cornelius urbe,
Gentili de stirpe satus, quem dedita caussis
Vita pijs sacrauit aquis, cœpitq; gerendo
Credere qui gessit quicquid baptismate lotis
Consueuit præstare fides. nam missus ab astris
Angelus hunc adiens, summi in cõspectibus inquit
Stant Domini, quas spargis opes, quæ uerba preca- (ris.
Præmia ne desint uirtutibus, accipe certam
Huc Petro ueniente uiam. sic uoce coruscans
Nuncius, æternis fixit mandata lauacris.
Nona fuit tunc hora, magis qua rectius hora
Prodiret iam trina fides, quod tertia simplex
Hoc iterum ter trina docet, sacramq; figuram
Singula ter faciunt, & ter triplicata fatentur.
Hæc est nona potens, oculos quæ reddidit orbi
Post tenebras remeante die, cùm protulit ortum
De radijs lux orta crucis, cunctosq; repleuit
Hoc sine fine iubar. nam mundum cõstat onustum
Gentibus esse locum, quibus in baptismate lotis
Plena repurgato fulserunt lumina mundo.
Hanc solet ille sequi denarius, omnia donans,
Quem præcepta decem seruantibus arbiter offert.
Nec sinit ut tardos præcedant ære priores
Temporis huius opem, quam sacri fontis adiuit
Præuius. ô utinam nostræ petat actio uitæ,
Mortalisq; sibi studium proponat origo,
Vt credentis amor rerum speculetur honorem,
Et ferat exemplum meritis, qui præbuit undis.
Iamq; capax fidei Cornelius, indice uoto
Ad Petrum tres ire iubet: confeßio trina
Sic ueniet generantis aquæ, numerumq; per ipsum
Europæ atq; Asiæ, Libyæq; tenebitur orbis.
Ardua progreditur cœnacula Petrus adire,
Iam medio torrente die, locus instruit altus
Despiciensq; solum, Petrum cœlestia semper,
Non terrena sequi. sextæ quoq; circulus horæ
Detegit ætatem, qua Christus uênit in orbem
Largiri saluantis opem, numerusq; dierum
Prætulit exemplum, quo condidit antea mundum.
Quem uetat hac tandem ueniens ætate redemptor
Peccati ditione premi. sic deniq; sexta
Fertur & illa geri, fessus de calle magister
Cùm putei super ora sedens, per uasa puellæ
Pocula quærit aquæ, requiem facturus ubiq;
Ecclesiæ de fonte suæ. qua Petrus in hora
Esurit, ille sitit. pius ad sua dona magister
Addere semper amans, cui nominis auxit honorẽ,
Dat pariter nutrire fidem. lætabitur orbis
Hac saturante fame, quæ munere pinguior omni
Delitiosa fluit, nullumq; relinquit inanem,
Perpetuas latura dapes. qui soluere nosti,
Excute Petre meæ retinacula tarda loquelæ,
Deq; tuis epulis exhaustæ porrige linguæ.
Clauiger æthereus cœlum conspexit apertum,
Vsus honore suo. demittitur inde figura
Vasis, ut in terris sit uisio corpore Petri
Omnia posse capi, qui quicquid sumit edendum,
Ecclesiæ facit esse cibum. præfertur imago
Quatuor ordinibus se submittentibus una.

Forma est ecclesiæ, quæ quatuor eminet orbis
Partibus, & laxat totidem præconibus ora.
Omne genus retinẽs uolucrum, pecudumq; ferarũ,
Reptiliumq; simul: mortalibus ista cohærent
Ex meritis, uitijsq; suis. patet ergo quòd auctor
Iussit in ecclesiæ transfundi uiscera gentes,
Macta & mãduca dũ præcipit, abstrahe quod sunt
Et tibi fac similes: qui uertitur, alter habetur.
Deniq; Saulus obit, quia Paulus uiuere cœpit.
Absit, Petrus ait, quanta est reuerentia sancto
Legis, & esuriens oblatas respuit escas.
Ter sonuit Domini uox, quæ dictata saluti est.
Hoc genitor, natusq; simul, sanctusq; peregit
Spiritus. huic fidei pugnax cadit Arrius, unum
Personas tres esse negans: Sabellius unum
Sed patrem confessus ait, qui deinde uicissim
Filius, & sanctus dicatur spiritus idem,
Sed totum sit ut ipse pater: quodq; ordine trino
Continet unus apex, hic diuidit, ille relinquit:
Victus uterq; iacet. nam iussio trina monentis
Personis numerum, uirtutibus indicat unum,
Quo uocat imperio gentes, hoc credere fas est.
Si uolumus complere fidem, facis omnia Christe
Sanguine munda tuo, lateris qui fluxit ab ictu
Discretæ coniunctus aquæ. maculosus oberret
Anguis, & extinctum lymphis gemat esse uenenũ.
Comperit accitus quæ sit sua uisio Petrus,
De merito qui nomen habet. nam Petrus Ebræo
Agnoscens sermone sonat. pro munere Christus
Sic uocitare dedit, quo cognoscente patescit.
Descendit uisurus eos, quos miserat illuc
Qui laticum quæsitor erat: descendere Petrus
Dicitur, ad plebem ueniens, gentemq; nouellam,
Quæ necdũ cognorat aquam. pars mersa profectò
Sacro fonte carens, cuius uia ducit euntes (est
Ad patriæ melioris opem: qua pergere cessans
Non intrat quò uita uocat. comitantibus ijsdem
Cornelij properat cœlestia regna daturus
Sanctificare domum. genibus quem poplite flexo
Non sinit aduolui, gratis dare munera suetus
Arcet honoris opus. caput hinc nouus erigit orbis,
Qui percussus eras antiqui dente parentis,
Natalemq; tibi fons reddidit, edite rursus
Ne preme colla tuis alienis libera culpis.
Vt primùm fari sublimia dogmata Petrus
Cœpit, & æterni mysteria pandere Christi,
Magnanimi stupuere uiri, uocemq; sequentes A
Inuenere uiam. quid non credentibus offert
Indubitata fides? cui nunquam munera tardant,
Nec faciunt diuina moram. mox spiritus almus
Indulgens uarias opulento munere linguas,
Compleuit sine more domum. baptisma frequentat
Petrus, ut ablutos flammis purgaret in undis.
Exemplo caret iste locus, quo spiritus almus
Præuênit, quas sanxit aquas. qui talia semper
Addere dona solet, solisq; ex fonte renatis
Imposita properare manu. gerit ista uicissim,
Ne quisquam putet esse suum, meritisq; uenire,
Quod uariat, qui sponte parat. nam spiritus almus
Nescia mensuræ fert præmia, plusq; ministrans
Quam sperantis erat, præcedit gratia uotum.
Peruenit hinc abiens sublimẽ Petrus in urbem,
Quæ retinet uexilla crucis. plebs cuncta requirit
Gentibus unde salus, aperit quibus omnia doctor,
Subiungensq; monet, nunquam fas esse negari
Quæ ueniunt bonitate Dei. sententia uoce
Digna pij monstrare palàm custodis amorem,
Vt uelit ad cunctos cœlestia regna patere,
Qui tenet has sine fine fores. quid turba querelis
Gaudia nostra teris? non sunt noua munera Petro B
Tot uicibus signata prius, cùm nominis almi
Huic Christus dat laude frui, quem iura locauit
Ecclesiæ portare suæ: cum littore naues
Prospiciens astare duas, præcepta ministrans
In Petri uult puppe uehi. synagoga profectò
Sicca remansit humi, postquam doctrina magistri
Ecclesiæ dedit alta sequi. stat perfida terris
Iam pelago currente fide, sua quippe figura
Hæsit utriq; rati. Ioseph Iudæa uocabat
Hunc natum, cui Petrus ait: tu Christe probaris
Filius esse Dei. pars hæc defigitur aruis,
Quæ cecidit terrena sequens: processit in altum
Quæ creuit diuina loquens, cum pisce sine ullo
In tenebris captura fuit, iam tempore lucis.
Lux quia Christus adest, spoliat uada salsa dracõis,
Vt cunctos ad littus agant sacra retia fontis,
Et de cærulei rapiantur fauce profundi.
Nam mare mundus erat, cuius de gurgite Petrus
Humida lina trahens, uerbo piscante carinas
Compleuit maiore sinu. quia turba duobus
E populis uentura foret, gentesq; leuauit
Tunc famulante salo, plenaq; in puppe fatetur,
Ecclesiam

A Eccleſiam cuius placida ſtatione recondit,
Quod Domini ſermone capit, qui dixerat antè
Eſſe alias quas quærat oues. has nempe parabat,
Quas nunc ritè uocat. per quas clementia Petri
Congregat æthereis humana peculia ſeptis.
Non deerit ſua fama locis: Petrus omnia prendens,
Bethſaida ſatus urbe fuit. quæ nomine Ebræo
Venatorum eſt dicta domus: quia uerus ab illa
Eccleſiæ uenator adeſt, qui cuncta peragrans
Cinxit, & ad fidei collegit retia gentes?
Clauditur obſcuro. ſed non ſine lumine, Petrus
Carcere, nec poſſunt tenebræ caligine furua
Eccleſiæ cælare diem. commune per omnes
Supplicium timor ille facit. cuſtodia Petri
Publica pœna fuit. proprium ſed paſtor ouile
Seruato cuſtode regit, quem ditat honore.
Ter dominum confeſſus amor, de nomine petræ
Nomen Petrus habens, æterna uocabula portat,
Fundamenta gerens nunquam paſſura ruinam.
Expectate tuis, cunctoq; in tempore charus
Et nobis iam Petre ueni, ſimul omnibus exi,
Quos ſtimulat natura prior. iã nocte profunda
Angelus aſtra ferens, ergaſtula candidus intrat,
B Se comitante die. cœli ueniente miniſtro
Carceris umbra fugit, pulſæ periere tenebræ:
Lucifero radiante nouo color exulat ater,
Et mutata uident nocturna crepuſcula ſolem,
Cuſtodum uallante manu inter uincula Petro
Corpore ſomnus erat. ſed cùm uigilaret in illo
Quæ neſcit dormire fides, hoc Cantica clamant;
Dormio corde uigil. læti documenta figuræ
Diſcite, qui liquido meruiſtis fonte renaſci:
Et quæ forma manet ſacrato in corpore Petri,
Cernite corde pio, docet hanc uirtutis apertæ
Angelus ipſe uiam: tangens, latus impulit, in qua
Eccleſiæ ſtat parte caput, qua nuncius ortam
Nouerat, inde leuat. lateri ſubnexuit arcæ
Oſtia ſancta Noë. clauſis animalibus hinc eſt
Diluuio uaſtante ſalus, producitur Eua
Dormitante uiro, lateris generata propago
Nomen habens uitæ: ſi nunquam culpa fuiſſet,
Sic manſura magis. Chriſtus pòſt myſticus Adam
Dignatus dare mẽbra cruci, atq; in carne perẽpta
Morte premi, qua uita redit: noua dona liquoris
Per lateris ſacrauit iter. nunc angelus illa
Petrum parte uocat, mens credat ut omnis in ipſo
Eccleſiæ conſtare decus, teneatq; ſuperno
Aſſertore fidem, quo calceamenta mouente
Hi meruere pedes, tetigit quos dextra magiſtri.
Quæ totum mundauit aquis, gradientibus illis
Concluſæ ceſſere fores. Putat omnia ſomno
Ludificante geri, cui præmia uera parauit
Maieſtas ignara doli. iam ferrea clauſtris
Porta patet, rigidi laxant ſua uincula poſtes.
Gentibus abſcindens duræ feritatis acumen,
Aſpera cuncta domat, ne ianua fixa uetaret
Orbis iter, quo curſus erit. dic gloria rerum,
Ferrea quid mirum ſic cedunt oſtia Petro,
Quem Deus ætheræ cuſtodem deputat aulæ?
Eccleſiæq; ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare iubet? mox liber ab hoſte
Diuinum celebrauit opus, quem prima puella
A tenebris remeare probat, quia gratia Chriſti
Rem dedit eſſe parem. uiſus adit ipſe reſurgens
Fœmineos, loquitur redeuntis gloria carnis,
Ad ſexũ quem mater habet: patet hinc quoq; uatẽ
Eccleſiam ſenſiſſe ſuum, quæ gaudia portet
In cunctum diffuſa gregem. quis talia fando
Explicet, aut uerbis attollat pondera rerum?
Maximus ille pauor, gelidos qui ſtrinxerat artus,
Lætitiæ menſura fuit. manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & ſideris obtinet inſtar,
Corpore quod Petrus ſacrauit, & angelus ore,
His ſolidata fides. his eſt tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus. harum circundata nexu
Libera ſemper eris. quid enim nõ uincula præſtẽt,
Quæ tetigit qui cuncta poteſt abſoluere? cuius
Hæc inuicta manu, uel relligioſa triumpho
Mœnia, non ullo penitus quatientur ab hoſte:
Claudit iter bellis, qui portam pandit in aſtris.

LIBER SECVNDVS.

SPiritus accenſam uerbo radiante lucernam
Sub modio lucere uetans: ſecernite Saulum,
Dixit, in oris opus. quem mox ſacrauit euntem
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo magiſtri
Omnia poſſe dedit: Cyprum, Salaminaq; linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, ſacrilegæ manſiſſe libidinis antrum,
Aligeroſq; uagos ſtudio coluiſſe procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia maior
Ad delicta uenit. culpas huic poſſe remitti
Exemplum iam Paulus erat. quàm ſplendida laudũ

Materia est adiecta uiro, primordia casta
In luxus regione serit, fructusq́; pudicos
Multiplicat lasciuus ager. cui nescia posthæc
Difficilisq́; foret, cùm sic uideatur honestas
De turpi cœpisse loco, pars ne 'qua uacaret
A' meritis ieiuna: tamen molitur iniquus
Eloquio certare magus. contraria semper
Virtuti fecere uiam. iaculata retorquens
Ecclesiæ bellator ait: Fallacia monstrat
Quo pereas genitore satus, confinia mortis
In tenebris patiere tuis, neq; cernere solem
Tempus adusq; datur, rerumq́; attendere formas,
Artificem quibus esse negas. tunc nubila uultum
Cœruleis fixere notis, & pèctoris atri
Vênit in ora color. quærit iam calle negato
Quo duce tutus erat, cuius pede greßibus instet.
Quis tribuat miseratus opem, uacuasq́; per auras
Erroris palpauit iter. Procunsule Paulus
Mox didicit lucere fidem, cui caussa uidendi
Nox aliena fuit. non sunt noua Paule *salutis*
Obsequia, & tenebris lucem bene surgere nosti.
Omnia secretam referant documenta figuram,.
Si libeat uigili pulsare latentia sensu.
Iure docens Paulus, *miracula condere cœpit,.*
Ex oculis iubar undè sui micat altius oris,.
Amisso crescente die. sic nuper iniquum
Subdere dignus erat, tenebrisq́; fatentibus hostem
Vincere, qui cæcus meruit sine fine uidere.
Antiochi dictam de nomine uisitat urbem
Paulus, *& extēplo properat dare uerba cateruis,*
Quas synagoga tenet, dextraq́; silentia mandans:
Nostis, ait, patribus tellus Aegyptia *nostris*
Qua posuit feritate iugum, crudelibus aruis
Quos rapuit per signa Deus. *quibus omnia cedens,*
Mutauit natura uices, cùm uirga sudauit
Terga maris, fluctusq́; suis stetit exul ab oris,
Puluereo de calle placens, pontiq́; facultas
Obsequio est subiecta pedum, redeunte profundo,
Naufragium factura reis: quæ uertere iussa
Per uarios sua iura modos, his strauit arenas,
His cumulauit aquas iustis uia, fontibus unda,.
Cùm percussa silex uenis spumauit apertis,.
Aequoreos enixa lacus, de uertice sicco.
Flumineum largita uadum. non pristina morem:
Geßit origo suum, ueterem nec præbuit usum,.
Dona nouella gerens, quam lex æterna coëgit,.
Non innata sequi, disiunctaq́; semina monstrant A
Posse dari de rore dapes, de caute liquores.
Nam ne pauca pijs fluerent miracula caußis,
Saxa uomunt latices, et inundant nubila panes,
Aeriusq́; liquor solidis induruit escis.
Quæq́; diu uacuas tenuerunt agmina fauces,
Frugiferis saturantur aquis, nimbiq́; coloni
Dant epulas, pluuiamq́; uorant, et mãditur imber.
Sic inuicta manus, sic gratia plena creantis
Scit querulos nutrire greges, & ponere sacros
In patria meliore choros, ut uentris amœni
Fructus ad æternæ florescat semina uitæ.
Dauidica nam stirpe satus genitrice Maria
Christus adest, quem tota canunt oracula uatum
Venturum sub carne Deum, *seseq́; creantem*
Virgineos intrare sinus. euoluite quicquid
Sabbata uestra tegunt, typicæ documenta figuræ
Perspicit is fulgere sacri præsepibus agni,
Cuius ab igne senes hauserunt dicta prophetæ:
Et dedit antè loqui, quod cœpit postea nasci.
Clamauit uirtute potens baptista Ioannes:
Non ego sum, post me ueniet, cui tangere non sum
Calceamenta pedum dignus neq; soluere summa,
Quæ ligat excelsas humilis corrigia plantas. B
Quàm bene uox Pauli *cecinit, præcepta lauacri*
Permiscens antiqua nouis, nec epistola cessat
Hæc iterare docens: patres baptismate nostri
In rubro fulsere freto, sub nomine Mosi
Per legem, cùm petra simul sequeretur euntes.
Nã petra Christus *erat. quid adhuc gẽs surda requi-*
In libris sonat ecce tuis, ne credere tardes. (ris?
Consule signa maris, quæ mystica dona susurrant
Temporibus uentura crucis, cùm sanguine Iesus
Tinxit aquas, laterisq́; uno de uulnere fluxit,
Quod uitæ tria dona daret: rubor æquoris ille
Caussa futura fuit. sic conditor abluit omnes,
Sic emit, hic precij color est in gurgite ponti,
Apparentq́; uado miracula debita ligno.
Sæpius obscuris radios infundere feruens
Mẽtibus, hæc rursum memorauit in ordine Paulus,
Postquam signa Dei *carnis uestitus amictu*
Christus ubiq; dedit, faciens manifesta, quòd orbi
Venerit ipse salus, stimulis agitata furoris
Impia turba fremens, petit hunc ab iure Pilati
Suspendi, figiq́; cruci terrena propago
Vota quod optanti non possent omnia ferre
Sponte

A Sponte ſalutiferi ceſſerunt munera Chriſti,
Qui libertatis precium tibi uênit ab aſtris,
Perdita reſtituens, tumulisq́; iacentia tollens.
Reſpice, quàm proprio maneas obnoxia regi.
Ne pereas, uult ipſe mori. poſt triſtia facta
Quinetiam cuſtode dato, ſignare ſepulcrum
Ad geminum uoluere nefas, dominoq́; paratam
Surgendi damnare uiam. Proh cæca uoluntas,
Quæ putat æternum mortali lege teneri,
Et non poſſe ſibi poſt funera reddere membra,
Qui toties aliena leuat. meminiſtis ab ore
Dauidicæ reſonare lyræ: corrupta uetabis
Sanctum noſſe tuum. poterat'ne in puluere lethi
Ferre moras, qui uita manet? quem ſuſcitat auctor,
Nil patiens de morte Deus. mors deniq; uicta eſt,
Vincendi tranſgreſſa modum, quæ iudice tacto,
Linquere iuſſa reos, ſpolijs uacuata uetuſtis,
Per ſua bella cadit, ueniensq́; abſoluere uinctos,
Non retinendus erat. ſors ultima cœpit auerni
Iam uita præſente mori, quæq; omnia ſubdens
Antè fuit, tunc ipſa perit, triduoq́; peracto
Lucis iter quod fecit adit, quò tota reſurgit
In domino natura ſuo, de lege uidetis
B Laxari non poſſe neces. hunc quærite, cuius
Sanguine mundati regno ſociamur herili,
In cuius iam parte ſumus, ſub pignore carnis
Quam uoluit portare Deus. tũc dogmata quoſdam
Eccleſiæ dant iſta uiros, uetuere loquelas
Vlterius proferre pias. ô ſemper inanis,
O ſterilis Iudæa tibi, quæ ſemina uitas,
Ne fructus afferre queas. quibus ore magiſtri
Paulus ait: uos iſta quidem uos noſſe deceret,
Aſt alijs hoc lumen erit. nam ſcripta fatentur:
Lumen in extremis poſuit te gentibus eſſe.
Gentiles ſtupuere globi, fontemq́; ſequuti
Sumere promiſſæ cupiunt nouitatis honorem,
Et lympha genitrice ſati meruere renaſci.
Compellor ratione loci pro munere tanto
Hiſtoriæ pulſare fidem, quæ prodidit olim
Cùm populos gentesq́; duas in uentre Rebecca
Ferret, & anguſtis includeret agmina muris,
Conſuleretq́; rogans oranti corde Tonantem,
Reſponſum meruiſſe Dei: prior, inquit, in iſtis
Inferior breuiorq́; manet, maiorq́; minori
Seruiet, & iuuenis palmæ potietur honore.
Quicquid in hoc utero fœcunda puerpera geßit
Eccleſiæ conceptus habet, formamq́; ſequentem
Gentilis concurſus agit, qui creſcit in aluo
In qua uictor erit: quod iam meminiſſe neceſſe eſt,
Et ſtudijs celebrare bonis: famulemur ut illi,
Cuius ab affectu nos contigit antè uocari,
Quàm naſci, qui dona prius quàm tēpora præſtat.
Iamq́; Lycaonios incedens paßibus agros,
Lyſtram Paulus adit: fuit hac tunc claudus in urbe
Supplicio comitante ſatus, ueſtigia ferre
Neſcius ex utero, membris pars cœperat ægri
Se naſcente mori, comperto dogmate Pauli.
Quo monitore piæ tendunt ad ſidera mentes,
Mox uoluit diuina ſequi. bene claude iacebas,
Has primùm graditure uias: petis æthera mente,
Cùm necdum mouearis humo, pedibusq́; negatis
Longius ire uales. Paulus ſpeculatus in imo
Pectore quid cuperet, claudiq́; fidelis amorem
In uerbo iam ſtare Dei, ſic clarius inquit:
Surge citus, rectusq́; tuis imponere plantis.
Exequitur præcepta ſalus, & calle nouello
Progreditur perſona uetus, motuq́; frequenti
Pulſat ubiq; ſolum, perq́; omnia currere tentans,
Sæpe timet quod neſcit iter, modò greßibus ortus
Annoſo languore ſenex. quod ut agmina cernunt,
Exclamant, diuumq́; uocant, ac ſerta miniſtrant,
Et mactanda feri procedit uictima tauri.
Paulus ad hæc tunicam rumpit feſtinus, aperta
Sic prohibens ratione uiros: ſolennia nobis
Cur precor iſta datis, fragili quos corpore conſtat
Terrena ſub lege premi? fuit impius olim
Relligionis honor, cùm numina fuſa metallis
Artifices timuere ſui, cùm templa dicarent
Abſcißis de rupe deis, tunc forte libebat
Innocuos mactare greges, fibrasq́; tepentes
Conſulere, & uocem pecudis morientis in extis
Quærere: nunc libeat uanis ceſſantibus aris
Aeterno parêre Deo, qui ſemina uitæ
Præbuit, & uarijs prouentibus arua locauit:
Cuius ab imperio plenis conſurgit ariſtis
De grano moriente ſeges, palmesq́; reciſus
Vulnere conceptas fœcundius educat uuas.
Quo moderante polum ſuccedunt ſolibus imbres,
Tempora temporibus: quæ cùm fugitiua recurrunt
Poſt ſua terga, uagi conſtantia permanet anni.
Diſcite iam uerum ſacra de uirgine natum,
In terris celebrare Deum: nec uota feratis

Lanigero damnosa gregi, quos liberat agnus
Vnicus, ablutum qui sanguine comparat orbem.
His dictis instructa fides: sed corporis usus
In geminum processit opus, duplicemq; figuram
Personat una salus, toto quòd in æquore mundi
Ecclesiæ, duo sunt populi, per uerba duorum,
Cui plenas captura duas facit esse carinas.
Nanq; hæc humano generi collata uicissim
Claudorum docuere pedes, quibus astat imago
Singula quæq; regens, populo communis utriq;.
Quem Petrus antiquis tribuit consurgere plantis,
Ad portam uicinus erat. gens uênit ab illo
Circuncisa loco, psalmi, lex, atq; prophetæ,
Qui Christi cecinere diem: quem Paulus ab aruis
Erigit, ad templi nunquam consederat ædes,
Longinqua tellure iacens, quia gentibus orsus
Cœpit ab ore pio solidæ uestigia mentis,
In turbas proferre rudes, populoq; mederi,
Quem latuit uox prisca Dei. sic claudus uterq;
Cùm properat, genus omne leuat, gentisq; salutem
Personæ signauit iter, quæ gloria rerum
Contulit, ut Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentis manet architectus in illis.
Vt tamē auctoris memoremus ad omnia laudes,
Hi duo sunt cæci, properantibus undiq; turbis
Qui Domino dixere simul: fili optime Dauid
Da tenebras exire graues, da cernere lucem,
Quam nescimus adhuc. subitum tunc illa medelæ
Semper amica manus iubar intulit, atq; reliquit
Nox oculos, exulq; dies illuminat orbes,
Expauitq; redux inopina crepuscula uisus.
Hos populos liquet esse duos, quos noxia uenæ
Cæcauit naturæ suæ, clementia Iesu
Tunc celebrauit iter, cùm tempora carnis habere
Se uoluit, de luce nouat purgatq; figuram
Quam delicta dabant, moxq; integra fulsit imago
Quæ meruit sentire Deum. pars iuncta cerebro
Maxima sunt oculi, creat hos in munere Christus,
Qui caput & splendor rerū est. pars omnibus ima
Sunt in fine pedes, hos sonat in aggere cura
Vocis Apostolicæ: quomodo speciosa uocantur,
Quæ pacem cunctis portant uestigia terris,
Exortum est lumen tenebris per dona magistri.
Hi statuunt gressus, quibus est sors tradita uerbi,
Vt uigeat medicina sequens bonitate prioris,
Paulatimq; salus in totum transeat orbem.

Iam rabidas hominum Paulus superauerat iras A
Velificante fide, subitas uomuere procellas
Iudaica de nube doli, non primitus ulli
Posse lauacra dari, quàm circuncisio carnis
Accedat de lege Dei. gens dura quid ultra
Ad lapides ferrumq; uocas? hoc umbra figuræ.
Non species mensura fuit. simulata relinque,
Quæ iam certa uides, Christi processit ab ore
Vita manens, omnesq; iubet de fonte renasci
Qui ueniunt. cur mēbra secent, partemq; resoluāt,
Cùm totum saluare queant? ne quære uetusto
More premi nouitatis opem, deflexaq; retro
Lumina constitui, postquàm uia rectior omnes
Dirigit, & cæsis illustrat sentibus orbem.
Lite sub ambigua Paulus loca tendit ad urbis,
Cui radiant monumenta crucis, sanctosq; reuisit
Iuris apostolici proceres, quibus omnia præsens
Quæ sint gesta refert. Petrus, cui maxima cura est,
Commissos augere greges, ad pascua cunctos
Se duce læta uocans, has explicat ore loquelas:
Cernitis æternum seclis memorata uetustis,
Quæ populo docili cecinerunt ore prophetæ,
In nobis complesse Deum: qui maluit emptor
Omnibus esse salus, nullum discernere passus B
In precio quo uita redit, mihi iussit apertam
Gentibus hanc monstrare uiam. quid uota morari
Tardariq; iuuat, quid'ue hæc ænigmata prodest
Misceri cum luce noua? quos gratia purgat.
Vt ueniant lex nulla uetat, cœlestis amoris
Materia est festina fides. hanc Christus adoptat,
Hanc facit esse suam, qua quisq; merebitur uti,
Circuncisus adest, & iure renascitur undis.
Pastorem statuere sequi, placet ergo ministris
Ire simul, scriptisq; pijs absoluere gentes,
Hoc illis non stare iugum: tamen esse cauendum
Ne simulacra colant, quorum libamina semper
Execranda forent: ne suffocata cruore
Quæ maculantur edant. ne sæuior hoste libido
Hos impura premat, quos lux baptismate mūdat.
Clarius ut liqueant huius documenta figuræ.
Et progressa prius cur iam discedat imago,
Principiū meminisse iuuat. Deus inquit Abraham,
Vt testamentum tibi nunc soboliq; perenne
Constituas in carne meum, præputia ferro
Circuncide libens, & fœdera necte superna.
Secretam scrutemur opem, uideamus in isto.

A Vulnere pacta Dei, quæ testamenta recondit
Præscius, ut terris consortia iungat Olympi,
Quæ didicit iurare puer, qui primus ad undam
Repperit ecclesiæ currentem fonte Rebeccam.
Corporis ille locus quo circunciditur Abram,
Luxuriam lasciuus habet, uitijq; minister
Naturæ sub lege iacet. pater ipse futurus
Seminis, unde salus ad uitam pullulat orbis,
Euacuat quod culpa grauat, truncata libido
Virgineum promittit opus. hæc nanq; propago
Diuinum concepit iter: hinc sacra Maria est
Ad partum generata nouum. quæ coniugis expers
Mater inest, natusq; Dei de uirginis aluo
Emicat, atq; hominem mediator in omnia cōplet,
Hinc terrena leuans, illinc cœlestia præstans.
Præterit ergo uetus Christo nascente figura,
Hæc facies ius omne nouat, cultroq; fugato,
Spiritus ardescens cor circuncidit in undis:
Qui sanantur aquis, ne figant uulnera membris.
Nescius interea curis laxare quietem,
Paulus in orbe docet, uerbiq; ligonibus omnes
Excolit, & fidei cogit flauescere messem,
Errorum fugiente gelu. quem spiritus almus
B Hæc Asiæ proferre uetat: nec Mysia quiuit
Diues agris huius tunc semina ferre salutis,
Fœcundo ieiuna solo. uir quippe Macedo
In somnis hæc uisus ait: miserere precamur,
Illyricos dignare sinus. ô gratia quantum
Improuisa parat, subito inflammantur amore
Qui positum iam tempus habent. sic nocte fugata
Doctiloquus conuertit iter, fructuq; loquelæ
Vescitur esuriens Macedonia, perq; soporis
Dona salutiferam meruit comprendere linguam.
Quæstio crebra sonat, quia plenus munere largo
Prædicat omnipotens, non ueni perdere mundum
Sed saluare magis: faciat quæ caussa negari
Hæc alijs, alijsq; dari? cum prodiga Iesu
In commune uelit pietas succurrere cunctis.
Suppetit affatim exemplorum copia, nosq;
Lectio multiplicem docet hac in parte figuram.
De qua pauca canam, Luca narrante, relatu:
E populo quidam Christo comes ire rogabat,
Quem secum prodire uetat. qui deinde tacentem
Sponte uocat, nouit mundans interna magister
Quæ uerbum iam corda ferāt, quos obstruat intus
Error iniquus adhuc, ut tunc doctrina ministret.
Officium, cum tuta uenit, ne sancta quod inquit
Incipiant uiolare canes, cœnoq; grauati
In margaritas uertant contagia porci.
Altera res etiam superest in carmine dura,
Sed quibus ex ueteri patuerunt omnia fonte,
Ore datas tenui facile est aduertere guttas.
Exodus ille liber memorat uelamina sacri
Pontificis, qua nempe queat splendescere ueste,
Officijq; habitum nitido componere cultu,
Qui segmentatus medijs altaribus astat.
Quas inter species parili numerantur amictu
In femore exuuiæ, quibus indumenta pudori
Progrediens ad templa locet, studeatq; sacerdos
Renibus obstrictis mysteria castus adire.
Quod statuit lex prisca magis, deuinctaq; iussit
Tunc hæc membra tegi, quæ possidet atra libido,
Cum properat libare Deo. laxata relinquens
Coniugio post sacra tamen, ne parcior usus
Ad sobolis non staret opus, sterilisq; marito
Connubij frigeret amor. cum certa propago
Hoc solenne gerens, nullos admitteret unquam
Externa de stirpe uiros, ubi nomine prisco
Ex adytis perdurat honor, prolesq; per æuum
Sanctificanda redit, uicibus supplenda creandi.
Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos
Pontifices iubet esse suos, & quærit in omni — Pontifices hoc est sacrificij ἄγαμοι.
Cauta tribu quos rite probet. nec sanguinis iste,
Sed meriti successus erit: tamen illa figura
Qua sine nulla uetus subsistit littera demum,
Hac melius nouitate manet, uariatq; recurrens
Alterna ratione uices, ne forte sacerdos
Tunc generare uelit, cum necdum mente capaces
Cernit adesse greges, cumq; instat nobilis ardor
Discendiq; fames, ut apertius ora resoluat,
Ne quisquam ieiunus eat. nam semine uerbi
Prolem posse dari, Paulus quoq; sæpius inquit:
Filioli dicendo mei. iuuat ergo parumper
Eloquium genitale premi, studiumq; docentem
Dispensare suum, laxans pro tempore uires
Ingenij, strictasq; ferens, ne fusa profani
Conculcata terant, mundatis sancta reseruans.
Fas uetat inde queri, culpis hoc imputat Adæ
Venæ pœna suæ. quid enim rea fauce parentum
Progenies sibi iure petat, sator ille benignus
Ni donare uelit, quicquid temerarius error
Corrupto natale tulit: uia sola salutis,

Affectus parcentis erit,miseratio semper
Conditione caret. præstans indebita Christus
His pius accelerat,iustusq; his munera tardat.
In Macedûm terris cùm mœnia nota Philippi
Doctoris celebraret iter,bacchata puella
Sub stimulo Pythonis ait:Paulum esse ministrum
Aeterni scitote Dei.professio uera
Mendaci de teste sonat,uocemq; fidelem
Perfidus auctor habet:sed non defertur honori,
Quod cogit formido loqui,nec mente cohæret,
Nudus amore timor.Paulus miseratus ab atro
Dæmone corda premi,nolensq; licere profano
Diuinas aperire uias:fuge,dixit,& ista
Vlterius tentare caue.nil iussa moratus
Hostis abest,uacuamq; domum possessor iniquus
Deserit,ac profugo mulier sanata periclo
Conticuit de laude uiri,quæ cœpta peregit:
Plusq; tacens hoc esse docet,de munere uulgi
Hæc quæstum faciebat heris, quos turbidus implet
Quo caret illa furor,populiq; procacis in aure
Seditione fremunt,Romanis obuia sacris
Sacra dari,ritusq; nouos exire per orbem,
Et ueteres cecidisse deos. tunc agmina raptim
Fustibus innumeris eliso corpore Pauli
Conueniunt,ubi carcer erat, quem sedibus imis
Includunt comitante Sila. uestigia quorum
Ligno mersa cauo uinclis tenuere beatis.
O felix de clade locus,cui clara resulgent
Lumina pro tenebris, in quo dedit esse perennem
Nox antiqua diem,niueam translatus in aulam
Ecclesiæ,cunctisq; ferens modò dona salutis.
Quàm bene carcer erat,tota concurritur urbe
Qui primus noua tecta petat, quiúe oscula figat
Postibus, & tacta sacretur parte cylindri.
Iam nocturna quies per corpora serpere fessa
Cœperat, exiluit tellus minitata ruinam
Visceribus concussa suis, & claustra relaxans
Mota uagatur humus, seruitq; canentibus hymnū
Tempestas famulata soli.proh quanta patescis
A nullo superanda fides:ueniente periclo
Pœna fugit,geminoq; metu discrimina crescunt,
Vt perdant tormenta locum,tremefactus ab alto
Excutiens sua membra toro,cùm libera custos
Cerneret antra necis,gladij mucrone retecto,
In iugulum uult ferre manum.sed non licet illi
Paulo teste mori, cuius solamine uitam
Repperit,atq; suo meruit de carcere solui, A
Descendensq; domum,sacris fomenta ministrat
Vulneribus,liquidamq; parat sibi redditus undam,
Cœlestem nacturus aquam.nam corda saluti
Figere Paulus amans,cunctos simul amne fluenti
Diluit,ætherei patuit cui luminis antè
Gratia,non perimi,creuit pòst uita renasci.
Blandiloquis olim capta est sermonibus Eua
Deceptura uirum:nunc improbus ora puellæ
Qui tunc dæmon agit,repetens ad crimina sexum.
De quo præda fuit,multis uentura canendo
Peccati conceptor erat.sed apostolus Adam
Iam melior,cœleste leuans in imagine signum,
Qui fuerat terrenus homo, nec certa recepit.
Nā fallit quod ab hoste uenit,metuamus ut omnes
Hoc audire nefas, nec corrumpamur amari
Melle doli,si uera canat,qui falsa ministrat.
Ingenijs claras & linguis Paulus Athenas
Ingreditur,tumidamq; feris conflictibus urbem
Eloquij torrente premit. quem turba profari
Doctisonis mirata modis:quibus,inquit,ab oris
Verborum uenit iste sator?plebs nescia Paulum
Semina ferre uocat,fruiturq; errore magistro
Vera loquens. nanq; hic facundus in orbe uiator B
Ambulat atq; colit,cuius labor omnibus instat,
Vt crescat diuinus ager,purgataq; fructum
Mens humana ferat,lolij ne sordeat herbis,
Quam segetes portare decet.manus æmula cogit
Ad proceres huc ire simul,quibus edidit astans:
Cecropidæ, quos fama canit sermone diserto
Gymnasijs uernare suis,ubi præsidet altus
Sacrilegæ nouitatis amor,uos cernimus aram
Ignoto posuisse Deo, qui condidit astra,
Qui pelagus terrasq; dedit,quem uita parentem,
Vt moueamur,habet:cuius spiramus ab igne,
Cuius imago sumus,de quo cecinere poëtæ,
Hinc hominū constare genus:quem prædico,cūcta
Sanxit ab ore suo. cur hæc diuina uocatis,
Quæ facitis,uacuoq; metu cœleste putatis
Auxilium,quod gignit humus.natura metalli
Visceribus latet ima soli,quibus eruta sumit
Ingenij fabricantis opus,seu numina templis
Hinc ueniant,seu uasa focis: sibi caussa timoris
Ars,operata deos.dominum super omnia fusum
Claudere nemo potest,paruisq; arctare figuris.
Quod capitur,minus est spacio capientis.in auro
Materia

A Materia eſt:opifex rerum non ſuſtinet uſum,
Quem ſimulant, quos ipſe creat: quàm dura luetis
Crimina,quàm ſtultam ſeſe ſapientia ueſtra
Iudicij eſt ſenſura die,cum corpora Chriſtus
Surgere cuncta iubet,tormentaq́; fine carebunt.
Vtq́; reos cruciet,ſeruat quos deuorat ignis.
Sic caro iuncta Deo carnales expiat actus,
Et commiſſa ſibi coram hac examinat ultor
Qua uoluit moriente pati,quam funeris expers
Viuificare uolens,poſt tartara reddidit aſtris,
Hæc multos ad dona uocant,Dionyſius ipſe
Primus in arce loci noua præmia iungit honori,
Complexusq́; fidem,ſic incipit eſſe ſophiſta:
O'lupe Paule rapax,dedit hoc benedictio Iacob
Nomen habere tibi.quid iam remanebit in orbe
Quod non ore trahas,poſtquam ſolertia Graia
Ceßit,& inuictas doctrina uincis Athenas?
Cur Epicuræus,uel Stoicus impia ſoli
Bella cient?reſerare opus eſt,quo nomine multi
Sectarum coiere greges,uitam ambo beatam
Elegere ſequi.quam corpore diligit alter,
Hic animi uirtute colit.dat & actio Pauli
Ad uitæ præcepta uiam.ſic themate iuncto
B Hi magis alternis ſoluerunt uocibus ora,
Corporis atq; animæ commiſſus partibus extat
Plenus homo,ſed nunc ſtudijs diuerſa ſequentes
Ambo uolunt quod neuter habet. uas lumine plenũ
Subdit utrunq; Deo,uideo clamans caro menti
Quàm ſit iniqua meæ,rurſusq́; ſalubriter infit,
Non propria de parte geri quod gratia donat.
Hoc celebremus iter, uita eſt, quia Chriſtus et ipſe
Se uocat eſſe uiam,per ſe gradiamur ut ad ſe:
Sanctaq́; ne pedibus poßit ceſſare lucerna,
Præco datus fidei ueſtigia ſuggerit orbi.
Attica diſcedens iam liquerat agmina Paulus,
Eloquijs ſuperata pijs,bimarisq́; Corinthi
Mœnia iuncta petens,populoſam repperit urbem:
Quæ licet alterni contingeret æquoris undas,
Perpetuas ſitiebat aquas:ibi Ponticus ille
Aquila tunc præceptor erat,uir plurima laudis
Inſtrumenta gerens,cuius ſe Paulus amico
Contulit hoſpitio,ſociam dignatus adire
Artis amore domum.nam ſcenæ factor uterq;
Pollebant operis ſtudijs,& dogmate legis.
Chriſtus ait:nunc Paule doce,non obuiat ullus
Me comitante tibi.quæ ſit mihi mœnibus iſtis
Turba uides,inſiſte loquens,ego pectora firmo.
Iſta monent nullos unquam u demnere tardo
Poſſe queri,gratis quod dat clementia Chriſti.
Tecta ſub ambiguo lateat ne forte figura.
Qua dabitur ratione canam,de nomine ſæpe
Argumenta trahi,documentaq́; maxima gigni.
Scripturæ cecinere piæ.iuuat altius ergo
Quærere,qui Paulo charus coniungitur hoſpes,
Factus in arte comes,ſub cuius imagine cauſſæ
Sic uocitatus erat,qualiue decorus honore eſt,
Hac quoq; parte placens.aquilæ natura fidelis
Sponte gerit quod forma tenet.nam debilis æuo
Et declinatis ſenior iam uiſibus ales,
Flammiuomo ſub ſole iacet,pennasq́; grauatas
Eius in igne fouet,nocturnaq́; lumina pandit.
Atq; oculos radijs ardentibus ingerit ægros
Ad ueterem reditura diem.ſic dona caloris
Languida ſumit auis,cuius de fomite uires
Accipit,& priſci reparat diſpendia ſecli.
Cui ne ſola forent,quæ feruidus incutit æſtus
Per laticum purganda uadum. ter mergitur undis,
Et ſenium deponit aquis,iuuenemq́; decoris
Effigiem de fonte leuat.quis apertior actus
Relligionis erit?cum ueri lumine ſolis
Tangimur,antiqui contagia ſoluimus æui,
Accedente fide,lympha mox matre renati
Conſpicimur nouitate rudes.infantia rurſus
Fit recidiua ſeni,gemino manantibus ortu
Hic melior natalis adeſt.bene conſcius huius
Alitis exempli,quem ſpiritus egit opimam
In cithara uerſare manum:renouaberis,inquit,
More aquilæ,qua lege datur ſentire,probatis
Laude placere typi,quod firmant cantica iuſti.
Nec uacat ars Pauli ſocio celebrata ſub ipſo
Secreti uirtute boni.tentoria quippe
Fortia mobilibus fabricabat in aggere textis.
Longius hæc abiens peregrinus ubiq; uiator
Erigit,atq; hiemes ſolesq́; his pellibus arcet.
Nos quoq; per culpam prima de ſede repulſi,
Exilio mundi iacimur,uia reddita tandem
Qua patriæ repetamus iter.munimina nobis
In caſtris ſunt Paule tuis,ne criminis imbres
Tempeſtas mundana ferat,ſcelerumq́; uapores
Ignitus tentator agat.ſub tegmine tali
Tuta ſalus,nullum diſcriminis excipit ictum,
Nec proſtrata feri ſuccumbit uiribus hoſtis.

Myſtica ſigna duces præmitunt laudibus artis:
Piſces Petrus agens, homines capit, æquoris hoſpes
In ſacris perſiſtit aquis: habitacula Paulus
Dum terrena leuat, docet ut cœleſtia condat:
Factaq́; ſæpe manu, nunc conſtruit atria uerbo.
Vlteriora ſequens luſtratis finibus aruo,
Cõueniẽs Epheſum Paulus docet, atq; ibi quoſdã
Proſpiciens aſtare uiros, an ſpiritus almus
Venerit his, quæſitor ait? qui fonte Ioannis
Se dudum maduiſſe ferunt. nam nominis huius
Expertes hucuſq; trahi: quos flumine ſacro
Abluit, & ſanctus mox ſpiritus ora repleuit,
Verborumq́; dedit ſolitis uirtutibus imbrem.
Sæpius arma mouent iſta de parte profani,
Et bellare parant. quibus. ut contraria poſſim
Fundere tela loquens, tu nunc mihi largius ora
Spiritus alme riga, ſint ut tibi dogmata digna
Quæ dederis. tu uocis iter, tu ſemita linguæ,
Tu dicture ueni, qui per tua munera ſemper,
Quæ reddamus agis, doniq́; reſuſcipis uſum.
Nomine uenturi præcurſor in orbe Ioannes
Exhibuit baptiſma ſuum, Dominoq́; parauit
Ipſe uiam, memorans cunctis baptiſma futurum
Poſt aliud, quod iure datur, quod trina poteſtas
Illuſtrare ſolet. ſed quod magis eligit huius
Tangere Chriſtus aquas, formã facit omnibus ad ſe
Currere fonte pio, ſacram ne deſerat undam
Vlterius mortale genus, quam corpore mundo
Et dominus dignatus erat, cùm diluit amnem
Per famulum mergente Deo: iam flumine tacto
Diſcipulis hoc ceſſit opus, quos dogmata plures
Baptizaſſe canunt. ſerui ceſſare lauacrum,
Fas fuerat ueniente Deo, prænuncius ex quo
Dixerat iſta prius, quo fecit tempore Ieſus
Iam plenum baptiſma geri, uelut ante Ioannes
Inſolitum propriumq́; daret. quæ regula Paulum
Compulit, ut Chriſti deberent fonte renaſci:
Quem non uenturum, ſed iam ueniſſe Ioannes
Inſinuans, digito cœleſtem prodidit agnum,
Hunc peccata canens à cuncto tollere mundo.
Quid geminũ baptiſma cupis ſimulare profane?
Diſſona non iterat, repetitio rem tenet ipſam,
Non aliam, biſq́; illa foret, quæ primitus eſſe
Cœpit, & ipſa redit. nam cum diſcordet origo
Principij, fidiſq́; ſequens, & ſingula dici,
Et patet eſſe ſemel, nulloq́; errore grauantur,
Quæ collata ſimul poſſunt diuiſa probari. A
Cùm tamen hæretica nigredine plenus auerni
Polluitur quicunq; lacu, ſi lumen habere
Eccleſiæ uult forte piæ, non cogit ad undam
Noſtra fides hunc ire iterum. quia nomine trino
Dogmata praua trahũt: nec qui, ſed quid dare poſſint,
Explorare ſolet, poſitæ quem uera fateri
Inſtituere manus, ſolusq́; repellitur error
In diuerſa trahens, quod ſpiritus efficit unum.
Hos etiam bis ſex memorat ſcriptura fuiſſe.
O ſacer, ô felix numeri modus, agmine fuſo
Cùm meruere cibi damnorum ſemine naſci,
Iuris apoſtolici lata eſt tot gloria uaſis.
Iam ſermone potens Epheſi conuerterat urbem
Paulus, & æthereis fulgebat gloria ſignis,
Cumq́; per innumeros nutarent ſaucia morbos
Corpora, nec miſeros operata refecerit ægros
Artificum medicina manu, uelamina ſacra
Abſentes petiere ſibi, quibus affuit ardens
Vt caderet uapor ille fides, finemq́; calori
Altera flamma daret. ſemicinctia deniq; Pauli
Atq; allata palàm ſudaria, fuſa per artus
Languorum preſſere focos, membriſq́; repoſtæ
Ad nihilum fluxere lues. uigor omnia curans B
Tactus erat, nullæq́; domus à munere ceſſant
Quod medica de ueſte ferunt. uirtute ſub ipſa
Spirituum quoq; turba minax uelut irrita fumi
Pars per inane fugit, ne fabrica pulchra creantis,
Quæ plaſmata ſolo cœleſtis imaginis inſtar
Traxit, & auctoris ſpeciem pro pignore geſtat,
Hoſpite ſit polluta ſuo, templumq́; decôris
Inficiat prædonis odor. quo tempore ſeptem
Iudæa de ſtirpe uiri noua prælia tentant,
Sic prius affati: quem Paulus nomine Ieſum
Prædicat, hũc tibimet pariter proponimus & nos.
Peruaſum dimitte locum, uox reddita contra,
Chriſtus qui ſit, ait, qui Paulus, ſentio. nam uos
Ignotos uitare licet. cognoſce furorem
Gens inimica tuum. dæmon regnare fatetur,
Quem ueniſſe negas, atq; hoc conuinceris ipſo
Quo ſtimulante ruis, cui non datur ore placere,
Quod terrore mouet. contraria dicere uoto
Cauſſa Dei prohibet, quam lex comitatur amoris.
Hæc eſt uera fides. quæ tunc ſpectacula plebi
Quamùe triumphalẽ Domino uincente coronam
Contigit inde geri? rabido cùm murmure frendens
Dæmonis

A Dæmonis ira suis bene noxia rumpit amictus.
Dissecat & facies, fugiuntq; pericula uicti,
Nudaq; præcipiti conuertunt terga pauore.
Quid Iudæa ferox iam non de clade timebis?
Quæ socio sic hoste peris, cui criminis auctor
Punitorq; idem est, ne sit te iudice pulsus,
Qua simul est peccante reus. mox fama per urbem
Spargit ubiq; uolans, & dæmonis edere uocem,
Quod uirtus est summa Dei. concurrere gaudent
Et latices intrare pios, maculasq; uetustas
Fonte lauare nouo, sanctisq; nitescere lymphis.
E quibus una datur simul insons omnibus ætas.
Ast alij magicis ponunt incendia libris,
Vt mereantur aquas, & uitant ignibus ignes.
Ardua flamma nimis, cuius super aëra fulgor
Euolat, & cœlum tales petiere fauillæ.
Quinquaginta etiam precium posuere libellis
Millia nummorum, quoniam meruere nocentes
Sic abolere nefas, huius hæc caussa figuræ est.
Lege sacer numerus delicta resoluit, ut olim
Diluit in toto Dauid sua crimina psalmo,
Contractusq; fugat. nam quinquagesimus annus
Cum Iubileus adest, proprij distractio ruris
B Antiquo donatur hero: seruire coactis
Libertas amissa redit: mala debita laxat
Creditor, & lumen patriæ uetus aspicit exul.
Quinquaginta etiam cubitis distenditur arca,
Quæ depressa uadis, atq; æquore tuta salutem
Sub numero pietatis agit, seruataq; crescit
Per spacij parcentis opem. quia Christus ubiq;
Condidit ecclesiam uenia fabricante capacem,
Quæ sic cœpta fretis latissima funditur aruis.
Infelix Ephesi Demetrius arte locabat
Sacrilegis delubra locis argentea, suetus
Soluere uota suæ precio maiore Dianæ,
Cedere cuncta uidens prisci monumenta furoris
Ingemit, & uarias his uocibus excitat iras:
Non pudet ô socij, nostrum cecidisse Dianam,
Quam mundi suspexit honor? mortalibus ultra
Quæ speranda salus, si non per secula possunt
Fine carere dij? quæ nunc simulacra sacellis,
Quæ poterũt dare thura focis? quos aduena Paulus
Territat: & quicquid gerimus pro nomine Diuæ,
Muta metalla uocat, quorum discedit ab orbe
Relligio, pulsiq; fugam petiere penates.
Hei mihi, iam uideo subitis lapsura ruinis
Condita fana diu. templi quoq; nobilis ædem
In cineres stragemq; dari. quã prændimus arcem,
Quamue tenemus opẽ? quibus interclusa facultas
Est operum, crimenq; foret fecisse Dianam.
Pergite tempus adest, labor ultimus omnia secum,
Si desperat, habet. sola est uia uincere uictis,
Formidare nihil, restat sors certa triumphi
Pro superis mouisse manus: insurgite telis,
Et quã uota deam celebrant, hanc arma reposcant.
His dictis plebs mota fremit, magnamq; Dianam
Communi clamore uocant, ac præpete cursu
Itur in obscœnum cum seditione theatrum.
Non alio, decuit meritum caussasq; Dianæ,
Quam fœdo tractare foro capit area turpis
Concilij deformis opus, tamen impetus amens
Fluxit, ut in uacuas oculis qui labitur auras,
Nullaq; dispersus retinet uestigia funus.
O miseranda manus, cui tu prodesse laboras,
Perpetuam cur esse putas? te teste sacellis
Eruitur fugitiua suis, quo iure pauescis,
Qua pereunte doles? cœloq; adiungere tentas,
Quam terris remanere negas. nunc ordo figuræ
Explorandus erit, latebrisq; uidendus apertis.
Dicitur è solo Demetrius atria demens
Argento posuisse deæ, cùm plura capaci
Protulerit natura sinu, quibus ista metallis
Fingeret, ut fusis animẽtur uultibus æra,
Ingenijq; manus promittunt uiuere cautes.
Quod si sanctiloquos uoluamus ab ordine libros,
Inueniemus iter, puris quia sensibus aurum
Comparat, argentum nitidis scriptura loquelis.
Nam psalmus licet ista canat, tamen inclyte Moses
Altius hæc memoras, populo cùm talia dictas?
Aurum atque argentum templorum ferte decori,
Quod iacet interius menti, non dura metalli
Materies sub corde latet. sed apertius illud
Exagitat, quod Christus amat: mens obtulit aurum, Aurũ fides mẽtis [illegible]
Cui fuerit preciosa fides, pariterq; ministrat Argentũ · professio fidei quę ore
Argentum, cui uoce sonant bona tympana cordis, peragitur ·
Vt dominum duo iũcta colant, de pectore sensus,
De sermone sonus: sic aurum dogmata legis
Argentumq; petunt hoc ad pia templa parari.
Nos quia templa sumus, si crimina cũcta recedant,
Plurima uerba monẽt, quæ Apostolus ipse reuelat.
Corde salus credentis erit, confeßio uoce.
Sacrilego res una fuit: Demetrius ædes

rr Condidit

Condidit argento, cuius facundia mouit
Hos animos, ut norma probet sine iudice sensu
Numina uana coli, nec de uirtute uenire
Pectoris istud opus, cui pars hæc sola dicatur.
Quæ rationis inops nudam serit ore loquelam.
Tu quoque signa ferens, titulos in carmine nostro
Troia repone tuos, & laudibus adde triumphos,
Qui magis ex uero fulgent tibi clarius actu,
Quam quos pomposo reboant tua bella cothurno.
Lingua colona Dei cùm semina fœta saluti
Spargeret, in seram produxit tempora noctem,
Plus animis factura diem: micuere coruscæ
Lampades, ut uerbi lucerent igne fideles.
Solus ab excubijs uiuacibus Eutychus exul,
Mersa sopore graui commisit membra fenestræ.
O male parta quies, ò semper dedita somno
Pectora, nuda bono: quantis patet ille ruinis,
Quem nox sola tenet, nunquamque resuscitat ægrum
Ad meliora caput. nescit uigilare periclo,
Qui patitur dormire Deo. quid inane fenestræ
Quæris adulte chaos? quidue hac in parte quiescis,
Qua ruiturus eris? res est inimica saluti
Pendula celsa sequi, furtiuaque somnia prono
Carpere uelle toro. poteras meliore cubili
In uerbo recubare Dei, Pauloque monente
Eius uelle aditum, cui limine peruia recto
Ianua nomen inest. per quam de fonte lauatæ
Ad uitam gradiuntur oues, hanc quærite cuncti
Si rabidas fauces cura est, morsusque cruentos
Euitare lupi, cuius lacerabitur ore
A pastore fugax, qui sparsos uocibus agnos
Euocat, atque gregem propria de morte redemptum
Non sinit insidijs, & amari uulnere dentis
Rursus ab hoste capi. mœsto sonuere tumultu
Atria, concurrit gemitu miserata frequenti
Turba uidere locum, qui funere tristis acerbo
Lætitiam facturus erat. cui Paulus adhærens
Pectore, uiuit, ait. quam uocem uita sequuta est,
Morsque repulsa fugit. quantum tua Christe potestas
In famulis operata facit? tu redditus astris,
Aequalisque patri de maiestate perenni,
Iura superna regis: sed quod caro corpore matris
Virginis orta tibi, regnum spoliauit auerni,
Viuaque de proprio reuocasti membra sepulcro.
Teque probans noluisse mori, qua parte resurgis,
Et qua natus eras, iam ferrea uincula soluis.
Lux alijs alterna redit te auctore, simulque
Exemplo donata tuo, qui subdita dudum
Cogis, & electis succumbere tartara seruis.
Interea felix surgit de morte cadauer,
Et meliore uia tria per cœnacula sospes
Ducitur ad Paulum, cuius conspectibus insons
Cœpit adesse puer, uitæ iam dignus honore,
Cùm lethi conuertit iter, quæ gloria facti
Instruit ad ueterem caussas aperire figuram?
Fulta tribus cameris Noe describitur arca,
Ecclesiæ documenta gerens. stetit ordine primo
Pars hominum, pecudesque gradum tenuere secundum,
Tertia sors addicta feris. quæ cuncta per undas
Arca quadrata tulit, uelut in baptismate lotis
Omnibus est nunc una salus: sed moribus unus
Non ualet esse locus. nam nidos fertur in illa
Aedificasse Noë, quem iustum dicit Ebræus,
Et requiem quod Christus inest, qui diuidit æquus
Præmia certa suis: quisquis uirtutis amator
Iungitur alta petens Noë, stat proximus infra
Ingenio breuiore minor, sors dedita sæuis
Tartareum tenet ima sinum: sic Eutychus ergo
Prima parte cadens, inferni perditus oris
Hæsit, & humana uacuus ratione ferarum B
Cœpit habere locum. cui postquam pectore Paulus
Incubuit, uerbumque suum sapientia fudit,
Ore leuans animam carnali lege peremptam
Ad dominum de morte redit. quod epistola clamat:
Qui dormis, iam surge citus. rursusque perurget,
Teque uigil de morte leua. super ardua trina
Promeruit iam stare puer, quia dogmate trino
Comperit æternæ quæ sit substantia, uitæ.
Iamque peragratis Paulus stationibus orbis
Ad Solymam uenturus erat, quò spiritus illum
Pergere sæpe monet, cupiens in littore noto
Perpetuum memorare uale: simul undique sacros
Euocat, has reddens caro de pectore uoces:
O dilecta manus, quæ Christi militat armis,
O summo plebs nata Deo, meministis amoris
Et studij documenta mei: gentilia promptus
Agmina, Iudaicosque tuli sine fine furores,
Vt uitæ præcepta darem, nullumque lateret
In populo narrata fides. à sanguine uestro
Mundus semper ero, nec debitor oris auari
Clausa talenta luam, sterilemque in semine uerbi
Ieiunus culpabit ager. uos conuenit inde

Vsuram

A Vſuram præſtare piam, cùm uenerit auctor
Qui meriti diſcuſſor erit, ſeruosq; repoſcet
Menſuræ crementa ſuæ. mihi ſemina ferre
Senſimus ardor ineſt, quæ paßim credita ſulcis
Sparſimus: at fructus tenues mala terra dolebit:
Vado uidere crucis uenerandam gentibus urbem,
Quô me iuſſa uocant, uarij luctamen agonis
Hîc dabitur certare mihi. nam cuncta ſubibit
Qui curſum complere uolet. mitißima ſors eſt
Pœnarum, quas uota gerunt, regniq; facultas
Perpetuo pro rege pati. ſeruate miniſtri
Eccleſiam, Chriſtus precium quam ſanguine nobis
Fecit in orbe ſuo, famuli retinere laborent,
Quæ dominus de morte dedit. non cernitis ultra
Iam faciem uultusq; meos, uigilantius oro,
Commiſſos luſtrate greges, quia dente rapaci
Conuenient ad ouile lupi. cuſtodia peccat,
Cum ſpolijs ſi raptor eat: paſtoris inertis
Fraude perit, quod prædo capit. ſed & acrior hoſtis
Intus erit, grauiusq; malũ diſcordia portat,
Quæ uulnus ſub pace creat. ne cedite duris,
Virtuti damnoſa quies, nullumq; coronat
In ſtadio ſecurus honor, ſua gloria forti
B Cauſſa laboris erit, rarusq; ad præmia miles
Cui pax ſola fuit. uictoria ſemen ab hoſte
Accipit, hinc oritur. dominus plantaria ueſtra
Fœcundare ualet, qui per ſua dona uenire
Ad ſua dona facit, quodq; adiuuat ipſe miniſtrat.
Non ego diuitias luxu fallente ſuperbas
Alterna mercede tuli, nec munera ſumpſi,
Vos potius quàm ueſtra petens. me ſcitis ut iſtæ
Cum ſocijs pauere manus. aſſueſcite gazas
In lucis proferre uias, operumq; locare
Theſauros in ſede poli. nil proderit aurum
Defoßis quæſiſſe locis, ſi claudat auarus
Quod cælabat humus, quod nõ in paupere ſurgit,
In tellure iacet, cæcoq; reuoluitur antro,
Obſcura peccante manu. laxate ſupernis
Corda precor monitis, neq; reſpuat ullus egeno
Tecta parare gregi, quo ſuſcipit hoſpite Chriſtum.
Sic poſtquàm fatus, dedit oſcula, tũ ſimul orans
Flexit in arua genu, ſtrictiq; doloribus omnes
Ad lacrimas fluxere pias, longeq; per undas
Obtutu comitante ſequi meruere carinam,
Dumq; per oppoſitas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis uia, raptaq; flabris
Puppis adhuc nota eſt, & mulcet imagine mentes,
Affectuq; animi creſcit menſura uidendi.
Sed quòd ait, tribus hæc annis præcepta ſalutis
Nocte dieq; dedi: patet hac ratione figura.
Qui canit eccleſiæ tria dogmata, ſæpius edit
Hiſtoricum, morale ſonaus, typicumq; uolumen.
Sic etenim ternas capiunt ſex uaſa metretas,
Quæ ueteri de lege, nouo rubuere liquore.
Forma ſacrificij perfecti priſca caniſtro
Tres panes offerre iubet, quibus additur illud
Diſcipulis quod Chriſtus ait, iam nocte roganti
Tres panes debere dari. nox iſte profectò eſt
Mundus, ut hîc ſi quis uerbi deſideret eſcas,
Exhibeas quæſite dapes, doceasq; uolentem,
Quòd pater & natus, quòd ſanctus ſpiritus unus
Sit Deus, & numerũ triplicet ſubſtantia ſimplex.
Nec ſemel hoc pia iuſſa canunt: angariat, inquit,
Te quicunq; petens, ut pergas præuius unum,
Cætera uade ſimul duo millia. non ne uidentur
Hoc mandata loqui? ſi quis te conſulit errans
Ignarusq; uiæ, quid ſit Deus, edere malis:
Prode patrem, ſubiũge libens quòd filius, & quòd
Spiritus almus, & hi numero tres, & tamen unus.
Hinc Iudæa uacans, ſterilis quæ dicitur, arbor,
Expectata tribus fructum non attulit annis:
Quæ triplici ſpernens tractare uolumina ſenſu,
In fidei numeris neſcit dare munera Chriſto.
Nobile iam templum Solomonis Paulus adire
Cœperat, & ueteris ſolennia reddere legis,
Corripit hunc Iudæa manus, rabidoq; tumultu
Conclamat necis eſſe reum, ſed in arma tribunus
Euolat, & uinctum geminis iubet eſſe catenis:
Quæ tamen aſtrictis incumbunt dura lacertis,
Non animum tormẽta ligant. quod epiſtola Pauli
Lumine plena canit: uinciri poße miniſtros,
Vinciri non poſſe fidem, uerbumq; teneri
Supplicijs, non eſſe datum, gradibusq; ſub ipſis
Conſtitit, Ebræo plebi ſermone loquutus:
O fratres, patresq; uiri, me noſtis in oras
Has ueniſſe rudem, doctrinæ deditus omni
Legis amore fui: uobis modò teſtibus utor
Quorum ſcripta ferens, ardebam cæde Damaſci
Chriſticolas punire greges, & finibus orbis
Hanc prohibere fidem. ſed non mortalia poſſunt
Auctori certare Deo, deſcendit ab aſtris
Lux, oculos clauſura meos, & ab igne coruſco

Aucta dies latuit, caligantesq; tenebræ
Orbibus incumbunt, quarum mihi tempore creuit
Adueniens cum nocte iubar. discernere caussas
Euentus post facta solet. bene uidimis umbras,
Vsuri iam sole nouo: sed & auribus hæsit
Clamor ab ore Dei, repetito nomine Saule
Me Christus terrore quatit, ne signifer ultra
Auderem bellare sibi: quo iure negabo,
Quo feriente cado, cuius de munere pronus
Attollor meliore uia, perq; ardua surgo,
Sublimisq; sequor fœlicis dona ruinæ.
Iam satis ô ciues crudelia nouimus arma.
Nil dubium pars illa docet, quæ teste beata
Fungitur hoste suo. quid adhuc libet esse nocentes?
De tenebris lucete meis, cui fontis ab undis
Est uisum largita fides, & mortis imago
Viuere cœpit aquis. heu nunquam saxea tellus
Seminibus fœcunda suis, uacuiq; labores
Qui sterilem patiuntur humum. post deniq; Iesus
Hæc mihi uisus ait: procul hac, procul urbe relicta
Pergere Saule para: non est tibi credula nostri
Nominis, ad gentes potius cane uerba salutis.
Protinus hâc uocē querulæ rapuere phalanges,
Proijciunt uestes, ac puluere longius acto
Ventosa leuitate fremunt, uarioq; fragore
Personat in Pauli rabidum discrimina uulgus.
O Iudæa nocens, auctorem perdere uitæ
Cùm cuperes, sic dicta dabas. fuit optio linqui
Quem uelles clamosa tibi, sed ab ore cruento
Triste petis malesuada nefas, & gaudia paschæ
Electo latrone colis, geminasq; furorem,
Sæua pio, placata reo certamine cuncto
Te spolias, uacuamq; locas, cùm durior ipsis
In Stephanum tormenta iacis: deponis amictum
Et nunc ueste cares, primi quia pœna parentis
Est cognata tibi, ueterisq; in corpore portas
Transgressoris onus. contraria fontis honori
Ne renoueris aquis. Adam sub criminis ortu
Cognouit quòd nudus erat, documentaq; noxæ
Hinc misero patuere suæ: te mortis origo
Crebra subit, cui plena malis interserit ira
Bis habitum, quem culpa creat: iam bella tribunus
Vocibus his ardere uidens, fera uincula Paulo
Addidit, & castris torquendum misit iniquis,
Nota querela locis ut sit superanda canemus.
Paulus gesta loquens, socios ibi lumina dudum
Conspexisse suos, uocem tamen auribus ullam A
Non hausisse refert. at tunc quo tempore cæcus
Decidit, & uocem comites audisse leguntur,
Sic uariat narrantis opus. sed utrunq; necesse est
Concinat haud dubium. nam tunc audisse feruntur,
Accepisse sonum, nunc non audisse profectò.
Hæc rationis erit simplex uia, iure negatur
Vox quomodo confusa, loqui, neq; creditur illud
A' sermone dari, quod non in pectore condit
Accipiens, dubia tantùm stimulatus ab aure.
Ambiguusq; fragor solas diuerberat auras.
Sic audisse simul, sic non audisse leguntur:
Altera pars sonitus, certa est pars altera uocis,
Et fert atq; refert geminam res una figuram.
Agmina supplicij feruentia corpore Pauli,
Pœnarumq; graues euoluere uersibus iras
Caussa monet, sed lingua pauet: fugiamus ab ista
Parte, dolor uetatq; nefas tam triste, premamus
Eloquium, ne forte legens sua fletibus ora
Compleat, & largis humescat pagina guttis.
Nec tamen hæc poterant animos satiare cruentos:
Ardet amor scelerum, cupiuntq; in sanguine Pauli
Sacrilegas uersare manus. quàm dura malorum
Vota? quaterdeni uesanæ stirpis alumni
Imposuere sibi, non ullum sumere potum, B
Nullum uelle cibum, quàm facta cæde: salubres
Hinc magis eße dapes. ô pallida cordis imago.
Pocula sunt Iudæa tibi meliora cruoris,
Quam laticis, nullasq; uolens contingere mensas
Esuris ad facinus, saturamq; cadauere iusti
Quæris habere famem. non hæc ieiunia Moses
Condidit exemplo, tot consummata diebus,
Vt memoras: quot tela moues, tot & inspicis annis
Secretas patuisse uias, ubi diuite nimbo
Fluxerunt de rore cibi, rupesq; uicißim
Arida fudit aquas. in quo meruere parentes
Diuina bonitate frui, donisq; supernis
Enutrire animas, numero crudelis ab ipso
Tu sæuire uĕnis, pollutaq; fœdera iungis
Agminis, ut plures faciat mors una nocentes.
Comperit hæc Lysias Pauli uulgante propinquo,
Quo ue parent aduersa loco. monet ocyus ergo
Clàm sua iussa tegi, noctisq; in tempore cantus
Obscurum præuĕnit opus, lectisq; maniplis
Imperat, ut tuto Paulum comitentur honore.
Gloria de meritis à te delator honestè

Non

A Non aliena foret, quodq; est ad præmia rarum
Proditione places, nec te constantia lædit
Qua sceleri seruire times, in crimine uirtus
Crimen erit. cumq; ad facinus sociantur iniqui,
Est ibi culpa fides, quam tunc in laudibus ornat
Verus honor, cùm caussa pia est: stipantibus armis
Cæsaream mox Paulus adit, quò turba cucurrit
Rhetore fulta suo: qui præsidis aure potitus,
Irrita uerba dedit. contrà sic deniq; Paulus:
Optime præses, ait, dudum te nouimus omnes
Iustitiæ documenta sequi, comitemq; modestam
Consilijs hanc esse tuis, quæ gratia suadet
Fidere, nec dubium tali sub iudice fari.
Non legis templiq; pium uiolauimus usum,
Nec sermone uago populares mouimus aures.
Vrbibus ex Asiæ uenientes soluere dona
Cœpimus, ad purum semper spectantia uotum.
Quis rogo liber erit, si res facit ista nocentem?
Eloquor haud metuēs: neq; enim discrimina nouit
Formidare fides, audent quam dicere sectam
Luminis esse uiam, nec discordare nouellis
Iura uetusta patrum. fas est modò credere cunctos
Corpora de tumulis iam posse resurgere, postquā
B Detulit inde suum qui condidit omnia Christus.
Obstupuit Felix amisso nomine, uincla
Quem faciunt aliena rerū, quorum obijce Paulus
Stringitur, & Festi seruatur præsidis anno.
Liquimus hîc nimium, ne gaudia nostra morentur.
Ad Latium iam Paule ueni, certamina crebro
Quæ fuerint agitata foro, quantiq; legantur
Iudaici fluxisse doli. nam talia Paulus:
Cæsaris ad soliū uos prouoco, Cæsaris, inquit,
Appello Romanus opem. cui festus: abibis,
Vt cupis, Augusti citius uisure tribunal.
Non stimulante metu, fugiens discrimina Paulus,
Iudicij uitauit onus, mens anxia semper
Pro uita meliore mori: sed muneris auctor
Præconi testiq; suo iam dixerat olim,
Quòd Romam uenturus erat: clementia Iesu
Omnibus in terris fidei sitientibus haustum.
Pocula dat de uase suo, cunctosq; rigari
Multifluo sermone iubet, meruitq; uetustas
Nominis occidui de lumine crescere uerbi.
Soluerat Eoo classem de littore uictor,
Austri nactus opem, cuius spiramine læta
Crebrescente uia, ueliq; patentibus alis
Aequora findebat puppis: sed mite quid unquam
Ventorum tenuere doli? mox flatibus Euri
Rupta quies pelagi, tumidisq; incanduit undis,
Cœrulei pax ficta maris: furit undiq; pontus,
Attollensq; suas irato gurgite moles,
Denegat abreptæ uestigia certa carinæ.
Quæ suspensa polis, deiectaq; iungitur aruis
Terrarum cœliq; sequax. caret artis amicæ
Præsidijs manus apta rati, gelidoq; stupore
Deponunt animos, nigroq; sub aëre cæci
Naufragium iamiamq; uident, clausoq; profundo
Mortis imago patet. uastas percurrere Syrtes
Historica ratione uocor, lacerosq; rudentes
Et claui fragmenta sequi: sed non ego linguam
Tam fragilem committo uadis, rapidasq; procellas
Aufugiam tentare diu, ne fortè canenti
Obruat exiguam uiolentior unda loquelam,
Tangere pauca libet, tutas conabor arenas.
Præuia fluctiuagæ latuerunt sidera puppi,
Nec solis radijs sub nubibus emicat axis.
Cumq; dies multos iam ritè peregerit orbis,
In pelago nox una fuit, quo tempore nullis
Indulsere cibis. quanta est heu pœna timoris
Supplicium nescire famis. dat semina caußis
Res mala sæpe bonis: tam clari nautica pubes,
Militiæq; cohors hominis tempsisset honorem,
Prosperiore freto: cuius custodia tandem
Soluitur, & sæuo uenerantur ab æquore uecti,
Quem portum sensere suum. gerit illa ruina
Ne lateat quod Paulus erat, sanctusq; patescat
Assertore mari, raptisq; elementa laborant
Luminibus monstrare uirum, medijsq; tenebris
Appâret radiata fides, fit laurea iustis
Ex precio quod terror agit, mansuraq; uirtus
Crescit in aduersis. quod testibus ipsa periclis
Ad meritum discrimē habet. stans deniq; Paulus
Conclamata pijs animat sic pectora uerbis:
O utinam nostris uoluisset fida iuuentus
Consilijs parêre prius, ne littora Cretæ
Linqueret, insani rabiem passura profundi:
Non pelagi cœliq; minas, non triste tulisset
Iacturæ populantis onus, nec turbine tanto
Desperata salus gemeret confinia mortis.
Quæ tamen humanum trāscendunt gaudia uotum
Hæc facile est præstare Deo, cui muneris usus
Hic potior, quàm nemo putat. nam mißus ab astris

Angelus hoc placido ueniens denunciat ore:
Quā turba uehit ista ratis, tibi rector Olympi
Contulit, ut nullis figatur naufraga saxis.
Credite uera fient, nec spe frustrabor inani,
Qui merui promissa Dei, concessaq; nobis
Insula portus erit, cuius statione licebit
Arrepta tellure frui, nauisq; solutæ
Prospectare grauem nullo discrimine casum.
His dictis ruit ira maris, sublataq; dudum
Lux reuocata micat, uelamine noctis aperto
Pandere uisa solum, quod præbuit hospita nautis
Sicanio lateri remis uicina Melite.
Antè tamen rabidos quàm uincant æquoris æstus,
Soluite, proclamat Paulus, ieiunia fessi,
Et quartodecimo, sicut nos uescimur, inquit,
Iam panem gustate die. memoranda figuræ
Sacramenta piæ ualeant, qua lege probemus
Tempore quò primi fulserunt lumina mensis,
Hoc numero currente die, de carnibus agni
Turba iubetur ali, quarum munimind tacto
Libera Niliacas meruit uitare tenebras.
Hinc spatio simili Paulus de gurgite mundi
Quos auferre cupit, secum conuiuere suadet,
Et sacrum libare cibum, uestigia more
Obseruata legens. quorum speculantibus actum
Hæc duo sunt diuersa locis, sed proxima caussis,
Et repetita salus uno de fonte leuatur. (tur,
Agnus Christus inest, panis quoq; Christus habe-
De cœlo, quod & ipse docet: qui corpore Iesum
Sumpserit, hoste caret: nec iam sua iura Pharao,
Aegyptusq; tenet: mox omnia dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans
Qui captiuus erat. salsæ quoq; fluctus abyssi
Linquitur, & tetri superantur stagna draconis,
Ereptoq; gregi largitur pascua Christus
Nominibus proprijs. pastor iam uerus edenti
Hinc etiam ecclesiæ gerit aurea luna figuram,
Quæ quartodecimo de primæ lampadis ortu
Conspicitur iam plena die: quia corpore Iesu
Creuit in orbe suo lucem factura perennem.
Pelleret ut Paulus crescentia frigora membris,
Contulerat sarmenta focis: cui uipera fixit,
Dæmonis arma ferens, surgentibus obuia flammis,
Antiqua feritate manum, gelidiq; ueneni
Vulnus in igne dedit. quid adhuc malè noxia ser-
A' Domino reuocare cupis, ueteresq; rapinas (pēs
In legis nouitate paras? quid mortis amatrix, A
Cuius es ipsa parens, instauras bella redemptis?
Prædo uenis, sed præda iaces, lethumq; ministrans
Arboris alternis consumeris improba ramis,
Postq; crucem Christi mors est tibi portio ligni.
Haud procul hinc aberāt agrestia corda gerētes
Barbarica de gente sati, qui murmure diro
Insonuere simul: satis est ex crimine fusi
Sanguinis iste reus, nullis iam tutus in oris,
Cui pelagus tellusq; furunt, mortalia tractant,
Et diuina probant: digito nam bestia pendens
Excutitur, proiecta rogis, bene reddita flammæ,
Quam dedit ipsa prius, quæ culpæ protulit ignē:
Vnde gehenna calet, glacies tepefacta ueneni
Soluitur in cineres, gelidæq; superbia pestis
Ex ardore perit. focus hic rabidiq; uapores
Non solitas uires capiunt, atq; arida secum
Nutrimenta ferunt. sed tu modò decoquis anguē,
Vsa tuo feruore fides. tibi subditur hostis
Frigidus, inq; uicem faciens incendia flagrat
Vipereo fumante gelu, ueniente tumore
Labi posse ferunt. quantum per inania fertur
Mens ignara boni? iam tunc de corpore Pauli
Virus abest, oculis cùm squameus excidit horror, B
Quem serpens antiqua dabat, purgatus in amne
Aethereo, Christiq; cruci sua membra relegās, (nū,
Nescit ab angue mori. uorat hoc quoq; flāma uene
Quæ sacris uim sumit aquis, quibus ustus anhelat.
Qui dolet ad patriam ueteres remeare colonos.
Incolumem sic stare diu mirata iuuentus,
Hunc ait esse Deum. tandem rudis incola disce,
Qua regit is uirtute polos, qui talia confert
Vt famulos hoc posse putes. nunc caussa figuræ
Plenius in clari cernenda est munere facti.
Anguis origo necis, nam mors hinc edita nomē
De morsu pecantis habet, contraria iustis (strans
Vult retinere manū, quomodo manus apta mini/
Iure uocatur opus. talem qui senserit hostem,
Impiger excutiat dominiq; uaporibus urat.
Paulus ut admoti cognouit furta pericli
Serpere uelle sibi, cœlestia tela capessens
Pressit in igne dolos: cuius de fomite crescens
Est accensa fides, & sensibus additus ardor,
Hincq; calor populis processit ab ubere fontis.
Mensibus hibernis tribus in regione Melite
Multiplicem dat Paulus opem, Publiq; parentem

Finitima

A Finitima de clade leuat. quo munere uiso
Vndiq; præcipites subitam rapuere salutem.
Pullulat interea nitidi coma frondea ueris,
Quo iuuenescit humus senio fugiente pruinæ
Suscipiensq; ratem uelis cedentibus auster,
Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas.
Hūc spirare decet, quem personat ore propheta,
Qui speciem fidei torrentem cantat in austro.
Sic quoq; prostratis ad gaudia nostra procellis
Plurima quæq; legens distinctis oppida uicis,
Venit ad excelsæ sublimia culmina Romæ.
Altius ordo petit duo lumina dicere mundi
Deuenisse simul, tantisq; è partibus unum
Delegisse locum, per quem sua sidera iungant,
Omnia quæ fidei uirtutibus arua serenant.
Quæ licet innumeris tendatur caussa figuris,
Pauca referre uolens, iisdem præstantibus edam.
Petrus in ecclesiæ sacrato corpore princeps,
Hæc turrita caput mundi circumtulit oris:
Conueniunt meliora sibi, speculentur ut omnes
Terrarum dominæ fundata cacumina sedis.
Gentibus electus Paulus sine fine magister,
Aequius his præses oris diffundit habenas,
Quæ gentes prælata monet, quodq; intonat istic,
Vrbis cogit honor, subiectus ut audiat orbis,
Dignaq; materies Petri Pauliq; coronæ
Cæsareas superare minas, & in arce tyranni
Pandere iura poli, summumq; in agone tribunal,
Vincere, ne titulos paruus contingeret hostis.
Aegyptus mundi formam gerit, inde uocari
Quæ meruit: ducibus plebs est commissa duobus,
In quibus officium fraternus nexuit ortus.
Idola tot Romæ mundo collecta subacto
Quæ fuerant, tenebris obnoxia corda premebant:
Liber & hic populus, quem uinxerat ante Pharao
Exuit Aegypti totidem ductoribus umbras,
Perq; lauacra Dei, quæ tunc maris egit imago
Vitæ nactus iter, cœlestem repperit escam.
His etiam germanus amor, quibus amplius actus:
Quàm natura dedit, geminos quos edidit astris,
Non eadem, tamen una, dies, anniq; uoluto
Tempore sacrauit repetitam passio lucem,
Et tenet æternam socialis gloria palmam.

B

PROSPERI AQVITANICI
EPISCOPI REGIOLEPIDI
sacrorum Epigrammatum super Diui Aurelij Augustini sententias, Liber primus.

PRAEFATIO.

Dum sacris mentem placet exercere loquelis,
Cœlestiq; animum pascere pane iuuat:
Quosdam ceu prato libuit decerpere flores,
Distinctisq; ipsos texere uersiculis,
Vt proprias caneren epigrāmata singula causas,
Et pars quæque suo congrueret titulo.
Nec nostra hoc opus est, sed ab illo sumitur hic ros,
Qui siccam rupem fundere iussit aquas.
Vt quod in affectum cordis pietate magistra
Venerit, hoc promat carmine læta fides.

DIVINA INNOCENTIA.

Innocentia uera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam: & nemo non prius in se, quàm in alterum peccat.

Perfectè bonus est, & uerè dicitur insons,
Nec sibi nec cuiquam, quod noceat, faciens.
Nam quicunque alium molitur lædere, primùm
Ipsum se iaculo percutiet proprio.
Et cùm forte animum non ipsa sequuta facultas,
Non dubium in cordis uiscere uulnus habet.
Nec fugit infecti sceleris mens praua reatum,
Cui nimis hoc solum, quod uoluit, nocuit.

Praua voluntas per se, licet irrita nec in re factam deduc[t]a, animam maculat tamen & peccati fuco inficit.

VICIA HOMINVM NON amanda.

Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligãtur errores. Quia aliud est amare quod facti sunt, aliud est odisse, quod faciunt.

I I.

Naturæ quisquis propriæ non spernis honorem,
In quocunque hominum, quæ tua noscis ama.
Sic tamen, ut prauos uitet concordia mores,
Nullaq; sint pacis fœdera cum uicijs.
Nanque, quod artificis summi fecit manus, unũ est,
Quæq; auctore bono condita sunt, bona sunt.
Diuinum in nullo figmentum despiciatur,
Sola malis studijs addita non placeant.

DEVS INFINITVS et æternus.

De vera æternitate

Vera æternitas, & uera immortalitas non est, nisi in deitate trinitatis, Cui esse quod est, perfectum est. Quia natura initio carens, & incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem illæ, quibus Deus æternitatem dedit, uel daturus est, penitus omnis finis alienæ nõ sunt. quia non sunt extra cõmutationẽ dum illis finis est, & temporalis institutio, & localis motio ipsa in augmentum sui facta est commutatio.

cui hoc quod ē esse perpetuũ ē

nõ

mutatio &

I I I.

Aeternus uere est solus Deus omnicreator,
Vita in se uiuens permanet esse, quod est.
Hoc pater, hoc uerbũ patris, hoc est spiritus almus,
Quorum natura est una, eademq; fides.
Non cœptũ, aut auctũ, non hic mutabile quidquã (est,
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, ulteriorq; futuris
Nil recepit uarium, nil habet occiduum.
Nam quas, ut uoluit, rerum sapientia fecit,
Multis uita quidem est præstita perpetua.
Sed quodcunque potest sese amplius aut minus esse,
Quodam fine, ipsum quod fuerat moritur.
Sic nihil æternum, quod commutabile factum est,
Et quod cuncta super, semper idem Deus est.

PATIENTIA DIVINA.

Patientia Dei uera est, qua parcit contemptus, parcitq; negatus, & magis uult uitam peccatoris, quã mortem. Eruditio est pœnitudinis, & oblatio correctionis. nec ulla ipsius opera misericordia uacant, quãdo homini et indulgentia consulit, & flagello.

I I I I.

Multa diu summi differt patientia regis,
Suspendens æqui pondera iudicij.
Et dum plectendis parcit clementia factis,
Dat spacium, quo se crimine purget homo.
Deniq; committũt homines mala crimina semper,
Dat spacium, ut pereant crimina, non homines.
Verbere non unquam castigans corda paterno,
Ne citò consumant sæua flagella reos.
Sic pietate Dei terrarum non uacat orbis,
Et nihil est, quod nos non trahat ad ueniam.
Dum rex saluandis, ipsa quoque consulit ira,
Et curat medicus uulnera uulneribus.

BONITAS DIVINA.

Diuina bonitas ideo maximè irascitur in hoc seculo, ne irascat in futuro. B
Et misericorditer adhibet temporalem seueritatem, ne iuste æternam inferat ultionem.

V.

Cum Deus exerta peccantes uerberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.
Et uindicta breuis sic noxia crimina finit,
Ne sine fine habeat debita pœna reos.

ORATIONIS ET VITAE conuenientia.

Vera confessio benedicentis est, cum idem sonus oris est, & cordis. Bene autem loqui, & prauè uiuere nihil est aliud, quàm sua se uoce damnare.

V I.

Laus uera in Dominum depromitur ore precantis,
Siquæ uoce fluunt, intima cordis habent.
Non prodest cuiquam solis bona dicere uerbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.

Nam

A Nam fari rectè miserum est, & uiuere praue,
Damnat nota malum regula iustitiæ.

DILECTIO PROPRIA CHRIstianorum uirtus.

Dilectio Dei & proximi est propria & specialis uirtus pioru atq; sanctoru. Cùm cęterę uirtutes bonis & malis pos sint esse communes.

VII.

Plurima sanctorum bona sunt communia multis,
Et quiddam recti constat inesse malis,
Sed pia pars summæ tendens uirtutis ad arcem
Omne operum meritum uincit amore Dei.
Quo pariter quæcunq; hominum sic diligat, ut se
Hoc optans alijs, quod cupit ipse sibi.
Vnde istis geminis uirtutum qui caret alis,
Cœlorum ad regnum non habet, undè uolet.

DOCTRINA SALVTIS PERTInet ad omnes.

Doctrina apostolica est tam salubris atq; uitalis, ut pro capacitate utentium neminē sui relinquat exortem. Quia siue sint paruuli siue magni, siue infirmi,
E siue fortes, habēt in ea undè alantur, & undè satientur.

VIII.

Exueret Deus ut tetra caligine mundum
Doctrinæ accendit lumen apostolicæ,
Quæ nullis animus, nullis non congruit annis,
Lacte rigans paruos, pane cibans ualidos.
Non tempus, non sexus, huic non causa resistit,
Omnes curat, alit, iustificat, uegetat.
Sumite, quæ magnæ apposuit sapientia mensæ,
Et uarijs pasci discite delitijs.
Quarū pars totum est epulum, quo quisq; iuuatur,
Inde capit uitam, quam parit una fides.

DEVM INQVIRERE.

Deum quærens gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Accedendo enim ad Dominū illuminatur ignorātia, & corroboratur infirmitas, & data sibi intelligētia, qua uideat, & charitate, qua seruiat.

IX.

Scire Deum cupiens gaudere, & uiuere quærit,
Si uerum, & summum norit amare Deum,
Cui tribuat quidquid rectè sapit, optat, agitq;
Et sine quo carnis gloria puluis erit.
Non ergo in quoquam sua munera deserit auctor,
Perq; suum Dominus se manifestat opus,
Inq; illis habitat diues penetralibus hospes,
Quæ gaudent hoc se compta, quod ipse dedit.

FASTIDIVM SPIRITVALE.

Sicut est noxiū corpori, corpoream escā sumere nō posse: ita animæ periculosum est, spirituales delitias fastidire.

X.

Vt perdunt propriam mortalia corpora uitam,
Si nequeunt escas sumere corporeas:
Sic animæ nisi delitijs rationis alantur,
Dum uerbi æterni pane carent, pereunt.
Nam quid erit, quod dira procul fastidia pellat,
Cum seipso refugit mens saturare Deo.

PAVCI DEVM SEquuntur.

Nunquam sunt multi, qui nō ad esse tendūt. Quid enim tam obnoxium est paucitati, quàm quod est debitum perditioni?

XI.

Esse Deo uerū et propriū est, cui quisquis adhæret,
Aeterni regni lumine semper erit.
Nam qui iustitiam spernunt, non esse laborant,
Inq; nihil tendunt, & nihil esse queunt.
Non ergo illorum poterit pars multa uideri,
Quorum in sanctorum nullus erit numero.
Sed uerè magni & multi sine fine manebunt,
In Christo quorum gloria perpes erit.

VLTIO DIVINA.

Non concupiscit Deus pœnam reorum tanquam saturari desiderans ultione: sed quod iustum est, cum tranquillitate discernit, & recta uoluntate disponit, ut etiam mali non sint inordinati.

XII.

Nulla Deum oblectat miserorum pœna reorum,
Nec scelerum uindex ira mouet placidum.
Omnipotentis enim recta & tranquilla uoluntas,
Quidquid decerni conuenit, hoc statuit.
Vt nullis pateat regis censura querelis,
Cùm iustè accipiat debitus ordo malos.

INTELLECTVS BONVS.

Bonum intellectum habet, qui quod rectè faciendum intelligit, facit. Alioqui talis est sine opere intelligetia, qualis est sine timore sapientia. Cùm sit scriptum, Initium sapientiæ timor Domini.

XIII.

Scriptorum Domini plenè uidet omne profundũ,
Implet qui factis cognita uerba pijs.
Nam nimis à sensu doctrinæ deuius errat,
Si, quæ curauit scire, fugit facere,

ANIMAE REQVIES.

Habet etiam requiẽ suam in hac uita anima, quæ de morte infidelitatis exempta est, & non ab operibus iusticiæ, sed ab iniquitatis se abstinet actione, ut uiuẽs Deo. & mortua mũdo, & humilitatis & mansuetudinis placida tranquillitate quiescat.

XIIII.

Est & hac uita multis requies data sanctis,
Quorum animas mundus non tenet occiduus.
Quos desiderijs nullis peritura fatigant,
Et quibus omne bonũ est Christus, & omnis honor.
Vtentur terra, ut cœlo, fugientia temnunt.
Quod credũt, quod amãt, quod cupiũt, Deus est.

VERVM VOTVM SEV OBLATIO.

Quisquis bene cogitat, quid uoueat Deo, & quę uota persoluat, seipsum uoueat & reddat. Hoc exigitur, & hoc debetur, ut imago Cæsaris reddatur Cæsari, & imago Dei reddatur Deo. Sed sicut uidendũ est, quid offeras, & cui offeras: ita etiã considerandũ est, ubi offeras. Quia ueri sacrificij extra catholicam Ecclesiam non est locus.

XV.

Quid uoueat Domino quisquis bene corde uolutat,
Ipsum se totum præparet, & uoueat,
Maior enim offerri nequit hostia mentis in ara,
Nec Christi ex templo suauior exit odor.
Quàm cùm homo castorũ profert libamina morũ,
Et de uirtutum munere sacra litat.
Sic tamen, ut norit, qui reddit uota tonanti,
Vnum diuinis cultibus esse locum.

In toto mundo, quem uera Ecclesia præbet, A
Et sine quo nullum iusticiæ est meritum.

IVSTICIAE PRAEMIA DIVERSA.

Duę sunt retributiones iusticię, cùm aut bona pro bonis, aut mala pro malis redduntur: tertia est retributio gratię, cùm per regenerationem remittuntur mala, & retribuũtur bona. Atq; ita manifestatur, quia uniuersæ uiæ Domini sunt misericordia & ueritas. Illã autẽ impiorum retributionẽ, qua pro bonis mala restituuntur, Deus nescit. Quia nisi Deus retribueret bona pro malis, nõ esset, cui retribueret bona pro bonis.

XVI.

Iustitiæ merces gemina est, uel cùm bona rectis
Vel prauis dignè cum mala restituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Christi,
Non pensans meritum diluit omne malum.
Credentesq; omnes renouans baptismate sacro,
Dat bona, quæ propter det meliora bonis.

PATRIA NOSTRA NON IN MVNdo est. B

Omnis qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundo, & dum tẽporali utitur uita, in patria uiuit aliena. Vbi inter multa illecebrosa & multa fallacia, Deũ nosse & amare paucorum est. Quibus præceptum Domini fit lucidũ illuminans oculos, ut nec in Dei caritate, nec in proximi dilectione fallantur.

XVII.

Cœlestem ad patriam Christo redimente uocatus
Vitam labentis temporis hospes agit.
Dumq; ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla uiæ.
Quæ nunc obsessa aduersis, nunc plena secundis,
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios.
Inter quos laqueos currentem ad gaudia uitæ,
Non capiet mundus, cui uia Christus erit.

CVPIDITATES CARNIS domandæ.

Nemo est, cuius animã corruptibile corpus, & inhabitatio terrena nõ aggrauet:

A grauet: sed annitendum est, ut cupiditates carnis spiritus uigore superētur, & interior homo qui sibi semper sentit resisti, diuino auxilio semper expectet adiuuari.

XVIII.

Nulla anima est, quæ non mortali carne grauetur,
Nec de corporea conditione gemat:
Sed confirmare inualidam, & frenare rebellem,
Legitimū, et proprium est mētis opus dominæ.
Quæ uis naturæ ut moderamine temperet æquo,
Et subdat sceptris noxia quæq; suis,
A Domino auxilium & uires petat, ut ualeat se
Vincere, nec sensus incitet ipsa suos.
Nam nullus famulæ poterit compescere motus,
Ni fuerit Christi semper amore potens.

VIA AD VITAM.

Angusta uia est, quę ducit ad uitam, & tamen per ipsam nisi dilatato corde nō curritur, quia iter uirtutū, quo Christi pauperes gradiuntur, amplum est fidelium spei, quamuis etiam sit arctum infidelium uanitati.

B XIX.

Arcta uia est, ueræ quæ ducit ad atria uitæ,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spacijs terrena uoluptas,
Angusto uirtus limite celsa petit.
Et tamen hi calles, quos mundi uana pauescunt,
Quædam magnificis æquora sunt animis,
Difficilisq; nimis per dura, per a rdua gressus
Commendat fidei, quod tolerare iuuat.

CVLTVS DEI.

Hoc affectu et hoc desiderio colendus est Deus, ut sui cultus ipse sit merces. Nam qui Deū ideo colit, ut aliud magis q̄ ipsum promercatur, non Deū colit, sed id quod assequi cōcupiscit.

XX.

Hac desiderij Deus est pietate colendus,
Iusticiæ ut merces tota sit ipse Deus.
Nam sperans alio se munere posse beari,
Non, quod poscit, amat, sed quod habere cupit.

SVSPICIO VITANDA, EX QVA corruptum iudicium.

De occultis alieni cordis temere iudicare peccatū est. Et eum, cuius non uidētur opera nisi bona, iniquū est ex suspicione reprehendere. Cùm eorum operum, quæ homini incognita sunt, solus Deus iustus sit iudex, qui est uerus inspector.

XXI.

Culpare in quoquā, quæ nō sunt nota, malignū est,
Præsertim si, quæ cognita sunt, bona sunt.
Non pateant faciles sæuis rumoribus aures,
Quæ nescire iuuat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui siquid opertum est,
Inspicit, et nullis indiget indicibus.

QVIDQVID BONI AGIMVS, per Deum agimus.

Diuini muneris est, cū & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, atque ab iniustitia cōtinemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis est, atque nobiscū operatur, ut operemur cū illo.

XXII.

Non dubiè nostri Deus est et rector, & auctor,
Cum toto affectu quæ bona sunt, gerimus.
Ex operum specie clarebunt intima cordis,
Quiúe hominis mentem spiritus intus alit.
Sanctus enim sanctos facit, & de lumine lumen
Exoritur, nullus fit bonus absq; bono.

PIORVM PERSECVTIO.

Iusto iudicio Dei datur plerūq; peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei iuuantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

XXIII.

Quod plerunq; mali in sanctos sæuire sinuntur,
Quodq; bonis praui sæpe nocere queunt,
Absq; Dei nutu non fit, qui corda suorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt uirtutum palmæ, crescuntq; coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

SCIENTIA NIHIL EST sine actione.

Non est uera scientia boni, nisi ad hoc comprætendatur, ut agatur, ut memoria teneat, quod actione non implet.

XXIIII.

Scit legem, docteq; tenet iussa omnipotentis,
Qui quod nouit, agens diligit id, quod agit.
Non satis est Domini præceptum uoluere lingua,
Bis meminit legis, qui memor est operis.

VICIORVM, NON HOMINUM ODIUM.

Qui legẽ Dei diligit, probat se in omnibus iniquis odisse id, quod contra legem est, non homines.

XXV.

Legem spernentes odit cùm legis amator,
Non homines odit, sed reprobat, quod agunt.

STVDIVM RELIGIONIS.

Mandata Dei scrutari nisi quieta mens non potest. Vt ergo religiosum exerceatur studiũ, abijcienda sunt iurgia malignorum.

XXVI.

Scrutari legem possunt utcunque quieti,
Si mundi à strepitu libera corda uacent.
Vt mens ergo pijs studijs intenta iuuetur,
Prælia diuinus carnea uincat amor.
Nam templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacitè struitur non ruitura domus.

NVLLIVS HOMINIS DOCTRINA PERFECTA.

Nemo est tam doctus, et nemo est tam eruditus, qui superna illustratione non egeat. Non enim ita ulla diuinorum bonorum augmẽta sufficiunt, ut non semper supersit, quod mens rationalis intelligendum desideret, & gerendum.

XXVII.

Doctrinæ Domini penetralia tempore in isto
Ad plenum nulli peruia sunt homini.
Semper enim sanctis superest, quo crescere poßint,
Et perfectorum gloria principium est.
Virtutem uirtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.
Nam cur nõ cupidè mẽs quærat, quæ Deus offert,
Cui danda, ut rectè posceret, ipse dedit.

VIAE DOMINI DVAE SUNT.

Si omnes homines simul consideremus, quorũ alij misericordia salui fiũt alij ueritate damnãtur. Quia uniuersæ uiæ Domini, id est, misericordia & ueritas suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernuntur hæ uiæ. Indiuidua enim est à misericordia ueritas, & à ueritate misericordia. Quia beatitudo sanctorum semper est de munere gratiæ, et de retributione iusticiæ. A

XXVIII.

Omnibus in rebus germinũ est opus omnipotẽtis,
Totum aut iusticia est, quod gerit, aut pietas.
Quæ simul in terris descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrunque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia iusticiam.
Damnantem elatos, saluantem iustificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

PACIS STVDIVM.

Christianæ perfectionis est esse pacifi cum etiam cum inimicis pacis spe correctionis, & non cõsensu malignitatis, ut si nec exemplum, nec cohortationẽ dilectionis sequantur, causas tamen non habeant, propter quas odisse nos debeant. B

XXIX.

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis
Cùm multis unum conuenit atque placet:
Sed tamẽ hæc cohibẽda modo sunt fœdera amoris,
Vt solis hæc sit pax tribuenda bonis.
Iniustis etiam præstetur iusta uoluntas,
Nec quenquã spernant uota benigna hominem.
Non ut amicitiæ uicijs socientur, iniquis
Adsit, sed prauis ut medicina animis
Quæ si pace sua non sedat turbida corda
Nobis non poßit nostra perire quies.

DEI CVRA DE NOBIS.

Custodit nos Dominus ab omni malo, non ut nihil patiamur aduersi, sed ut ipsis aduersitatibus anima nõ lædatur. Cùm enim tentatio adest, fit quidam in id quod nos impugnat, introitus, ut cum bono fine, id est sine uulnere animæ tentatio consumatur. Sic ad æternam

A nam requiem de profundo temporalis laboris exitur.

XXX.

Sæpe quidem Dominus sic cuncta aduersa repellit,
Vt nullo attingi uulnere poßit homo.
Sed mirabilior tunc est manus omnipotentis
Illata afflictum cùm mala non superant.
Laudetur custos uirtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla est speranda corona,
Palmam,qua capitur gloria,finis habet.

BEARI OPERIS NON *est proprij.*

Ad cœlestis Hierusalem consortium non ascendunt. nisi qui toto corde profitentur,non esse proprij operis,sed diuini muneris quod ascendunt.

XXXI.

Cœlestem ad patriam tendens cognosce uocantem,
Cuius proueheris,si bene curris,ope.
Nam si te uirtute tua ad cœlestia credis
Scandere,de superis pulsus ad ima cades.

B PIETAS PERICVLOSA, *sed felix.*

Omnes,qui in Christo piè uiuere uolunt,necesse est ut ab impijs,& dissimilibus opprobria patiantur,et despiciantur tanquam stulti & insani. Qui præsentia bona perdunt & inuisibilia sibi. ac futura promittũt.Sed hæc despectio & irrisio in ipsos retorquebitur,cùm & abundantia eorum in egestatem,& superbia transierit in confusionem.

XXXII.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dißimiles animos.
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesq; sibi credita posse dari.
Sed spernẽda hæc sunt populis opprobria sanctis,
Quæ stultè iaciunt corda aliena Deo.
Nam spes nostra ex hoc uisu fit certior omni,
Quod spõdens, quidqd credimus,hoc Deus est.

DEVS FIDELIVM CVSTOS.

Tota fidelium salus,tota fortitudo patientiæ ad eum,qui in sanctis suis est mirabilis, referenda est. Quia nisi in illis Deus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet.

XXXIII.

Cùm constans anima aduersis non frangitur ullis,
Et fidei uirtus intemerata manet.
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis.
Inq; eius donum quod steterit,referat.
Nam quod non cecidit,proprijs si uiribus aptat,
Hoc ipso,quo se stare putat,cecidit.

OBSERVANTIA MAGISTRATVS.

Ita & à plebibus principes, & à seruis domini sunt ferendi,ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia,& sperentur æterna. Auget enim meritum uirtutis,quod non uiolat propositum religionis.

XXXIIII.

Reddendũ est quidquid mundi bene postulat ordo,
Propositumq; piè non uiolat fidei.
Mitibus & sanctas nulla est spernenda potestas,
Seruire est æquum regibus & dominis.
Vt Christi famulis ad uerum prosit honorem
Dilexisse bonos,& tolerasse malos.

AEQVANIMITAS.

Recti corde de præceptis Dei,& constitutionibus mundi non queruntur. Quia iustum est omnia æquanimiter ferre, quæ iudicaturus noluit tolerare.

XXXV.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Dumq; suis mundus motibus atteritur.
Rectorum est aduersa pati,& tolerare modesti,
Nec querula in quoquam uoce mouere Deum.
Cuius iudicio nulli parcetur iniquo,
Et perpes iustos gloria suscipiet.

GVBERNATIO ECCLESIAE.

Omnis sancti ędificij stat? sicut Deo cooperante proficit, ita Deo custodiente consistit, quoniã tunc utilis est ordo propositorũ, cùm spiritus Dei populo suo præsidet,& nõ solum greges, sed etiam ipsos dignatur custodire pastores.

XXXVI.

Cùm lapides uiui pacis compage ligantur,
Inq; pares numeros conuenit unda domus,

Claret opus Domini, qui totam construit aulam,
Effectumq́; pijs dat studijs hominum.
Quorum perpetui decoris structura manebit,
Si perfecta auctor protegat atque regat.

GAVDIA AETERNA.

Aeternę ciuitatis ęterna sunt gaudia, & stantium dierũ perpes infinitas nec uariabitur, nec labitur, quia immutabili pace potientur, quorum omnium erit bonum, quod fuerit et singulorum.

XXXVII.

Semper erunt, quod sunt, æternæ gaudia uitæ,
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus,
Nec uarios pariet motus diuersa uoluptas,
Vnum erit in cunctis lumen, & unus amor,
Inq́; bonis summis posita experientia felix,
Nec uolet augeri, nec metuet minui.

LEGIS PERFECTIO CA-
ritas est.

Lex Christi est perfectio caritatis, qua Deus proximusq; diligitur, & per quã dicitur conditori legis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Bene enim expectat promissionẽ Dei, qui mandatum eius exequitur, nec frustra sperat parcẽdum peccatis suis, qui ignoscit alienis.

XXXVIII.

Verus amor Christi, uera est custodia legis,
Et mandata Dei complet, amans homines.
Quorum ignoscentes culpis, sua crimina soluunt,
Quodq́; alijs tribuunt, hoc sibi prospiciunt.
Det peccatori ueniam peccator, & æqua
Conciliet Dominum conditione sibi.
Cuius iudicium de nostro examine pendet, (mus.
Quod serimus, metimus: quod damus, accipi-

MANDATA DEI.

Nihil Deus iubet, quod sibi prosit, sed illi, cui iubet. Ideo uerus est Dominus, qui seruo non indiget, sed quo seruus indiget.

XXXIX.

Non ideo quidquam mandat, Deus ut sibi prosit,
Nec serui officio uerus eget Dominus
Cuius præceptis augetur, qui famulatur, A
Fitq́; minor, quisquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, simul omnitenensq́; pote
Nil perdit proprium, nil habet occiduum. (stas,
Nunquam nõ habuit, quod habet dans quidquid ha
Proderit, & sumens nõ nisi quod dederit. (beri

APVD DEVM NIHIL
nouum.

Id quod in tempore nouum est, non est nouum apud eum, qui condidit tempora, & sine tempore habet omnia, quæ suis quibusque temporibus pro uarietate eorum distribuit.

XL.

Insolitum siquid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit, habetq́; nouum:
Sed rerum auctori nullus non cognitus ordo est,
Cernenti quidquid secula cuncta ferunt.
Quæ non incerto uoluunt magna agmina motu,
Sed sub iudicio stantq́; fluntq́; Dei.
Vt nihil existat naturæ in partibus ullis,
Quod non ille suo temperet arbitrio.

DEI PROVIDENTIA.

Mutabilium rerum dispositionem immutabilis ratio continet, ubi omnia si- B ne tempore, simulq; sunt, quæ in temporibus non simul fiunt, quia tempora non simul currunt.

XLI.

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu,
Nec mutat uario tempore consilium,
Vtq́; locis præsens simul est Deus omnibus unus,
Sic æui metas secum habet et numeros.
Nec serum, aut properũ sibi sentit in ordine rerũ.
Cui cuncta aßistunt acta, & agenda simul.

PECCANTIVM FELICI-
tas.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas & mala uoluntas, uelut hostis interior corroboratur.

XLII.

Qui se peccatis gaudet feliciter uti,
Infelix nimis est prosperitate sua,
Dumq́; capit miseros effectus praua uoluntas,
De uera semper luce fit exterior.

Sumens

A *Sumens pestifera de consuetudine robur,*
Et sua complectens uincula mortis amor.
Deficiant potius uana oblectamina mundi,
Subdanturq; pio colla domanda iugo,
Inq; putres fibras descendat cura medentis,
Vt blandum morbum pellat amica salus.

LEGIS VIOLENTIA.

Legis litera, quæ docet, nõ esse peccandũ, si spirit⁹ uiuificãs desit, occidit. Scire enim peccatũ facit potius, quàm cauere. Et ideo magis facit augeri, quã minui, quia malæ concupiscentiæ etiã præuaricatio legis accedit.

XLIII.

Index peccati lex est plectenda uetando,
Quæ, nisi cor mundet spiritus, interimit.
Nullus enim est insons sola formidine pœnæ,
Qui sanctum, & iustum non amat imperium.
Hunc tamen affectum non lex, sed gratia confert,
Quodq; iubet legis littera, uelle facit.

LEX QVASI DVX EST *ad gratiam.*

B Lex data est, ut gratia Christi quæreretur, neque enim suo uicio non implebatur, sed uicio prudẽtiæ carnis. Quod uicium per legem demonstrandũ, per gratiam sanandum fuit.

XLIIII.

Non seruit iussis legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed quia mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere diuinum cogitur auxilium.
Lex igitur facit, ut poscatur gratia Christi
Ardua, qua legis iussa queant fieri.
Nec iam non ualeat carnales uincere sensus,
Quos iustæ legis conditor ipse iuuat.

DEI PROMISSIONES.

Hoc quod promittit Deus, ipse facit, non enim ipse promittit unum, et alius facit: quod iam nõ est promittere. Ideo homines nõ fiũt boni ex operibus suis, sed ex Deo uocante, ne ipsorum sit bonitas, sed Dei, et merces non imputetur secundum gratiam, sed secundum debitum, atq; ita gratia iam non sit gratia.

XLV.

Quæ Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis uiribus implet opus.
Hinc secura fides sperat, quod crescit amatq;
Auctorem, qui quod spondet, & efficiet.
Nam si quæ Dominus promittit, non operatur,
Sed solum humanum præuidet arbitrium.
Non hæc dona eius, sed sunt prædicta uocanda,
Ceu quisquã ex proprio sit bonus absque Deo.
Quod quia non recipit pietas, ueroq; repugnat,
Gratia nos reparet, gratia iustificet.
Quæ sic in cunctis implet sua dona uocatis,
Vt quorum dux est, fiat et ipsa comes.

PECCATA VENIALIA, ET *opera bona.*

Sicut non impediunt ab æterna uita iustum quædam uenialia peccata, sine quib⁹ hæc uita nõ ducitur: sic ad æternã salutem nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficilimè uita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.

XLVI.

Vt quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Maior uirtutum, quas uacuat numerus.
Aeternæ donis nequeunt obsistere uitæ,
Nec merita obscurat gaudia culpa leuis.
Sic aliquid plerunque boni pars impia gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quiddam recti sapuisse malignis,
Si uerum et sanctum non coluere Deum.
Vna fides igitur, spes una est, atque amor unus,
Quo fiat iustus, sitq; beatus homo.
Nam bona quæ prauis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

DEI IVDICIVM.

Cùm mala uoluntas accipit potestatem efficiendi, quod cupit, ex iudicio Dei uenit, apud quem nõ est iniquitas. punit Deus etiã isto modo, nec ideo iniustè est, quia occultè. Cæterùm iniqui se puniri ignorant, nisi cùm manifesto supplicio senserit nolens, quantũ mali sit, quod perpetrauerit uolens.

XLVII.

Cùm datur iniusto peccandi optata potestas,
Vt mala mens praue, quod cupit, efficiat.

Ira Dei magna est, qua multos sic quoque punit,
Vt quibus exultant criminibus, pereant.
Crescit enim occultè cum longo pœna reatu,
Ausibus illicitis si nihil obstiterit.
Et magis erranti, ne parcant flagra timendum est,
Quàm, ne non fiat, quod uoluisse nocet.

SVPERBIA VBIque noxia.

Omnia uitia in malefactis tantummodo ualent, sola superbia etiam in rectè factis cauenda est.

XLVIII.

Omne genus uicij proprio tantùm ualet actu,
Et peccata suam quæq; gerunt speciem.
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt uires & bene gesta dare.

VSV RES BONAE AVT malæ finut.

Interest plurimum, qualis sit usus uel earum rerum, quæ prosperæ, dicuntur aduersæ. Nam bonus temporalibus bonis non extollitur, nec malis frangitur. Malus autem ideo huius mundi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

XLIX.

In rebus mundi non est idem omnibus usus,
Nec cuncti paribus cuncta ferunt animis.
Nanq; bonos nõ blanda inflãt, non aspera frangũt,
Sed fidei inuictæ gaudia uera iuuant.
Terræ autem, & fœni breuiter florentis amator
Seu caret optatis, seu fruitur, miser est.

MALA MORS QVAE SIT.

Mala mors putãda nõ est, quã bona uita præcesserit. Non enim facit malam mortem, nisi qui sequitur mortem. Non igitur multùm curãdum est necessariò morituris, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quò ire cogantur.

L.

Cuncta bonis prosunt, quos & mors ipsa beatos
Efficit, ut sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo absumuntur lachrymæ, cunctiq; labores,
Vt ueteris pereant omnia signa mali.

SANCTITAS.

Vita nõ amittitur corporis sanctitas, manẽte animi sanctitate in corpore oppresso. Sicut amittitur sanctitas corporis, uiolata animi puritate in corpore intacto.

LI.

Mens illæsa nihil uiolato corpore perdit,
Si uitam carnis uulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta uoluntas,
Velle magis facinus, quàm tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Vt plerunq; animus sit sine carne reus.
Dum quod ab intacto semotum est corpore, solus
Concipit, & tectis motibus intus agit.

VERA ANIMI MAGNITVDO.

Maior animus meritò dicendus est, qui uitam ærumnosam magis eligit ferre, quàm fugere, & humanum iudicium, maximeq; uulgare, quod plerunq; caligine erroris inuoluitur, præ conscientiæ luce, ac puritate animi contemnere.

LII.

Qui ualet aduersis oneratam ducere uitam,
Et tolerare magis uult mala, quàm fugere,
Maioris multo est animi, quàm ferre pauescens
Indocti iniustum iudicium populi.
Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis,
Hoc plus splendescit, quo magis atteritur.

NEMO BONVS SERuus est.

Iustis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed examen uirtutis. Nam bonus, etiam si seruiat, liber est. Malus autem etiam si regnet, seruus est, nec unius domini: sed quod grauius est, tot dominorum, quot uiciorum seruus.

LIII.

Oppreßis quoties iustis dominantur iniqui,
Non est puniti supplicium meriti.
Sed uirtus fidei sub tali examine crescit,
Nec seruile grauat libera corda iugum.
Solus peccator seruit malè, qui licet amplo
Vtatur regno, sat miser est famulus.

Cum

A *Cùm mens carnalis nimium dominante tyranno*
Tot seruit sceptris dedita, quot uicijs.

DEO DAMVS QVAE IPSIVS *sunt.*

Nemo quidquam Deo recte uoueret, nisi ab ipso acciperet, quod uoueret.

LIIII.

Optima uota Deo, quorũ est dator ipse, uouentur,
Hoc sursum dignum est ire, quod inde uenit.

IN DEITATE TRINITAS.

Omnis substantia, quæ Deus Dominus non est, creatura est, et quę creatura non est, Deus est. Nulla igitur differentia est in deitate trinitatis, quoniam quod minus est Deo, Deus non est.

LV.

Natura omnipotens una est, quæ cuncta creauit,
Et propriè, quod sunt, omnibus esse dedit.
Nam quidquid minus est, non est Deus, à patre natũ
Verbum, & qui amborum spiritus est, Deus est.
Vna eademq; trium, quoniam est eßentia, quæ se
Nunquam uel maior, uel minor esse potest.

NOSTRA DIGNITAS *à deo est.*

B Tales amat nos Deus, quales facti sumus dono eius, non quales facti sumus nostro merito.

LVI.

Tales à Domino, quales formamur, amamur.
Non quales nostris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet,
Et sibi perpetuò, quod placeat, faciat.
Nam nihil est hominis, quod dignè poßit amari,
Perficiat proprium ni bonus auctor opus.

OPERA DEI SVNT EXTRA *tempus.*

Ordo temporum in æterna sapientia Dei, sine tẽpore est, nec apud eum aliqua opera fiunt noua, qui fecit, quæ futura sunt.

LVII.

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
Inq; Deo rerum non uariat series.
Aeterno auctori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine, quidquid erit.

DEI VOLVNTAS.

Volũtas Dei est prima, et summa causa omniũ corporalium, spiritualiumq; motionum. Nihil enim fit uisibiliter, & sensibiliter, quod de inuisibili atq; intelligibili aula summi Imperatoris, aut nõ iubeatur, aut non permittatur secundũ ineffabilem iusticiam præmiorum, atq; pœnarum, gratiarũ, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaq; Republica.

LVIII.

Principium mundi Deus est, quo cuncta mouentur,
Et quæ permittit, uel iubet, auctor agit.
Hinc mutabilium, rerum immutabilis ordo
Aeterni seruit legibus artificis.
Inq; suos fines procedit quæq; uoluntas,
Nec uarijs meritis arbiter æquus abest.
Corda regens, uires tribuens, peccata remittens,
Mitis subiectis, implacidus timidis.
Vt nec pœna malum quenquam, nec gloria iustum,
Suscipiat nisi cum laude, et honore Dei.

EXPLORATIO SVI *ipsius.*

*

LIX.

Scire uolens, in qua rerum sis parte locandus,
Discite, quid timeas, quidue sit id, quod amas.
Nam cuncti hoc gemino nascuntur fomite motus,
Respondentq; suis germina principijs.
Et quod quisq; bonum, sibi tempore duxit in isto,
Hoc summi regis iudicio capiet.

REBVS FRAGILIBVS NIMIVM *non studendum.*

*

LX.

Angelicos ciues, & Christi in membra renatos
Non trahat ad ueterem carnis origo hominem.
Multa quidẽ in nostros bona mũdus procreat usus,
Et pleno tellus seruit opima sinu.
Sed terræ hospitibus cœli super astra uocatis,
Virtutis palma est spernere blanda soli.
Et sic præsentis spacium transcurrere uitæ,
Ipsa peregrinis ne uia sit laqueus.
Nam declinantes pro summis ferre labores,
Terrenorum auidos infima suscipient.

tt DEVS

DEVS INVESTIGABILIS.

Excedit supereminentia deitatis nō solùm usitatum eloquium nostrū, sed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus quàm dicitur, & uerior est, quàm cogitatur. Non autem paruę noticię pars est, si antequam possimus scire, quid sit Deus, possumus scire quid non sit.

LXI.

Nulla quidem mens est mortali in corpore uiuens,
Quæ plena uideat cognitione Deum:
Sed miris operum signis ostenditur auctor,
Rectoremq́; suum condita quæq; canunt.
Vnde licet fandi uires, animiq; uigorem
Vincat, & excedat gloria lausq́; Dei.
Nos tamen officio cordis gaudemus, & oris,
Et tanto oblectat succubuisse bono:
Hinc fidei uirtus, hinc flamma oriatur amoris,
Quod latet exercet, quod superat reparat.

HOMINIS LAPSVS ET *restitutio.*

Diabolus superbus seduxit hominē superbientem ad mortem. Christus humilis reduxit hominem obediētem ad uitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem: sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.

LXII.

Letifer immodico naturæ elatus honore
Angelus, inde hominem subruit, unde ruit,
Sed Christus miserans deceptum fraude maligni,
In se, illi ad uitam posse redire dedit.
Si caueat pactis hostis seruire superbi,
Sectari & studeat formam humilis Domini.
Qui patris in deitate manens Deus omni creator,
Verus de sacra uirgine natus homo est.
Sic nostrum assumens matris de corpore corpus,
Esset ut assumptæ carnis origo Deus.
In quo per lauacrum fidei uirtute renata
Cœleste accipiet gens noua principium.
Nil hominis primi retinens, sed plena secundi
Splendore, & capitis glorificanda sui.

VOLVNTAS RECTA.

Omnes beati si non habent, quod uolunt rectè, uel si habent, quod rectè uolunt, tamen non continuò sunt beati: A contrà autem, miseri si nō habēt, quod uolunt uel si habent id, quod non rectè uolunt, tamen miseri sunt. Propior ergo beatitudini est uolūtas recta, & iam si nō sit quod cupit adepta, quàm praua, etiamsi quod cupiuit, obtinuit.

LXIII.

Non semper uere est fœlix impleta uoluntas,
Cùm sæpe iniustis sint mala uota animis.
Recta igitur cupiens, etiamsi non sit adeptus,
Persistendo tamen uelle bonum, bonus est.
At prauus quod fert animo, si non habet actu,
Tam miser est, quàm si, quod cupit, obtineat.

HOMO SINE DEO ESSE *non potest.*

Magna miseria est hominis cum illo non esse, sine quo esse nō potest. In quo enim est, sine dubio sine illo non est. Nam si eius non meminit, eumq́; non intelligit, neque diligit, cum illo non est.

LXIIII.

Maiestate Dei concluditur omne quod usquam est, B.
Qua sine nil rerum stare, uel esse potest.
Huic homo si rectè famulatur, proximus hæret,
Si resilit, misero degit in exilio.
Omnia sic Dominus discriminat ordine iusto,
Quo sint summa bonis, ima parata malis.

CHRISTVS DEVS ET *homo.*

Diuinitas uerbi æqualis patri facta, est particeps mortalitatis nostrę, nō de suo, sed de nostro, ut & nos efficeremur participes diuinitatis eius, non de nostro merito, sed ipsius gratia & dono.

LXV.

Omnipotēs genitor, natusq́;, & spiritus almus
Vna in personis par tribus est deitas.
Quæ genus humanum prostratum fraude maligni,
Ad uitam hac fecit posse redire uia,
Naturæ ut nostræ Christus causæq́, redemptor
Mortalis fieret non minuens, quod erat.
Perq́; habitum serui uacuaret iura tyranni,
Et lethum letho uinceret immerito.

A *Hinc uerbum carni insertum, carnemq́; receptãs,*
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis uirtute augente superna:
Esset ut in uero lumine lumen homo.
Qui uires mortis per uitæ absorbuit haustum:
Factum est æternum, quod fuit occiduum.

CHRISTVS DEVS VERVS ET *homo perfectus.*

*

LXVI.

Quisquis consilio æterno contraria sentis,
Et uerbum in nostra carne manere negas,
Diuinæ pietatis opus dissoluere quæris, disoluere
Speq́; sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis uentura quenquam saluabit ab ira?
Quis'ue hominis primi crimine liber erit?
Si deitas uerbi non nostræ est insita carni,
Aut Christus falsi corporis umbra fuit.
Quis genitus puer est intactæ uirginis aluo,
Quæ natura annis creuit, & aucta cibis?
In qua prole, patrem mundi se credit Abraham,
Quæ'ue eius stirps est omnia sanctificans?
Quòd regale genus, simul est & pontificale,
B *Quis'ue idem Dauid filius, & Dominus?*
Peccati seruis, & mortis compede uinctis,
Vnam est dignatus ferre Redemptor opem.
Qui nostri generis carnem cum morte receptans
Nostra, hosti, ut nobis uinceret, opposuit.
Et carne exuta dominantem perculit hostem, exuit(a) / occisa
Vt caperet palmam præda uetusta nouam.

ODIVM VICIORVM NON *hominum.*

Perfectum odium est, quod nec iustitia, nec scientia caret, id est, ut nec propter uicia homines oderis, nec propter homines uicia diligas. Rectè igitur in malis odimus maliciã, & diligimus creaturã, ut nec propter uiciũ natura dãnetur, nec propter naturã uiciũ diligatur.

LXVII.

Recta uolens animus sapiens, & amator honesti
Quosdam odio dignos iudicat esse suo.
Nec tamen hos toto depellit fœdere gnarus
Naturam errantum diuidere à uitijs,
Sic generi indulgens proprio, ut peccata recidi
Optet, & ut damnet crimina, non homines.

MENDACIVM DIFFICILIVS *ueritate.*

Difficilia & laboriosa sunt figmenta mendacij. Qui autem uult uerum dicere, non laborat. Quietiores enim sunt boni, quàm mali, et absolutiora sunt uerba ueridicorum quàm commenta fallacium.

LXVIII.

Fallaces semper curis torquentur amaris,
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet.
Lubrica dum trepido mendacia plasmate fingit
Consumens totum tempus in arte mali. Consumans
At simplex animus, commenti & liber iniqui,
Nil amat iniustum, nil gerit implacidum.
Sectator ueri potietur luce serena,
Est quoniam mendax, noxq́; dolorq́; sibi.

VITA CHRISTIANIS SIT PIA *& honesta.*

*

LXIX.

Ad patriam uitæ de noctis ualle uocati,
Virtutum gradibus scandite lucis iter.
Arduus, atq; arctus fert ad cœlestia callis,
Deuexa ad mortem ducit, & ampla uia,
Qua fallax tumidi incedit sapientia mundi,
Commentisq́; suis ludificata ruit.
Et mala corporei sequitur dum gaudia sensus,
Exulat à uero lumine cæca procul.
Nec falsarum habitu uirtutum ornata iuuatur,
Perdit mens ueri nescia, quidquid agit,
Nouerit ergo Deum sapiens, totisq́; medullis
Diligat, inq́; ipso se quoq; amator amet.
Sit bonus & iustus, sit uerax atq; benignus,
Sit forma & speculum, lux & imago Dei.
In Christo factus nouus, & iam carne uetusta
Exutus, uilem mente relinquat humum.
Vt sacri templi quacunq; in parte locetur,
Magnum erit capitis corpore, quidquid erit.

SACRAE SCRIPTVRAE OB- *scuritas.*

Bonæ sunt in sacris scripturis mysteriorũ Dei profunditates, quę ab hoc tegũtur, ne uilescãt: ob hoc quęrũtur, ut exerceãtur: ob hoc aperiũtur, ut pascãt.

LXX.

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint lector clausa & opaca tibi.
Inuigilare tamen studio ne desine sancto,
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit,
Vltro obiectorum uilius est precium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem,
Qui dedit, ut quæras: addet, ut inuenias.

SVDOR CHRISTI SANguineus.

Orans cum sudore sanguineo Dominus noster Iesus Christus significabat, de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones.

LXXI.

Ferre parans Christus pœnam, mortemq́; propinquam,
Inuictamq́; suis ingenerare fidem.
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et pretium mundi sudor erat Domini.
Nec crucis asperitas poterat terrere uolentem,
Quæ regnaturæ gloria carnis erat.
Sed cruor ille pares sanctis spondebat honores,
Orturis toto corpore martyribus.
Nam cùm sacra seges terrarum impleuerit orbem,
Omnis ab hoc uno semine meßis erit.

SACRAMENTVM PIETATIS.

Sacramentum summæ pietatis in iudicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest male accipienti, quod bonum est.

LXXII.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat sibimet peccati pondera, quisquis
Quæ bona sunt, sumit: quæ mala, non refugit.

DEVS IN FACTIS OMNIBVS *laudandus.*

Qui laudat dominũ in miraculis beneficiorũ, laudet etiã in terrorib⁹ ultionũ. Nũc enim blãditur, et nũc minat: si nõ blandiretur, nulla esset exhortatio: si nõ minaretur, nulla esset correctio.

LXXIII.

Qui laudat Dominum de mundi conditione,
Et rerum in specie prædicat artificem.
Laudet & æternam mortẽ flammasq́; minantem, A
Et iusti regis iudicium metuat.
Spes de promißis nihil ambigat, omne dabit rex,
Quod parat, & meritis gratia maior erit.
Sed properent sontes peccati abrumpere nodos
Ante diem mortis, dum locus est ueniæ.

CONVERSIO NON DIFferenda.

Remedia conuersionis ad dominum nullis cũnctationibus differenda sunt, ne tẽpus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitẽti indulgentiã promisit, dissimulanti diem crastinum non spopondit.

LXXIIII.

Conuerti ad rectos mores, & uiuere sancte
In Christo meditans, quod cupit, accederet.
Cedant uirtuti uanarum obstacula rerum,
Ne perdat uoti tempora lenta fides.
Quid iuuat in longum causas producere morbi?
Cur dubium expectat cras hodierna salus?
Scimus correctis ueniam non esse negandam, B
Sed nulli nostrum est ultima nota dies.

TIMOR DEI.

Omnia, quæ timentur, rationabiliter declinantur, Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur.

LXXV.

Vtile prudenti est, mundana aduersa cauere,
Et quod uitandum est prospiciat fugere.
Sed cùm peccati merito manus omnipotentis
Omnia concludens arctat ubique reum:
Vnum profugium totum est Deus ipse timenti,
A quo discedens ne pereat, redeat.
Conuerti nanque ad Dominum certißima uita est,
Et pacem offensi quærere, sola salus.
Qui terret, parcit: qui percutit, ipse medetur:
Viuere uis illi, subdere, quem metuis.

DVPLEX VIRGINITAS.

Virginitas carnis, corpus est intactũ: uirginitas animæ, est fides incorrupta.

LXXVI.

Carnis uirginitas intacto corpore habetur,
Virginitas animæ est intemerata fides.

Qua

A Qui sine corporei nil prodest cura pudoris,
Sed mentis pietas auget utrunque bonum.

SVPERFLVA DANDA PAVperibus.

Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probabimur, si necessaria sola retineamus. Nam uana quærentibus nihil sufficit, & quodammodo alienorũ retentor est, qui profutura, pauperibus in utilitatem non habet.

LXXVII.

Magnum peccatũ est amor immoderatus habendi,
Et plus quàm uitæ sufficiat, cupiens.
Nam quod nos uestit, quod poscit cura salutis,
Si uanis sit mens libera, non onerat.
Siqua ergo superant, quorum non indiget usus,
Debilibus prosint, atque iuuent inopes.
Quisquis enim cupidè non expendenda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

DIVITIAE VERAE QVAE sint.

In magna egestate sunt diuites inopes
B iustitiæ, thesauros non habentes sapientiæ. Qui autem Domino seruiunt, ea bona acquirunt, quæ perire non possunt.

LXXVIII.

Terrenis opibus cùm diues gaudet iniquus,
Veris se miserum nescit egere bonis.
Nam quid erit, quod non momento temporis uno
Perdere mundana conditione queat.
Cùm licet aduersis cessantibus omnia parcant,
Lege tamen mortis sit faciendus inops.
At bona iustorum nullis, obnoxia damnis,
Hostes, furta, ignes, & mare non metuunt.
Indemnis seruat proprium sapientia censum,
Nec perdunt meritum paxq́;, fidesq́; suum.
Omnis uirtutum semper substantia salua est,
Inuitis Christi munera nemo rapit.

ABSTINENDVM A MALO, ET faciendum bonum.

Non sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est; & parum est, nemini nocere, nisi studeas te multis prodesse.

LXXIX.

Dignus laude quidẽ est, uitam sine crimine ducẽs,
Et quæcunq́; sibi sint nocitura cauens:
Sed non hoc pietas contenta est limite claudi,
Nec iustis, uetitis abstinuisse, sat est.
Maior cura breui est fratrum releuare labores,
Et ferre optatum tristibus auxilium.
Pascere ieiunos, nudos uestire, ligatos
Soluere, discordes conciliare sibi.
Et quæcunq́; homines miseri solatia quærunt,
Hoc ut poßibile est, promere corde pio.
Vt rectì uerè cupidus, uereq́; benignus,
Quæ mala sunt, fugiat: quæ bona sunt, faciat.

PECCATORES NON latent.

Peccator cùm peccat, ideo à Domino non uidetur, quia malè agentis pœna differtur. Grauis autem in eum decernitur, cui etiam ipsa correctio denegatur.

LXXX.

Gaudet transgressor peccato impune potitus,
Si non infertur debita pœna reo.
Ceu nulla offendant hominum commissa tonantẽ,
Aut aliqua excelsi noticiam lateant.
Sed uetitorum auidis grauior tunc ira timenda est,
Cùm sese remouent uerbera iusticiæ.
Namquid erit morbi, quod non dominabitur illi,
Cui supera auxilium iam medicina negat?

VERVM HOMINIS gaudium.

Nõ potest fraudari suis delectationibus, cui Christus est gaudium. Aeterna enim exultatio est, quę bono lętatur æterno.

LXXXI.

Felices uerè faciunt, semperq́; beatos
De uero, & summo gaudia nata bono.
Nam mundi ex opibus breuis, ac peritura uoluptas
Edita, perpetuæ semina mortis habet.
Non placeat uanis animum submittere rebus,
Pestiferisq́; auidam mentem onerare cibis.
Cor mundum, & sapiens fructu uirtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor.
Quo semel impletus nunquam uacuabitur illo,
Aeterna æterni flumina fontis erunt.

DEO QVIS SIT LONGINquior aut propior.

Deo, qui ubique est nõ locis, sed actionibus, aut sumus longinqui, aut propinqui. Quia sicut dissimilitudo separat nos, ita illi nos iungit imitatio.

LXXXII.

Omnem habitum mundi totus Deus implet, & ambit,
Nec præsens ulli desinit esse loco.
A' quo longinquus multum est nimiumq; remotus,
Quisquis sinceræ luce caret fidei.
Cuius si radijs depulsa nocte nitescat,
Diuino impletus lumine lumen erit.
Non igitur terrarum orbis, non æquora ponti
Inuia circuitu sunt obeunda uago:
Vt posit rerum dominator & auctor adiri,
Quem téplo in cordis mens pia semper habet,
A quo ut dissimilis terra indeserta recedit,
Sic uitæ merito proximus, est similis.

VITA IMPIORVM PECCAtum est.

Omnis uita infidelium peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis ueritatis, falsa etiam uirtus est in optimis moribus.

LXXXIII.

Quamuis multa homini post uulnera prima, supersint,
Quæ uitam hanc faciant laudis habere decus.
Si tamen ingenio claro, et probitatis amori
Fons desit fidei subdita corda rigans,
Cunctarum frugum marcescit inutile germen,
Nec fruitur uero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita uirtus,
Quæ uera ad summum prouehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad cœlestia mentem
Obstructam uanis, occiduisq; grauem.
Perq; omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

SABBATHI CELEBRATIO.

Malè celebrat sabbathum, qui à bonis operibus uacat. Ocium autem ab iniquitate debet esse perpetuum, quia bona conscientia non inquietum, sed tranquillum facit animum.

LXXXIIII. A

Non recto seruat legalia sabbatha cultu,
Qui pietatis opus credit in his uetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos,
Omnia conueniunt tempora iusticiæ.
Nec corrumpuntur uirtutibus ocia sancta,
Tantum à peccatis libera corda uacent.

VERA LIBERTAS.

Libera semper est seruitus apud Deũ, cui nõ necessitas, sed charitas seruit.

LXXXV.

Libertas nulla est melior maiórue potestas,
Quàm seruire Deo, cui bene seruit amor.
Absque iugo posita est ditionis amica uoluntas,
Quæ uiget affectu, non gemit imperio.

IN DEO GLORIANDVM.

Quo uicio primùm superatus est homo, hoc ultimũ uicit uiciũ. Cùm enim omnia peccata superauerit, manet periculum, ne bene sibi mens conscia in se potius, quàm in Domino glorietur.

LXXXVI.

Qua primum in mortem est homo pulsus fraude maligni,
Hanc illi extremam bella peracta mouent. B
Sublimes ut cùm palmas, clarasq; coronas
Sumpserit, atque hostem subdiderit pedibus.
Virtuti propriæ uelit assignare triumphum,
Non Domino, cuius munus, opusq; fuit.
In quo uno semper superat, qui non superatur,
Quo dignante manum subdere, nemo cadit.

IN SOLO DEO QVIES ET TRANquillitas.

LXXXVII.

Ancipitis uitæ qui uis superare labores,
Dilige, quod semper uerus amator habet.
Instant terrenis infesta pericula rebus,
Feruent pro damnis prælia, proq; lucris.
Et nihil est inter carnalia uota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
In solo est mens tuta Deo, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

ADVLATIO.

Adulantiũ linguę alligant animas in peccatis, delectat enim ea facere: in quibus

A bus non solum non metuitur reprehensor, sed etiã laudator auditur.

LXXXVIII.

Lingua assentatrix uicium peccantis aceruat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla sit ut lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonti dum malè suasus honor.
Libera sit potius uox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca uenena sinat.
Nec credens medici uerbis fallacibus æger
Noxia laudatæ uulnera pestis amet.

MARTYRIVM ET BAPTISMUS.

Qui nondũ percepto regenerationis lauacro pro Christi cõfessione moriuntur, tantum eis ualet effusio sanguinis ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis.

LXXXIX.

Si mundo moritur diuino fonte renascens,
Fitq; nouus uita, qui sepelitur aqua.
Non sunt fraudati sacro Baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit.
B *Et quidquid sacri fert mystica forma lauacri,*
Id totum impleuit gloria martyrij.

IVSTICIA HOMINIS IMPERFECTA.

Iusticia nostra quamuis uera sit propter uerum boni finẽ, ad quem refertur: tamen tanta est in hac uita fragilitas, ut potius remissione peccatorum constet, quàm perfectione uirtutum.

XC.

Magna quidem in multis est excellentia factis,
Quorum animas superi gratia roris alit.
Sed dum mens quædã patitur mala corporis ægri,
Et pugnam internis exteriora mouent:
Nunquam ita perfecto capitur uictoria bello,
Vera ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt,
Ipsaq; uirtutum gaudia uulnus habent.
Vt faciat cunctis longa experientia notum,
Non esse hoc plenam tempore iusticiam:
Ni Dominus miserando lauet delicta suorum,
Et dans uirtutum munera, det ueniam.

OPERA DIVINITATIS *inuestigabilia.*

XCI.

Diuinorum operum secretas noscere causas,
Humanis non est possibile ingenijs.
Nec nullo tamen intuitu speculatur operta,
Qui multa ut lateant, scit placuisse Deo.
In quo mens imbuta fide simul omnia discit,
Perq; operum speciem suscipit artificem. suspicit
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus,
Mensuris ~~nostris~~, ponderibusq; suis. numeris
Scrutari nec cura procax obstrusa laboret,
Cui cuncta in Christo nosse, & habere datur.

SPES DE MALIS HABENDA.

Non est desperandũ de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicãdum est. Quia numerus sanctorum semper est de numero auctus impiorum.

XCII.

Vt morbo oppressis præstanda est cura medendi, obsessis
Donec in ægroto corpore uita manet:
Sic prauis multa & uiciorum mole grauatis,
Sanctarum pietas est adhibenda precum.
Vt dum possibile est mutari corda malorum,
Horrescat noctis deuia lucis amor,
Conuersisq; nouam mentem det gratia Christi,
Qua fiunt homines iustificante boni.

IN LAETIS PARANDA REMEDIA ADVERSORUM.

In tranquillitate pacis comprahendenda est doctrina sapiẽtiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoscitur, nec facile inueniuntur in aduersitate præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita. in tribulationũ turbine

XCIII.

Dum non perturbant animum discrimina mundi,
Dumq; diem pacis prælia nulla premunt,
Exercere fidem diuinis conuenit armis,
Consilioq; omnes anticipare minas.
Tranquillam, & curis uacuam sapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hospes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sæuo turbine non poterit.

BONORVM AETERNORVM uolens amißio.

Poteſt homo inuitus amittere temporalia bona, nunquam uerò, niſi uolens, perdit æterna.

XCIIII.

Omne bonũ mundo concretum, et tempore partũ,
Quacunque amitti conditione poteſt.
Et quamuis damnis uigilanter cura reſiſtit,
Sæpe tamen proprijs diſpoliatur homo.
At bona quæ uere bona ſunt, nec ſine tenentur,
Semper habet quiſquis ſemper habere cupit.
Nec uim ferre poteſt Chriſto ſubnixa uoluntas,
In quo perſiſtens omnia uincit amor.

A' DEO QVID SIT PETENDVM.

Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius uitæ, & miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit utile, magis nouit medicus, quàm ægrotus. Si autẽ id poſtulat, quod Deus præcipit, fiet omnino, quod poſcit, quia accipit charitas, quod parat ueritas.

præcipit
parit

XCV.

Inter mundanæ mala conflictantia uitæ
Sæpe quidem Domini corripitur populus.
Qui tempeſtatum uaria ſub clade laborant,
Noſcant ſe iuſti ferre flagella Dei.
Atque ipſum toto gemitu, planctuq́; precentur,
Vt qua ſcit miſeris auxilietur ope.
Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec uerò leges ipſe dabit medico.
Morbida rimetur penetralia dextra ſalutis,
Et depreſſa graui uiſcera peſte leuet.
Abſque dolore quidẽ nequeunt mala ſueta repelli,
Sed quod læſerunt dulcia, amara mouent.
Pœniteat morum, & uicijs uirtute fugatis,
Regnum peccati reſpuat aula Dei.
Ad ueniam tendunt iuſti pia uerbera regis,
Ira breuis rectis gaudia longa dabit.

quibus
nouant

PERPETVVM CERTAMEN PII SECVM ipſi habent.

*

XCVI.

Nunquam bella bonis, nunquam diſcrimina deſunt,
Et cum quo certet, mens pia ſemper habet.
Quæ carnem oblectant ſancto ſunt noxia cordi, A
Contra animi legem prælia corpus habet.
Pulſant exterius diuerſis motibus hoſtes,
Intus ciuile eſt, & ſociale malum.
Vt poßit mundi illecebris, uicijsq́; reſiſti,
Vis eſt corporei mortificanda hominis.
Sed quæ mens recto famulam ſub iure tenebit,
Edomitæ ut regnet carnis in officijs.
Excelſo niſi quæ ſeruit bene ſubdita regi,
Vnde eſt facta uolens, fiat ut inde ualens.

DEVS MALI NIHIL condidit.

Omnia per uerbum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil. Cùm itaque uniuerſæ creaturæ per uerbum Dei factæ ſint, iniquitas per ipſum non eſt facta, quia iniquitas nulla ſubſtantia eſt: & peccatum non eſt natura, ſed uiciũ naturæ, appetentis id, quod non eſt ſui ordinis.

XCVII.

Per uerbũ omnipotens Deus omnia condidit unus,
A' quo natura eſt nulla creata mali.
Et quod non fecit diues ſapientia uerbi,
Non habet in rerum conditione locum. B
Nulla igitur uicijs ſubſtantia, nullaq́; uita eſt,
Quæ uegetet corpus, materiamq́; ſuam.
Sed cùm libertas diſcedit ab ordine recto,
Nec ſeruant propriũ, quæ bona ſunt, modulũ,
In culpa & uicio eſt uagus in contraria motus,
Fitq́; malum ueram deſeruiße uiam,
In quam ſi toto properet quis corde reuerti,
Nullus neglecti limitis error erit,
Totaq́; deleti peccati pœna peribit,
Condita in integrum reſtituente Deo.

MALA NON POSCENDA.

Deus, cùm aliquid malè poſcitur, dando iraſcitur, & non dando miſeretur.

XCVIII.

Cùm Deus effectum precibus non præſtat iniquis,
Multum concedit, quod nocitura negat.
Errantes uoto, non uult delinquere facto,
Iratus ſineret, quod prohibet placidus.
Diſcat felici ſupplex gaudere repulſa,
Incipiatq́; animo pellere, quod uoluit,
Parcentemq́; Deum noſcat ſibi, cùm ruiturus
Non exaudiri, ne rueret, meruit.

DE

A DEI IVDICIVM.

Nullo modo iudicijs hominum cõparanda sunt iudicia Dei, quem non est dubitandũ esse iustũ, etiã quando facit: quod hominibus uidetur iniustũ.

XCIX.

Iudicium humanum, quod falsi sæpe necesse est,
Non semper recipit regula iusticiæ.
At Domini in cunctis æqua est, ueraxq; potestas,
Aspectum cuius nulla remota latent.
Talis laudetur iudex, timeatur, ametur,
Qui uere iustus permanet atq; bonus.
Aduersos reuocans, conuersis cuncta remittens,
Atq; malis ueniam dando, bonos faciens.
Non ergo audacter mens ueri nescia culpet,
Quod placuit summi iudicis arbitrio:
Sed subdat sese iusto ignorantia regi,
Qui nũquam, quæ sunt non bona, uelle, potest.

IRA VITANDA.

Nulli irascenti ira sua uidetur iniusta. Vnde ab omni indignatione citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nã pertinax motus facile in eius
B odiũ transit, cui nõ celeriter ignoscitur.

C.

Nemo suæ mentis motus non æstimet æquos,
Quodq; uolunt homines, se bene uelle putant.
Vnde animus celeri pace est reuocandus ab ira,
Ne robur sæuis tempora dent odijs.
Offensas sibimet parcentia corda remittant,
Nam nemo est, qui non indigeat uenia,
Quam, nostri memores, mũdi inter uana, uicißim
Omnibus in caußis, & damus & petimus.

VIA RECTA INCEDENDVM.

*

CI.

Cultor iusticiæ, diuinæ pacis amator,
Quem uocat ad summum uita beata bonum,
Scandere constanter dextros annitere calles,
Despiciens leuæ noxia plana uiæ.
Tutius est duros mundi tolerare labores,
Infestiq; hostis prælia sæua pati,
Quàm uictum officijs animum submittere blãdis,
Captaq; seruili subdere colla iugo.
Tempore in occiduo non longi est usus honoris,
Et celeri lapsu gaudia falsa fluunt.
Finem igitur proprij sapiens speculabitur æui,
Et uia, quam currit, quo ferat, aspiciet.
Nam mundo innexis pars est cum principe mũdi,
At seruis Christi gloria Christus erit.

CADVCIS ET CORPOREIS NON *adhærendum.*

*

CII.

Corporeos inter sensus, moribundaq; membra
Multa animus patitur carnis ab hospitio,
Quæ uitæ de qua uiuit contraria quærens,
Vult legem mentis soluere lege sua.
Sed prudens præsul famulam frenare rebellem
Aeterni regis discat ab imperio,
Et uerum accipiens supero de lumine lumen,
Noctem peccati cordis ab æde fuget.
Nam quia cuncta Deus bona cõdidit, ipsaq; nostri
Exilij regio est pulchra decore suo.
Auditus, uisus, contactus, gustus, odorq;
Præberi gaudent undiq;, quod placeat,
Fitq; nocens homini præsentis temporis usus,
Si captum blandis inferiora ligant.
Mens igitur sapiens superas enitere ad arces,
Et summis fieri suesce beata bonis.
Delitias iam nunc promißi concipe regni,
Virtute atq; fine, quod cupis, esse tene.
Ne ue ad spem dubiam frustra te currere credas,
Naturæ in Christo prospice liba tuæ.
A' quo susceptum si te non ambigis esse,
Totus homo in capitis corpore semper eris.
Tantum ut iussa uelis nutu obseruare docentis
Qui, quod ait uerbo, præuenit auxilio.

DEVS IMMENSVS ET IN*finitus.*

*

CIII.

In deitate gradus mensura, & tempora non sunt,
Et quod idem est, maius non habet, atq; minus.
Corporeæ longè moles, formæq; recedant,
Virtus summa caret finibus & spacijs.
Quod pater, hoc simul est uerbũ patris, hoc utri- (usq;
Spiritus, hic Deus est unus, & una fides.
Per quam uerorum spes non incerta bonorum
Sublimem ignoto scandit amore uiam,
Et prægustata superi dulcedine roris
Doctrinis pasci gaudet apostolicis.

VITA PAVCORVM INDIGA.

*

CIIII.

Indignas quisquis non uis incurrere causas,
Innecti uanis occiduisq; caue.
Mortalis uitæ breuitas non multa requirit,
Paucorum exigui temporis usus eget.

REBVS STVDENDVM COElestibus.

*

CV.

Esse uolens, gaudere optans, scire abdita quærens,
Vt te non teneant ultima, summa pete,
Delectare Deo rege, in cœlestibus esto,
Et quæ spe sequeris, credita, amore tene.
Nulla in te maneant hominis uestigia primi,
Nec formam ueteris gestet imago Dei.
Exulta agnoscens, te uerbi in carne renatum,
Cuius si pars es, pars tua Christus erit.
Qui, ne damnandi legeres mala gaudia mundi,
Promissum ad regnum se tibi fecit iter.

DEVS TRINVS ET VNVS.

*

CVI.

Cùm pater in uerbo sit semper, & in patre uerbũ,
Sitq; unus uerbi spiritus, atq; patris:
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Vnum, ut docta fides, confiteare Deum.
Corde patris genitum, creat & regit omnia uerbũ,
Nec tamen est aliquid, quod sine patre gerat.
Vnus enim amborum motus ratio una uolendi,
Par uirtus, idem spiritus. unus amor.

IN DEO TRINITAS EX unitas.

*

CVII.

Sic magnus Deus est, de se ualet, & manet in se,
Cui summũ, & propriũ est, semper id esse, quod (est.
Splendet enim uerũ uero de lumine lumen,
Vt genitum agnoscens nouerit ingenitum.
Vna trium deitas, una est sententia, ab uno,
Idem est & uerbi spiritus atq; patris.
Nullum opus abiunctũ, nulla est nõ æqua potestas.
In cunctis unum sunt tria principium.

IN BONO PERSEVERANDUM.

*

CVIII.

Cùm pia mens in laude Dei superata labores,
Gaude, quod tantum te bene uincit opus,
Teq; aliquid superi cognosce hausisse uigoris,
Si tibi non satis est, quod cupis, atq; sapis.
Quære bonũ, sine fine bonum, & persiste reperto
Quærere, non habeant talia uota modum.
Nam qui se nullo iam munere credit egere,
Crescere non cupiens, perdit adepta tepens.

HVMANA OMNIA SVNT peritura.

*

CIX.

Qui centum quondam terram uertebat aratris
Aestuat, ut geminos poßit habere boues.
Vectus magnificas carpentis sæpe, per urbes,
Rus uacuum fessis æger adit pedibus.
Ille decem celsis sulcans maria alta carinis,
Nunc lembum exiguum scandit, & ipse regit.
Non idem status est agris, non urbibus ullis,
Omniaq; in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, fame, uinclis, algore, calore,
Mille modis miseros mors rapit una homines.
Vndiq; bella fremunt, omnis furor hæsitat armis,
Incumbunt reges regibus innumeris.
Impia confuso sæuit discordia mundo,
Pax abijt terris, ultima quæq; uides.
Et si concluso superessent tempora seclo,
Vt poßet longos mundus habere dies:
Nos tamen occasum nostrum obseruare deceret,
Et finem uitæ quenq; uidere suæ.
Nam mihi quid prodest, quod longo flumina cursu
Semper inexhaustis prona feruntur aquis.
Multa quòd annosæ uicerunt secula siluæ,
Quodq; suis durant florea rura locis.
Ista manent, nostri sed non mansere parentes,
Exigui uitam temporis hospes ago.
Non hæc ergo sumus nequidqam in secula nati,
Quæ pereunt nobis, & quibus occidimus:
Sed uitam æternam uita mercamur in ista,
Vt subeat requies longa labore breui.
Et tamen iste labor sit fortè rebellibus asper,
Ac rigidas leges effera corda putent.

Nos

A Non tamẽ hæc grauis est mansueto sarcina dorso,
Nec lædit blandum mitia colla iugum.

VITA HOMINIS CHRISTIANI.

CX.

Tota mente Deus, tota ui cordis amari
Præcipitur, uigeat cura secunda hominis.
Quod sibi quis nolit fieri, non inferat ulli,
Vindictam læsus nesciet exigere.
Contentus modicis, uitet sublimis haberi,
Sperni non timeat, spernere non soleat.
Parcus, uera loquens, & mente & corpore castus,
Insontem uitam pacis amator agat.
De proprio, cunctis quos cernit egere, benignus,
Non sua, non cupiat: quæ sua sunt, tribuat.
Quid rogo mandatis durum censetur in istis?
Aut quid erit, quod non poßit obire fides?
Qui credunt sacros uerum cecinisse prophetas,
Et qui non dubitant uerba manere Dei.
Qui Christum passæ pœna crucis, ultima mortis
In toto celsi patris honore, uident:
Quiq; ipsum, multa cum maiestate tremendum,
Expectant pingui lampade peruigiles.
B His sordent terrena, patent cœlestia, nec se
Captiuos seruos temporis huius agunt.
Non illos fallax cœpit sapientia mundi,
Nec curas steriles inseruere polis.
Imperia & fasces, indocti munera uulgi,
Quasq; orbis, scelerum semina, fecit opes,
Calcarunt sancta cœlum ambitione potentes
Suffragijs Christi, & plausibus angelicis.
Nec labor hos durus uincit, nec blanda uoluptas,
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.
Omnia non Christi, qui Christi est, odit in illo,
Aestuat in sese, quærere & optat eum.

PROSPERI PRECES AD DEVM.

ILle Deus rerum, cœli terræq; creator,
Me propter sacra uirgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora saliuis
Præbuit, & figi se cruce non renuit.
Non ut tanta Deo quidquam patientia ferret,
Cuius nec crescunt, nec minuuntur opes:
Sed quod erat uiciatum in me, ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei.
Me geßit moriens, me uicta morte resurgens,
Et secum ad patrem me super astra tulit.
Quidnam igitur uiuens Prosper tolerare recusem,
Aut quid erit, quod me separet à Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea uiscera tortor,
Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere si cæco claudar, nectarq; cathenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret ceruicem abscindere lictor,
Impauidũ me inueniet, mors cita, pœna breuis.
Non metuo exiliũ, mũdus domus omnibus una est.
Sperno famem, Domini sit mihi sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit:
Tu das Christe loqui, tuq; pati tribuis.
In nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, & superare facis.
Spes igitur mea sola Deus, quem credere uita est
Qui patriæ ciuem me dedit alterius.
Sorte patrum, occiduum iussus transcurrere mũdũ,
Sub Christi sacris aduena, miles eo.
Nec dubius me iure breui terrena tenere,
Sic utar proprijs, ceu mea non mea sint.
Non mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem Christo diuite non metuam.
Qua stetero aduersis, hac utar mente secundis:
Nec mala me uincent, nec bona me capient.
Semper agã grates Christo, dabo semper honores.
Laus domini uigeat semper in ore meo.
Tu modò fida comes mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita elatum cohibe, solare dolentem,
Exemplum uitæ simus uterq; piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde,
Erige labentem, surge leuantis ope.
Vt caro non eadem, sed tantùm mens quoq; nobis
Vna sit, atq; duos spiritibus unus alat.
Arbiter omnipotẽs, sceptro qui cuncta gubernas,
Almæ parens Christi, uotis miserere precantũ,
Dignare & famulis uitam donare perennem.

ALIAE.

Hæc tua perpetuæ quæ scripsi dogmata uitæ,
Corde rogo facias Christe manere meo:
Vt tibi quæ placeant, tete formante requirens,
Gaudia cœlorum te duce Christe metam.

PROSPERI AQVITANICI IN LIBRVM DE INgratis Præfatio.

Vnde uoluntatis sanctæ subsistit origo,
Vnde animis pietas insit, & unde fides.
Aduersum ingratos, falsa & uirtute superbos,
Centenis decies uersibus excolui.
Quos si tranquilla studeas cognoscere cura,
Tutus ab aduerso turbine lector eris.
Nec libertate arbitrij rapiere rebellis,
Vlla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

DE LIBERO ARBITRIO CONtra ingratos aut Pelagianos,

LIBER PRIMVS.



Ongenitæ in Christo gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor, proprias excedere (uires
Me iubet, atq; pias accēdere carmine mentes.
Ne post conceptum celebris uictoria bellum,
Securos animos incauta pace resoluat,
Ceu metus eliso iam nullus ab hoste supersit:
Ne caput attriti uirosum palpitet anguis.
Vnde igitur commenta mali sopita resurgant,
Quem'ue ipso de fine dolum noua promat origo,
Da fari pater omnipotens, artemq; malignam
Pandere, prostratus qua rursum nititur error.
Dogma quod antiqui saciatum felle draconis,
Pestifero uomuit coluber sermone Britanus.
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Vt seu præscriptum mandatum transgrederentur,
Siue inculpati seruata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem uita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus, neq; dißimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate malè usi
Peccarunt, forma nocui, non semine proli:
Posse autem insontes omnes uirtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum seruare decorem,
Arbitrio quoniam subsistat recta uolentis
Naturalis honos, lexq; insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris: cui gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si uellent fonte nouari:
Vt sponte attractum uenia soluente reatum,
Sponte sua in uires proprias natura rediret:
Quoq; per errores esset spoliata uigore,
Hunc seruare semel posset purgata receptum. B
Tam diues uerò hoc donum baptismatis esset,
Et tam multa homini conferri fœdere in isto,
Vt paruis etiam uitioq; carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturæq; bonum adiecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exortem muneris huius,
Iudicio genitum esse Dei, sed quemq; mereri
Libertate sua, ut capiat promissa uocantis.
Quæ sint auersis indebita, debita rectis.
Talia cùm demens latè diffunderet error,
Commentisq; rudes traheret lethalibus aures:
Adfuit, exhortante Deo, prouisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu
Conficiens diros iaculis cœlestibus hostes.
Hisdem namq; simul decretis, spiritus unus
Intonuit, pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poßidet armis,
Relligione tenet: non segnior inde orientis
Rectorem cura emicuit, captumq; nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum: nisi corpore Christi

Abiungi,

A Abiungi, & sancto mallet grege dissociari,
Lene quidē hoc, nimiumq; malos tolerasse uidetur
Iudicium, sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namque est, diuino et munere cautum,
Vt licet instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem:
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malum extinguēs sobolem, quam protulit ore.
Tunc & Bethlæi præclarus nominis hospes
Ebræo simul & Graio, Latioq; uenustus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; magister
Hieronymus libris ualde excellentibus hostem
Dissecuit, nesciq; dedit quo turbine ueram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.
Quid loquar, & cura magna, quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide? de qua tunc impia corda,
Quamuis se obducto tegerent uelamine, forma
Iudicij & tacitæ tulerint tormenta repulsæ.
Prætereo, quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesus, non passa suis consistere tectis
B Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis:
Quaq; fide tellus etiam Trinacria feruens,
Agmen uipereum proprijs exegerit oris.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostræ
Exequeris, tecumq; suum iungente uigorem
Iuris Apostolici solio, fera uiscera belli
Conficis, & lato prosternis limite uictos.
Conuenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoq; senum celeberrima cœtu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequatur.
Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione euincere, nostri
Vi premerent: discussæ artes, uirusq; retectum est
Hæretici sensus, nullumq; omnino relictum,
Docta fides quod non dissolueret argumentum.
Candida sunt, & scripta manent quæ de cataractis
Aeterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum sunt edita linguis,
Sic moderante suam legem bonitate seuera,
Vt qui damnato uellent de errore reuerti,
Acciperent pacem: pulsis, qui praua tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumq;

Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo,
Accensum uero de lumine: nam cibus illi,
Et uita, & requies, Deus est: omnisq; uoluptas
Vnus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto,
Insanas pepulere feras, industria maior,
Maius opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum conuertit callidus hostis,
Quà que per ambages anceps iter egit opertus:
Huius ab occursu est præuentus, mille uiarum
Insidijs, aditum non repperientibus ullum.
Cúmque foris rabies auidorum exclusa luporum
Frenderet, inq; omnes mendacia uerteret artes,
Ne mentes ullarum ouium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis:
Istius ore uiri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites, humilesq; bibunt, campisq; animorum
Certant, uitalis doctrinæ immittere riuos.
Iamq; procellosæ disiecto turbine noctis,
Heu noua bella, noui partus oriuntur in ipso
Securæ matris gremio: quæ crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pauitans inimico ex semine fœtus:
In quibus antè diu, specie fallente, benignus
Errarat genitricis amor: cùm obducta decoris
Moribus, externæ stirpis tegeretur origo.
Sic ueris subeunt falsa, & discrimine cæco,
Fronte placent, quæ fine latent: sic laudis amore,
Virtutum studium corrumpitur, atque ab honesto
Principio in uitium exitur plerumque tumoris:
Quo quidā inflantur nunc turpiter, atq; perempti
Dogmatis extinctas tentant animare fauillas,
Dum libertatem arbitrij, affectumq; uolendi
In naturalis motus uirtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quàm posse subest cuique in mala ferri.
Quod qui confirmas, qui non distabis ab illis,
Qui dicunt nullo peccati uulnere læsum
Naturale bonum, cumq; illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratū est.
An uerò excerpis quædam, quæ parte recisa
Suscipias, cordisq; sinu purgata recondas?

Dic igitur quid'nam inde probes, qiud'ue refutes,
Et de damnatis quid ſit, quod crimine ſoluas.
An dextram pacis palàm dare te pudet hoſti?
Nec tutum eſt ulla pulſos ex parte tueri
Simpliciter, quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo: noua te diſcordia diuidit abs te.
Corde foues, quod in ore premis, coniungere amicis
Mentibus, & tecum cupidis componere fœdus.
Lege tua iam parce, minis & congrue pactis.
Ecce pererratis terrarum finibus adſunt,
Implentesq́; tuas lachrimoſis queſtibus aures
Incipiunt: pulſi mundo, nullaq; recepti
Sede uagi, tandem fama exhortante redimus,
Quæq́; placent uobis amplectimur: edita nobis
Doctrinæ ueſtræ eſt pietas, nihil inficiando
Diſcutimus, liceat uobiſcum iungere ſenſum.
Immortalem hominem factum ſi creditis, & nos
Credimus: inciderit mortem peccando, ſuamq́;
Progeniem culpa & letho deuinxerit omnem,
Nullus non egeat ſacro baptiſmate Chriſti,
Infantesq́; etiam purgentur fonte lauacri:
Dum noſtri decus arbitrij, lumenq́; creatum,
Principio quod ſponte poteſt inſiſtere rectis,
Manſerit illæſum, nec uiribus abſit ab illis,
Quas condente Deo generaliter, omnis in Adam
Suſcepit natura hominis, nec ſuppetat ulli
De non accepta arbitrij uirtute querela:
Cùm ſine delectu, ſeu Lex, ſeu gratia Chriſti
Omnem hominem ſaluare uelit, donumq́; uocantis
Sic ſit propoſitum, ut nullus non poſsit ad illud
Libertate ſua, proprioq́; uigore uenire,
Sitq́; ſalus dignis ſaluari ex fonte uolendi.
Hæc ſi ueſtra fides, ueſtra eſt doctrina, remotis
Quæ ueſtro exemplo reiecimus, addite ſanctis
Nos gregibus, tandemq́; bonis defendite ueſtros.
Talia ſubmiſſus ſi defleat hoſtis apud te,
Quid referes? quo te affectu comperta mouebunt?
Conſultas, trepidas, nutas, cunctaris, & hæres,
Quóue anceps ſe præcipitet ſententia uoluis,
Iniuſtum eſt animis cognatis non dare pacem:
Et quos una fides, eadem ſapientia nectit
His communem aditum ſanctorũ ad ſancta negare:
Iungere ſed fœdus cum talibus, & uiolare
Sanctorum decreta patrum, regumq́; piorum,
Scriptas lege dei leges contemnere, multum
Hoſtile eſt, nimiumq́; audax & pernicioſum.
Ergo ſolum Petri Romam, & Carthaginis altæ A
Concilium repetant humiles, eademq́; perorent,
Quæ fruſtra hìc trepido ſunt deplorata fauori.
Sed cùm mille ſenum prudentia peruigil olim,
Perſpectum, notumq́; tenens quod tota nefandæ
Hæreſeos ſumma, exigua ſub parte tegatur?
De qua plena mali labes renouetur, & omne
Commenti corpus per ſingula membra reſurgat:
Antiquas adhibentem artes reiecerit hoſtem,
Limitibusq́; ſuis ſteterit cenſura ſalubris:
Nunquid non iuſtus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, & in tales miſeros exire querelas?
Vt dicant: quæ'nam iſta patres in cordibus almis
Iuſtitia eſt? quo fine graues, quo fine ſeueri,
Claudere terrarum nobis perſiſtitis orbem?
Nos'ne ſumus toto mundo, quorum undiq; uobis
Sit ſuſpecta fides? quos non tolerare queatis?
Si noſtra à ueſtro uel ſillaba diſſonet ore.
Non uerbis iam nos argumentis'ue tuemur,
Iudicium ex templo petimus, quod pace manente
Libera multorum uox aſtruit, hoc ſine bello
Cedatur nobis: non noſtra inuenta fouemus,
Nec primis ſtudijs inſiſtimus: ecce reciſum eſt,
Vnde olim certamen erat, ueſtrisq́; reuerſi B
Cedimus, & quæcunque illis placuere probamus.
Quid ſupereſt culpæ, quo nos decet uſque repelli?
Si uerò hæc etiam: quæ nos pia ducimus, abſunt
A ueris, & ueſtra illis bene cura repugnat:
Cur extra inuidiam, pœnamq́; erroris habentur
Quidam? nata docent, & per clara oppida tuti
His magnos implent populos, quæ nos perhibẽtes
Plectimur, & nulla ſinimur conſiſtere terra?
Hæc in pontificum ſancto deprompta ſenatu,
Quam curam exigerent, & quæ decreta mouerẽt,
Perſpicis: an quoniam culpa ſecurus operta,
Non premeris ſynodo, nec te pœnæ metus urget,
Spernis propoſiti ſpeciem terroris, & iſthæc
Plena uelut uanis ſimulachris ſomnia, rides.
Ergo gerendorum euentu, & fine remoto,
Hæc tãtùm in medium, quæ iam ſunt geſta uocemus,
Vt facile ex illis, quale hoc ſit diſcutiatur,
Quod diſceptantes dudum in diuerſa mouemur.
Inter multa, ſuis quæ tradidit, hæreſiarches,
Quod cognoſcis, agit, naturam quæ bona facta eſt,
Nullis cum uitijs in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe parentis.

A Et quoniam tales nascantur, nunc quoq; qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum:
Posse hominem sine peccato decurrere uitam,
Si uelit, ut potuit nullo delinquere primus,
Libertate sua, nempe hæc damnata fateris
Concilijs, mundiq; manu, connectit & illud
Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit olim
Cœlorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio sancto scis esse peremptum.
Obiectum est aliud, ipsum dixisse magistrum,
Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum:
Sed nimis aduersum hoc fidei, nimiumq; repugnās
Esse uidens, dixit se non ita credere, & illos
Damnari dignos, quorum mens ista teneret.
Quo cernis cum iudicibus damnantibus ista
Consensisse reum, nec quemquam hæc posse tueri,
Quæ tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reuersus.
Nunc igitur quoniam quid nostris displicuisset
Ostensum est, quām sana fides sit uestra patescat.
Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite uobiscum: formam hanc ascribitis illi,
B Vt cunctos uocet illa quidem, inuitetq;, nec ullum
Præteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absoluere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parêre uocanti,
Iudicioq; suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat illi:
Sed cupidos recti iuuet, illustretq; uolentes.
Hinc adiutoris domini bonitate magistra
Crescere uirtutum studia, ut quod quisque petendū
Mandatis didicit, iugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter, æquam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant, finem effectumq; petitum
Dante deo, ingenijs qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis uigor, & uariarum
Illecebris rerum trahitur dispersa uoluntas:
Sponte aliquos uicijs succumbere, qui potuissent
A lapsu reuocare pedem, stabilesque manere.
Iam quia summatim, ut potuit, sententia uestra
Decursa est: dic unde probes, quod gratia Christi
Nullū omnino hominē de cunctis, qui generantur
Prætereat, cui non regnum uitamq; beatam
Impertire uelit: nec enim uel tempore nostro
Omnibus in terris iam certum est insinuatum
Christi Euangelium: ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt iussa, sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumq; suus, aditus dominoq; pandente, ministris
Crescunt primitiæ, fuerint omnino necesse est
Quædam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absorpserat impietatis:
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cùm multæ accepto fulgerent lumine mentes.
An bonitas diuina quidem non destitit omnes
Velle uocare homines: sed non simul apta fuerunt
Corda, quibus possent conferri dona salutis:
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris,
Difficilesque aditu transcurrit gratia gentes.
Vt quoniam lucem offerri uoluisset, & ipsis
Demonstrare Deus: sua quemque aduersa uoluntas
Arguat, & culpa obstringat, quia lumine primo
Per uitia oppresso, sit facta indigna secundo.
Quod si firmatur, nequidquam plectimus illos,
Qui nullum innatum uitium nascentibus aiunt,
Incolumiq; omnes cum libertate creari,
Gratia quos Christi meritorum examine iusto
Eligat, & dignos uita uocet, accipiatq;
Namque utrumque simul sapitis, qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus:
Naturæ quoniam non sit detracta facultas,
Nec sine iustitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint uitiorum: ut lumen ab alto
Emissum indigna nollet requiescere sede:
Sic quod nascendo est unum, distare uolendo,
Vt meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.
Sed tamen hæc aliqua si uis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis: iam pande quid hoc sit,
Quod bonus, omnipotensq; Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterq; omnes iubet esse fideles.
Nam si nemo usquā est, quē nō uelit esse redemptū,
Haud dubiè impletur quicqd uult summa potestas.
Non omnes autem saluantur, magnaq; pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec uiuificatur:
An uarij motus animorum talia gignunt?
Libertasq; facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis ualida arbitrio diuina uoluntas,
Aut etiam inualida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra iuuisse uelit, nisi præferat ille

Affectum, cuius comitetur gratia cursum.
At si dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt uera oculis, mecum intueare modestè,
Et uetera exemplis manifestis plena uidebis
Secula, et in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant uirtute dei conuersa malorum
Corda: quibus recti nihil unquã insederat, & quæ
Nullum iustitiæ signum, sensumúe gerebant.
Namque ut nunc sæuas gentes, & barbara regna,
Ignoti prius. aut spreti, noua gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni:
Sic prius immites populos, urbesq́; rebelles
Vincente obstantes animos pietate subegit:
Non hoc consilio tantùm, hortatuqúe benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mutans intus mentem atque reformans,
Vasq́; nouum ex fracto fingens, uirtute creandi.
Non istud monitus legis, non uerba prophetæ,
Non præstata sibi, præstat natura: sed unus,
Quod fecit, reficit. percurrat apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaq́; uiam uerbo reseratam inuenerit, intret:
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit, inq́; graues adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem affigere menti,
Deq́; sinu cordis ualidum iubet edere germen,
Hæc maturandam segetem seruatq́;, fouetq́;,
Ne lolium, & tribuli, & uanæ dominentur auenæ,
Ne uentus frangat, torrens trahat, æstus adurat:
Neu cùm se nimium læta & præfortis, in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.
Et nos, ista inquit. sentimus de bonitate
Ac uirtute Dei, quæ ni foueatq́; rigetq́;,
Quos uocat, & tutos peccato præstet ob omni:
Non sua seruabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ uiribus ullus.
Sed quia iam in nobis & uelle, & nolle creatũ est,
Arbitrijq́; sui quô uult intendere motus
Libertas accita potest, patuitq́; per aurem
Iudicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio seruare Deus: mens excita longum
Excutiat somnum. seq́; illi subdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum quod te sentire ferebas?
Hæc syncera fides, hæc Christi gratia tecum est,
Cuius opus fixo distinctum limite totum, A
Extra hominem statuis clausæ penitus fore mentis,
Vixq́; Deum sensus carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris, animus dijudicet intus,
Seq́; ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrij ueluti cum uoce loquentis
Aut rerum actarum species quas uidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor aut odiũ, nunc spes, metus, ira, dolorq́;:
Nec tamẽ hos motus scriptor, narrator, & auctor
Inseuere animo: quamuis fortè hoc quoque uellent.
Sed de perceptis mens iudex sponte mouetur,
Et pro more suo, quantum se exercuit istis,
Transit in affectum, quem confirmauerit ex se,
Illa uolendo sequens, istis nolendo resistens.
Aut uero omnipotens hominem cum gratia saluat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta uelit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura officioq́; ministri
Exequitur, famulisue uicem committit agendi:
Qui quamuis multa admoneant mandata uocãtis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat, & soluit peccati compede uinctos. B
Ille obscuratis dat cordibus intellectum,
Ille ex iniustis iustos facit, indit amorem,
Quo redametur amans: & amor, quẽ conserit ipse
Hunc itaq; affectum, quo uiuunt mortua uitã, (est.
Quo tenebræ fiunt lumẽ, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægriq́; ualescunt:
Nemo alij, dat nemo sibi: non litera legis,
Non naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps, labi nouit, consurgere nescit:
Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumq́; bonum generosis moribus ornet:
Cæca tamen finem ad mortis per deuia currit,
Nec uitæ æternæ ueros acquirere fructus
De falsa uirtute potest: uiuamq́; decôris
Occidui speciem mortali perdit in æuo.
Omne etenim probitatis opus, nisi semine ueræ
Exoritur fidei, peccatum est, inq́; reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.
Vsqueadeò donũ est, quod credimus, & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede uocatos,
Nec iustorum operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit, utq́; legentem
Lectus

A Lectus amet, non hoc studio, sed munere sumit.
Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrij sibi repperit aptos:
Insontes tantũ, iustosque assumere solos
Debuit, & ueri cupidos, ac recta uolentes.
Peruersos autem, & scelerum assuetudine turpes
Deturbare procul, lucemq; negare tenebris.
Atqui saluator mundi non præmia iustis
Soluere, nec sanis uênit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractumq; iacebat,
Quærere, & inuentum reparare, ac reddere curæ.
Denique ne quisquam ex morũ splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa uocari:
Ceu non diuino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides: recole innumerabile uulgus
Retro senum, & iuuenum, qui cœca turpiter usi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per cædes, uitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, iam limite in ipso
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognouere Deum, purgantis tumq; lauacri
B Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo, mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hîc numeras, si præcedentia cernas?
Impia si quæris, pòst addita nulla fuerunt.
Si uerò merito asscribis, uoluisse renasci,
Nempe utero fidei parta est tam recta uoluntas.
Porrò fidem quis dat, nisi gratia? sic bene uelle
Gratia dat, tribuendo fidem, quæ credita poscat,
Quæq; uoluntatis meritum creet, ipsaq; solo
Nascatur spirante Deo, mentemq; reformans,
De cinere argenti sopitum suscitet ignem.
Ergo uoluntatis genitrix, operumq; creatrix
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit: quem non recto uia limite ducit,
Quantò plus graditur, tanto longinquius errat.
Siue igitur meritum, credens existere posse
Ante fidem, donas uirtutibus impietatis:
Siue illam uis esse tuam, non munere dantis
Sumptam, sed genitam de libertate uolendi:
Nullam habet in uobis saluatrix gratia sedem,
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spacio ut grauius maiore ruatis.
Diuinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium, mandata Dei facere ante lauacrum,
Nosse & amare Deum promißis credere Christi,
Quærere, pulsare, & petere propriũ omnibus esse
Asseritis, qui se studeant aptare uocanti.
An'ne ab aquis diuina manus renouare receptos
Incipit? et uitæ causa est sua cuique uoluntas?
Vt merces operum sit gratia, iudiciumq;
De precio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
An uerò auxilium uerbo Deus inchoat, & se
Voce ministrorum mundo declarat in omni?
Vt pulsante aures sermone, illecta uoluntas
Iudicio præcurrat opem, nec gratia iam sit
Gratia: quæ legis fungens uice, iure monentis
Solùm agat, atque agro cum plantatore ministret,
Terráque seminibus det, non Deus incrementum.
Vbere seu glebæ subsistat, & arte colentis
Exortura seges, neque quicquam cordis in aruo
Præsulcet diuina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatq; satis gaudere nouales.
Talibus assumptis inimico ex dogmate, non'ne
Perspicuum est, quantum damnatos confoueatis,
Dum cuique ad ueræ capienda exordia uitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis:
Dumq; aliud non est uobiscum gratia, quàm lex,
Quamq; Propheta monens, & quàm doctrina ministri:
Scilicet ut tale arbitriũ generaliter insit,
Semine damnato genitis, in corpore mortis:
Quale habuit, nondum peccati lege subactus,
Primus homo, & nullũ in prolẽ de unlnere uulnus
Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quæ sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatq; suum substantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur.
Addite quod superest tumidi, ruituraq; uani
Congerite, & causis causas aptate sequentes:
Et quia nil primæ perijt uirtutis apud uos,
Dicite ab illæsis animis procedere ueram
Iustitiam, regno dignam cœloq; locandam:
Et frustra Christus sit mortuus edite, multos,
Arte & sponte sua, sanctos ab origine mundi
Absq; Deo, placuisse Deo, decretaq; legis
Tunc data, cùm peior mos, & corruptior ætas
Terrore instanti, & formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices, mortis'que ministros
Hoc explesse operis, quod gratia uiuificatrix,
Nunc agit, & quoniam fuerit sine lege uoluntas

Libera, quam scripti munibat pagina cordis:
Sic uitam æternam acquiri potuisse, uacante
Hac ope, quæ legem supereminet: ut sine lege
Ex naturali potuit uirtute capeßi?
Nunc autem studijs uergentibus in mala multa
Creuisse auxilium, non quo cessante salutem
Non caperet perdifficiles natura labores:
Sed quo conatus operum effectusque, iuuante,
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cum infantes renouantur, non renouari
Insontes animas, & sola carne renasci
Exterius lotos, non existentibus illis
Interius maculis: quoniam licet edere rectæ
Signa uoluntatis nequeant: tamē hoc magis omni
Sorde uacent, super auctoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod fons aboleret.
Hæc si non uestris spirant de cordibus, & uos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, summittite uela tumoris
Nobiscumq; humiles placido consistite portu.
Edite constanter naturæ uulnera uictæ,
Exutam uirtute animam, cæcataq; cordis
Lumina, & in pœnā propriam iaculis superantis
Armatum arbitrium nunquam consurgere posse,
Inq; nouos lapsus semper nitendo reuolui:
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi uera salus ex munere Christi
GRATIA Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem:
An uestrum sublimem animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbi sit uilior æger?
Cùm nihil ex omni maiorum dote supersit,
Quo medici mereatur opem, & mercede ualescat.
Ergo in castra gradum reuocate hostilia, & illis
Addite uos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, eiusdem uibrantes spicula linguæ,
Exultate bonis naturæ, & mentis honorem
Omnibus à seclis illæsum stare docete.
Neu uos in totum retegatis, dogmate nudo,
Corporeo tantum decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animis nihil imminuentem:
Vulnere transfixos absoluite, crimine & ipsam
Iustitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non uultis transire reatum.
Sed non iniustus Deus est, manifestaq; Pauli
Vox docet, uno omnes homines cecidisse ruente,
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperijt, nec habet quisquam, quo surgere poßit, A
Ad uitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotque enim summo iustos numeratis ab æuo,
Hac ope non dubium est saluatos: quam modo toto
Latius omnipotens exercet gratia mundo.
Hæc, sicut dictum est, non iudex est meritorum,
Quæ nisi plena malis non inuenit, & nisi donet
Quæ bona sunt, nihil efficiet bene, cæca uoluntas.
Hæc ut cuius quam studio affectuq; petatur,
Ipsa agit, & cunctis dux est uenientibus ad se,
Perq; ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter pariter ferimur, sine lumine lumen
Nemo uidet: uitam sine uita inquirere mors est.
Hîc uanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij sublatum uociferantes,
Currere currentum, si non & uelle uolentum est,
Nec uitijs pœnam deberi, aut præmia laudi.
Si uel naturam obstrictam mala uelle necesse est,
Vel nostro asscribi nequeunt bene gesta labori.
Nunquid non eadem sapiunt, eademq; perorant
Vestri illi, quorum ructatis uerba, magistri?
Sed quia consimili cognata superbia questu
Prosilit, & uobis nunc respondetur & illis.
Inuiolata Dei quondam & sublimis imago, B
In primo cuncti fuimus patre: dum nemore almo
Degit, & edicto parens, cauet arbore ab una.
At postquàm rupta mandati lege superbum
Consilium mixtum inuidiæ, de fonte recepit,
Corruit, & cuncti simul in genitore cadente
Corruimus, transcurrit enim uirosa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti et cordis in aluo
Persistit, cruda feruet carbunculus esca.
Hinc animi uigor obtusus, caligine tetra
Induitur, nec fert diuinæ fulgura lucis
Lumen iners: hinc arbitrium per deuia lapsum
Claudicat, & cæcis conatibus inq; ligatis
Motus inest: non error abest, manet ergo uoluntas
Semper amans aliquid, quo se ferat, & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa uiarum:
Vana cupit, uanis tumet, & timet, omnimodaq;
Mobilitate ruens, in uulnera uulnere surgit.
Hoc itaque arbitrium cùm sanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi uita aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus æger
Morbū amat, et pellit medicum? cognoscite tandem
Antiqui commenta doli, & desuescite captas

A Aures uipereo rursum præbere susurro,
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrij ramis: non hæc uos esca reformat,
Nec speciem angelici nutrit cibus iste decôris:
Sed uetitorum auidos, & tetra bile tumentes,
De fastiditæ procul abripit arbore uitæ:
Huius ope & fructu uescendum est, ut reualescēs
Languida mens, etiam proprijs bene uiribus uti
Possit, & in Christo inueniat, quod perdidit in se.
Non igitur, quisquis terreni ueste parentis
Exueris, priscum naturæ perdis honorem:
Sed recipis, sic acquirens, quibus ante carebas,
Vt tua sint, si collatis utare modeste,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti est, lucis pater: inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis maiorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus, eq; relatis
Augemur, nostrumq; bonum fit gloria dantis.
Sed qui iudicium arbitrij, meritumq; tueris,
Quiq; hominum studijs asscribis dona uocantis:
Infantum discerne animos, & discere quales
Affectus, qualesq; habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores & libertate uolendi
B Instrue, uix auræ tenuis lactisq; capaces:
Nulla tibi arbitrij respondent signa, nec ullis
Dissociare illos meritis potes: omnibus una est
Natura, & pariter nequeunt bona uel mala uelle:
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de uulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritq; alijs aliena ignauia uitam:
Cum uideas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo saluari studio potuisse suorum,
Expositusq; alijs ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quæ stercore raptos
Per fontem uitæ cœlesti traderet aulæ.
Quid si diuersum hunc finē, quo gratia Christi
Vnum, alio pereunte, legit, donatq; salute,
In geminis etiam uideas? quo diuidis uno
Tempore conceptos, atq; uno tempore natos?
Non ullos potes arbitrij prætendere motus:
Cessat opus cessat meritum, nihil editur impar,
Sed Deus & tales discernit, quò mage Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa uocatis
Et fidei, & meriti: quoniam sapientia diues
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis, opera.
In finem uitæ, fieret de munere merces. Merces.
Non autem rectè, nec uerè dicitur illos,
Qui sunt exortes diuini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit uirtus, naturæ compede uinctos
Procubuisse negant, nec ab uno germine credunt,
Omnigenam prolem cum pœna & crimine nasci.
Quod qui non renuit, uidet huius pondera culpæ,
Tam ualida pariter miseris incumbere mole:
Vt si nulla etiam cumulent mala, sit tamen unū hoc cumulet pro accumuletur
Sufficiens scelus ad mortem nascendo luendam. Vt turbat mare.
Hanc igitur legem, quam per se nemo resoluit,
Si meritò & iustè positam, impositamq; fatemur:
Cur querimur, quòd non omnes saluantur ab illa?
Cùm si progeniem super omnem irrupta maneret,
De cunctis iustè damnatis non quereremur?
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? & melius foret omnia debita cogi,
Quàm summa ex solida, clementer multa remitti?
Quis uerò exemptus, squallenti carcere, pulset
Inuidia miserantis opem, quia non simul omnes,
In lucem ueram tenebris eduxit ijsdem?
Cùm pœnam, qua mersus erat, non experiatur,
Quam miserè ferat addictus, nisi liber ab illa.
Deniq; tunc illum socialem mente benigna
Concipit affectum, quo summissa prece Christum,
Conciliet miseris: sueta qui nocte grauati
Nulla gerunt uota effugij. Tantùm nocet error,
Vt iuuet errare: et ueteris contagia morbi
Tam blandè obrepunt, ut quo languetur, ametur.
Vnde ergo hæc oritur querimonia?, nō mouet il
Talis cura, quibus necdū est sua pœna dolori. (los
Et qui se nulla credunt à luce relictos.
Qui uerò tenebris exempti in lumine uiuunt,
Gaudent, & quantum sibi sit bonitate uocantis
Dimissum, ex illis discunt, qui debita soluunt.
Vos igitur soli queruli, soliq; superbi,
Vos soli ingrati quos urit gratia: cuius
Omne opus arbitrio uultis subsistere uestro:
Et quòd non cuncti mortales atria uitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendêre putatis,
Vt tam ex iudicio constet cuiusq;, quòd intrat.

Quàm quòd non intrat, seu par in utrũq; facultas
Suppetat: ut tã sit propriũ bona, quàm mala uelle.
I procul insana impietas, artesq; malignas
Aufer, & auctorem comitare exclusa Britanum:
Nos humiles, tenuesq; sumus, grex paruus, et altis
Inniti metuens: quia sufficientia nostra
Ex Christo est, siquid recti sapimus, uolumusq;,
Illi debemus, qui uincula nostra resoluit,
Proq; malis bona restituit: non inueniendo
Quod meritò legeret, sed donans, quo legeretur,
Vt de præceptis prodiret caussa merendi,
Deq; datis in danda, gradus, industria crescens
Scanderet, atq; bonum fieret Deus omnibus unum.
Cur uerò humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursum generãda legatur,
Pars pereat: cũ caussa eadẽ simul implicet omnes,
Nec discernantur merito, qui munere distant:
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire uias, callesq; gradu pulsare remotos.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaq; prosunt:
Dum mansueta fides, quædam dilata modestẽ
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.
Sic quandò electum ex cunctis populum Deus unũ
Lege, sacris, templo, unguento, signisq; fouebat
(Quod fuit occultum, mundiq; in fine retectum est)
Non oberat nescire, omnes quandoq; uocandas
In regnum æternum gentes, totumq; per orbem
Donandum, quod spes paruæ tunc plebis habebat.
Sic postrema dies, qua mundi clauditur ætas,
Noticiæ nostræ non est data, nec tamen huius
Secreti impatiens, sanctorum turba laborat.
Ipsa quoq; humani generis carnalis origo,
Quàm multas uario circumtegit ordine caussas?
Cumq; omnes de fermento producat eodem
Vna manus, nec diuersis elementa parentum
Principijs coëant, limo procedat ab uno
Dispar opus, mutat numeros per uascula fictor,
Materiamq; unam discernit iure creantis.
Ergo eadem natura animæ, naturaq; carnis
Diuersis mundum sub conditionibus intrat?
His regnare datum est, illos seruire necesse est.
Hos decor & uires ualidæ, uiridisq; senectus
Suscipit: hos species inhonora, & debile corpus.
His uiget ingenium præclaris artibus aptum,
Horum tarda premit gelidus præcordia sanguis.
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandũ,
Ast alij insanum nequeunt frenare furorem.
Hunc mitẽ et placidũ tranquilla modestia comit,
His & mille modis semen uariantibus unum,
Impariles subeunt distincta exordia formas.
Nec tamen hæc inter tam compugnantia quisquã
Arguit auctorem, qui secum continet huius
Legem operis, dum iudicio placita explicat æquo,
Et rerum caussas obscurat iusta potestas.
Si terrenum igitur figmentum, addictaq; morti
Progenies, ita dißimili producitur ortu,
Vt cùm operis species pateat, tamen edita non sit
Norma uoluntatis, de qua uenit hic modus impar:
Quid mirum, si consilij super omnia magni
Arcanum latet, & placido subducitur alto?
Quod dum uana fluunt mundi, dũ in corpore mor-
Viuitur, & positi expletur certamen agonis, (tis
Non cognoscendum texit Deus, utiliusq;
Duxit, ad examen quædam uelare piorum.
Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Vrgemus cura: satis est opera omnipotentis
Cernere, & auctorem cunctorum nosse bonorum:
Quo sine nil rectum mens inchoat, audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere causas
Diuinorum operum: nos cùm manifesta uidemus
Dona Dei, quorum est fons unus, summa uoluntas,
Cum Paulo tremuisse iuuat, stupidumq; modestẽ
Inuictum ad solium Christi suspendere nutum.
Cuius iudicium sic inscrutabile, & altum
Dicimus, ut uerax prorsus fateamur & æquum.
Nam meritum ad mortem subeundam, sufficit unũ:
Ad uitam, nisi quod donarit gratia, nullum.
Tu uerò ô noua gens, ueteris quæ stirpe oleastri
Velleris, & sacræ ramis inolescis oliuæ,
Quærere formatæ sentis te frondis honorem,
Non studio cœpisse tuo: sed iure potentis
Agricolæ insertam, fœcundo uiuere ligno:
Vince superborum flatus, uanisq; furentum
Turbinibus stabili fortis pietate resiste.
Nec tibi fallacis subrepat imago decoris,
Nullum ex his errare putes: licet in cruce uitam
Ducant, & iugi afficiant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintq; benigni,
Terrenisq; ferant animum super astra relictis:
Si tamen hæc propria uirtute capessere quenquã
Posse putant, sit'ue ut dignus labor iste iuuari,
Ingenium meruisse aiunt bona uera petentis:
Crescere

A Crescere quo cupiunt, minuuntur: proficiendo,
Deficiunt: surgendo, cadunt: currendo recedunt.
Vnde etenim uarij frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur, quoniam sua laudis amore,
Non quæ sunt Christi, quærunt: nec fit Deus illis
Principiū, & capiti non dant in corpore regnum.
Non horū templo, est Christus petra, fundamētum:
Sed super instabilem arbitrij nutantis arenam
Assurgunt. fœda lapsuri mole tumoris.
Isti, quem quidam reprobarunt ædificantes,
Nunc etiam reprobant lapidem, pariesq; sine ipso
Tertius esse uolunt, quem nullo fœdere nectat
Angulus, & quem nulla habeat compago ligatum.
Hi thalamū ad sponsi non perducuntur, et intrant.
Libertate sua: quæ Christi gratia confert,
Non acceperunt & habent: non attrahit illos
Vis patris ad uerbum, sed sponte & præpete cursu
Præueniunt cessantis opē: nec ad omne gerendum
Eius egent, sine quo sibi plurima posse uidentur.
Quid prodest uerbis commentum Pelagianum
Respuere? et sola damnatos plectere uoce?
Squallida cum paucis sublatis decute neruis,
Intima uiperei foueantur uiscera sensus?
B O bene, quòd diri erroris malus ille magister,
Nullo præleuit læthalia pocula melle:
Sed non ambigua infectum feritate uenenum
Protulit, & gustu uirus detexit amaro.
Nam si argumenti primordia non onerasset
His, quæ discipuli dempserunt callidiores:
Innumeras dubio cepisset plasmate mentes.
Quæ dum multa uident informia limine in ipso,
Horrida terrificæ declinant atria mortis,
Nec tam illis possunt attriti illudere fures:
Quorum quò tendant artes, atq; unde oriantur,
Non dubijs promptum est cuius cognoscere signis.
Non igitur cum damnatis sentire uidentur,
Cùm dicunt mortem in cunctos transisse, per unum
Primum hominem, cuius crimen resperserit omnes.
Nec quenquā in uitam æternam, nisi fonte renatum
Venturum, infantesq; reos hoc munere solui,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis sapiunt, damnataq; promunt,
Cùm dicunt, nihil esse animis per uulnus auitum
Detractum decoris splendoremq; omnibus illum
Nunc talem nasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrij discernere sano
Posse oculo cordis, quicquid sit rite gerendum.
Nec solum ad uitæ præsentis commoda solers
Sufficere ingenium, quo se tueatur & ornet:
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis
Aeternisq; bonis, sponte ad cœlestia ferri,
Perq; uiam ad Christum, quam fecerit ipsa, uenire.
Hinc hominem multa recti assuetudine firmum,
Posse repugnare aduersis, nec cedere pœnis,
Quas superādæ animæ per carnē admouerit hostis,
Auxilio abscedente Dei, qui deserat apte,
Vtiliterq; suos, ut de certamine agonis
Quæsitas referant palmas: ne nulla piorum
Sint merita, & ueræ priuentur laudis honore:
Sicut naturæ sensum noluntq;, uoluntq;,
Præcipitisq; tenent legalibus insinuatum,
Diuini auxilij manus hoc operetur in illis:
Ceu solis Christi famulis uirtute carere
Sit dignum, et non posse probos apprēdere mores,
Quos plerunq; habeant etiā simulachra colentes.
Talia lingua procax cùm uerbis fundit ineptis,
Effuge tu noua gens, hostiles effuge sensus,
Et procul à laqueis sapiens abiungere mortis.
Christus enim tua iustitia est: quo te duce oportet
Currere: ne cursus, Christo sine, sit uagus error.
Nemo etenim, nemo est, qui non cum uulnere primi
Sit patris genitus: quo uulnere mens prius intus
Percussa est, quàm mēbra foris, quod mēte receptū
Quod regione poli disiecta superbia suasit. (est,
Sic animus cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium inuoluit tenebris, et luce relicta
Consilio legit tetræ nigrescere noctis,
Nec iam captiuos oculos extollere in altum
Sponte potest: quoniā hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto iaceat sub uulnere norit.
Si quid enim de principijs felicibus illi,
Et uita ex illa superest prudenter agenda,
Hoc sanum, & quo nil fuerit sublimius in se,
Credit, amatq; suum mundi sapientia sensum,
Innumeras sese claram mirata per artes.
Quòd coniecturis sublimibus abdita quærit,
Quòd meminit rectè, sapit acriter, æstimat apte,
Quòd studium fandi excoluit, quòd legibus urbes
Instituit, moresq; feros ratione recidit:
Vt pœnæ metus officio certarit amoris.
Iam cùm exercetur numeris, ad sidera cœli
Per cursus nascenda suos, & scire uidetur

Defectus solis varios, lunæq; labores,
Quàm speciosa sibi est? & quam uanescit in ipsis!
Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore,
Non tamen ad ueram possunt perducere uitam.
Deniq; ab his præceps in multas relligiones
Decidit, & factis hæsit factore relicto.
Nam si nunc etiam illæsis uigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quenq; uoluntas
Conciliare Deo, pœnaq; absoluere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo ligaret,
Peccatum & mundi sanguis non tolleret agni,
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione noua, quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.
Sed prostrata semel, quanto natura profundo
Immersa & quantæ sit mole oppressa ruinæ:
Verbum homo fit, rerumq; sator sub conditione
Seruilis formæ dignatur uirgine nasci,
Inq; infirmorum cunctos descendere sensus.
Vexatur uirtus, sapientia ludificatur,
Iustitia iniustos tolerat, clementia sæuos,
Gloria contemptum subit, & tormenta potestas,
Inq; crucis pœnam nulli uiolabilis usquam
Vita agitur: cuius perimatur morte peremptor,
Iusto ut pro iniustis effuso sanguine fit mors
Vnius insontis multorum uita reorum.
Hoc igitur precio captiui cùm redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quoue
Obsessi fuerint morbo, quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,
Quæ decorent nudos, & quæ solentur egenos:
Non ita pro summis oblectent ultima lapsos,
Vt de supplicijs tumeant, atq; ordine uerso,
Quo sunt effecti miseri, sint inde superbi.
Aut cùm hebetes uisus, longa ex caligine tandem,
Naturæ hoc potius libertatiq; uolendi,
Quam Christo tribuant: ne scilicet euacuetur
Arbitrij uirtus, si desit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est, hac arte omnes prostrauit in uno:
Dum suadet multò præstantius esse, quod ipsis
(Non tribuente licet Domino) sponderet habēdū,
Prudens libertas, uetitoq; instructa cupido,
Quæ nunc per ueteris serpens uestigia fraudis,
Deceptos simili studet inflammare furore. A
Vt quoniam pulchrū est ueris impendere curam,
Iustitiæq; auidos bona nosse, & uelle, salubre est:
Suadeat ingenio cuiusq; hoc lucis inesse,
Vt naturali mens uiuida mobilitate,
Non spirante Deo, Christi exardescat amore:
Vtq; ita saluatrix nil gratia conferat istis,
Sed referat, pretioq; bonos, non munere ditet.
His de seminibus multò iam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.
Sed nos qui domini semen sumus agricolæq;
Stamus ope, & supera perflati uiuimus aura:
Viperei calicis gustum procul excutiamus,
Diuiniq; operis constanter confiteamur
Figmentum nos esse nouum, quod prorsus ab illa
Stirpe uetustatis discretum est, atq; recisum,
Et iam sit penitus carnalis originis exors,
Qui membrū est Christi capitis, qui in corpore ui-
A' quo subiectos uigor omnis manat in artus: (uit:
Et sic quæq; suo uegetantur in ordine partes,
Vt quod agunt, & dispositis quod motibus explēt,
Ex illo poßint, qui summa atq; ultima pacans,
Vt nos insereret summis, se miscuit imis. B
Conticeant igitur, qui dicunt esse cauendum,
Ne desit sanctis sumendæ causa coronæ,
Si non ipsorum bona repperiantur in illis,
Hoc etenim tumida nimis impietate docentes,
Quid nisi iustitia nos, & uirtute, deoq;
Dispoliare uolunt? ne lux in nocte coruscet,
Languida ne in uires redeant, ne mortua uiuant.
Sed nobis summo uerorum à fonte bonorum
Haurire hæc, supero & semper splendore nitere:
Gloria sit, non spes in fœni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos ualet edere fructus
Non in uite manens, quæ de radice ministra
Succum agat in frondes, & musto compleat uuas:
Sic infœcundi uirtutum, & fruge carentes
Perpetui cibus ignis erunt: qui uite relicta
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint ubertate feraces:
Et mage se credunt proprijs excellere posse,
Quàm si uirtutum placitarum sit Deus auctor.
Viles ergo putent se deformesq; futuros,
Cùm transformatis fiet Deus unica sanctis
Gloria, corporei nec iam pressura laboris
Conteret

A Cōteret incertos: sed in omnibus omnia semper (est:
Christus erit. quod si pulcrū & super oīa magnum
Cur pudet, hac etiā fletus in ualle, potentes
Esse Deo? nimiumq; operis mortalis habere?
Quod non est nisi peccatum quo discrucietur
Libertas, ad quam solam male gesta recurrunt.
Attamen in sanctos animū cùm intendimus actus,
Cum desiderijs carnis mens casta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæso corde manemus:
Libertate agimus, sed libertate redemptâ,
Cui Deus est rector, summoq; ex lumine lumen,
Vita, salus, uirtus, sapientia, gratia Christi est,
Qua currit, gaudet, tolerat, cauet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, iustificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domino auxiliante
Te gerimus: tu corda moues, tu uota petentis,
Quæ dare uis, tribuis: seruans largita, creansq;
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, studiumq; resolui
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum est,
Quod bona sanctorum tua sient, et quicquid in illis
Aut sanum, aut ualidum est de te uiget: ut uideatur
B Nil actura hominis, te cuncta gerente, uoluntas.
Quæ sine te quid agit? nisi quòd procul exulet à te,
Præcipites semper calles, & deuia motu
Ingressura suo: nisi fessam, tu bone, & ægram
Suscipias, reseras, foueas, tuearis, honestes.
Tunc fiet cursus uelox, oculiq; uidentes,
Libera libertas, sapiens sapientia, iustum
Iudicium, & fortis uirtus, & sana facultas.
Huius opis semper pater indigeamus, ab ipsa
Prodeat arbitrium nostrum: nihil, hac sine, sensus
Corporei possunt, opus ut seruile quiescat:
Et tua dum in nobis agitur, non nostra uoluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis.

EX ADHORTATIONE PROSPERI AD coniugem.

Age iam precor mearum
Comes irremota rerum,
Trepidam breuemq; uitam
Domino Deo dicemus.
Celeri uides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisq; membra mundi
Minui, perire, labi:
Fugit omne quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum,
Cupidas uagasq; mentes,
Specie trahunt inani.
Vbi nunc imago rerum est?
Vbi sunt opes potentum,
Quibus occupare captas
Animas, fuit uoluntas?
Cætera desunt omnia.

VENANTII HONORII CLEMENtiani Fortunati

DE PARTV VIRGINIS LIBER primus.


Lingua prophetarum cecinit de uirgine partum,
Nuncia fert terris angelus ista poli.
Consona uox hominum memorat hoc ferre puellam,
Quod daret absque uiri germine uirgo uirum.
Hoc Euangelio concordans pandit Esaias,
Quæ Deus inspirat, hæc canit ipse tuba.
Eloquio torrens, & rite profunda locutus,
Emanuel nostrum uirgine dante caneus.
Prædicens olim ut de matre, tonantis honore,
Radicis florem Iessea uirga daret.
Virgo hæc uirga fuit, de qua flos Christus abortus,
Cuius odor uiuax membra sepulta leuat.
Laxus morte iacens, de cuius aromate tactus,
Postq; diem quartum Lazarus ore reflat.
Hanc Ieremias utero ipso sanctificatus,
Monstrans uoce pari sic quoque uatis ait,
Ecce dies uenient, et Dauid suscito germen,
Et regnabit rex atque erit hic sapiens.
Hoc germen iustum uirgo est, et rex suus infans,
Iudicium faciens arbiter, orbis herus.
Psalmographi plectro cantata est ista uirago,
Cū daret arte melos uox, lyra, chorda, chorus.

Mater Sion dicit homo,& homo factus in illa est,
Ipse hanc fundauit,factus in ipsa & homo est.
Sic quoq; qui fundauit eam,est altissimus ipse
Nec Sion,mater uirgo Maria fuit.
Hic tanquam sponsus thalamo procedit ab alto,
Exultatq; gigas Christus,eundo uiam.
O' uteri thalamus,noua iunctio facta salutis,
Qua Deus atq; caro nupsit honore nouo. (sit,
Quòd Deus amplexus carnē est, caro iuncta cohæ/
Stat Deus,atq; homo fit, Christus utrūq; genus.
Non Deus in carnem est uersus, Deus accipit artus,
Non se permutans,sed sibi membra leuans.
Cuius non poterat Deitas per aperta uideri,
Velamen sumpsit,carne uidendus homo.
Vnus in ambabus naturis,uerus in ipsis,
Aequalis matri hinc,par deitate patri.
Non sua confundens,sibi nostra sed omnia nectens,
Quem sine peccato gignit uterq; uirum.
De patre natus habens diuina,humanaq; matre,
De patre sublimis,de genitrice humilis.
Quandò incorporeus sibi corporis induit artus,
Aequalis matri fit,minor inde patri. (ungues,
Carnem,animā,ossa,cutem, neruos, uentrē, femur,
Seruus ut assumens,est minor inde patri.
Sed redeo,quā uirgo trahit,mihi laude canenda,
Qualis nulla fuit,nulla futura uenit,
Quemq; pluunt nubes iustum de rore superno,
Hæc saluatorem germine terra dedit. (exit,
Hæc porta est clausa, in quam intrat uir nemo, nec
Ni dominus solus,cui quoq; clausa patent.
Cuius in aduentu exiluit de uentre Ioannes,
Infans personuit munere præco nouus.
Trans uterum matris,quasi per specularia cernens,
Materna & puero membra,fenestra fuit.
Quando exultauit uentrem de uentre salutans,
Dum pede non potuit,motibus exit iter.
Credo & prostratus iacuit,palmasq; tetendit,
Ante redemptorem paruula membra mouens,
Corrigiamq; pedum quoniā est non soluere dignus,
Pronus adorauit credo tremente genu.
Nobilis Elizabeth,de qua canit alta prophetans,
Hæc operante Deo germina læta refert.
O' benedicta inter mulieres,unde mihi hoc,me
Vt mater Domini uisitet alma mei?
Hanc Gabriel uocitat benedictam laude puellam,
Et meritò extollit quæ noua dona gerit:

A
Quæ genitura foret benedictum germine fructum,
Quem Ieremias uoce tonante refert.
Hic Deus est noster,non absq; illo alter habetur,
Post hæc in terris uisus,homo est habitus.
Quem Daniel sanctum sanctorum prædicat unum,
De monte excisus qui angulus & lapis est.
De quo Moses,ait,Deus excitat ecce prophetam
Vobis,ex uestris fratribus,orbis opem.
Si' qua anima hūc non audierit,qui exterminat illū,
De populo uindex ipse propheta suo est.
Dauid dixit:adorabunt hunc munere reges,
Seruibunt gentes,& Saba dona dabunt.
Accipiens Simeon manibus,quem iustus utrisq;
Annis decrepitus hæc pia uerba dedit:
Nunc dimitte in pace tuum seruum auctor ab alto,
Viderunt oculi iam quia uota mei.
Quandò salutare hoc merui,tua uerba secundum,
Ferre manu,& uisu cernere iure Deum.
O' sacra uirgo Dei talem generando Maria,
Per quem lumen habet plebs tenebrosa prius.
In regione umbræ mortis lux ipsa refulsit,
Admirabilis hic,consiliarius hic.
Qui Deus est fortis,pater atq; in secula princeps,
Imperij cuius pax sine fine manet. B
Rorarunt cœli nubes,iustumq; pluerunt,
Quem saluatorem germine uirgo dedit.
Aegyptus,labor Aethiopum,ditesq; Sabæi,
Ad quem transibunt,mente sequendo Deum.
Est in quo tantùm Deus, et non est Deus absq; hoc,
Hic Deus absconsus,qui Deus Israel est.
Cuius iusticia est lumborum cingulum & idem,
Eius renis adest cinctoriumq; fides.
Reguli & aspidis ausa manus penetrare foramen,
Ablactatus agens,ne nocet ullus ei.
Astans in signum populorum,eiusq; sepulchrum
Nobile,adorandum gloria quanta tegit?
Quem dominatorem terræ misit Moabitis,
Petra ex deserti qui pius agnus adest.
De quo Zacharias,exulta filia Sion,
Iustus,saluator,rex tuus ecce uenit,
Ascendens asinam super,aut asinæ quoq; pullum,
Et currus perdens ex Efraimo,& equum.
Vnde & Micheas,& tu,inquit,Bethleem Ephrata,
Paruulus in Iuda millibus ipsa manes.
Egredietur,qui dominatur in Israhel,ex te
Egressusq; potens eius ab initio.

Lumen

A Lumen ſanctorum in ſplendoribus, ex utero quem
Antea & luciferum progenuitq́; pater.
Liuores ſanans noſtros liuore beato,
Et ueteris maculas ſanguinis amne lauans.
O' uirgo inſignis, mater pia, nobile ſemen,
Quam Deus impleuit totius orbis ope,
Quæq́; creatorem meruiſti uentre tenere,
Et generare diem concipiente fide.
Mandatura nouo paſtu de crimine mundum,
Atq; ſacro fœtu progenitura Deum.
Humano generi genuit quos Eua dolores,
Curauit genitus uirgo Maria tuus.
Peccati iaculo defixa in ſtirpe cicatrix,
Vlcera nulla gerit, nec ſua ſigna patent.
Succus amarus enim uetiti de cortice ligni,
Stante redemptoris de cruce dulce ſapit.
Sub pomi ſpecie mors tunc de fronde pependit,
Nunc tuus eſt uterus, hinc cibus, inde ſalus.
Fructu ſancta pio renouaſti tempora rerum,
Lucidiorq́; dies te generante nitet.
Poſt tenebras ſolem tua reuocat aluus in orbem,
Cùm Domini iubaris irradiauit apex.
In te habitans mundi lumen ſtatione coruſca,
B Floruit interius per tua membra Deus.
Nunc uiuax fulgor penetrans & ad ima profundi,
Orbem alit, aſtra regit, tartara luce replet.
Cuius mundi uno eſt hæc machina tecta pugillo,
Clauditur in fibris caſta puella tuis.
Supportans fabricata fabrũ, atq; humana tonantẽ,
Virgula radicem. facta creantis opem.
Qualiter illa nouum tenuerunt uiſcera lumen,
Quod decus intus erat, quis'ue honor inde foras?
Gaudia quanta ſinus hilaris tuus ille uehebat,
Cùm tua membra premens plus releuabat onus?
Tum genitrix de faſce leuis, de prole ſalubris,
Rem ſplendoris habens, lux neq; pondus erat.
Auxilium de flore gerens, de fruge leuamen,
Et cœli panem ſpica nouella ferens.
Cuius ſtella erat, & ſol matutinus in aluo,
Infra arcam abſcondens fulgida luna iubar.
Anniculum portans agnum, antiquumq́; gigantẽ,
Deq́; tribu Iuda qui leo fortis erat.
Cornua producens uitulus ceu Rhincerotis,
Arduus, elatis naribus alta fremens.
Regulus atque aſpis, cedunt quis cuncta uenena:
Vipera, cherſydros, ſeps, draco, cẽchris, hydris,

Paruulus ipſe puer perſona uetuſta dierum,
Egreſſus cuius ſtat ſine principio,
Cuius diffuſa in labijs eſt gratia florens,
Inſignis forma præ genitis hominum:
Cuiusq́; eſt oriens ex alto nomen honoris,
Qui nos, lumen agens, uiſitat in tenebris.
Qui uênit de Edom, de Buſra ueſte cruenta,
Pulcher, ſanguineus, candidus, atque ruber.
Calcaturus erat qui torcularia ſolus,
In cruce pendendus, membra cruore leuans.
Vnde ſibi miſta eſt ſtola candida, tincta rubore,
Quem poſt, antéue quem, non Deus ullus erit.
Cuius tranſcendit ſacra magnificentia cœlos,
Cuncta tegens palma ſidera, rura, freta.
Quis te nunc ſenſus, Domini pia mater, habebat,
Cùm tibi talis erat fœtus honore nouus?
Præmia quanta uterũ implebãt & gaudia pectus,
Cœlorum artificem cùm tua ferret humus?
O' forma radians, dic uirgo, putas'ne uidebas
Angelicos curſus ire redire nouos?
Militiam cœli cùm te ſeruare uiciſſim,
Sentires animo, ſæpe leuata manu.
Quæ circa te acies, uel quandò iter ire parares,
Millia prægreſſus concomitando tuos?
Quid Michael faceret ductor, ſub principe celſo,
Quid gereret Gabriel nuncius ille ſacer?
Qualiter aut Raphaël occurſum impẽderet almæ,
Te portante, Dei dum putat eſſe thronum.
Credo alter cuperet plantis ſubſternere palmas,
Ille excuſſa ala ſolueret ipſe uiam.
Duceret iſte auras, ne te grauis ureret æſtus,
Ille leuans pinnas, uertat ut imber aquas.
Iſte ad frena manum retinens, ne ſarcina lapſet,
Neu pes offendat, pendula turba uolat.
Quot uigiles turmæ, cum te ſopor altus haberet,
Solaq́; dormitans tot uigilare dares?
Sidereo obſequio meritis digniſſima uirgo,
Cùm te diuinis cingeret ala choris.
Cuius honore ſacro ſol ipſe tremeſceret ortum,
Lunaq́; ſub pedibus quæreret eſſe tuis,
Artificiq́; ſuo ſe machina ſubderet orbis,
Ac miraretur per tua membra Deum.
O' uirgo excellens, uincens ſuper omnia matres,
Quam genus erexit, cui Deus alta dedit.
Cuius fructus adeſt, & flos non perdit honores,
Quæ nato es genitrix, & tibi uirgo manes.

Felix quæ generi humano ſub tartara lapſo,
Ad cœlos facta es ſors,uia,porta,rota.
Aula Dei,ornatus paradiſi,gloria regni,
Hoſpicium uitæ,pons penetrando polos.
Arca nitens,& theca potens gladij bis acuti,
Ara Dei aſſurgens,luminis alta Pharos.
Celſa ſuper cedros,& uaſta cacumina montis,
Subq; tuis plantis & rota ſolis adeſt.
Virgineo cœtu dux,ſexu prima ſecundo,
Prælata aſtrigeris ſola puella choris.
Figmentum figuli ſuper omnia uaſa decorum,
Atq; creaturæ fulgida maſſa nouæ.
Candelabrum pulchrum uerbi capiẽdo lucernam,
Quam formam ſculpſit tam ſuper aſtra faber.
Ornans Hieruſalem ſanctam,ſpecioſa uenuſtas,
A' facie templi uas in honore Dei.
Exuperans portas Sion ſplendore coruſco,
Stans merito fidei gemma ſuperba throni.
Ore diem iaculans,radios à fronte,ſagittas
Luminibus rutilis,lumen honore rotans.
Sidereum ſpeculum,illuſtris domus omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Nomen honoratum,benedicta Maria per æuum,
Ad laudem artificis nobilis artis opus.
Dulcis & angelico precioſa puella relatu,
Omnes ultra homines dona decôris habens.
Inde rubore roſas,candore hinc lilia uincens,
Flos nouus è terra,quẽ polus arce colat.
Chryſtallum,electrũ,aurũ,oſtrũ, cõcha alba,ſmaragdus,
Quo tua forma nitet,cuncta metalla iacent.
Nix premitur candore tuo,ſol crinis honore,
Palleſcunt radij uirgo decôre tui.
Lychnites hebes eſt,cedit tibi lucifer ardens, Lychnites
Omnibus officijs lampade maior ades.
Occulti in terris ſacramenti conſcia ſummi,
Et ſecreta poli ſunt patefacta tibi.
Dignus ager Domini,generãs ſine ſemine frugem,
Et ne caſta ſeges meſſe repleta places.
Sola ſine exemplo fœcunda,& libera nexu,
Ignara amplexus,mater opima ſinu.
Virgo intacta manens,fidei ubertate marita,
Inſcia coniugio fœta negante uiro.
Accipis,ut neſcis:ſic reddis,ut integra conſtes,
Nec uiolata paris,nec pariendo doles.
Et tamẽ eſt genitus Deus atq; homo, uerus et unus:
Spiritus atque caro Chriſtus,utrunq; genus.
In deitate patri æqualis,ſed corpore matri, A
Et ſine peccato de genitrice caro.
Factor dans legem factus ſub lege miniſter,
Ipſe pater mundi,filius ipſe tibi.
Vndè tuum mater generas natum atq; parentem,
Hinc prolẽ,inde patrẽ:hoc Deus,illud humus.
Cuius honore ſacro genitrix tranſcendis Olympũ,
Et ſuper aſtrigeros erigis ora polos.
Conderis in ſolio felix regina ſuperbo,
Cingeris & niueis lactea uirgo choris.
Nobile nobilior circumſiſtente ſenatu,
Conſulibus celſis celſior ipſa ſedes.
Sic iuxta genitum regem regina perennem,
Ornata ex partu mater opima tuo.
Occurrunt proceres, & gloria magna Iohannes,
Notus & ante Deum quàm pareretur homo.
Fratribus aſſcitis,Paulo,reliquiſq; beatis,
Doctor apoſtolicus fulgida palma Petrus.
Diligit has portas Sion ſuper omnia Iacob,
Pro patribus genitos quos in amore Deus.
Qui omnes obryzo ornati, ſuper aſtra coruſcant,
Si ſic diſcipuli,quid pia mater erit? B
Hinc patriarcharum numero ſociante prophetæ
Conueniunt celſo munera ferre throno.
Martyrij hinc atq; inde cohors redimita coronis,
Principe cum Stephano ciuica turba poli.
Primitiæ florum,Bethlemitica paſſio lactans,
Quæ meruit naſcens uiuere morte magis.
Italiæ mundiq; caput quos Roma retentat,
Vrbs uel Alexandri,aut Antiochenus ager.
Quos Hieroſolymis,aut quos Byzantion oris,
Quos Patra,quos Epheſus,Naddauer arce tenet.
Quos oriẽs,occaſus habet,quos Africa,et Arctos,
Quoſq; ſepultat humus,cingit & oceanus.
Natio gens,populus,regiones,agmina,reges,
Vndiq; currentes ad noua dona patris.
Aethiopes, Thraces, Arabes,Dacus,Indus, Alanus,
Aurora & Veſper,Perſa,Britanus adeſt.
Intrantes in regna Dei,pietate redempti,
Gaudia uiſuri regis in arce poli.
Quos recipit ſacra porta Petri, quos ianua Pauli,
Poſtis ad Andreæ limen Achaia patet.
Mattheus Aethiopes,Epheſinos ualua Ioannis,
Et quem quiſquis amat, hunc ſua porta rogat.
Horum ante aduentum te qualiter ornat amator,
Portauit quem uterus uirgo beata tuus?

Dans

A Dans tibi larga poli, cui tu domus arcta fuisti,
Ventris pro hospitio restituendo thronum.
Componendo caput niueum diademate fuluo,
Et gemmis rutilam comit honore comam.
Annectens niueo preciosa monilia collo,
Fulgore & uario pectora pura tegens.
Quā speciosum humeris imponit honoris amictū,
Splendore ardescens purpura tincta nitet.
O' quoties coctum zonæ micat aura per aurum,
Pallida nec pallæ est fimbria luce nitens.
Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore,
Aut de ueste tui gemma uirore micet?
Quando strata iacet pedibus preciosa smaragdus,
Quandò pauimentis alba Topazus inest.
Quodq; oculus non uidit agens, non audijt auris,
Ornamenta tibi hæc pia uirgo nitent.
Cùm regio ergo poli, totusq; exercitus astri,
Te ornatam inspiciet, laudibus ora mouet.
Incipiens Michael præconia ferre beatæ,
Cumq; suis turmis hæc tibi uirgo refert.
O' decus excellens, ô fœmina fama salutis,
Partus fruge potens, uirginitate placens.
Per quam est se nasci dignata redemptio mundi,
B Et reparare genus, quod tulit Eua ferox.
Hanc tibi mater opem legionum millia mille.
Per classes resonant carmine, uoce, lyra.
Angelus inde tuos repetit paranymphus honores,
Qui tibi de cœlis nuncia sancta uehit.
Dicens, ô felix imitari nescia uirgo,
Cuius & agnus ouis, conterit ora lupi.
Tartara disrumpens, patriæ captiua reducens,
Et libertati post iuga pressa refers.
Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
Perstrepit & cunctis uox reuoluta choris.
Incipit inde alios producere terra fauores,
Zachariæ genitus uox, tuba, præco, sonus.
Cū Petro & Stephano ducibusq; in millibus am-
Agminibus, mixtis plausibus alta canens. (plis
O' uirgo insignis, benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terræ, fulgor honorq; poli.
Ecce tuus florens uterus quæ præstitit orbi,
Te pariente fide nos paradisus habet.
Quid sumus aut fuimus? quos merserat Eua pro-
De limo in cœlum nos facis ire sinu. (fundo,
Laudibus his Domini genitrix fragor intonat a-
Militiæq; poli hæc tibi clangor agit. stris,

Ast ego ferre uolens, uideor subducere laudes,
Nam tibi quisque cupit uoce fauere sacræ,
Mens oret genitum, sic matri digna loquatur,
Cuius amore pio uiuis honore nouo.
Pulchra super gemmas, splendore solis obumbrās,
Alta super cœlos, & super astra nitens.
Vellere candidior niueo, rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore fauo.
Suauior & roseo nimium rubicundior ostro,
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Cara, benigna, micās, pia, sancta, uerenda, uenusta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.
Omnes nam fines terræ meruere salutem
Per Christum, genitum uirgo Maria tuum.
A patre perpetuò, certo tibi tempore natum:
Qui mihi spes ueniæ, causa salutis. Amen.

DE CHRISTI IESV beneficijs Liber secundus.

DE NATIVITATE CHRISTI.
Ex lib. II.

A Gnoscat omne seculum,
Venisse uitæ præmium,
Post hostis asperi iugum,
Apparuit redemptio.
Isaias quæ concinit,
Completa sunt in uirgine,
Annunciauit angelus,
Sanctus repleuit spiritus.
Maria uentre concipit
Verbi fidelis semine,
Quem totus orbis non capit,
Portant puellæ uiscera.
Radix Iessæ floruit,
Et uirga fructus edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et uirgo mater permanet.
Præsepe poni pertulit
Qui lucis auctor extitit,
Cum patre cœlos condidit,
Sub matre pannos induit.
Legem dedit qui seculo,
Cuius decem præcepta sunt,
Dignando factus est homo
Sub legis esse uinculo.

Adam uetus quod polluit,
Adam nouus hoc abluit:
Tumens quod ille deijcit,
Humillimus hic erigit.
Iam nata lux est & salus,
Fugata nox, & uicta mors:
Venite gentes, credite,
Deum Maria protulit.

DE PASSIONE Christi.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne, carnis conditor,
Suspensus est patibulo.
Confixa clauis uiscera
Tendens manus uestigia,
Redemptionis gratia
Hic immolatur hostia.
Qui uulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit unda & sanguine.
Impleta sunt quæ concinit
Dauid, fideli carmine,
Dicendo nationibus
Regnabit à ligno Deus.
Arbor decôra & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa, digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachijs
Precium pependit seculi,
Statera facta est corporis,
Prædam tulitq; tartari.
Aroma fundis cortice,
Vincis saporem nectaris,
Iucunda fructu fertili
Plaudis triumpho nobili.
Salue ara, salue uictima,
De paßionis gloria,
Qua uita mortem pertulit,
Et morte uitam reddidit.

DE CRVCE DOMINI.

Pange lingua gloriosi prælium certaminis,
Et super crucis trophæo dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis immolatus uicerit.
De parētis protoplasti fraude factor cōdolens, A
Quandò pomi noxialis morte morsu corruit,
Ipse lignum tunc notauit, damna ligni ut solueret.
Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis undè læserat.
Quandò uênit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris Natus, orbis conditor,
Atq; uentre uirginali carne factus prodijt.
Vagit infans inter arcta conditus præsepia,
Membra pannis inuoluta uirgo mater alligat,
Et pedes, manusq;, crura, stricta cingit fascia. (ris,
Lustra sex qui iā peracta tēpus implens corpo-
Se uolente, natus ad hoc paßioni deditus,
Agnus in crucis leuatur immolandus stipite.
Hìc acetum, fel, arundo, stupa, claui, lancea:
Mite corpus perforatur, sanguis, unda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus quo lauātur flumine.
Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis,
Nulla talem silua profert fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulce signum, dulce pondus sustinet.
Flecte ramos arbor alta, tensa laxa uiscera,
Et rigor lentescat ille, quem dedit natiuitas,
Vt superni membra regis mite tendas stipite. B
Sola digna tu fuisti ferre precium seculi,
Atq; portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore.

De eadem.

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pepēdit,
Atq; cruore suo uulnera nostra lauat.
Mitis, amore pio, pro nobis uictima factus,
Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oues.
Transfixis palmis ubi mundum à clade redemit,
Atq; suo clausit funere mortis iter.
Hìc manus illa fuit, clauis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potens, ô dulce & nobile lignum,
Quandò tuis ramis tam bona poma geris.
Cuius odore nouo defuncta cadauera surgunt,
Et redeunt uitæ qui caruere die.
Aestus nullum uret sub frondibus arboris huius,
Luna nec in noctem, sol neq; meridie.
Tu plantata micas, secus est ubi cursus aquarum,
Spargis & ornatas flore recente comas.
Appensa est uitis inter tua brachia, de qua
Dulcia sanguineo uina rubore fluunt.

De eadem.

A

De eadem.

Virtus celsa crucis totum rectè occupat orbem,
Hæc quoniam mundi perdita cuncta refert,
Quodq; ferus serpens infecit felle ueneni,
Sanguis in hac Christi dulce liquore lauat:
Quæq; lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In cruce restituit uirginis agnus ouis.
Tensus in his ramis cum plantis brachia pendens,
Ecclesiam stabilem pendulus ipse cruce.
Hoc pius in ligno reparans deperdita pridem,
Quod uetiti ligni poma tulere boni.

DE DESCENSV CHRISTI ad inferos.

Ex lib. II. De miraculis diui Martini.

Ob hoc arce poli descendit ad arua Redemptor,
Perdita ut eriperet, peritura nec ipsa perirent.
Immaculatus enim maculas detergere uenit,
Vulneribusq; suis curaret ut hulcera mundi.
Funeris ordo eius nostræ fuit arra salutis,
Sputa, flagella, chlãys, fel, acetũ, lãcea, claui, (nus,
Crux pia, mors, tumul⁹, lapis, infer⁹, umbra, tyran
Victa simul, triduo premit et redit auctor ad astra:
Descensusq; eius, meus est ascensus in altum,
B Nec peccatoris mortem magis eligit auctor,
Quando suis pœnis nobis dedit arma salutis.
Si pius indomitam pestem mansuescere tentat,
Promisitq; lupo bona pastor ouilia reddi:
Quanto magis homini reserantur præmia Christi?
Propter quẽ ipse Deus homo fit, iacet, atq; resurgit,
Et pietas, excelsa fides, præsumptio dulcis,
Quæ promittat opem deceptori et perituro,
Explicuit uotum, si non ualet ire iuuandum,
Cui minus in posse est, satis est ostendere uelle,
Nam totum impendit, qui non abscondit amorem.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Ex libro III.

Tempora florigero rutilant distincta sereno,
Et maiore poli lumine porta patet.
Altius igniuomum solem cœli orbita ducit,
Qui uagus Oceanas exit et intrat aquas.
Armatus radijs elementa liquentia lustrans,
Adhuc nocte breui tendit in orbe diem.
Splendida sincerum producunt æthera uultum,
Lætitiamq; suam sidera clara probant.
Terra ferax uario fundit munuscula fœtu,
Cùm bene uernales reddidit annus opes.
Mollia purpureum pingunt uiolaria campum,
Prata uirent herbis, et micat herba comis.
Paulatim subeunt stellantia lumina florum,
Arridentq; oculis gramina tincta suis.
Semine deposito lactans seges exilit aruis,
Spondens agricolæ uincere posse famem.
Caudice desecto lachrimat sua gaudia palmes:
Vnde merum tribuat, dat modò uitis aquam.
Cortice de matris tenera lanugine surgens,
Se para Præparat ad partum turgida gemma sinum.
Tempore subq; hiemis foliorum crine reuulso,
Iam reparat uiridans frondea tecta nemus.
Myrrha, salix, abies, corylus, siler, ulmus, acer, nux,
Plaudit quæq; suis arbor amœna comis.
Constructura fauos apis hinc aluearia linquens,
Floribus instrepitans poplite mella rapit.
Ad cantus reuocatur auis, quæ carmine clauso,
Pigrior hiberno frigore, muta fuit.
Hinc philomela suis attemperat organa cannis,
Fitq; repercusso dulcior aura melo.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Namq; triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
Dantq; creatori cuncta creata precem.
Salue festa dies, toto uenerabilis æuo: Paschale carmen diu in Lae[illegible] tio adsignatu
Qua deus infernum uicit, et astra tenet.
Nobilitas anni, mensũm decus, alma dierum,
Horarum splendor, scriptula, puncta fouens.
Hinc tibi silua comis plaudit, hinc campus aristis,
Hinc grates tacito palmite uitis agit.
Si tibi nunc auium resonat uirgulta susurro,
Has inter minimus passer amore cano.
Christe salus rerũ, bone conditor, atq; redemptor,
Vnica progenies ex deitate Patris,
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum subsistens, & penetrare potens.
Aequalis, concors, socius, cum patre coæuus,
Quo sumpsit mundus principe principium.
Aethera suspendis, sola congeris, æquora fundis,
Quæq; locis habitant, quo moderante uigent.
Qui genus humanũ cernẽs mersum esse profundo,
Vt hominem eriperes, es quoq; factus homo.

Nec nostro tantum uoluisti è corpore nasci,
Sed caro quæ nasci pertulit, atq; mori.
Funeris exequias pateris, uitæ auctor & orbis:
Intras mortis iter, dando salutis opem.
Tristia cesserunt infernæ uincula legis,
Expauitq; chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Christi fulgore fugatæ,
Et tetræ noctis pallia crassa cadunt.
Pollicitam sed redde fidem precor alma potestas,
Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Non decet ut humili tumulo tua membra tegãtur,
Non precium mundi uilia saxa premant.
Indignum est, cuius clauduntur cuncta pugillo,
Vt tegat inclusum rupe uetante lapis.
Lintea tolle precor, sudaria linque sepulchro:
Tu satis es nobis, & sine te nihil est.
Solue catenatas inferni carceris umbras,
Et reuoca sursum quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, uideant ut secula lumen:
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit.
Sed planè implesti remeans pie uictor ad orbem:
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Infernus insaturabiliter caua guttura pandens,
Qui rapuit semper, fit tua præda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis:
Et sequitur liber, quò suus auctor adit.
Euomit absorptam trepidè fera bellua plebem,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulũ repetens post tartara, carne resum(pta,
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit in te:
Et quos mors peteret, hos noua uita tenet.
Rex sacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atq; uetus uicium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas uestis quoq; candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

DE ASCENSV CHRI-
sti ad cœlos.

Ex Lib. II. De miraculis Martini.

Cùm sua carnali raperetur ad astra figura,
Atq; pijs plantis strauerunt flamina pinnas,
Cùm pede pressa sacro seruirent aëra regi,
Angelicis uectus manibus, celer æthera calcans,
Ingrediens, teneras neq; frangens greßibus auras,
Pendula planta uolans, cum nubila finderet intrãs A
Remige pennigero, qua non facit aula sigillum.
Cum Galilæis tunc spectantibus angelus astans,
Sic ait, altithronum rediturum, qualiter ire
Vidistis, cœlumq; supra uestigia ferre.

DE VITA HOMINVM
Liber tertius.

ADHORTATIO AD
patientiam.

Artificioso carmine. archiourbombis.

FRater amore Dei digno memorabilis actu,
Pectore fixa meo frater amore Dei.
Carpe libenter iter, quod ducit ad ætheris aulam,
Altius ut surgas, carpe libenter iter.
Fer patienter onus, neque te pia sarcina lasset,
Vnde manet requies, fer patienter onus.
Subdere colla decet, quia sunt iuga dulcia Christi,
Quo mereamur opem subdere colla decet.
Qui sua rura colit, solet horrea plena tenere,
Nec ieiunus erit qui sua rura colit.
Per mare nauta uolat, quò multa pecunia crescat,
Mercibus ut placeat per mare nauta uolat.
Non timet ille necem rabie turbante procellæ,
Vt lucretur opes, non timet ille necem. B
Miles ad arma uenit quærens per uulnera palmam,
Vt redeat uictor miles ad arma uenit.
Prælia sume libens, mihi tu quoque care sodalis,
Vnde triumphus erit prælia sume libens.
Quisquis amore uenit, nescit se ferre laborem,
Nemo ab amore iacet, quisquis amore uenit.

CONTRA IVDAEOS.
Ex libro V.

Quid facis ô Iudæa cohors, nec docta uetustas?
Vt uitam renoues, credere disce senex.
Lactea canicies sapiat maiora iuuenta,
Sensum pone grauem, & quod puerile fuit.
Non pudeat mel ora sequi, uel tarda ueternus
Corpore deficiens, crescat honore senis.
Est Deus alta fides, unus trinus, & trinus unus,
Personis proprijs stat tribus, unus apex.
Nam pater & genitus, quoque sanctus spiritus idẽ,
Sic tribus est unum ius, opus, ordo thronus.
Legifer hoc reboat patriarcha, hoc credit Abrahã,
Hinc pater est nobis, est quia nostra fides.
Tres uidet æquales, unum ueneratus adorat,
Vnum uoce rogat, tres quoque pelue lauat.
Sic

A Sic patruo ſimilis Loth ſuſcipit hoſpes euntes,
Quos cibat in Sodomis, hi rapuere Segor.
Cũ à domino dominus pluit igne (ô triſte) Gomor
Filius & pater eſt, à Domino Dominus. (ræ,
Qui tuus, ipſe meus ſtat conditor atque creator,
Huius plaſma ſumus, qui eſt trinitate Deus.
Vnius eſtis oues, heu cur non uniter itis?
Sit rogo grex unus, paſtor ut unus adeſt.
Rennuis, an recolis quod canna Dauidica pangit,
Quodq; prophetalis uirgine fœtus agit?
In cruce transfixus palmis pedibusq; pependit,
Sed corrupta caro non fuit & tumulo.
Poſt triduum remeans, ſanat nos uulnere longo,
Quod redijt cœlis, teſtis et iſta dies.
Crede meis, aut crede tuis conuicta ſenectus,
Si fugis ac trepidas, negligis iſta legens.
Protrahimus uerbum breuitatis tempore longum,
Aut admitte preces, aut rogo cede loco.
Vis hîc nulla premit, quouis te collige liber,
Aut meus eſto ſequax, aut tuus ito fugax.
Redde colone locum, tua duc contagia tecum,
Aut ea ſit ſedes, ſi tenet una fides.
B

DE INCERTITVDINE VITAE
et gloriæ hominis.

Ex lib. VII.

Tempora lapſa uolant, fugitiuis fallimur horis,
Ducit et in ſenium lubrica uita uiros.
Fine trahit celeri ſine fune uolubilis axis,
Nec retinet rapidas ad ſua frena rotas.
Cuncta mouens ſecum momenta et pondera rerum,
Donec meta auidos ſiſtere cogat equos.
Sic quoque diſsimiles ad finem tendimus omnes,
Nemo pedem retrahit, quô ſibi limes erit.
Imperiale caput regum trahit, atque ſenatum,
Nec ſpectante die, cùm uenit hora rapit.
Quid ſunt arma uiris? cadit Hector, & ultor A-
Aiacis clypeo murus Achæus obit. (chillis,
Quid ſatis eſt cupido? gremio quod condit auaro,
Delicijs refluis Attalus auctus abeſt.
Quis non uerſutus, recubat dum fine ſupremo,
De Palamede potens, ars in Vlyſſe perit.
Forma uenuſta fluit: cecidit pulcherrimus Aſtur,
Occubat Hippolytus, nec ſuper extat Adon.
Non agiles fugiunt, quo terminus inſtat eundum,
Nam cum fratre celer ſorte Quirinus abit.

Quid rogo cantus agit? modulis blanditur acutis
Orpheus, & citharæ uis animata iacet.
Docta receſsuris quid prodeſt lingua ſophiſtis,
Qui uoluere loqui curua, rotũda poli? (pus,
Archyta, Pythagoras, Aratus, Cato, Plato, Chryſip-
Turba Cleantharũ ſtulta fauilla cubat. (merus,
Quidue poeta poteſt? Maro, Naſo, Menander, Ho-
Quorũ nuda in humo membra ſepulchra tegũt.
Cùm uenit extremum, neque Muſis carmina pro-
Nec iuuat eloquio detinuiſſe melos. (ſunt,
Sic dum puncta cadunt, fugiunt præſentia rerum,
Et uitæ tabulam teſſera raptaleuat.
Eſt tamen una ſalus, pia maxima, dulcis et ampla,
Perpetuo trino poſſe placere Deo.
Hoc ualet atque uiget, manet, & nec fine peribit,
Hinc quoq; poſt tumulũ naſcitur almus honor.
Quod supereſt habito meritorum flore beato,
Suauis iuſtorum fragrat odor tumulo.
Gratius aura fluens, quàm ſpiret aroma Sabæum,
Vincens quæ pinguis balſama ſilua reflat.
Cynnama, caltha, crocus, uiolæ, roſa, lilia cedunt,
Vt ſimilis nullus nare bibatur odor.
Quid? quod morte magis uirtus generatur in illis,
Dumq; ſepulchra tenent, languida membra fo-
Multorũ dubiam ſolidant pia funera uitam, uent.
Et redit ex tumulo uiuificatus homo.
Nobilis urna tegit precioſa talenta Tonantis,
Ac terris recubat quod ſuper aſtra uolat.
Quis ſub amore Dei ſacro moderamine uiuens,
Fit peregrinus humi ciuis eundo poli.
Denique poſt illos, qui fundamenta coruſcant,
Poſtq; Petri & Pauli lumina prima fide,
Quis numerus radiet ſanctorum ſparſus in orbe,
Quanta columnarum gratia fuſa uiget?
Per loca, per populos, mundo ſua ſidera præſunt,
Quidquid ab Oceanis circulus ambit aquis.
Arctus, meridies, oriens, occaſus honorat,
Lumina muneribus clarificata ſuis.
De reliquo nihil eſt, quodcunque uidetur in orbe,
Nam tumor hinc totus: fumus & umbra ſumus.

DE COMMVNI OMNIVM
mortalitate.

Ex libro IX.

Aſpera conditio, & ſors irreuocabilis horæ,
Quod generi humano triſtis origo dedit,

Cùm ſuadens coluber proiecit ab ore uenenum,
Morſu et ſerpentis mors fuit Eua nocens.
Sumpſit ab ipſo ex tunc Adā patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit.
Præuaricando duo probro damnantur acerbo,
Ille labore dolet, hæc pariendo gemit.
Mors uenit inde uorax tranſmiſſa nepotibus ipſis,
Hæredesq́; ſuos tollit origo nocens.
Ecce hoc triſte nefas nobis genuere parentes,
Cœperat unde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miſerando uulnere cæſus,
Ac fraterna illi ſarcula membra trahunt.
Poſt quoque Seth obijt ſub Abel uice redditus iſdem
Et quamuis redijt, non ſine fine fuit.
Quid Noe memorem laudatum uoce Tonantis?
Quem leuis arca tulit, nūc grauis arca premit.
Sic quoque Sem et Iaphet patrū iuſtiſsima proles,
Sancta et progenies tale cucurrit iter.
Quid patriarcha Abraham, uel Iſaac, Iacob quoq;
Cùm de lege neſcis nemo ſolutus adeſt? (dignus,
Melchiſedech etiam Domini ſacer ore ſacerdos,
Iob quoque, tum geniti ſic abiere ſui.
Legifer ipſe iacet Moſes, Aaronq́; ſacerdos,
Alloquijsq́; Dei dignus amicus obit,
Succeſſorq́; ſuus populi dux inclytus Ieſus,
Quos legitis libris occubuere patres.
Quid Gideon, Sāſon, uel quiſquis in ordine iudex,
Mortem ſub Domino iudice nemo fugit.
Iſraelita potens Dauid rex atque propheta,
Eſt ſitus in tumulo cum Solomone ſuo.
Eſaias, Daniel, Samuel, Ionasq́; beatus,
Viuens ſub pelago, ſtat modo preſſus humo.
Princeps claue Petrus, primus quoq; dogmate Pau
Quāuis celſæ animæ, corpora terra tegit. (lus,
Semine ab humano quo nullus maior habetur,
Vir Baptiſta potens, ipſe Iohannes obit.
Enoch, Eliasq́;, et adhuc hoc ſpectat uterque,
Qui ſatus ex homine eſt, & moriturus erit.
Ipſe creator ouans, ſurgēs citò Chriſtus ab umbris,
Hic, quia natus homo eſt, carne ſepultus humo
Quis, rogo, nō moritur, mortē guſtāte ſalute, (eſt.
Dum pro me uoluit hic mea uita mori?
Dic mihi, quid poterunt Auguſti aut culmina regū,
Membra creatoris cùm iacuere petris?
Brachia non retrahūt fortes, neq; purpura reges,
Nam quicunq; uenit puluere, puluis erit.

Naſcimur æquales, morimurq́; æqualiter omnes, A
Vna ex Adam eſt mors, Chriſtus et una ſalus.
Diuerſa eſt merces, funus tamen omnibus unum,
Infantes, iuuenes, ſic moriere ſenex.
Ergo quid hîc facimus, dubiæ ſub funere uitæ,
Cùm nihil auxilij poſſumus eſſe rei?
Ploramus, gemimus, ſed nec prodeſſe ualemus,
Luctus adeſt oculis, eſt neque fructus opis:
Viſcera torquentur, lacerantur corda tumultu,
Sunt cari extincti, flendo cadunt oculi.
Ecce uocatur amor, neque iam reuocatur amator,
Nos neque iam repetit, quem petra merſa tegit.
Quamuis clamantem refugit mors ſurda nec audit,
Nec ſcit in affectum dura redire pium.
Sed nolo atque uolo, migrabo cum omnibus illuc,
Ibimus huc omnes, nemo ſed inde redit:
Donec in aduentu Domini caro mortua uiuat,
Surgat et ex proprio puluere rurſus homo.
Cœperit ut tegere ardentes cutis uda fauillas,
Et uiui cineres de tumulis ſalient.
Ibimus ergo omnes, alia regione locandi,
Ibimus ad patriam, quos peregrina tenent.
Quale placet figulo uos fictile, tale paratur,
Quando placet figulo, uaſa ſoluta ruunt. B
Quod iubet omnipotēs, nō poſſumus eſſe rebelles,
Cuius ad intuitum ſidera, terra tremunt.
Ipſe creat hominem, quid dicere poſſumus illi?
Qui dedit & recipit, crimina nulla gerit.
Illius ecce ſumus figmentum, et ſpiritus inde eſt,
Cùm iubet hic, imus, qui ſumus eius opus.
Si libet, una hora montes, freta, ſidera mutat,
Cui ſua facta fauent, quidnam homo fumus agat!

DE IVDICIO EXTREMO.

Ex lib. IIII.

Felices, quos nulla grauant de morte ſecunda,
Nec faciunt pœnis ſubdita membra feris.
Dulcibus illecebris qui non ſibi condit amarum,
Nec per carnem animam uult ſepelire ſuam:
Sed caſta pietate, manens ſine crimine uitæ,
Illius in luce hac præmia lucis emit.
Tempore quā paruo lachrimas aut colligit amplas,
Aut cui uita nitet, gaudia longa capit:
Hac de morte leuis dolor eſt, nam durius illud,
Hîc quem uiuentem tartara nigra tenent.
Infelix quiſquis maculoſis actibus uſus,
Arte redemptorem ſe laqueaſſe ſtudet.

A Nubibus inuectus, cùm uenerit arbiter orbis,
Et tuba terribilis commouet arma poli.
His uenit Elias, illis in curribus Enoch,
Anteuiando suos hinc Petrus, hinc Stephanus.
Flore puellarum rosea stipante corona,
Inter uirgineos prima Maria choros,
Hinc mater: hinc spōsa Agnes, Thecla, dulcis Aga-
Et quæcunq; Deo uirginitate placet. (the,
Tunc ibi quis terror, cœli aßistente senatu,
Quid dicturæ animæ iudicis in facie?
Mox aut pœna manet miseros, aut palma beatos,
Quisq; suæ uitæ semina iacta metet.
Sunt dicturi alij, cade mons, & comprime corpus,
Sed iußi colles ferre sepulchra negant.
Cogentur minimi quadrantem soluere nummi,
Nemo pedem remouet, quo sua culpa trahit.
Spe uacui, similes paleæ, mittentur in ignes,
Pascendis flammis fit caro nostra cibus.
Viuunt ad pœnas, æterno ardente camino,
Vt cruciet grauius mors mala non moritur.
Neu feßi recreent animas longo igne crematas,
Porrigit heu nullas flammiger amnis aquas.
Parte alia meritis fęlicibus, alta tenentes,
B Fulgebunt iusti, sol uelut arce poli.
Digni lumen habent, damnati incendia deflent:
Illos splendor alit, hos uapor igne coquit.
Res est una quidem, duplici sed finditur actu,
Nam cremat indignos, quo probat igne pios.
Aeterna radiant paradisi in luce beati,
Cum facie Christi regna tenendo sui.
Gratia quanta manet, uultus qui aspexerit illos,
Quantus honor hominum posse ui dere Deum?
Si nimis erigitur fragilem, qui cernit amicum,
Qualiter exultet, qui uidet ora Dei?
Lilia, narcissus, uiolæ, rosa, nardus, amomum,
Quidquid odorifero germine mittit Arabs:
Iudicis in uultu florentia lumina uernant,
Sed super hæc Domini suauior efflat odor.
Nam quantùm obscœno melior lux aurea plumbo,
Tantùm thura Deo, cedit & omnis odor:
Quantum nocte dies distat, sol lampade lunæ,
Factori cedunt sic sua facta suo.
Cùm uerò iusti tanto splendore fruantur,
Congaudent nimium, se caruisse mori,
De tenebris migrasse fauent, in luce perenni,
Et magis ad bona tot, tardius isse dolent.

DE GAVDIIS ET SPE
uitæ æternæ.

Ex lib. VIII.

Culmina multa polos radianti lumine complent,
Lætanturq; pijs agmina sancta choris.
Carmine Dauidico plaudentia brachia texunt,
Creduntur'q; sacro tripudiare gradu.
Cœtibus angelicis hominum sociata propago,
Reddit honorificum laudis amore sonum.
Alternis uicibus diuina poëmata psallunt,
Atque creatori mystica uerba canunt.
Lucida sidereo cœli strepit aula tumultu,
Laudibus & Domini concutit astra fragor.
Hinc Patriarcharum resonant modulamina uocū,
Inter quos Abrahæ est maxima palma fide.
A quo acceperūt, reddūt dehinc uerba prophetæ,
Moses ante alios dux, mare teste, uiros.
Inde fauent fratres, & celsa caterua piorum,
Lumen apostolicum præmeditante Petro.
Qui ualet ex meritis cineres animare sepultos,
Et reuocare diem uoce iubente potest.
Hinc mercede pari sequitur pius ordo senatum,
In quibus est Stephanus uictor, honore prior:
Quos saxis, gladijsq;, siti, fame, frigore, flammis,
Ereptos terris iungit in astra fides.
Casibus heu uarijs quos sic tulit ira furentis,
Etsi mors dispar, lux tamen una tenet.
Inde Dei genitrix, pia uirgo, Maria coruscat,
Virgineoq; agni de grege ducit oues.
Ipsa puellari medio circundata cœtu,
Luce pudicitiæ splendida castra trahit.
Per Paradisiacas epulas sua uota canentes,
Ista legit uiolas, carpit & illa rosas.
Pratorum gemmas ac lilia pollice rumpunt,
Et quod odoratum est, flore comante metunt.
Illic Euphemia, & pariter quoq; plaudit Agathe,
Et Iustina, simul consociante Thecla.
Hîc Paulina, Agnes, Basilissa, Eugenia regnant,
Et quascunq; sacer uexit ad astra pudor.
Felices, quarum Christi contingit amore,
Viuere perpetuo nomina fixa libro.
Seruitio Domini subdenda est ad iuga ceruix,
Nec graue sed leue fit, quidquid amore feres.
Christū corde sequēs, mandataq; corpore cōplēs,
Vt teneas flores, has imiteris opes.

Respice qui uoluit nasci de uentre puellæ,
Et Domini summi, qua caro carne uenit.
Spiritus intactam uenerabilis attigit aluum,
Virgineam cupiens inhabitare domum.
Hanc Deus ingrediens, hominis quæ nesciit usum,
Sola suo nato conscia uirgo uiro.
Concipiente fide, nullo se semine lusit,
Et quo factus homo est, non fuit alter homo.
Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.
Templa creatoris sunt membra pudica puellæ,
Atque habitat proprius tale cubile Deus.
Quantum sponsa potest de uirginitate placere,
Ipsa cui genitrix non nisi uirgo placet?
Sarra, Rebecca, Rachel, Esther, Iudith, Anna, Noē-
Quãuis præcipuè culmē ad astra leuent: (mis,
Nulla tamen meruit mundi generare parentem,
Quæ Dominum peperit clausa Maria manet.
Intemerata Deum suspendit ad ubera natum,
Et panem cœli munere lactus alit.
Hoc ergo in sponsæ nunc uiscere diligit ipse,
Quod prius in matrem legit honore sacer.
Pectora liberius penetrat sibi cognita soli,
Et quo nemo fuit lætior, intrat iter.
Hæc sua membra putans quæ nulla iniuria fuscat,
Quæ neque sunt alio participata uiro.
Mitis in affectu pectus complectitur illud,
Promptus, amore calēs, quo alter amator abest.
Cùm sua regna Deus pariter uelit omnibus esse,
Hoc commune tamen Christus habere fugit.
Per Paradisiacas epulas cupit esse cohæres,
Virgineam solus uult habitare domum.
Castra pudicitiæ melius rex ipse tuetur,
Si sibi non uiolet turba dicata fidem.
Ipse uoluntatem si uiderit esse fidelem,
Proq; suis famulis et Deus arma tenet.
Lorica, clypeo, galea præmunit amantem,
Et stabilit solidum montis in arce gradum.
Balistam iaculans, pro te mox exit in hostem,
Perdat ut aduersos, qui tibi bella mouent.
Currit ad amplexus post prælia gesta triumphans,
Infigens labijs oscula casta sacris.
Blanditur, refouet, ueneratur, honorat, obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica suo.
Siderei proceres ad regia uota frequentes,
Certatim ueniunt agglomerando chorum,

A
Quo præter Cherubin, Seraphin, reliquosq; bea-
Aligeros comites quos tegit umbra Dei. (tos,
Bis duodena senum concursat gloria uatum,
Attonito sensu plaudere, uoce, manu.
His uenit Elias, illis in curribus Enoch,
Et nati dono uirgo Maria prior.
Legis consulti Pauli comitante uolatu,
Princeps Romana currit ab arce Petrus.
Conueniunt ad festa simul sua dona ferentes,
Hi quorum cineres, urbs caput orbis, habet.
Culmen Apostolicum radiante luce coruscum,
Nobilis Andream mittit Achaia suum.
Præcipuum meritis Ephesus ueneranda Iohannem
Dirigit, & Iacobos terra beata sacros.
Læta suis uotis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edessa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum, eximium Naddauer alta uirum.
Hinc Simonē & Iudã, lumen quos Persa gemellū,
Læta relaxato mittit ad astra sinu.
Et sine rore ferax, Aegyptus torrida, Marcum
Luce Euangelica participante tuba.
Africa Cyprianum dat, Siscia clara Quirinum,
Vincenti Hispana surgit ab urbe decus. B
Egregium Albanum fœcunda Britania profert,
Massilia Victor martyr ab urbe uenit.
Porrigit ipsa decens Arelas pia dona Genesi
Astris, Cæsario concomitante suo.
Ipsa Parisiaca properat Dionysius urbe,
Augustoduno Symphoriane uenis.
Priuatum Gabalus Iulianum, Aruernus Abundum,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.
Hinc simul Hilarium, Martinum Gallia mittit,
Te quoque Laurenti Roma beate tulit.
Felicem meritis Vicentia læta refundit,
Et Fortunatum fert Aquileia suum.
Vitalem, ac reliquos, quos cara Rauenna sepultat,
Geruasium, Ambrosium, Mediolane meum.
Iustinam Pataium, Euphemiam quoq; Chalcedon
Eulalia Emerita tollit ab urbe caput. (effert,
Cæciliam Sicula profert, Seleucia Theclam,
Et legio felix Agaunensis adest.
Europæ atque Asiæ quis lumina tanta recurrat,
Vel tua quis possit pignora Roma loqui?
Vndique collectus diuersis partibus orbis,
Agminibus iunctis regia pompa trahit.
Intrant:

A Intrant sidereo uernantes lumine portas,
Excipit hos proceres urbs patefacta poli.
Incedit sensim tum prætextata potestas,
Ordine patricio sic potitura loco.
Nobilitas cœli diues cruce, sanguine Christi,
Festinat festos concelebrare thoros.
Paupertas terræ censu cœleste redundans,
Consulibus tantis regia uota colit.
Vndiq; distinctè numerosa sedilia complent,
Attonitiq; silent, rege loquente, patres.
Maiestas arcana Dei tum pondere fixo,
Alloquitur proceres, quos sua dextra regit:
Hæc mihi pollicitum seruauit uirgo pudorem,
Nec uoluit placitam dilacerare fidem.
Sollicitis animis sponsi uestigia sectans,
Et mea uota petens, inuiolata uenit.
Per tribulos gradiens spinæ cauefecit acumen,
Sentibus in medijs nescia ferre uepres.
Vipera, spes, iaculus, basiliscus, hemorrhois, aspis,
Faucibus horrificis sibila torsit iners.
Inde sagitta uolans, hinc terruit arcus euntem,
Docta sed insidijs cautius ire suis.
Inter totq; hostes nulli se subdidit insons,
B Vulnera suscepit, sed tolerando fugit,
Per tela & gladios tenuit mora nulla sequentem,
Sed tam dura nimis, non nisi ferret amor.
Ad me aures, oculos, animos suspensa tetendit,
Cùm terris iacuit, iam super astra fuit.
Singultus, gemitus, curas, suspiria, flexus,
Sæpius audiui non abolenda mihi.
Abscondens alijs, nulli confessa dolores,
Intellecta mihi murmura clausa dedit.
Vidit fortè meum quoties in imagine uultum,
Oscula dans labijs lumine fudit aquas.
Peruigil incubuit, si fortè alicunde uenirem,
Marmore iam tepido frigida membra premens.
Hæc gelifacta meum seruauit in oßibus ignem,
Visceribus rigidis pectus amore calet.
Corpore dispecto recubabat in aggere nudo,
Seq; oblita iacens me memor ipsa fuit.
Fletibus aßiduis exhausto humore genarum,
Siccatis oculis terra natabat aquis:
Et quia me uiuens carnali lumine quondam,
Cernere non potuit, misit amata precem.
Nam mihi sollicito nocturnis sæpius horis,
Scripta suis lachrimis pagina lecta fuit,
Plena quidem uarijs tremulo sermone querelis,
Quod sine me solo mœsta iacêret humo.
Cuius ab ore fluens natiuo gutta liquore,
Hæc dedit in tremulis signa relata notis.
Strata solo recubo lachrimans, neq; cerno quid op(to,
Tristis in amplexu pectore saxa premo.
Sponso absente manens tam dura cubilia seruo,
Nec mea quem cupiunt membra tenere queunt.
Dic ubi sis, quẽ expecto gemẽs, qua te urbe requirã,
Quaúe sequar, nullis fœmina nota locis?
Ipsa uenire uelim properans, si poßit in astris
Pendula sideream planta tenere uiam.
Nunc sine te fuscis grauiter nox occupat alis,
Ipsaq;, sole micans, est mihi cæca dies.
Lilia, narcissus, uiolæ, rosa, nardus, amomum,
Oblectant animos germina nulla meos.
Vt te conspiciam, per singula nubila prændo,
Et uaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procellosos suspecta interrogo uentos,
Quid mihi de Domino nunciet aura meo.
Proq; tuis pedibus cupio cæmenta lauare,
Et tua templa meo tergere crine libet.
Quidquid erit tolerem, sunt omnia dulcia dura,
Donec te uideam: hæc mihi pœna placet.
Opto per hos fluctus animam tu Christe gubernes,
Arbore et antenna uelificante crucis.
Vt post emensos mundani gurgitis æstus,
In portion uitæ nos tua dextra locet.

DE CERTAMINIBVS ET miraculis piorum, Liber quartus.

DE BEATO SATVRNINO Martyre.

Ex Libro II.

Ianua celsa poli, terra pulsante patescit,
Et recipit natos quos generauit humus.
Admiranda hæc est occasio facta salutis,
Vt de morte sua præmia lucis emant.
Saturninus enim cupiens se nectere Christo,
Carnali in habitu noluit esse diu.
Vincula corporei dissoluere carceris optans,
Plenius ut Domino se sociaret homo.
Tempore maturo cui iam spes esset adulta,
Sumpserunt precium uota beata suum.
Dumq; sacerdotis frueretur in urbe Tolosa
Munere, dum Christum panderet esse Deum:

Oſtendens uerbis, addens miracula factis,
Vt quod ſermo daret conſequeretur opus.
Gentiles animas, rapiens de fauce tyranni,
Subdebat regi, qui dedit arma ſibi.
Sed uiciata malis, & plebs infecta uenenis,
Curari effugiens, ægra iacêre uolens:
Comprændit male ſana mirum, ad Capitolia duxit,
Atque ſuo medico uulnera plura dedit.
Pro pietate, dolum: pro melle, uenena rependens,
Contra tutorem noxia bella mouet.
Subligat indomiti ſanctum ad ueſtigia tauri,
Et ſtimulat, fieret ne fuga tarda feri.
Peßima mens hominum diri noua beſtia monſtri,
Nec tauri indomiti ſufficit ira tibi,
Naturæ rabidæ feritatem adiungere noſti,
Quod per ſe neſcit, te ſtimulante furit.
Turba cruenta, nocens, huius te uulnere perdis,
Si non uis illi parcere, parce tibi.
Hinc ferus impatiens, mox curua per auia raptus,
Paßim membra pij fudit in urbe uiri.
Tum mulier collegit ouans, & condidit artus,
Sola una famula participante ſibi.
Hæc fuit inſignis rapiendæ cauſa coronæ,
Gloria martyrij ſic celebrata nitet.
Ante ſepulchra pij, dantur modò dona ſalutis,
Et corpus lacerum corpora multa fouet.
Dic ubi mors inimica iaces, ubi uicta recumbis,
Quando uides ſancti funere uota dari?
Quem malè credebas obitu finire ſalutem,
Dat uitam multis, & tenet ipſe ſuam.
Huc captiua cubas, quæ te regnare putabas,
Inuadendo peris, teq; furendo necas.
Te tua pœna premit, tua te fera uincula torquent,
Quos dare uis gemitus, ipſa ferendo gemis.
Martyr ouans, cœlos retinet, tu liuida, triſtis
Mors, inimica tibi tartara nigra colis.
Florigera nunc ſede manet ſine fine beatus,
Inter odoratos thura adoletq; choros.
Non aliquas metuit placato iudice cauſas:
Præmia ſed miles uictor habenda petit.
Digna triumphantem quæ reſtat palma ſequetur:
Pro te Chriſte mori, eſt gloria, uita, quies.

DE BEATO DIONISIO.

Ex lib. I.

Qui feruente fide Chriſti ſolidatus amore
Vertice ſuppoſito colla ſecanda dedit.

Membrorũ contemptor erat, cupiendo coronam, A
Vile putans, quidquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio, ſe miſit Olympo:
Vnde mori uoluit, uota ſalutis habet.

DE BEATO GEORGIO.

Ex lib. II.

Martyris egregij pollens micat aula Georgi,
Cuius in hunc mundum ſpargitur altus honor.
Carcere, cæde, fame, uinclis, ſite, frigore, flammis,
Confeſſus Chriſtum, duxit ad aſtra caput.
Qui uirtute potens, Orientis in axe ſepultus,
Ecce ſub occiduo cardine præbet opem.

DE SANCTIS AGAVNENSIBVS,

Mauricio et eius ſocijs.

IBIDEM.

Turbine ſub mundi cum perſequebantur iniqui,
Chriſticolasq; daret ſæua procella neci:
Frigore depulſo ſuccendens corda, peregit
Rupibus in gelidis feruida bella fide.
Quo pie Maurici, ductor legionis opimæ,
Traxiſti fortes ſubdere colla uires, B
Quos poſitis gladijs, armarent dogmata Pauli
Nomine pro Chriſti dulcius eſſe mori.
Pectore belligero poterant qui uincere ferro,
Inuitant iugulis uulnera cara ſuis.
Hortantes ſe clade ſua, ſic ire ſub aſtra:
Alter in alterius cæde natauit herus.
Adiuuit rapidas Rhodani fons ſanguinis undas,
Tinxit et Alpinas ira cruenta niues.
Tali fine polos felix exercitus intrans,
Iunctus Apoſtolicis plaudit honore choris.
Cingitur angelico ſuper aſtra beata ſenatu,
Mors fuit unde prius, lux fouet inde uiros.
Qui faciunt ſacrum paradiſi creſcere cenſum,
Hæredes Domini luce perenne dati.
Sidereo chorus iſte throno cum carne locandus,
Cùm ueniet iudex, arbiter orbis erit.
Sic pia turba ſimul feſtinans cernere Chriſtum,
Vt cœlos peteret, de nece fecit iter.

DE STEPHANO MARTYRE.

Ex lib. I.

Pertulit hic martyr pro Chriſto Orientis in axe,
Ecce ſub occaſu, templa beatus habet.

Fundatus

A Fundatus uirtute Dei, de morte triumphans,
Excepit lapides, cui petra Christus erat.
Gens Iudæa ferox Stephanũ quem perdere credis,
Etsi carne, tamen nescit honore mori.
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam:
Possidet ille polos, tu magis ima petis.

DE VINCENTIO MARTYRE.
Ibidem.

Post finem, sine fine manet, mens dedita Christo,
Linquens turbam hominum, stat sociata Deo.
Hac ope suffultus Vincentius, extat in æuum,
Gloria martyrij cuius opima uiret.
Vertice supposito rapuit qui ex morte triumphũ,
Et noua de terris proles ad astra uolat.
Credidit unde necem sancto, dedit hostis honorem,
Percussorq; magis morte perenne iacet.
Vicerat ille miser, hunc si iugulare nequisset
Nam abstulit undè caput, contulit inde polum.

DE HILARIO EXVLE.
Ex lib. II

Cùm populum regeret diuina mente sacerdos,
Seruabat legis fœdera sollicitus.
Improbus ut uidit plebem quòd scinderet error,
B Græcorum uirus protulit in medium.
Vipereo promunt semper qui ex corde uenena,
Filius ut dicant, quòd genitura Dei.
Quis magis auxilium præstat sapientia mundi,
De ingenito genitum, quæ negat esse Deum,
Quam malè complexus, cupiẽs calcare prophetas,
Arrius infelix, cùm retinet, crepuit.
Egregius doctor ueterum monumenta secutus,
Quem Stephanus uidit, comprobat esse Deum.
Victus amore Dei, contempto principe mundi,
Intemerata fides pertulit exilium.
In patre, qui omnipotẽs Deus est, cognoscere natũ,
Diuinis tantùm uocibus insinuat.
Perpetuum lumen, Christum Dominumq; Deumq;,
Bissenis populos edocet esse libris.

DE MEDARDI EPISCOPI
miraculis.
Ex libro II.

Inter Christicolas quos actio uexit in astra,
Pars tibi pro meritis magna Medarde patet.
Qui sic uixisti terrenis hospes in oris,
Vt cœlos patriam feceris esse tuam.
Exilium tibi mundus erat, cænosa cauenti,
Et modò te gaudet ciue manente polus.
Exutus tenebris, uestitus tegmine lucis,
Post obitum frueris liberiore die.
De tellure satus, factus possessor Olympi,
Et matrem linquens, cum patre læta tenes.
Humani uictor uicij super astra triumphas,
Atq; cremans carnem, das animæ requiem.
Inter te mundi uepres gradiente, fatemur
Calcatis spinis promeruisse rosas.
Flore refectus ager suaues tibi fundit odores,
Balsama, thura, replent quæ paradisus habet.
Cauta per angustum figens uestigia callem,
Sic dedit arcta tibi semita lucis iter.
Lata uoluptatum uia, quæ submergit auerno,
Dulcia carnis alens, mortis amara parat.
Hoc nunquam sacros flexisti tramite gressus,
Nec potuere tuos praua tenere pedes.
Durum iter ad laudes, grauior uia ducit in altum,
Quô labor est potior, gloria maior erit.
Quæ prius incipiam sacri miracula facti,
Cùm quidquid facias, omnia prima micent.
Dum fugit ad superos humano è corpore uita,
Ex oculis fugiens, lux tibi cordis erat.
Si cæcus uẽnit, rapuit palpando salutem,
In medijs tenebris fulsit aperta dies.
Qui uoluit furti causas penetrare latentes,
Te religante sedet, te reserante fugit.
Quid referam, mutis quòd uerbo uerba dedisti?
Quod grauat eijciens, quod iuuat omne locans.
Cuncta nec enumero, tua me præconia uincunt,
Etsi non potui, uelle fuisse satis.

DE MIRACVLIS MARTINI Episcopi.
Ex libro X.

Ambianis tremulum cernens Martinus egenum,
Dimidiæ chlamydis mox ope membra tegit.
Sed coram angelicis turmis, se hanc nocte silente,
Pauperis in specie Christus habere refert.
Leprosi maculas preciosa per oscula purgans,
Cui quod ab ore dedit pax, medicina fuit.
Vlcera morbosi curans sic fauce beatus,
Quod Iordanis agit, tacta saliua facit.
Quam generosa fides Martini in secula ciuis,
Qui quocunq; fuit, mors ibi perdit iter.

Deniq; cùm extincto catechumenus ore iacêret,
Se super extendens, effugat arma necis.
Sic uiduæ genito laqueato, deinde reducto,
Est uir ubi iste Dei, non licet ire mori.
Fanaticam pinum sanctus succidere cogens,
Iustum ibi supposuit rustica turba premi.
Cæsa secure arbor, cùm iam daret alta ruinam,
Ad crucis imperium est ire coacta retro.
Quis uigor hic fidei? ualidæ dum pondera pini,
Quò natura negat, crux facit ire uiam.
Serpentis morsu tumidum suprema regentem,
Hic digitum ut posuit, pestis iniqua fluit.
Collecto morbo huc & ab ulcere pollice tracto,
Dumq́; uenena cadunt, erigit ille caput,
Vnguentumq́; nouum digitis traxisse uenenum,
Et tactu artificis sic superasse neces.
Dum latro extinctus, falso coleretur honore,
Voce huc Martini cogitur umbra loqui,
S: referens multa scelerum pro mole peremptum,
Se quoq; nec iustum, se magis esse reum.
O' uox sancta, loqui defuncta cadauera cogens,
Cui post facta iacens dat sua uerba cinis.
Pergeret in fluuium, dum uipera lapsa natatu,
Et prope littorei tangeret ora soli,
Martini imperio liquidas reuocatur ad undas,
Transactumq́; uiæ lassa recurrit iter.
Quantus amor Domini, tali sub corde calebat,
Quandò uenena potens ipsa retorquet aquis?
Martini meritis alijs quoq; febre crematis,
Sudores refluos pagina sicca dabat.
Vndè salutifero medicamine charta fouebat,
Atq; graues ignes litera tingit aquis.
Gratia quanta Dei huius sermone rigabat,
Febre ubi succensis fons suus ibat apex.

Leprosus sanatus.

Natio Pannoniæ misit tibi Gallia fructum,
Gignens cœlestem terra maligna dapem.
Martinum illustrem meritis qui munere diuo,
Culmen in ætherea sede senator habet.
Qui lepræ maculas medicata per oscula purgat,
Curat & infectum pura saliua uirum.
Ad fluuium Domini, cui non fuit ire labore,
Quod Iordanis habet, sanctus ab ore dedit.

Nudus uestitus.

Dum chlamydem Martinus inops diuisit egeno:
Christus ea memorat se bene ueste tegi.
Diues paupertas Dominum quæ texit amictu: A
Cui Deus occurrit, qui dedit astra faber.

Mortuus suscitatus.

Quid Deus in famulis operetur opimus amator,
Martini gestis magna probare potes.
Ducere qui meruit de morte cadauera uitæ,
Rettulit atq; diem, reppulit undè necem.

Pinus ruina in ipsum destinata non opprimit.

Dum caderet Martinum arbor pressura beatum,
Mox facit ipse crucem, pinus abacta redit.
Quis non uirtuti diuinæ commodet aurem,
Dum trabe conuersa, dant quoq; ligna fugam?

Columnæ ruina in idolio euertendo auersa.

Idola dum cuperet Martinus sternere, fulta,
Conterit hæc cœlis magna columna ruens.
Ad iusti auxilium dignando militat æther,
Quanta fides cuius currit ad arma polus?

Latronis reliquiæ deprehensæ.

Forte colebatur dum quis pro martyre latro,
Martini aduentu, se probat esse reum. B
Virtutis merito, fidei radiante corusco,
Nec tacet extincti, nec latet umbra rei.

PAX PRECIBVS IMPETRATA.

Ex lib. I. De beato Martino.

Pòst fera barbaries peteret cũ Gallica claustra,
Ac prope Vãgionũ premeret loca feruidus hostis,
Militiæ sanctus cuncta emolumenta recusat,
Hîc tum Cæsareas fremuit Iulianus in iras,
Imperat ut clausum teneat custodia iustum,
Ac ueniente die primus properaret in agmen,
Quo tamen ante aciem sacer ire fatetur inermis,
Venerat ergo dies belli, pacem expetit hostis,
Atq; orante uno, cecidit furor omnibus armis,
Innumerasq́; acies solus sine sanguine uicit.

Repulsus diabolus.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Florea rura terens per amœna uireta uiator:
Obuius occurrit uetus & temerarius hostis,
Mentitus speciem humanæ sub imagine formæ.
Quod peteretur iter quærit: cui comminus ille
Hâc properare refert, quâ se Deus ire uocaret.

Cui

A Cui ferus hostis ait, quacunq; accelerare tendes,
Tecum pergo nocens, uota in contraria currens.
Voce prophetali sanctus cui protinus infit:
Est meus adiutor Dominus, mala nulla uerebor,
Ne timeam timidũ timor est, Deus arma timentum.
Tutus in aduersis gradior rectore superno.
Insidiæ uia nulla patet sub tegmine diuo.
Hæc ait, at ualidi trãsfixus cuspide uerbi (umbrat.
Dæmon abest: sic umbra fugit, quem Christus ob-

Conuersa ad fidem Mater.

Interea matrem gentili errore resoluens:
Illa istum mundo, hic illam generauit Olympo,
Decrepitamq; senem sancto facit amne renasci,
Et meliore sinu generant sua uiscera matrem.

Tetradij seruum à diabolo liberat.

Post quoq; Tetradij famulus procõsulis expers,
Mancipium alterius, sub hospite dæmone factus:
Sed sacer ipse domum gentilis adire recusat,
Spondit Tetradius, humilis cum fascibus altis,
Si eripiat hosti famulum, se credere Christo.
Imposita ergo manu, puero fera larua recedit.
Tetradius pariter catechumenus esse meretur,
B Atq; salutiferi baptismatis amne nouatur.
Sic puer & Dominus maculis purgantur adeptis,
Iste hostis laqueis, erroribus ille solutus.
Ille carens animæ pœnis, hic carnis Erynni.
Liber uterq; manens, gemino micuere triumpho,
Conditio famuli libertas facta patroni,
Excipit iste fidem, cùm de illo perfidus exit.

DAEMONIS SPECTRA repulsa.

Ex lib. II.

Mille nocendi artes dum perfidus exerit hostis,
Nunc Iouis in faciem, nunc se mentitus Anubim,
Sæpe habitu Veneris, non rarò fronte Mineruæ,
Sedulus insidijs sancto, sua feria rumpens,
Diuersis formis, ut terror cresceret, offert,
Et uacuus generet specie uariante timorem:
Qui uirtute nequit, superatus ut arte rebellet.
Sed tamen intrepidus persistit, inania temnens,
Semper in aduersis iaculans crucis arma beatus.
Belliger hoc clypeo mendacis tela relidens,
Qua penetrante acie se machina falsa resoluit.
Sæpe etiam in sancto uarios acuere tumultus,
Inficiatoris falso minitante flagello,
Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,
Oppositisq; minis interritus ipse resistit,
Nec fundata decet, contra euacuata moueri.

IDEM FVGATVS IN SPE-cie Christi apparens.

Ibidem.

Olim cùm sanctus recubaret in aggere fusus,
Insinuando preces domino pro plebe sacerdos,
Constitit ante oculos deformis forma rebelles,
Sulphurea sub luce micans radiatilis umbræ.
Lumine mentito tenebrosus, & atra uorago,
Fulgidus exuuijs, radiali ueste satelles,
Tectus bracteolis, uario diademate pulcher,
Ordine gemmarum numerosa luce coruscans,
Quæ dudum Martine cupis penetrante precatu,
Iam pia uota tenens: ego sum, tua gloria, Christus,
Exigis ut ueniam ualidos recreare labores,
Et sudata tuis ut soler bella trophæis.
Hic sacer intrepidus, responsa hæc seria refert:
Ast ego transfixas clauis nisi uidero palmas,
Atque beata crucis tum stigmata carne gerentem,
Ac latus, effossas traiecto missile costas,
Vnde cruentati pariunt baptismata riui,
Et sacra purpureo maculas lauat unda fluento,
Quæ dedit in precio generosa talenta Redemptor,
Inq; crucis trutina precij numismata pensans,
Totum auctor redimens thesauro corporis orbem,
Cùm gemma una fuit, quæ cuncta in uasa ualeret.
Hac nisi ueste tegi uideam, quam pertulit auctor,
Absq; hoc indicio Christum uenisse negabo.
Mox inimicus, iners, uibratus uerbere uerbi,
Pestifer, aërius, tenuata per æthera lapsus,
Effugit ex oculis, liquidas quasi fumus in auras.

PVER A' SERPENTE ICTVS curatur solo tactu.

Ex lib. III.

Nescius inficitur puer atro dente chelydri,
Membraq; percussi distenderat ira ueneni,
Cùm spacium uitæ mors importuna negaret,
Flebile & in toto regnaret corpore uirus.
Exposuit puerum ante pedes Euantius almi,
Omnia confisus Martinum posse mereri,
Sanctus enim tactu mox singula membra pererrat,
Atq; manu medica morientia uiscera palpat.
Inde super uul[illegible] qua l[illegible] fix[illegible]

Vt posuit digitum, fluit undiq; uena ueneni,
Et repedauit iter, dederat qua uipera morsus.
Hinc sacer inspiciens collecta tabe tumorem,
Pollice subducto quam fuderat ulcere serpens.
Cuncta ueneni uis per hiatum uulneris exit,
Sanguine concreto stillans uelut ubere capræ,
Turgida plaga necem uomuit de uulnere filans,
Concretam saniem uena saliente relaxans.
Effert uirus iners refluente canale liquorem,
Et data lethiferum reuocat retro fistula riuum.
Expugnante fide morsus uim perdidit anguis,
Et qui alios perimunt, perierunt arma ueneni.
Stat puer incolumis, remanet neq; pallor in ore,
Miratur famulum dominus, stupet et domus omnis,
Currere seruitio, quem crederet ire sepulchro.

VALENTINIANVS IMP. ACcessum Beato concedit per miraculum.

IBIDEM.

Dum regeret princeps data iura Valẽtinianus,
Romuleis opibus, mundo famulante superbus.
Tum pia causa sacrum comitatum compulit ire,
Quem pia præsensit se posci talia Cæsar,
Quæ nollet præstarẽ uiro: iubet arce repelli,
Et uetat à foribus penetrare palatia iustum
Instat ad hæc uxor, cui tunc erat Arrius auctor.
Sed sacer ut uidit tali se fraude repelli,
Hinc aula exclusus, redit arma domestica sumens,
Contegitur saccis, respergitur atq; fauillis,
Ordine mitis agens, remouet potumq; cibumq;,
Nocte dieq; uacans orandi iugiter usu.
Septimus ergo dies, aderat quo sanctus amore
Fortia castra mouens his desudabat in armis.
Angelis aßistens, iubet ire palatia iustum,
Fretus in auxilio Martinus pergit ad arcem.
Limine nullus obest, ad principis ora perintrat,
Qui sanctum inspiciẽs, quod adest, effrenduit ore,
Atq; astante pio, solio non surgit ab alto.
Regalem sellam mox ignibus ardor oberrat,
Et uaga flamma natat, qua molle sedile coruscat,
Vndiq; fusa furens: sed culpæ Cæsaris ultrix
Ceruicis duræ soluens ardore rigorem.
Inde flagella coquunt, hinc regem incẽdia cædunt,
Vapulat & rapidis flammis Augusta potestas.
Hinc celer exiluit rapiens se Cæsar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibusq; uolutus,
Sicq; superbũ hominem se agnoscere pœna coëgit, A
Villa regna probans, & celsa cacumina curuans,
Imperiale caput sancti ad uestigia subdens.
Obtulit inde fauens abeunti munera princeps:
Paupertate potens, sed reppulit omnia sanctus,
Donaq; despiciens, meruit plus principe ab ipso,
Tantũ maius habens, quantũ minus ambit auarus.
Omnia sunt soli, qui nulla requirit habendi.

MAXIMVS IMP. COHORtem Hispanicam, Christianos interficientem cohibet, synodo Treuirensi Priscillianis fauente Martinus interesse detrectat.

Maximus imperij moderaos quasi rector habenas,
Præcipit Ithacium tum armorum iure tueri,
Ne quis eum peteret damnandum lege forensi,
Accusatorem ueterati Prisciliani.
Mittit ad Hispanos armata forte tribunos
Relliquias hæresis qui quærant, & bona tollant,
Inuentoq; pares capitali crimine damnent.
Pluribus ergo malis bonitas impulsa beati
Leucadio pariter propræside, prompta precatrix
Occurrit Treuiros, alijs quoq; mota querelis.
Pontifices adeunt prædicti principis aures, B
Ne Martinus eat, synodi nisi pace recepta.
Sed sacer asseruit Christi se in pace manere,
Qua prius abstinuit sanctus se cœtibus illis.
Pontifices iterum occurrunt ad Cæsaris aulam,
Cogat ut innocuum se participare nociuis.
Prouocat alloquio quem molliter induperator,
Vt sociaretur reliquis communio iusti.
Theogonistum etenim solum discesse renarrans,
Cui non complacuit communio noxia fratrum.
Hinc quia non ualuit flecti uehementia sancti,
Abripit ex oculis se principis alta potestas.
Mox percussores gladio minitante relaxat,
Qui semel offensos iaculo figente trucident.
Comperit ut sanctus reseratæ fraudis amictum,
Pollicitus regi se participare sinistris,
Et pietate calens deponit amore rigorem.
Mens rea cuius abest, par sit communio culpæ.
Hinc se proripiens properè Martinus abegit.
Ecce uiro insigni sacer obuius angelus astat,
Atq; reuelata facie sic cominus infit:
Quàm meritò Martine, loco compungeris isto,
Nec poteras exire aliter, nisi iussa faceßis,

Inter

A Inter utrunq; nefas mercatus acerba doloris,
Nunc age constanter repara uirtutis honorem,
Et tibi te reuoca, trepidum' ne noxia frangant,
Gloria' ne pereat, neu prospera lubrica perdant,
Vtere more tuo, te deinde redisce magister,
Fortis athletæ animo, sanctos non obruit error.
Acrius insequitur hostem manus icta dolore,
Plagaq; fixa solet mentes armare uiriles,
Atq; pudore recens crescit de uulnere uirtus,
Ac datur armigero uictoria uulnere crebro.
Fraterno alloquio sic angelus explicat ore,
Tanta est cura Dei Martinum auellere lapsu.
Vlterius synodo neq; se permiscuit insons,
Virtutisq; suæ damnis noua lucra parauit.

Aegyptius Deum Martini inuocans, tempestatis periculum effugit. Ibidem.

Nauita cùm quidam Tyrrhenū curreret æquor,
Fert iter ad Romam, qui uelificante uolatu.
Turbinis impatiens, oritur uiolentia uenti,
Exiliunt fluctus, feriunt caua uela rudentes.
Nutat pinus iners, rapiuntur signa chiruscis.
Lenis & antennæ coëuntia cornua frendent,
B Artis inops, stupidus resilit de puppe magister.
Stant, undè armatura cadit, fragor æquoris urget.
Prora bibit, dum nauta uomit: perit ars, iacet usus,
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, morsq; mina-
Casibus in dubijs, certi uergente salute, (tur.
Dum trepidant omnes, Aegyptius hæc ait unus,
Quin & dum Christi charismata senserat exors,
Martini Deus eripe nos: mox dira procella
Corruit, & pelagi tumor altus ad ima resedit.
Sternitur unda rati, liquidi stetit area campi,
Atq; immota loci iacuerunt murmura ponti.
Gurgitis optati, trabe curritur æquor amicum,
Littoris ora legunt flabris data uela secundis,
Atq; petens portum, uada complet nauta celeusma.
Sic bene pro meritis famulo dat Christus honores,
Cuius eunte fide terras, mare, sidera supplet.

IN LEONTIVM EPISCOPVM REDDItum Burdegalensi Ecclesiæ. Acrostichis. E' libro I.

Agnoscat omne seculum
Antistitem Leontium,
Burdegalense præmium,
Dono superno redditum.
Bilinguis ore callido.
Crimen struebat inuidum,
Ferens acerbum nuncium,
Hunc iam sepulchro conditum.
Cælare se non pertulit,
Qui triste funus edidit,
Et si nocere desijt,
Insana uita prodijt.
Deceptus arte noxia
Cassata deflet crimina,
Dum quæ putabat tristia,
Conuersa sunt in gaudia.
Exempla sæua protulit,
Calcanda cuncto tempore,
Vt iam sibi conscriberet.
Decreta uiuo antistite.
Fucata res hæc contigit
Vitanda casto pectore,
Superstite ut præsumeret,
Post fata quod uix defuit.
Grauat sacerdos ordinem
Qui episcopatum sic petit,
Præcepta qui complectitur,
Fugit honoris ambitum.
Hoc si cui sit debitum
Coactus ascendat gradum,
Non se petente callidè,
Sed dante Christi munere.
Ineptus est, quis ipse se
Præferre uult Ecclesiæ:
Nam rem sacratam sumere
Electio diuina sit.
Karus sacerdos ordinem,
Hilarius non ambijt,
Martinus illud effugit,
Gregorius uix sustulit.
Leges refutant ambitum,
Inuasor omnis pellitur,
Quod respuunt Prætoria,
Vitet nefas Ecclesia.
Maligna erant certamina,
De sede non tamen sua,
Quæ nec pati desiderat,
Non inferat mens improba.
Nec longiore tempore
Versantur in hoc murmure,

A

Dum cogitant succedere,
Redit sacerdos qui fuit.
Orante plebe protinus,
Dum nemo credit, redditur,
Quæ confluunt post tristia
Maiora sunt hæc gaudia.
Plausu fauebat ciuitas,
Cui reddita est felicitas,
Orbata quem defleuerat,
Partem recepit anxia.
Quem uix putabat redditum
Præuenta uoto prospero,
Res mira quando cernitur
Solet stupere uisio.
Recolligit rector gregem,
Errore captum semitæ,
Pastoris arce cognita
Gauisa sunt ouilia.
Sumpsit gradum, quo tempore
Regressus est: eo die,
Quis non superno munere
Hoc contigisse prædicet?
Tantum nec antè præmium
Plebi fuit, cum factus est,
Lætata quantum tunc fuit
Quando recepit præsulem.
Venite ciues plaudite,
Et uota uotis addite,
Quo facta sunt miracula,
Seruent eum cœlestia.
Xhristus sereno lumine
Circumuolet, quem reddidit,
Vt trina crescat gratia,
Mercede, uita, gloria.
Ymnum canendo concrepet,
Quisquis Deo non inuidet,
Laus eius est, qui præsulem
De mortis ore retrahit.
Zelante fido pectore,
Iam uera dici non pudet,
Hæc parua nobilissimo
Papæ damus Leontio.

DREPANII FLORI PSALMI ET Hymni.

B

PSALM. XXII.


Me pater omnipotens clementi iure gubernat,
Non mihi dira fames, non ulla nocebit egestas.
Adsunt graminei colles, & pascua læta,
Adsunt & liquidi fontes, & flumina larga,
His ego nutritus, his semper abunde refectus,
Iustitiæ rectos contendam carpere calles,
Quos mihi dux mentis secreto lumine pandit,
Ipsius ut nomen celebretur laude perenni.
Illum ego corde sequens, læti mortisq; tenebras,
Intrepido calcabo pede, mala nulla timebo:
Meme quippe tuæ pie rex correptio uirgæ,
Me baculus pater alme tuus firmatq; regitq;.
Tu mihi delicias, tu mensam epulasq; parasti,
Qui satur inuictas adipiscar pectore uires,
Aduersasq; acies pulchro certamine uincam:
Vt mihi post ualidos pugnæ uictricis agones,
Lætitiæ largo caput aspergatur oliuo,
Lucifluusq; calix pleno me proluat haustu,
Seruatusq; tua cunctis pietate diebus,
Sidereum Christi merear conscendere templum:
Sub quo perpetuis uiuam feliciter annis.

PSAL. XXVI.

Lux mihi pura deus, deus est mihi uiuida uirtus:
Nec tenebras igitur, nec mortis iura uerebor.
Hoc tutore mea & munitur denique uita,
Ne me dira loco possit formido mouere:
Sed spernam cunctos robustis uiribus hostes,
Qui properant nostras malis absumere carnes.
Ecce meum tanto pulsant qui turbine pectus,
Robore contrito tristi periere ruina:
Siue ergo castris sedeant, seu prælia tentent,
Ponam corde metum, spem tota mente resumam:
Vnum est, quod cœli dominũ intenseq; poposci,
Quodq; ardens nimio uoti feruore requiram,
Vt maneam cunctis Christi sub mœnibus annis,
Ipsius & sancto semper succensus amore,

Sæpius

A Sæpius æterni uisam sacra limina templi.
Hic me namq; feris cùm cingerer undiq; bellis,
Sub proprio abscondit thalamo, uelisq; sacratis
Obtectum grata nimium confouit in umbra.
Hic me prævalida saxi sublimis in arce
Constituit, sæuosq; super pius extulit hostes,
Quo subiecta meus temnat certamina uertex.
Ibo igitur sacri ueneranda per atria templi,
Ac munus laudum Christi deuotus ad aram
Persoluam, gaudensq; melos & carmina dicam:
O' Deus æthereij censor mitissime regni,
Pande salutiferas mœstis clamoribus aures,
Quosq; gemens fundo miseratus respice flexus.
Te mea uult facies, te mens, te corda precantur,
Conspectum faciemq; tuam pater alme requiro.
Néue pios oculos, sanctum neu subtrahe uultum,
Neu famulum dominus bello incumbente relinque.
Esto mihi clemens potius, fiduciq; patronus,
Nec me contemptum truculentis desere monstris.
Meme quippe feri quondam liquere parentes:
At bonus hic Dominus dulci pietate refouit.
Pande mihi rectum perplexa per auia callem,
Legis & eximiam tribuas fulgere lucernam,
B Ne ferro accinctos incurram nescius hostes:
Sed duce te gradiar inimica per agmina tutus.
Nam me falsiloqui cinxerunt undiq; testes:
Nil tamen insontem mendacia uana nocebunt,
Sed mendax proprium portabit lingua reatum.
Ast ego confido domini quòd gaudia larga,
Vitali in patria lætus sine fine uidebo.
Expecta dominum constanti corde benignum,
Semper & aduersis conflige uiriliter armis:
Nam bona perpetui patiens feret inclita regni.

PSALM. XXVII.

AD te polorum conditor
Clamore supplex intimo,
Votum precemq; dirigo.
Aurem benignus commoda.
Nam si tuis oraculis
Indigna gesto pectora,
His exto iam simillimus,
Imo uorantur qui lacu:
Audi precantis anxia
Pater supreme murmura.
Dum templa cœli ad ardua
Elata tollo brachia.
Ne me scelestis obsecro,
Et criminosis cœtibus,
Mixtum trahas ad infima
Pœnæ uoracis tartara.
Qui lingua & ore subdolo
Pacem loquuntur proximo:
Dirum sed altis contegunt
Bellum feri præcordijs.
His ergo iudex optime,
Parem repende gratiam,
Tormenta uersutis uafra,
Infer malignis callida.
Manus iniquis actibus,
Vitamq; fraudi deditam,
Condigna plectat ultio,
Fraus fraude, uita concidat.
Domus dolosis illita
Fucis, perennè corruat:
Quæ facta mens nescit Dei,
Densis tenebris horreat.
Grates polorum principi,
Qui uota serui supplicis,
Vocemq; clemens flebilem,
Tanto beauit munere.
Hic dimicantem protegit,
Iuuat, tuetur, erigit:
Huius fauente numine,
Claros triumphos consequor.
Tunc dura post discrimina,
Caro dolore libera
Florebit, & decus nouum
Pulchræ salutis induet.
Huic ergo prompto spiritu
Mei decôris principi
Laudes sacrabo debitas
Dulces & hymnos concinam.
Hîc namq; uirtus inclita
Plebis beatæ præmia:
Hic ipse Christo proflua
Seruat salutis gaudia.
Salua creator optime,
Plebem redemptam sanguine,
Tuæq; dita præmijs
Hæreditatis gloriæ.
Hanc cum potenti dextera
Semper guberna & protege,
Extolle summis hanc bonis,
Aeui perennis seculis.

HYMNVS ANANIAE, AZARIAE, ET MISAEL, SANCTORUM TRIUM PUERORUM.

OMne quod æternus, per uerbũ cõdidit auctor,
Auctoris nomen celebret, laudesq́; resultet,
Exultetq́; suum per secula cuncta parentem:
Angelicæ uestro turmæ benedicite regi,
Ingentumq́; simul resonet uox celsa polorum:
Hũc modulẽtur aquæ, quas sustinet arduus æther,
Hunc omnis sancto uirtus decantet amore.
Hunc sol argenti psallat splendore coruscus,
Hunc gelido fulgens collaudet lumine luna,
Hunc pariter totus stellarum concinat ignis.
Te pluuia exundans, te ros lenißimus edat,
Discordesq́; auræ concordi uoce resultent:
Artificem propriũ pulcherrima flãma loquatur,
Et rapidus Domini nomen simul æstus anhelet.
Hoc glacialis hiems, hoc torrida personet æstas,
Roscida temperies, & tempora cana pruinis,
Horrendumq́; gelu, & magni uis frigoris ingens,
Et glacies crustis, uertens immanibus undas,
Atq; niues denso uallantes uellere terras,
Auctori per secla Deo sua carmina dicant.
Hunc nox somniferis inuoluens cuncta tenebris,
Atq; dies uarios distinguens luce colores,
Mortalesq́; animos torrentia fulgura laudent,
Et nubes largo ditantes ubere terras.
Te sator immensas tellus fundata per undas,
Te quoq; sublimi gaudentes uertice montes,
Et colles humili spectantes sidera collo,
Aeriæq́; sonent iucundo murmure siluæ.
Atq; omnis celebret fœtus telluris opimæ.
Tum fontes gelido moderantes caumata potu,
Et maria horrendo quatientia littora fluctu,
Flumineusq́; canat lapsus clamore sonoro.
Te ceti immanes, & quicquid raptat in undis,
Te uolucrum dulcis laudet concentus in agris.
Te pecorum mitis grex inclite personet, & te
Vis etiam resonet rabidarum torua ferarum.
Hunc hominum omne genus pollẽs ratione potẽti
Innumeris recinat linguis, hunc ipsa resultet
Israëlitarum nimium plebs cara tonanti.
Vosq́; sacerdotes, quos nobile germen Aaron
Edidit, & sacro Leuitæ sanguine creti,
Quos proprij templi uoluit deus esse ministros,
Perpetuas supero laudes persoluite regi.
Spiritus hunc animæq́; ciant per secla piorum, A
Et sancti atq; humiles pura pietate frequentent.
Hunc Anania sacer summo sustollat honore,
Azariasq́; simul reuerendo prædicet ore,
Et Misaël pulchro sanctus collaudet amore.
Qui se de medio fornacis turbine tutos
Eruit, & uenti rorantis flamine fouit,
Cùm rapidis cincti canerẽt hæc carmina flammis,
Vimq́; suam oblitus sanctos non læderet ignis:
Res mira, & nullis abolenda in secula seclis,
Non caro, non uestis, non uerticis ipse capillus
Ardorem sensit piceum flammæ´ue uaporem:
Quin læti atq; alacres, ipso poscente tyranno,
Egreßi in laudes ueri domuere profana
Ora dei, quo psallenti mirantia uultu,
Horrore ingenti tremuerunt Barbara corda.
Hũc & nos igitur summũ sanctumq́; parentẽ,
Cum nato immensi statuit qui culmina cœli,
Cumq́; sacro flatu, uirtutum auctore potentum,
Laudibus aßiduis digno exultemus honore.
Te domine æternus cœlorum prædicat axis,
Te laudat cœli sacrosancto exercitus ore,
Glorificatq́; ingens cunctarum machina rerum,
Extollit, metuit, clamat, benedicit, adorat. B

HYMNVS AD MICHAELEM ARCHANGELUM.

CLarent angelici sublimia festa diei,
Allatura piæ dona beata animæ,
Hunc etenim Michael, aulæ cœlestis alumnus,
Conspicuo nobis consecrat ore diem,
Dignatus Petri Pauliq́; inuisere sedem,
Imperiumq́; fouens inclita Roma tuum,
Qui proceres inter pia mœnia luce coruscos,
Egregio uultu splenduit orbe nouo:
Cùm Deus expulsis lucem depromeret umbris,
Conderet & stabilem nocte ruente diem.
Hic uati eximio, placidi Iordanis ad undam
Se castris domini prodidit esse ducem,
Cùm sacro in campo stricto consisteret ense
Subrueretq́; pijs impia septa tubis,
Deijciens septem uictrici fulmine gentes,
Sacratisq́; Deo mystica regna ferens:
Hunc Gabriel solum auxilium sibi ferre fatetur,
Ad pia cœlestis castra tuenda Dei,
Admissas referens Danielis in atria cœli,
Quas sancto impastus fuderat ore preces.

Hunc

A Hunc oculis mentis, inter myrteta, beatum
Zacharias roſeo ſidere uidit equo,
Tendentem niueas templa ad cœleſtia plantas,
Proq; Dei affectu plebe rogare pio.
Quatuor ex gemino ruerẽt cùm monte quadrigæ,
Diſparibus raptæ præcipitanter equis,
Dum rufi, atque nigri niuei, uarijq; iugales,
Perluſtrant cuncti iugera uaſta ſoli:
Atque Dei ſummo referunt exacta miniſtro,
Principis & pendent ad pia iuſſa ſui:
Qui ſpem deiectis ſpondens, ſolatia mœſtis
Spiritui uatis ſic reboare iubet:
Hieruſalem dominus larga pietate reuiſet,
Atque ille æterno iam ſit ut aula Deo.
Qui tantus numerus hominũq; gregumq; repletã
Nullius ut muri cingier orbe queat:
Sed Deus hanc ignis iugi munimine cinget,
Conſumens hoſtes, lumen & intus agens.
Hic ſub fine etiam cùm ſerpens ille uetuſtus
Intulerit Chriſto prælia caſſa Deo,
Cœleſtem cupiens telis exſcindere ſedem,
Et populum ſacrum carpere dente fero,
Conſurget toto cœleſtis turbine pugnæ,
B Flammarumq; globis caſtra nefanda premet:
Tum populus Chriſti perfecta pace fruetur,
Semper & angelico concinet ore melos.

DREPANII FLORI
De cereo paſchali.

Alme Deus rerum, cœli cuſtodia cuius
Legibus æternis uertigine concita iugi
Voluitur, immẽſi ſocialis machina mundi:
Te cœlum, & quicquid cœli tegit aureus umbo,
Te chorus aſtrorum, te ſol, & menſtrua luna,
Te nimbi & nebulæ, uerrentéſque æquora uenti,
Te lucis noctiſq; uices, te quatuor anni
Tempora, tranſcurſis in ſe redeuntia riuis:
Te terra, & quicquid terras ambitq; tegitq;,
Te freta, te curuis errantia flumina ripis,
Te properi fontes, te iuſſæ ſtare paludes,
Te pronæ pecudes, ſortitæq; alta uolucres,
Te muti piſces, te uiroſi ſerpentes,
Pro ſe quiſque tremunt: age rerum maxime rector,
Sidereas acies oculorum blanda tuentum
Ad famulos demitte tuos, uultuq; ſerenus
Aſpice conſtructam tanta in myſteria plebem,
Vnum quæ trino celebrat ſub nomine numen.
Non ſic Idæis ſimulantur Dindyma Gallis,
Attica nec Graijs nuribus uigilatur Eleuſis,
Orgia Thebanus uel agit nocturna Cithæron,
Nil habet inſanum ſtrepitu, nil thure uaporum,
Sanguine nil madidum, nil curſibus immoderatum.
Nox ſacris operanda tuis tantum prece pura,
Simplicibus uotis, manibusq; ad celſa ſupinis,
Te colimus natumq; tuum, quem cuncta tuentem
Et tibi conſortem uerbo genitore creaſti,
Ignea quem celſi linquentem mœnia cœli,
Viſurumq; ſuas hominis ſub imagine terras,
Intacto pregnans utero dedit innuba mater:
Hunc ut per totam poſſimus dicere noctem,
Inferimus claros ſanctis altaribus ignes.
Veſtibus innumeris tereti circunflua gyro,
Aequoream cohibet formatrix cera papyrum,
Cera domus mellis: iam cætera turba colentum
Nigrantes tenuat uario ſplendore tenebras,
Vbertat ſtuppas, feruet diſcordia concors,
Vt dum ſacra pio peraguntur myſtica ritu,
Aemula ſidereis uigilent funalia flammis.
Hæc tibi nempe tui patris indiſcreta propago,
Multa luce micans, terra nox ſplendet in omni,
Nox claro mage clara die: gens nulla niuali
Vſqueadeo ſubiecta polo eſt, quam frigore pigram
Sidus & æternæ premit inclementia brumæ,
Quæ te Chriſte neget rutilũ: quâ flammeus orbem
Sol agit, occidui qua meta ſecunda diei eſt,
Et qua prima patet redituræ ianua lucis,
Tu coleris, dum finis erit, dum terra manebit,
Vertetur cœlum, uertentur menſibus anni,
Semper honos nomenq; tuum laudesq; canentur.

DREPANIVS MODVINO
Auguſtodinenſi Epiſcopo.
Exhortatio ad legenda ſacra uolumina.

Soluo pater profluas hilari de pectore grates,
Quòd reſeras Floro labra benigna tuo.
Ex quis prædulcis deſtillat gratia mellis,
Ambroſiusq; liquor pectora noſtra fouet.
Audieras crebrò domini pia dicta iubentis,
Os ego, ſi pandas, exſatiabo tuum.
Cœleſtem ſitiens traxiſti in uiſcera flatum,
Vnde modò ſuauis efflat & almus odor.
Hauſiſti placidas IESV de fontibus undas,
Vnde meam recreas doctor abunde ſitim.

Sic rogo diuinis flagrent tua pectora flammis,
Quas patribus Christus misit ab arce poli:
Cùm uehemens subito sonuisset ab æthere flatus,
Fulsissetq́; omni uertice lingua rubens:
Queisq́; duo ualidè feruebant corda uirorum,
Quos uoluit media Christus adire uia,
Mystica sacrorum reserans oracula uatum,
Ore uno & cunctos se cecinisse docens.
Crede pater, multo gaudent mea uiscera motu,
Et lætante anima uix mea lingua silet:
Quòd me non meritum tanto dignaris amore,
Tamq́; pio affaris carmine, tamq́; sacro:
Quòd non Aßirij uiolatur fluminis undis,
Nec sordescit aquis turbide Nile tuis:
Sed liquido potius Iordanis manat ab amne,
Quo pulcher Christi lætificatur ager.
Iam nunc Castalij siccetur fontis arena,
Aoniumq́; nemus fistula nulla sonet:
Laurus Apollineæ marcescat deniq; siluæ,
Cumq́; suis baccis alba ligustra cadant:
Victrices Christi uigeant per secula palmæ,
Quas olli exultans turba canora dedit,
Paciferos scindens oleæ de uertice ramos,
Atq; sacram sternens ueste nitente uiam,
Qua dominum portans mansuetæ pullus asellæ,
Poneret innocuos molliter ille pedes.
Si placidi fontis uitalem quærimus undam,
En Siloæ nobis uena salubris adest,
Quæ naturales potis est abolere tenebras,
Atq; diem cæcis reddere luminibus.
Si montes collesq́; iuuant, sanctiq́; poëtæ,
Ecce Sionis apex mœnia sacra feret.
In laudes Christi Thabor exultat, & Hermon,
Libanus aërijs plaudit & ipse cedris,
Carmelus sacer est Eliæ fulmine pollens,
Vertice sublimi fert holocausta Dei,
Nomine qui duplici Sina uocitatur & Horeb,
Legiferum nobis monstrat & ipse senem,
Flammea cornuto uibrantem lumina uultu,
Gestantemq́; sacris iura superna tablis.
Iob prius beroo sua carmine bella retexit,
Diuina Dauid personat ipse lyra.
Qui loquar insigni tumidũ Solomona cothurno, Cantica Canticor.
Qui thalamos Christi psallit & ecclesiæ?
Hos reuerende pater pleno sectemur amore,
Hinc sensus nostri uerbaq́; cuncta fluant.

Auctorem pia lingua suum canat atq; resultet, A
Auctorem proprium mens pia concelebret:
Christicolæ sermo Christum ciat ore fideli:
Hoc dignum, hoc iustum est. suaue, salubre, piũ.

DREPANIVS AMICO: PRO SVSCEPTA sui defensione gratiarum actio.

O Quàm suauis odor uestri de pectoris aula,
Exilit, ô Christi frater amore potens.
Mulcentur sensus, mulcentur uiscera tota,
Oblectatq́; omnem cœlica uis animum.
Non ita uernali uitis sub sidere fragrat,
Palmite cùm læto gemmeus exit honor:
Nec sic camporum redolet noua gratia fundens
Candida puniceis lilia mixta rosis:
Hoc & floriferæ uincuntur munera siluæ.
Pomorumq́; omnis exuperatur odor.
Diligis & pariter præsens, & diligis absens,
Nec uariat castum callida fraus animum,
Siue hostes, seu sint chari sine labe sodales:
Nos tua corda fouent, nos tua lingua canit.
Istis grata refers, illos ratione refellis, B
Diuersisq́; armis dimicat unus amor,
Et superat quoniam uerax dilectio uictrix,
Semper in æternum clara trophæa feret.
Solis atra odijs, uotisq́; actisq́; malignis,
Turbine præcipiti iure ruina uenit.
At sincerus amor, ceu lux æterna coruscat:
Nec cedit tenebris, sed tenebrosa fugat.
Quid? quòd crebrò etiam mittis pia uerba salutis,
Pluribus & donis hicq́; domiq; oneras?
Hic est uerus amor, hæc est affectio munda,
Hoc patris & Christi munus ubiq; pium.
Talia diffundit per mentes dona pudicas,
Sedibus ætherijs spiritus ille fluens.
Antiqui nunc orsa senis iuuat ore referre,
Lumine qui captus, mente serenus, ait,
Sic mea nunc redolet proles uelut inclita rura,
Munera diuino quæ benedicta cluunt.
Det tibi cunctipotens cœli de rore salubri,
Pinguibus cq́; aruis munera larga satis:
Scilicet egregios æterni farris aceruos,
Exundans oleum, uinaq́; pulchra nimis.
His uerbis persoluo libens tibi chare patrone,
Perpetuas grates, uota benigna simul.

Nam

A Nam decet, & pulchra prorsus ratione recurrit,
Diuinis dictis munera diua cani.
Sis felix cœptum seruans per secula amorem,
Acceptus celso semper amice Deo.
V. N. X L I I.

DREPANIVS VVLFINO GRAMmatico Aurelianensi. Hortatio ad rescribendum.

ANnuus excurrit reuolutis mensibus orbis,
Quod tua uox nostris auribus insonuit,
Tam nitidis chartis, tam claris culta figuris,
Vt specimen cordis pagina pulchra daret:
Sic liquidas puteus profundit largifer undas,
Et rapidus rapido feruor ab igne salit.
Sic rutilus rutilum uomit & carbunculus ignem,
Puraq; fert purus uina uenusta calix.
Ex oleæ pulchro pulcher quoque uertice fructus
Carpitur, atque liquor pulchrior inde fluit:
Sed mihi mellifluum rapuit sors inuida carmen,
Et dulcem pateram fregit iniqua manus.
Frigida ceu siquis sitienti pocula demat,
Vel famido gratas uertat ab ore dapes:
Proq; dolore uenit misero quod sepe uerebar,
Et metus ille meus re manifestus adest.
Conticuit citharæ quondam uox optima nostræ,
Et lyra dulcimodos preßit amica sonos.
Quid rogo frater agis tam longa silentia seruans?
Quó ue tibi nostri tam citò pulsus amor?
Certe tanta tuæ tum florida carmina musæ,
Haud parua ut pateant indiguere mora.
Vix tamen excursos excußit uis tua uersus,
Dum uolucres apices sic reuolare iubes.
Insta igitur cœptis, & scribe, & scripta reposce:
Sic etenim dulcis crescere sueuit amor.
Sermo ligat mentes, permulcet pectora sermo,
Absentes sociat, scissaq; conciliat:
Sic animæ Dauid Ionathæ mens pulchra cohæsit,
Nec patris horrendis deijcienda minis.
Vox etenim prudens, ceu feruida succina flagrat,
Et rapit attactu corda modesta suo.
Prome precor solitos mellito gutture cantus,
Et releua nostram dulcis amice sitim.
V. N. XXXIIII.

B

PAVLINI VIRI CONSVLARIS, DE SANCTO IOANNE Baptista, Christi precone & legato.

SVmme pater rerum, cœliq; æterna potestas, (Christe,
Cum quo nostra salus, sanctorum gloria
Spiritus & patri pariter natoq; cohærens,
Qui mentes linguasq; regis, uiresq; ministras,
Promeruit quas sola fides: cui plena potestas,
Brutis ingenium, uocemq; infundere mutis:
Præsta Euangelico ductum de fonte Iohannem,
In nostra arenti decurrere carmina riuo.
Ille quidem tantus, quantũ potuit dare mundo,
Qui nasci talem noua per miracula iußit:
Sed licitum magnis tenues impendere curas,
Nec dedignantur uilem cœlestia laudem:
Pars etiam meriti, meritum celebrare priorum:
Nec noua nunc aut nostra canam, dixere prophetæ
Cuncta prius, sanctiq; uiri sermone soluto,
Promissum exortum, uitam mortemq; sacrarunt:
Si mors illa fuit, meruit quæ sanguine cœlum.
Nos tantum modulis euoluere dicta canoris,
Vouimus, & uersu mentes laxare legentum:
Sic nam magna licet paruis, antiqua nouellis,
Perfecta indoctis conferre, æterna caducis,
Inspirante deo quicquid dixere priores,
Aptauit citharis nomen uenerabile Dauid,
Consona cœlesti pangens modulamina plectro:
Nos quoq; fas meminisse dei: quãquã obsita multis
Pectora criminibus cœlestem admittere sensum.
Zacharias Syria quondam de gente sacerdos,
Credita solenni curabat templa paratu.
Vita uiri, pietate, fide, grauitate, pudore,
Obsequio condigna Dei: coniunx huic alma
Elisabeth, prisca sanctorum stirpe uirorum
Progenita, & tanto uirtutibus æqua marito.
Sed, quod in opprobrio matrum, posuere priores,
Prole carens, sterilem ducebat mœsta senectam,
Spemq; omnem sobolis transacta excluserat ætas.
Forte sacrum solenne Deo plebs cuncta ferebat,
Et prius antistes sacros adoleuerat ignes,

Intima diuinis decorans altaria flammis:
Ecce ſacram propter cœleſtis nuncius aram
Aſtitit, ac ueſte inſignis, uenerabilis ore,
Se cœlo miſſum uultúque habituq; probauit.
Tum ſancta in tales laxauit pectora uoces.
Accipe, cœleſti domino dilecte ſacerdos,
Aeterni mandata Dei, cui cura piorum
Perpetua eſt, iugis qui puro pectore cuſtos
Emeritum ſanctis impendere ſciuit amorem:
Ac primum genus hic extincto ſemine non uult
Interijſſe tuum, fœcundaq; uiſcera fecit
Coniugis, effœto quæ iam ceſſabat in æuo.
Cur tamen addubitas, mortali tu quoque ſenſu,
Omnia poſſe Deum? ſed credes, ille probabit.
Naſcetur dignus tanto ſponſore beatus
Perpetuusq; puer, qui primo protinus æuo
Te maior, ſacras inuicto in pectore uires
Auctoris dono plus quàm genitoris habebit.
Nec ſanè nato quæ prima uocabula ponas,
Arbitrij iuriſq; tui eſt: Deus ipſe profectò
Qui naſci iubet, hunc idem iubet eſſe Iohannem.
Nominis hic titulus, meritorũ immenſa propago,
Quæ needum genito potuit prænoſcere ſolus,
Qui dabit, & tanto tribuet tibi gaudia nato:
Nec uero tribuet tantum tibi (gloria parua eſt
Intra unam concluſa domum) ſed quantus ab ortu
Tenditur in ſeræ finita crepuſcula lucis,
Totus prole tua tecum lætabitur orbis.
Quid mirum? cuncta uitiorum fæce carebit,
Cœleſtem ducens ſine labe & crimine uitam,
Vaſano ſeruans abſtemia pectora uino,
Omniaq; euitans maleſuadi pocula ſucci:
Cumq; hominum generi uel poſt errata ſalutem
Spondeat, ab ſancta quiſquis renouabitur unda,
Ipſe in ſe nihilum quo purificetur habebit.
Ac ne plura tibi uarijs ambagibus edam,
Eliæ meritum doctus neſcire ſacerdos
Non potes, exoſæ qui mortis lege remiſſa,
Aeternam degit proprio cum corpore uitam,
Igneus excelſum quem uexit ad æthera currus,
Flammantum rapido niſu glomeratus equorum:
Hunc tuus æquabit meritorum ſtemmate natus,
Tantundem & laudis ſimul & uirtutis habebit:
Ergo ad condignas tanto pro munere grates,
Ne dubiam ſuſpende fidem, ne mota ſuentis
Ira dei, meritum ſtatuat poſt præmia pœnam.

Hæc ait, & tenues elabitur ales in auras, A
Fragrantemq; ſacro procul aëra fundit odore.
Diriguit trepida confuſus mente ſacerdos,
Ac dum promiſſum cunctantia corda uolutant,
Dum ſe diffidit tantum meruiſſe fauorem,
Vt ſummi ſit cura Dei, dimiſſus ut alto
Nuncius è cœlo, famulo tam clara referret,
A domino mandata ſuo, ludiq; ueretur,
Somniaq; illa putat: mores dum parcius æquo
Aeſtimat ipſe ſuos, nec ſe meruiſſe fatetur:
Infidum facit ipſa fides, dum credere dignum
Se non uult, pœnas incredulitate meretur.
Protinus aſtricta eſt dubitanti lingua palato,
Et motus oblita ſui, molitaq; uocis
Articulare ſonum, pigro torpore cohæſit:
Dumq; cupit narrare ſuæ miracula plebi,
Conatus fruſtra, defixo obmutuit ore.
Mœſtus abit, uerſatq; incluſa mente dolorem,
Et ueniam erratis arcano in corde precatur.
Quanta Dei pietas, quamq; exorabile numen,
Pœnituiſſe ſat eſt. rata qui dat, temporis ordo
Voluitur, & grauida (mirum) diſtenditur aluo
Eliſabeth, ſanctumq; gerunt pia uiſcera pondus, B
Et uenit effœto munus iuuenile ſub æuo.
Inde aliud, ſanctus Gabriel qui nuncius idem
Zachariæ fuerat, multo maiora uolutans,
Ad Mariam molitur iter, quæ ſponſa marito,
Sed mage lecta Deo, mundi paritura ſalutem,
Virgo illibatum ſeruabat caſta pudorem:
Cui poſtquàm inſignis cœleſti forma decôre
Conſtitit ante oculos, uultus demiſſa pudicos,
Tinxit ſuffuſo rutilantes ſanguine malas.
Ille ait, O toto quem ſolus circulus ambit,
Quæq; fuere prius, quæ ſunt, quæ deinde ſequẽtur,
Virginibus cunctis felicior orbe puella,
Magno lecta Deo, mater dicaris ut eius,
Cuius & ille pater, felix age concipe pondus,
Impolluta uiro, coituq; immunis ab omni,
Verbo fœta Dei: corpus tua uiſcera præſtent
Illi qui cœlum, terras, mare, ſidera fecit:
Qui ſemper fuit, & nunc eſt, & tempore in omni
Semper erit, mundi dominus luciſq; creator,
Et lux ipſe poli per te mortalia membra
Induet, atque oculos hominum cœtúſque ſubibit.
Imperturbatos tantarum in præmia laudum
Tolle animos, dabit ille tibi uireſq; fidemq;,

A Qui uoluit(nam cuncta regit nutuq́; gubernat)
Filius eſſe tuus,Domini cùm filius eſſet.
Dixerat, & uiſus pariter terrasq́; reliquit,
Aſſuetumq́; ſibi facili petit æthera niſu.
Implentur præcepta Dei,creditq́; puella
Protinus,atq; auget meritum uitamq́; priorem
Prompta fides: tacitis elementa latentia cauſis
Diuinum informant corpus,ſacrandaq́; creſcit
Sarcina,cœleſtem dominum pia confouet aluus.
Interea grauidã ſoboles,quãquam edita necdũ,
Inſtigat Mariam ſanctam,ut progreſſa reuiſat
Eliſabeth,longo quæ iam uenerabilis æuo,
Dilectum domino puerum paritura gerebat.
Auſcultat nato genitrix(uis tanta fidei:)
Et quo iuſſa uenit.mouit materna Iohannes
Viſcera,& impleuit diuino pectora ſenſu.
Iam uates,necdum genitus,concluſus in aluo,
Iamq́; propheta pius geſta & uentura uidebat.
Illa ubi concepto fulgentem lumine longè
Conſpexit Mariam,celeri procul incita greſſu
Obuia progreditur,uenerataq́; brachia tendens,
Salue ô mater,ait, Domini,ſalue pia uirgo,
Immunis thalami,coitusq́; ignara uirilis,
B Sed paritura Deum:tanti fuit eſſe pudicam,
Intactæ ut ferres titulos & præmia nuptæ.
Cur mihi non meritæ,nec tanto munere dignæ,
Officij defertur honos?cur gloria cœli
In noſtros delata lares & uilia tecta,
Obſcuris tantum lumen penetralibus infert?
Sed mitis placidusq́; ſuis cultoribus adſit:
Præſtitit hũc genitus, quem præſtitit antè fauorẽ.
Dixit,& amplexus ulnis circundata iunxit,
Iamq́; Deum uenerata,pio dedit oſcula uentri.
Dic age nunc Iudæa nocens , & ſanguine regis
Commaculata tui,uerbis ſi nulla priorum
Eſt adhibenda fides,ſacros ſi fallere uates
Creditis,& Moſen ipſum,ſi fallere Dauid,
Impia peruerſæ putat inclementia gentis,
Credite non genitis:materna clauſus in aluo,
Quid uideat ſancto matris docet ore Iohannes.
Quis precor hũc docuit,quem caſto uiſcere uirgo
Contineat,quantus maneat noua ſecula partus?
Sed ſanctis abſtruſa patent,nec uiſa profanis.
Verùm egreſſa modum latos petit orbita cãpos,
Atq; oblita mei procurrere longius audet.
Spero,erit ut poſſim firmato robore quondam
Hoc quoq; per ſpatium fortes agitare quadrigas.
Huc cœptum repetamus iter,mortalia dicat
Pagina mortalis,Dominum diuina loquantur.
Iamq́; adeò exacto quantum natura iubebat
Tempore,matura puer inclitus editur aluo,
Et promiſſa Dei magna non credita pœna
Implet certa fides,& natus comprobat infans.
Conueniunt contingentes de more propinqui,
Vt puero ueterum de nomine ducta parentum
Aptent collatis quæſita uocabula cauſis:
Sed negat arbitrium cognatis eſſe relictum,
Cœleſtis iuſſi per natum conſcia mater.
Ergo placet dudum præcluſa uoce ſilentem
Conſuluiſſe patrem:promendi ſola facultas
Indicij,quod lingua nequit,ſi littera ſignat.
Conſulitur,ſumit tabulas,ſcribitq́; Iohannem:
Mirantur cuncti,nullumq́; habuiſſe priorum
Præſcriptum nomen recolunt de ſtirpe parentum.
Quantum ſera fides ualuit:quia dextra notauit,
Quod mens crediderat,peccati pœna remiſſa eſt.
Soluuntur uinctæ laxata repagula linguæ.
Reſpondet iam uoce ſenex,proditq́; propinquis
Tecta diu mandata Dei,ſpondetq́; futura,
Dum tranſacta probat.talem fore quis dubitaret,
Quem domini iuſſis,naturæ lege remiſſa,
Inſolito exortu naſci potuiſſe uideret?
Exemplum cunctis celebrandum incredulitatis
Ante oculos cunctis poſuit,ut pœna parentis,
Vel uenia:atq; animis inſtat ſimul hinc metus,hinc (ſpes.
Labitur interea cunarum tempus,in ipſis
Extat diuini ſpecies manifeſta uigoris.
Blanditiæ riſusq́; ſilent,incertaq́; ceſſant
Murmura,ſerietas laſciui præuia ſenſus,
Iam tenera informat uenturis moribus ora.
Inde ubi prima puer ſtabili ueſtigia niſu
Fixerat,& certam ſignarent uerba loquelam:
Mos erat,aut ſancti dicta auſcultare parentis,
Aut antiquorum præclara ediſcere facta,
Vel quas ipſe Deus leges interprete Moſe
Condiderat,ſacri quas ſeruat pagina ſaxi.
Hæc & quæ teneram firmarent cætera mentem
Tractabat recolens:neq; enim ignoraſſe priora
Credendus,dederat Dominus cui noſſe futura.
At poſtquàm robur membris acceſſit ab æuo:
(Nam mens plena deo tardos præuenerat annos)
Illa ſibi iam tum ſtatuit diſcenda,docere

Quæ nequeunt homines: ſimul effugienda ciborũ,
Et potus ſanctæ contagia noxia uitæ.
Tecta igitur ſancti, quanquã immaculata, parentis
Deſerit, ac turbas hominum cœtusq; nocentes
Effugit, ac ſolas loca tendit ad inuia terras,
In quìs ſe tantum mens impolluta uideret,
Liberaq; à curis, ſacra ad præcepta uacaret.
Veſtis erat curui ſetis conſerta cameli,
Contra luxuriem molles duraret ut artus,
Arceretq; graues compuncto corpore ſomnos.
Hunc uilis rigidos ad lumbos zona ligabat:
Præbebant uictum facilem ſilueſtria mella,
Pomaq;, & incultis enatæ cautibus herbæ,
Arentemq; ſitim decurrens unda leuabat.
Quis locus hîc uitijs? aditum quẽ praua cupido
Inuenit hæc inter ſacra ad penetralia mentis?
Quo peccet, qui nil cupiat? quo tendat iniqui
In latebras ſenſus, quiſquis non indiget ullo?
Sic primi uixere homines, mundoq; recenti
Hos auctor dederat uentura in ſecula mores:
Inſeruit donec ſeſe maleſuada uoluptas,
Ac ſecum luxus & amorem inuexit habendi:
Hinc odia, hinc lites, hinc fraus, hinc liuor & iræ,
Cædes, arma, cruor, conflictus, prælia, mortes:
Hinc offenſa dei, quam tartara ſæua piabunt.
Verùm ego cur nimium cõmunes arguo culpas,
Immemor ipſe mei, quem non commiſſa grauare,
Sed ueniam ſperare decet? mirabimur immo
Rectius, inuictum nulliq; imitabile priſci
Exemplum ſecli, tranſgreſſum humana labore,
Semideumq; uirum, qui labe immunis ab omni,
Cùm ſua tam ſæuis cruciarit corpora pœnis,
Præſcripſit, quid nos uel poſt peccata deceret.
At poſtquàm inuictam firmans per talia mentem,
Exegit largum tempus, ſtatuitq; reperta
Quæ fuerant quærenda, ſibi uox edita cœlo eſt.
Iam ſatis impenſum ſpacij dilecte propheta,
Quo tibi prodeſſes, tempus tibi quæ data ſentis,
Vt proſint alijs, & quæ iam perdita, ſeruent.
Perge igitur ſanctas puri Iordanis ad undas.
Hîc quicunque hominum uitæ commiſſa prioris
Pœnitet, & tandem ſenſu meliora uolutat,
Ablue confeſſum: quiſquis tibi mente fideli
Crediderit, delere pio commiſſa lauacro,
Ille renatus erit, talis modo uita ſequatur,
Quæ probet ablutos uitam damnaſſe priorem.

Paruit auditis famulanti mente Iohannes. A
Protinus & ripas iuſsi deſcendit ad amnis.
Prædicat hîc præcepta Dei ſermone uerendo,
Infunditq; nouam credentum in corda ſalutem,
Diluit infuſis credentum crimina lymphis,
Abſoluitq; metus hominum, pœnasq; remittit,
Atque ignem reſtinguit aquis, obliuia ſuadet
Errorum, præſtatq; nouæ noua corpora uitæ.
O pater ô hominum rerumq; æterne creator,
Quot gradibus parcit pietas tua? quis pater unquã
Suſtinet erranti toties ignoſcere nato?
Das genti ſenſum, quo uel bona uel mala noſcant:
Non ſatis innectis ſeruandæ uincula legis,
Proponisq; malis pœnas, & præmia iuſtis.
Hæc quoque quis ſpreuit? redeat quandoq; libebit,
In promptu uenia eſt: ſanctum patet ecce lauacrũ,
Quod renouet uitam, ueteresq; oblitteret actus,
Quodq; nouos homines faciat. quid quærimus ul-
Et tamen ulterior uenia eſt: uiolauerit ullus (tra?
Hoc quoque polluto prolapſus corpore donum,
Quanquam iam nimius longè proceſſerit error,
Deſinat & redeat, cùm ſe damnauerit ipſe,
Abſolui meruit: ſi pœnitet, irrita culpa eſt.
O uerè, quod ais, pondus leue, quodq; cohæret, B
Suaue iugum, toties homini cùm ignoſcitur uni.
Et tamen erramus, finis nec criminis ullus
Humano generi: ſed creſcit laus tua, nam quo
Maior culpa rei, parcentis gloria maior.
Grates ergo tibi referat mens omnis, & omnis
Lingua canat, quantũq; poteſt humana propago,
Si placuiſſe nequit, fieri uel grata laboret.
Panditur immenſum, ſi demus uela, profundum
In laudes Pater alme tuas: ſed conſcia tanti
Mens oneris trepidat, propriasq; haud inſcia uires
Conſulit, & dignis potius dicenda relinquit.
Reddamur cœptis: opus hoc tibi ſancte Iohãnes,
Quo renoues puras abluto corpore mentes,
Non hæc prima dedit Domini ſententia, qua te
Admonuit claram mittens per nubila uocem:
Secula multa prius ſancti Deus ore locutus
Iſaiæ uatis, ueteris qui maximus æui:
Mittam, ait, ante tuos oculos ô nate miniſtrum,
Qui ſentoſarum purgans concreta uiarum
Greſsibus ille tuis, celſos ſubſidere montes,
Idem depreſſos faciet conſurgere ualles:
Diriget hic quæ praua, & leniet aſpera, dura

Molliet,

A Molliet, & totum coget planescere mundum.
Tu'ne precor donum summi patris, alme Iohannes
Cum Christo promisse uenis? teq; imputat ille
Qui misit natum? tunc ô prædicte prophetis,
Nominis angelici tu participatus honore:
Per te prima dei sese clementia profert,
Prima tibi dandæ ueniæ permissa potestas:
Te cùm multa nouæ peterent miracula plebis,
De te Christus ait, concessum est uisere talem
Qualem nulla prius uiderunt secla prophetam:
Dico ego, qui solus quæ gesta gerendaq; noui,
Inter mortales dederit quos fœmina partus,
Quosq; dabit solenni hominum de more creatos:
Nullus erit posit qui se præferre Iohanni.
Hæc de te ille refert, qui quælibet intima cordis
Humani, & cunctos seclorum ex ordine tractus
Peruidet, ut quæ sunt oculis subiecta uidemus.

PAVLINVS AVSONIO,
Epistola prima.

Studijs sacris prophana posthabēda.

QVid abdicatas in meam curam pater
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis nec patent Apollini
B Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari
Tecum mihi concordia,
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas numina,
Fandiq; munus munere indultum Dei
Petere fonte, nemore, aut iugis.
Nunc alia mentem uis agit, maior Deus,
Aliosq; mores postulat.
Sibi reposcens ab homine munus suum
Viuamus ut uitæ patri,
Vocare uanis otio aut negotio,
Et fabulosis litteris
Vetat, suis ut pareamus legibus,
Lucemq; cernamus suam.
Quamuis sophorum, callida arsq; rhetorum, &
Figmenta uatum nubilent,
Qui corda falsis atq; uanis imbuunt
Tantumq; linguas instruunt,
Nihil adferentes ut salutem conferant,
Quod ueritatem detegat.
Quid enim tenere uel bonum aut uerum queant
Qui non tenent summæ caput?
Veri boniq; fomitem & fontem Deum,
Quem nemo nisi in Christo uidet.
Hic ueritatis lumen est, uitæ uia,
Vis, mens, manus, uirtus patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei,
Natus Deo, mundi sator,
Mortalitatis uita nostræ, & mors necis,
Magister hic uirtutis est,
Deusq; nobis, atq; pro nobis homo
Nos induendo, se exuit.
Aeterna iungens homines inter & Deum
Interq; se commercia.
Hic ergo nostris ut suum præcordijs
Vibrauerit cœlo iubar,
Abstergit ægrum corporis pigri situm
Habitumq; mentis innouat.
Exhaurit omne, quod iuuabat antea,
Castæ uoluptatis uice,
Totoq; nostra iure Domini uindicat
Et corda & ora & tempora.
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se uult timeri & diligi.
Aestus inanes quos mouet uitæ labor
Præsentis æui tramite,
Horret futuræ cum Deo uitæ fides,
Qui quas uidemus spernere,
Non ut prophanas abijcit aut uiles opes,
Sed ut magis caras monet,
Cœlis reponi creditas Christo Deo,
Qui plura promisit datis.
Contempa præsens uel mage deposita sibi
Multo ut rependat fœnore.
Sine fraude iustus aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor,
Multaq; spretam largior pecuniam
Restituet usura Deus.
Huic uacantem uel studentem & deditum
In hoc reponentem omnia,
Ne quæso segnem néue peruersum putes,
Ne crimineris impium.
Pietas abesse Christiano qui potest?
Namq; argumentum mutuum est
Pietatis, esse Christianum: & impij,
Non esse Christo subditum.
Hanc cùm tenere discimus, possum tibi
Non exhibere, id est patri

Cui cuncta sancta iure chara nomina
Debere me uoluit Deus.
Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,
Linguæ, & togæ, et famæ decus,
Prouectus, altus, institutus debeo
Patrone, præceptor, pater.
Sed cur remotus tandiu degam arguis,
Pioq; motu irasceris:
Conducit istud, aut necesse est aut placet
Vel aliud horum quidquid est.
Ignosce amanti, si geram quod expedit.
Gratare, si uiuam, ut libet.

PAVLINVS AVSONIO,
Epistola II.

Defensio sui propter religionem susceptam.

Defore me patrijs tota trieteride terris
Atque alium me egisse uagis erroribus orbem,
Culta prius uestræ oblitum consortia uitæ,
Increpitas sanctis mota pietate querelis:
Amplector patrio uenerandos pectore motus,
Et mihi gratandas saluis affectibus iras:
Sed reditum inde meum genitor te poscere nollem,
Vnde dari posßit, reuocandum me tibi credam.
Cum steriles fundas, non ad diuina, precatus,
Castalidis supplex auerso numine Musis:
Non his numinibus tibi me patriæq; reduces.
Quod datur in nihilũ sine numine, nomina Musas
Sarda uocas, & nulla rogas: leuis hoc feret aura,
Irrita uentosæ rapiunt hæc uerba procellæ,
Quæ non missa Deo, uacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem regis in aulam.
Si tibi cura mei reditus, illum aspice et ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cœli,
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet,
Quiq; satis cœlo soles largitur et imbres.
Qui super omne, quod est, & in omni totus ubiq;,
Omnibus infuso rebus regit omnia Christo,
Quo mentes tenet atq; mouet, quo tempora nostra
Et loca disponit: quod si contraria uotis
Constituat nostris, prece deflectendus in illa est,
Quæ uolumus. quid me accusas, si displicet actus?
Quæ gero agente Deo, prius est fiat reus auctor,
Cui placet, aut formare meos, aut uertere sensus.
Nã mea si repute, quæ pristina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor enim modo me non esse, sub illo
Tempore qui fuerim, quo non peruersus habebar, A
Et peruersus eram falsi caligine cernens,
Stulta Dei sapiens, & mortis pabula uiuens.
Agnosci datur à summo genitore, nouari
Quod non more meo geritur, non arbitror istis
Confessus dicat mutatæ in praua notandum
Errorem mentis, quoniam sim sponte professus.
Me non mente mea uitam mutasse priorem,
Mens noua me fateor flexit, mens nõ mea quondã,
Sed mea nunc, auctore Deo, qui siquid in actu
Ingenióue meo sua dignum ad munia uidit,
Gratia prima tibi, tibi gloria debita cedet:
Cuius præceptis partum est, quod Christus amaret.
Quare gratandũ magis est tibi, quàm queritandũ,
Quod tuus ille, tuis studijs & moribus ortus
Paulinus, cui te non inficiare parentem,
Nec modo cum credis peruersum, sic mea uerti
Consilia ut sim promeritum Christi fore, dum sum
Ausonijs feret ille tuæ sua præmia laudi,
Deq; tua primum tibi deferet arbore pomum,
Vnde precor meliora putes, ne maxima perdas
Præmia, detestanda tuis bona fontibus orta. (pantũ
Non etenim mihi mens uaga nunc, neq; partici
Vita fugax hominum, Lyciæ qua scribis in antris B
Pegaseum uixisse equitem: licet auia multi
Numine agente colant, clari uelut antè sophorum
Pro studijs Musisq; suis, & nunc quoque castis
Qui Christũ sumpsere animis, habitare frequentẽt
Non inopes animi, neque de feritate legentes
Desertis habitare locis, sed in ardua uersi
Sidera, spectantesq; Deum ueriq; profunda
Perspicere intenti de uanis libera curis,
Otia amant, strepitusq; fori rerumq; tumultus,
Cunctaq; diuinis inimica negotia donis,
Et Christi imperijs & amore salutis, abhorrent,
Speq; fideq; Dei sponsa mercede sequuntur.
Quam referet certus non desperantibus auctor.
Si modo non uincat uacuis præsentia rebus,
Quæq; uidet, spernat: quæ nõ uidet, expetat ut mẽs:
Namque caduca patent, nostris æterna negantur
Visibus, & nũc spe sequimur, quod mente uidemus,
Spernentes uarias rerum spectacula formas,
Et male corporeos bona sollicitantia uisus.
Attamen hæc illis seclis sententia uisa est,
Tota quibus iam lux patuit ueriq; boniq;
Venturi æternum secli, & præsentis inane.

At

A At mihi non eadem cui gloria, cur eadem sit
Fama, fides ueri, par est, sed amœna colenti
Nunc etiam et blanda posito locupletis in arca
Littoris, unde hæc iam tam festinata locorum
Inuidia est? utinam iustus me carpere liuor
Incipiat, Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerū mens numine firma pudorem,
Et laus hic contempta, redit mihi iudice Christo.
Ne me igitur uenerande parens his, ut malè uersum,
Increpites studijs, neq; me uel coniuge carpas,
Vel mentis uitio, non anxia Bellerophontis
Mens est, nec Tanaquil mihi, sed Lucretia coniunx.
Nec mihi nunc patrij est (ut uis) obliuio cœli,
Quin summum suspecto Deum quem qui colit unū,
Hic uerè memor est cœli: crede ergo paterni
Nec cœli immemores, nec uiuere mentis egentes,
Humanisq; agitare locis, studia ipsa piorum
Testantur mores hominū, nec enim impia summum
Gens poterit nouisse Deum, sit multa locorum
Multa hominum in studijs, multa experiētia legum.
Quæ regio agresti ritu caret? aut quid in istis
Improbitas aliena nocet? quid tu mihi uastos
Vasconiæ saltus, et ninguida Pyrenei
B Obijcis hospitia? in primo quasi limine fixus
Hispanæ regionis agam, nec sit locus usquam
Rure uel urbe mihi, summum qua diues in orbem
Vsque patet, mersos spectans Hispania soles.
Sed fuerit fortuna, iugis habitasse latronum,
Non lare barbarico rigui, mutatus in ipsos,
Inter quos habito socia feritate, colonos.
Non recipit mens pura malū, neque læuibus hærent
Inspersæ fibris maculæ, si Vascone saltu
Quisquis agit purus sceleris uitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hospite: sed mihi cur sit ab illo nomine crimen
Qui diuersa colo, ut colui, loca iuncta superbis
Vrbibus, et lætis hominum celeberrima cultis?
Ac si Vasconicis mihi uita fuisset in oris,
Cur non more meo potius formata ferinos
Poneret in nostros migrans gens barbara ritus?
Ante habitos mores, nec semper flectere uitam
Crimen habet, namq; est laudi bene uertere, cum me
Immutatum audis, studium officiumq; require
Si prauo rectum, si religiosa prophanis,
Luxurie parcum, turpi mutatur honestum.
Segnis, iners, obscurus ago, miserere sodalis
In mala peruersi, blandum licet ira parentem
Exciret, lapsum ut rectis instauret amicum
Moribus, et monitu reparet meliora seuero.
At si forte itidē quod legi, et quod sequor, audis
Corda pio uouisse Deo, uenerabile Christi
Imperium docili pro credulitate loquentis
Persuasumq; tenens, monitis æterna parari
Præmia mortali damnis præsentibus empta,
Non reor hoc sancto sic displicuisse parenti,
Mentis ut errorem credat, sic uiuere Christo.

PAVLINVS AVSONIO, Epistola III.

De constantia in amore.

Continuata meæ durare silentia linguæ,
Te nunquam tacito, memoras, placitamq; latebris
Desidiam exprobras, neglectæq; insuper addis
Crimen amicitiæ, formidatamq; iugalem
Obijcis, et durum iacis in mea uiscera uersum.
Parce precor lacerare tuum, nec amara paternis
Admiscere uelis, ceu melli absynthia, uerbis.
Cura mihi semper fuit et manet, officijs te
Omnibus excolere, affectu obseruare fideli.
Non unquàm tenui saltem tua gratia næuo
Commaculata mihi est, ipso te lædere uultu
Semper, & incauta timui uiolare figura.
Composui, et læto formaui lumine frontem,
Neque uel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctum suspectio falsa parentem.
Hoc mea te domus exemplo coluitq; coletq;,
Inq; tuum tantus nobis consensus amore est,
Quantus & in Christum, connexa mente colendū.
Quis tua quæso tuis obduxit pectora liuor?
Quorum more pias facilis tibi fama per aures
Irrupit, populisq; animum, contraq; uetustam
Experta pietate fidem, noua uulnera mouit?
Læderet ut natis placidum malesuada parentem?
Sed mihi non fictæ mens conscia simplicitatis,
Nec patris inculti pietas rea respuit omne
Immeritum, & falso perstringi crimine non fert.
Immunis merito grauius uiolatur iniquo.
Vulnera tam tenera offensæ, quàm libera culpæ.
Discussisse iugum quereris me, quo tibi doctis
Iunctus eram studijs. hoc nec gestasse quidem me
Assero, namque pares subeunt iuga, nemo ualentes
Copulat infirmis, neque sunt concordia frena,
Si sit compulsis mensura iugalibus impar.

Si uitulum tauro, uel equum committis onagro,
Si confers fulicas cygnis, & aëdona parræ,
Castaneis corylos æques, uiburna cupreßis,
Me compone tibi, uix Tullius & Maro tecum
Sustineant æquale iugum: si iungar amore,
Hoc tantum tibi me iactare audebo iugalem,
Quo modicum socijs magno contendit habenis
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum
Et paribus semper redamandi legibus æqua.
Hoc nostra è ceruice iugum non sæua resoluit
Fabula, non terris absentia longa diremit,
Nec perimet, toto licet abstrahar orbe uel æuo,
Non animo diuisus agam, prius ipsa recedet
Corpore uita meo, quàm uester pectore uultus.
Ego te per omne, quod datum mortalibus,
Et destinatum seculum est
Claudente donec continebor corpore,
Discernar orbe quolibet,
Nec corde longum, nec remotum lumine
Tenebo fibris insitum.
Videbo corde, mente complectar pia
Vbique præsentem mihi.
Et cùm solutus corporali carcere,
Terraq; prouolauero,
Quo me locarit axe communis pater,
Illic quoq; animo te geram.
Neq; finis idem, qui meo me corpore
Et amore laxabit tuo.
Mens quippe lapsis quæ superstes artubus
De stirpe durat cœliti,
Sensus necesse simul & affectus suos
Aequè ut uitam teneat suam,
Et ut ores sic obliuisci non capit,
Perenne uiuat & memor.

AMOENI ENCHIRIDION VETERIS ET NOUI Testamenti.

DE VETERE TESTAMENTO.

Adam & Eua.


Eua columba fuit tum candida, nigra deinde
Facta, per anguinum malesuada fraude uenenum.
Tinxit & innocuum maculis sordentibus Adam.
Dat nudis ficulna draco mox tegmina uictor.

Abel et Cain.

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Aestimat, accipiens uiua, & terrena refutans.
Rusticus inuidia pastorem sternit, in Abel (Cain.
Forma animæ exprimitur, caro nosta in munere

Arca Noë.

Nuncia diluuij iam decrescentis, ad arcam
Ore columba refert ramum uiridantis oliuæ:
Coruus enim ingluuie per fœda cadauera captus
Hæserat, illa datæ reuehit noua gaudia pacis.

Ilex Mambræ.

Hospitiū hoc Domini est, ilex ubi frondea Mā-
Armentale senis protexit culmen, in ista (bre
Risit Sarra cesa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, & decrepitum sic credere posse maritum.

Monumentum Saræ.

Abraham mercatur agrum, quo conderet ossa B
Coniugis, in terris quoniam peregrina moratur
Iusticia atq; fides: hoc illud millibus emptum
Spelæum, sanctæ requies ubi parta fauillæ est.

Somnium Pharaonis.

Bis septem spicæ, uaccæ totidem, Pharaoni
Per somnum uisæ, portendunt dispare forma,
Vberis, atq; famis duo per septennia tempus
Instare, hoc soluit patriarcha, interprete Christo.

Ioseph à fratribus agnitus.

Venditus insidijs fratrum puer, ipse uicißim
Cratera in fratris sacco clàm præcipit abdi,
Vtq; reos furti Ioseph tenet, auctio fallax
Proditur, agnoscunt fratrem, uaniq; pudescunt.

Ignis in rubo.

Sentibus inuolitans Deus igneus ore corusco
Compellat iuuenem, pecoris tunc forte magistrum.
Ille capit iussus uirgam, fit uipera uirga,
Soluit uincla pedum, properat Pharaonis ad arcē.

Iter per mare.

Tutus agit uir iustus iter, uel per mare magnum,
Ecce Dei famulis scißim freta rubra dehiscunt,
Cùm

A Cùm peccatores rabidos eadem freta mergant,
Obruitur Pharao, patuit uia libera Mosi

Moses accipit legem.

Fumat montis apex diuinis ignibus, in quo
Scripta decem uerbis saxorum pagina, Mosi
Traditur, ille suos suscepta lege reuisit,
Forma sed his uituli solus Deus, et Deus aurum.

Manna & Coturnices.

Panibus angelicis albent tentoria patrum,
Certa fides facti, tenet urceus aureus exin
Seruatum Manna: ingratis uenit altera nubes,
Atq; auidos carnis saturat congesta coturnix.

Serpens Aeneus in eremo.

Feruebat uia sicca cremi serpentibus atris,
Iamq; uenenati per liuida uulnera morsus
Carpebant populum, sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui uirus temperet anguem.

Lacus deserti amarus.

Aspera gustatu populo sitiente lacuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat,
Moses sanctus ait, lignum date, gurgitem in istum
Coniicite, in dulces uertentur amara sapores.

Fontes duodecim & palmæ
B septuaginta.

Deuenere uiri Mosi duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alij, uitreo de rore rigabant,
Septenas decies palmas, qui mysticus Helim
Lucus, apostolicum numerum libris quoq; pinxit.

Lapides duodecim in
Iordane.

In fontem refluo Iordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis uada sicca relinquit,
Testes bisseni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, ad formam discipulorum.

Domus Raab.

Procubuit Hierico, sola astant atria Raab,
Hospita sanctorum meretrix, tanta est fidei uis
Incolumi secura domo spectabile coccum
Ignibus aduersis in signum sanguinis offert.

Samsonis Leo.

Inuictum uirtute comæ Leo frangere Samson
Aggreditur, necat ille feram, sed ab ore Leonis
Mella fluunt, maxilla asinæ fontem uomit ultro:
Stulticia exundat lymphis, dulcedine uirtus.

Samsonis uulpes.

Tercentū uulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylum, segetesq; cremat quæ callida uulpes
Nunc heresis flammas uiciorum spargit in agros.

Dauid pastor.

Dauid paruus erat, fratrum ultimus, & modo (Iesse
Cura gregis, citharam formans ad ouile paternū,
Inde ad delicias regis, mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam.

Dauid rex.

Regia mirifici fulgent insignia Dauid,
Sceptrū, oleū, cornu, diadema, et purpura, et ara.
Omnia conueniūt Christo, chlamys, atque corona,
Virga potestatis, cornu crucis, altar oliuum.

Aedificatio Templi.

Aedificat templum sapientia per Solomonis
Obsequium, regina Austri graue congerit aurum.
Tēpus adest, quo templū hominis sub pectore Chri
Aedificet, quod gaza colentū barbara ditet. (stus

Filij Prophetarum.

Fortè prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis,
Gurgite submersum est ferrū, sed mox leue lignum
Iniectum stagnis, ferrum reuocabile fecit.

Captiuitas Israel.

Gens Ebræorum peccamine capta frequenti,
Fleuerat exilium diræ Babylonis ad amnes:
Tum patrios cantare modos præcepta recusat,
Organaq; in ramis salicis suspendit amaræ.

Domus Ezechiæ regis.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinq; per annos
Præscriptum proferre diem, legemq; obeundi
Tendere, tot gradibus, quot uespera texerat unda
Lumine perfusis, docuit sol uersus in ortum.

DE NOVO TESTAMENTO.

Gabriel ad Mariam.

ADuentante Deo descendit nuncius alto
Gabriel patris ex solio, sedemq; repente
Intrat uirgineam, sanctus te spiritus, inquit,
Implebit Maria, Christum paries sacra uirgo.

Ciuitas Bethleem.

Sancta Bethlem caput est orbis, quæ protulit Ie
Orbis principiū, caput ipsum principiorū. (sum
Vrbs hominem Christū genuit, qui Christus agebat
Antè Deus, quàm sol fieret, quàm lucifer esset.

Magorum munera.

Hic preciosa Magi sub uirginis ubere Christo
Dona ferunt puero, myrrhæq; et thuris, et auri.

Miratur genitrix, tot casti uentris honores,
Seq́; Deum genuisse, hominẽ, regemq́; supremum.

Angeli ad pastores.

Peruigiles pastorum oculos uis luminis implet
Angelici, natum celebrans è uirgine Christum.
Inueniunt tectum pannis, præsepe iacenti
Cuna erat, exultant alacres, & numen adorant.

Infantum in Bethleem cædes.

Impius innumeris infantum cædibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo paruorum sanguine cunæ,
Vulneribusq́; madent calidis pia pectora matrum.

Christus in Iordane baptizatur.

Perfundit fluuio, pastus Baptista locustis,
Siluarumq́; fauis, & amictus ueste cameli,
Tinxerat & Christum, sed spiritus æthere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

Pinna templi.

Excidio templi ueteris stat pinna superstes,
Structus enim lapide ex illo manet angulus, usq;
In seclum secli, quem spreuerunt ædificantes,
Nunc caput est templi, et lapidum cõpago nouorũ.

Vinum ex aqua factum.

Fœdera coniugij celebrabant auspice cœtu,
Fortè Galilæis deerant iam uina ministris,
Christus uasa iubet properanter aquaria lymphis
Impleri, inde meri ueteris perfunditur unda.

Piscina Siloa.

Morborum medicina latex, quem spiritus oris
Eructat uarijs, fusam ratione latenti,
Siloam uocitant, sputis ubi collita cæci
Lumina, saluator iußit de fonte lauari.

Cædes Ioannis.

Præmia saluatrix poscit funebria uirgo
Ioannis caput, abscissum quod lance reportat.
Incestæ in gremium matris, fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine iusto.

Christus per mare ambulat.

It mare per mediũ Dominus, fluctusq́; liquentes
Calce terens, iubet instabili descendere cymba
Discipulum, sed mortalis trepidatio plantas
Mergit, at ille manum regit, & uestigia firmat.

Dæmon missus in porcos.

Vincla sepulchrali sub carcere ferrea dæmon
Fregerat, erumpit, pedibusq́; aduoluitur Iesu.
Ast hominẽ Dominus sibi uendicat, & iubet hostẽ A
Porcorum furiare greges, ac per freta mergi.

Quinq; panes & duo pisces.

Quinq; Deus panes fregit, piscesq́; gemellos,
His hominum largè saturauit millia quinq;.
Implentur minimo micarum fragmine corbes
Bisseni, æternæ tanta est opulentia mensæ.

Lazarus suscitatus.

Conscius insignis facti locus in Bethania,
Vidit ab inferna te Lazare sede reuersum.
Appâret fractis scissum foribus monumentum,
Vnde putrescentis redierunt membra sepulti.

Ager sanguinis.

Campus Acheldemach sceleris mercede nefandi
Venditus, exequias recipit tumulosus humandas.
Sanguinis hoc preciũ est Christi, Iuda emin⁹ arctat
Infelix collum laqueo, pro crimine tanto.

Domus Caiphæ.

Impia blasphemi cecidit domus alta Caiphæ,
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine iacebit.

Columna ad quam Christus est flagellatus. B

Vinctus in his Dominus stetit ædib. atq; colũnis
Annexus, tergum daret ut seruile flagellis.
Perstat adhuc, templumq́; gerit ueneranda colũna,
Nosq́; docet cunctis immunes uiuere flagris.

Passio Saluatoris.

Traiectus per utrunq; latus, laticã atq; cruorem
Christus agit, sanguis, uictoria: lympha, lauacrum
Tũc duo discordãt crucibus hinc inde latrones (est.
Contiguis, negat ille Deum, fert iste coronam.

Sepulchrum Christi.

Christũ non tenuit saxũ, non claustra sepulchri,
Mors illi deuicta iacet, calcauit abyssum:
Sanctorum populus superas simul iuit ad oras,
Seq́; dedit multis tactuq́; oculisq́; probandum.

Mons Olíueti.

Montis oliuiferi Christus de uertice sursum
Ad patrem redijt, signans uestigia pacis.
Frondibus æternis præpinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de chrismate donum.

Passio Stephani.

Primus init Stephanus mercedẽ sanguinis, imbri
Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus

Inter

A Inter ſaxa rogat, ne ſit lapidatio fraudi
Hoſtibus, ô primæ pietas miranda coronæ.

Porta ſpecioſa.

Porta manet templi ſpecioſam quã uocitarunt,
Egregium Solomonis opus, ſed maius in illa
Chriſti opus emicuit, nam claudus ſurgere iuſſus
Ore Petri, ſtupuit laxatos currere greſſus.

Viſio Petri.

Somniat illapſum Petrus alto ex æthere diſcum
Confertum omnigenis animalibus, ille recuſat
Mandere, ſed Dominus iubet omnia mũda putare.
Surgit, & immundas uocat ad myſteria gentes.

Paulus uas electionis.

Hic lupus antè rapax ueſtitur uellere molli,
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.
Mox recipit uiſum, fit apoſtolus, ac populorum
Doctor, & ore potens coruos mutare columbis.

Apocalypſis Ioannis.

Bis duodena ſenum ſedes, citharis pateriſq́;,
Totq́; coronarum fulgens inſignibus, agnum
Cæde cruentatum laudat, qui euoluere librum,
Et ſeptem potuit ſignacula pandere ſolus.

RVSTICI HELPIDII

V. C. EX INLVSTRIS EX QVAEſtoris, Hiſtoriarum Teſtamenti Veteris & Noui.

Eua à diabolo ſeducta.

EVæ, uiperea uetitũ decerpere pomum
Inuidus, arte parat, tantæ quæ neſcia fraudis
Credidit infelix ſocio peritura marito.

Angeli ad Mariam aduentus.

B Angelus illæſum Mariæ per ſomnia Ioſeph
Connubium ſeruare monet: hic dote repleta
Spiritus hoc quod ſit flagrans, ſaluatur honore.

Adam & Eua de Paradiſo pelluntur.

Pellibus accincti, peccati ſigna ferentes,
Pœnarum famuli linquunt felicia regna,
Semper amica pijs peccantes reſpuit aula.

Latro in paradiſum introducitur.

Sacrati nemoris, Domino per amœna uireta
Felix latro duce, hoſpitium uitale meretur,
Fortificata fides uincit tot crimina uitæ.

Noa arcę, pręcepto Domini, includit omnia.

Hîc uolucres, armēta, uiros, genus omne ferarũ,
Nequid diluuij perdat uiolentia, Noê
Colligit, atque unam, tot condita, condit in arcam.

Petro uiſio de cœlo oſtenditur.

Reptiliũ pecudumq́; genus, cunctaſq́; uolucres
Diſcus habet, quæ cuncta iubet pater edere Petrũ,
Nil cõmune putans, quod mundum fecerat auctor.

Turris confuſionis deſtruitur.

Extruit immenſis opibus uæſania turrim,
Sed facit ora Deus, ſummus diſcordia rector.
Ne quid ſtulta manus ſupra ſua iura pararet.

Petrus & apoſtoli uarijs loquuntur linguis.

Conſona diuerſas fundit narratio linguas,
Barbara quæq; ſuam cognoſcit natio uocem,
Quam ſacer humano præfatur ſpiritus ore.

Ioſeph à fratribus uenditur.

Hìc coniurati germanum uendere fratres
Cogit liuor edax, proſunt contraria iuſtis
Hoc opus eſt diuinum, ut qui modò uendit, adoret.

Chriſtus à Iuda uenditur.

Nummi dira fames compellit uendere Iudam
In pœnam regale caput, commercia tanti
Sanguinis, exiguo peragit mens improba lucro.

Abraham filiũ ad immolandũ ducit.

Cedis in expenſas fert hoſtia propria lignum,
Nam carum genitor pignus mactare paratus
Ducit Abram: fidei meritum eſt, nec parcere nato.

Chriſtus ducitur crucifigendus.

Geſtit honorandũ cũctis manus inclita lignum,
Quo ſe ſancta ſinit ſuſpendi uictima mundi:
Tollitur, ut miſeris reddat mors una ſalutem.

Coturnices & manna datur Iudæis.

Hic auidos carnis miſſa ortygometra reficit,
Immeritoſq́; replet cœleſtis copia panis:
Nam dignis, quem quiſq; uelit, dat mãna ſaporem.

Septẽ panibus Chriſtus quatuor millia hominum paſcit.

Panibus hic ſeptem populorum millia paſcit

Quatuor, & pauci saturant conuiuia pisces:
Nam bis sex sportas panis fragmenta replerunt.

Moses ascendit in montem.

Veridicæ Moses pandit penetralia legis,
Quæ summus cunctis unus sit rector & idem,
Nec diuisa regit mundum, sed sola potestas.

Christus in monte docet.

Montis ualle sedēs, graue & immutabile uerbū
Et pia iustitiæ populis præcepta profatur,
Quaq; it, quā pergit, sese sapientia monstrat.

Martha & Maria.

Arguit immeritis consortem Martha querelis,
Quod uacet officio, cui uerax arbiter, inquit
Cura Dei, melior domus, & magis utilis illi.

Centurio ad Christum.

Heu mihi saluator, saluari seruus anhelat:
Non ego sum dignus, cuius tu tecta capessas,
Sed uerbo sanare potes, nam sufficis absens.

Ex aqua Christus uinum facit.

Insipidi quondam latices elementa, saporem
Flagrantis sumpsere meri, nam prouidus auctor
Munera lætitiæ, uirtutum exordia fecit.

Mulier à Christo curatur.

Dat dextram miseris, miserans attollitq; amicē,
Quam longinqua sui curuarant tormina morbi,
Surgit recta fides, credentis mundaq; mens est.

Mulier à profluuio sanatur.

Hæc mulier tactu uestis furata salutem est,
Siccauitq; fides uenas, fluuiumq; pudendum:
Pulchra fides, cui uis cogendi magna Tonantem.

Christus resuscitat uiduæ filium.

Mœrebat genitrix ignara mente cadauer,
Cui mundiq; hominumq; salus, in limine portæ
Obuia cum uenit, luctus in gaudia uertit.

Zachæum Christus uidet in arbore.

Dulcis honor Domini Zachæo fulsit amico,
Maiestate sonans: hodie mihi proficis hospes,
Ad maiora dehinc ramis descende relictis.

Lazarus à morte reuocatus.

Lazarus hic iterum proiecta morte resurgit,
Et pariunt animas mutata lege sepulchra,
Qui uitam functis scit uerbo reddere, uita est.

RVSTICI HELPIDII carmen, A

De Christi Iesu beneficijs.

Conditor omnipotēs rerum, mēs unica summi
Et proles æterna Dei: quia gloria patris,
Ac uerbi fœcundus honor, quo cærula ponti
Diffudit, solidauit humum, suspendit olympum,
Quæ loca iussa tenent: etiam discordia fidas
Conseruant elementa uices, paretq; recepto
Sole dies, lunamq; dies patiuntur in ortus
Atq; obitus remeare suos, nec cedere luci
Astra negant, propriosq; ferunt ignescere cursus,
Et contenta citæ decrescere cornua lunæ.
Hoc uerbo, quo tanta sator sibi regna parauit,
Te quoq; regnorum socium natumq; probauit.
Quem pariter conuexa tremunt, semperq; paratā
Ter celebrat laus nostra fidē, quia tēporis expers
Cum genitore sedes: quid enim tibi defuit unquam,
Aut patris plus esse potest, quibus unica semper
Patria maiestas dominatur, nomina regnantē
Semper enim socio cultu celebrandus habetur,
Spiritus, imperiumq; gerens, uiget una potestas,
Tam cœpto quàm fine carens, idemq; per omnes
Et communis honos merito, inter tristia terræ B
Gessisti cœleste decus, dignatus utrasq;
Ostentare uices: nil matris corpore maior,
Nil patris uirtute minor, nunquam ætheris absens,
Nunquā sumpta semel pro nobis mēbra relinquēs,
Semper ubiq; potens, adsis precor, & mea ductor
Corda regas, animæq; animos & gaudia dones,
Expugnare luem uitiorum, & uincere tandem
Si quid prauus amor, si quid ferus imperat ardor.
Quidquid turpe loqui, quidquid committere sæuū,
Quod mihi uel cuiquā noceat, quod morib. obstet,
Vinctaq; perpetuis captiuet pectora pœnis
Lapsibus indulgens uenia, quos primus in omnem
Seruandi leges, & uitæ prouidus auctor,
Iudicio miserante leues, ut mitius angar:
Pœniteat peccasse tibi, & tibi corrigar obses.
Parcendi uindicta reos cape munera quæso,
Oris egena mei, nil dignum laude canentis,
Vota magis quàm dona probes, nec uatibus istas
Annumeres, fandi doctas erroribus artes,
Quas Aganippeæ Permessius accola lymphæ,
Hausto fonte ciens, uana dulcedine captæ
Pabula mentis habet, seseq; oblectat inani

Murmure,

A Murmure, quo blandi sit pollens carminis ore.
Hinc etiam nostro nugata est schema dolori,
Garrula mendosis fingens satyromata Musis,
Falleret ut trepidos cantatrix pagina questus:
At tibi mens confessa patet, tibi fundit anhelans
Seria lingua preces, & sobria uerba fatigat.
Tu Dominus, tu uerus honos ac gloria perpes,
Atq; opifex rerum, tu spes manifesta reductæ
Exemplumq; capax animæ: tu uictor & hæres
Corporis occidui, post idem & membra superstes,
Post inferna Deus, & post mortalia uiuus.
Tu diuina salus, strepitus miseratus amaros
Ac morbos furiasq; dolens, & crimina læsi
Sanguinis, in nostros passus descendere uisus,
Atq; hominem miscere Deo, mox conscia ueri
Exhibuit documenta fides, prædictaq; priscis
Temporibus, stupuit miracula subditus orbis.
Et cui terra iacet pelagus silet, atq; coruscis
Obsequijs seruire minor uix sufficit æther,
Calcatisq; celer famulatur nubibus axis:
Hunc grauidante Deo mortalis nescia fœtus,
Virginitas fœcunda tulit, partuq; pudico
Expletum est pietatis opus. nec enim ederet ortum
B Vulgaris natura uouum, coramq; pateret
Maiestatis apex, si nil mirabile terris,
Ignotumq; daret, nec tanti pignora fœtus
Enituere simul, nam claro sidere mundus
Irradians rutilæ lucis cognouit honorem
Auctorem peperisse suum, qui nobilis æui
Inchoamenta gerens, fragiles processit in artus.
Protinus assumptis tolerans data tempora mē-
Quē nil ante fuit, nec enim extat origo creati (bris,
Principij, nasci quod post Deus omnia posset,
Quæ genuit cum patre, & cum spiramine magno.
Et triplex in laude uiget, semperq; uigebit,
Excoluit diuina pijs cunabula sancta,
Fulgentem super astra uidens, quem terra leuauit.
Gens Chaldæa Deum cum sanctæ prædita flammæ
Lumine, monstratumq; polis prosecuta nitorem,
Promeruit te nosse, prior uentura dicatis,
Per speciem documenta ferens, dat munera, regi
Diuitias, dat thura Deo, myrrhamq; sepulchro,
Illic omniparis succreuit gloria uerbi,
Lætaq; uina thoris, & fercula reddita mensis:
Obstupuit populus cumulatis lancibus hospes,
Pronuba congestis dapibus conuiuia ducens.
Tu tenui tactu tenebrosæ frontis inanes
Iussisti lucere sinus, ruptisq; latebris
Conceptos gaudere dies, ac nocte fugata
Monstrifici ultus, fecisti lumina cæco.
Per te summe pater, uulsis compagibus æger
Vix anima residente redit, quin mortua funus
Ossa trahens uerbi sanum uirtute, receptis
Viribus exiluit: nam iam quia lapsa manere
Non poterat, duro subiecit colla grabato.
Tu morbos cohibere potens, pulsisq; sepulchri
Luctibus, atque animis uitæ reuocare cadauer,
Confractisq; trucis calcare repagula lethi,
Vnius ut uultu redeunte, capesseret orbis,
Quid cunctis conferre suis tua dextra pararit.
Nec nobis fundasse solum, grauidare nouales,
Effudisse comas siluis, & gramina pratis,
Subiecisse feras, uarios renouare liquores,
Alitibus reserare auras, & piscibus undas
Contentus, nostrumq; genus ratione sagaci
Et forti munisse manu, perq; astra leuatum
Erexisse caput, motus manantibus olim
Subuenis, & primi medicata labe reatus,
Extinctas animas, & corpora functa reducis
In cœlum, legesq; pias: non suauibus herbis
Messis & emeritæ, nec mollis uestis honore,
Fulgida Sidonij quam polluit unda ueneni,
Pellibus aut Libycis redimens, aut mercibus Indis,
Progeniem stirpemq; tuam, sed sanguine sacro
Et precio magno donas, qui lubrica mores
Inter membra docens, ut uitam reddere posses,
Vicisti culpas meritæ pro crimine carnis,
Laudem carnis agens, per tot contagia purus.
Præq; homine exultans, hominis perferre dolores
Et mortem pro morte pati, persoluere signum
Culminis ætherei, pro nostri funere ligni.
Ex quo pœna prior naturæ iura momordit,
Rumpentis monitus, & iussa uerenda parentis,
Artificisq; sui, cui iugiter esse precandum
Extensis manibus, mœrenti in funere tensæ
Monstrauere manus, ut uiuax gloria terris
Assereret, tormenta crucis, nec quisq; recuset
Pro Domino tolerare libens, constantibus ulnis,
Quod Dominus pro plebe tulit: nec dicere fas est
Sensibus exiguis quanto celebratur honore
Gratia, quæ sacri referans penetralia fontis,
Prouocat ad ueniam cunctos, meliusq; renasci

Posse dedit, superasq; fores & limina pandit,
Ad mundi potioris iter, regnumq; perenne
Cœlestis patriæ: iam non hîc arida febris,
Non sitis, aut uiolenta fames, non flamma timoris,
Nec bellum, nec morbus erit, nec iniqua potestas
Sæuiet, aut ferro quisquam exercebit adempto
Ius sceleris, raptórue nocens dominabitur ullus

Sancta sede, pij portabunt præmia mores, A
Et fidus splendebit amor, uiridusq; iuuentus,
Non reptans tacitos infantia conteret annos,
Curua nec exucto sulcabitur ore senectus:
Sola quies læta in stabili lætabitur æuo.
Credimus & placida Domini pietate fruemur,
Hic quoq; iusticiæ, & sperantes munera uitæ.

L. COELII LACTAN. TII FIRMIANI,

De beneficijs suis Christus.



Visquis ades, medijq; subis in limina templi,
Siste parum, insontemq; tuo pro crimine passum,
Respice me, me conde animo, me in pectore serua:
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc ueni, pacis promissæ interpres, & ampla
Communis culpæ uenia: hîc clarissima ab alto
Reddita lux terris, hîc alma salutis imago,
Hîc tibi sum requies, uia recta, redemptio uera,
Vexillumq; Dei, signum & memorabile fati.
Te propter, uitamq; tuam, sum uirginis aluum
Ingressus, sum factus homo, atq; horrentia passus
Funera, nec requiem terrarum in finibus usquam
Inueni, sed ubiq; minas, & ubiq; labores.
Horrida prima mihi in terris magalia Iudæ
Hospicia in partu, sociæq; fuere parenti:
lignumq; crucis venerabile adora
flebilis, innocuo
Hîc mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in angustis præsepibus herba cubile.
In Pharijs primos uixi regionibus annos,
Herodis regno profugus, reliquosq; reuersus
Iudæa: semper ieiunia, semper & ipsam
Pauperiem extremam, et rerum inferiora secutus,
Semper agens monitis humana salubribus, almæ
Ingenia ad studium probitatis: aperta salubri
Plurima doctrinæ iungens miracula: quare
Impia Hierusalem rabidis exercita curis
Inuidiæ, sæuisq; odijs, & cæca furore
Insonti est pœnis lethalibus ausa, cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere, quæ si
Latius ipse uelis distinguere, sicq; per omnes
Ire iuuet gemitus, mecum & sentire dolores:
Collige consilia, insidiasq;, meiq; nefandum
Sanguinis innocui precium, & simulata clientis
Oscula, & insultus, & sæuæ iurgia turbæ.
Verbera præterea, & prõptas ad crimina linguas,
Finge animo & testes, & cæci infanda Pilati
Iudicia, ingentemq; humeros, & fessa prementem
Terga crucẽ, atq; graues horrenda ad funera gressus.
Nunc me, nunc uerò desertum, extrema secutũ
Supplicia, & dulci procul à genitrice leuatum,
Vertice ad usq; pedes me lustra: en aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisq; caput crudelibus haustum,
Vndiq; diua pluens uiuum super ora cruorem.
Compressos speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasq; genas, arentem suspice linguam B
Felle uenenatam, & pallentes funere uultus.
Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,
Atq; ingens lateris uulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosq; pedes, artusq; cruentos.
Flecte genu innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili, lachrymis perfunde subortis,
Et me nonnunquam deuoto in corde, meosq;
Fer monitus, sectare meæ uestigia uitæ,
Ipsaq; supplicia inspiciens, mortemq; seueram,
Corporis innumeros memorans animiq; dolores,
Disce aduersa pati, & propriæ inuigilare saluti.
Hæc monumenta tibi, si quando in mente iuuabit
Voluere, siqua fides animo tibi ferre meorum
Debita, si pietas, & gratia digna laborum,
Surget, erunt ueræ stimuli uirtutis, eruntq;
Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni
Tutus eris, uictorq; feres certamine palmam.
Hæc monumenta tuos si labilis orbis amicos
Auertent sensus, fugiente decoris ab umbra
Mundani efficient, ne spe captatus inani
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
Auferis, aut uitæ sperare fugacibus annis.

Sed

A Sed te nimirum sic ista caduca uidentem
Secula, & exutum patriæ melioris amore,
Orbis opes, rerumq; usus, & uota priorum
Moribus extollens sacris, uitæq; beatæ
Spe, duras inter pœnas, te rore fouebunt
Cœlesti, pactiq; boni dulcedine pascent.
Purpuream donec, post ultima fata relicto
Corpore, sublimes animam reuocabit ad auras.
Gratia magna tibi tunc omnem exuta laborem
Angelicos tunc læta choros, aciesq; beatas
Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna,
Perpetuo felix mecum regnabit in aula.

VICTORINI EPISCOPI PICTAVIENSIS,


De Iesu Christo Deo & Homine.

Verbum Christe, Dei patris cœlestis imago, (fœta,
Protulit hūc partus, genitū de uirgine
Inuictusq; pudor gaudet peperisse Tonantem
Ex utero, sine matre Deum, de coniuge nullo,
Corporis angusti parua spaciatus in aluo,
Maternosq; sinus cœlum fecisse secundum
Intra membra manens, animæq; et conditor æui
Natus homo, nostrosq; Deus nutritus in annos,
Dignatus toti placidum se protulit orbi.
Solstitialis hiems, astrumq; insigne mouetur
In cœlo fulgens, ut mundus crederet omnis
B Ob culpam ueniale iubar: tu suffice uires
Arbiter, inq; nouos aperi præcordia sensus,
Et laudem tu solue tibi, tranquillus in astris
Forte pater residens, mentem uirtute parabat,
Curans nostræ animæ regnum, cœlestia templa,
Tellurisq; uices, uerbum medicabile dixit,
Nascere (namq; placet) prærupta carcere mor (tis
Eripiam mortale genus, spes gentibus esto,
Principium sine fine, quod abstulit inuidus error,
Quod facinus commisit atrox, tolletur id omne
Ad ueniam uenere homini: stat fulmen et imber
Ignis, in obsequio: glacies, uapor, æstus, & auræ,
Conueniunt famulante noto, terræq; triumphant,
Et cœlum sublime tonat, pars ardua gaudet,
Cum Domino uenisse pio: tunc nascitur infans,
Matura uirtute Deus, cui uertice sacro
Cæsaries librata micat, splendetq; superna
Fulmineum per membra iubar, decus omne per ora
Eminet & faciem, patriq; simillimus, ille
Vt nequid differret, erat: miracula cuius
Gloria consequitur, fluuios in uina refundens
Hoc donum sponsale dedit, tum fruge comesta
Congeriem superesse iubet, tot millia turbæ
Conueniunt esura, dehinc matrisq; dolorem
Conspicit, ad manes ducentem flebile funus.
Ponite, ait, iuuenem, nihil est quod mortis iniquæ
Extinctum lamenta ferant, dixitq;: resurge,
Et rursum cognosce diem, iussumq; cadauer
Prosilit ante oculos, lætus fit plangor in omnes.
Quod meruit non posse, uirum tunc corripit unū
Spiritus hostilis, uultum cui protinus omnem
Perdiderat rabies, stimulis gerit effera lora
Torta caput, stridens & anhelo pectus hiatu,
Spuma furit: mixtusq; color, mœrentis in illo,
Non ridentis erat: uires sed perdidit hostis
Aduentu propiore Dei, gemituq; profatur.
Cedimus inuiti, toto nam pellimur orbe,
Te regnante Deus, terras, hominesq; relinquo
Vlterius tentare timens: sic ille refectus
Surgit, & ad nostrū specimen redit, hoste repulso.
Progreditur uirtus nostræ medicata saluti
Peruenit ad fragiles, hic riuum corpore putrem
Fonte lauat, claudum firmat, reficitq; iacentem,
Et cæco dat nosse diem: procede sepulchro
Lazare clamat, & hæc ad uitæ lumina surge,
Atque hæres succede tibi: subito ille regressus
Auctorem uiditq; suum, nouitq; magistrum.
Extremam mulier, Domini cui tangere uestem,
Saucia quæ fuerat iamdudum sanguine fluxo,
Contigit, & uires subitos collegit in artus.
Funera tot curās hominū, tot uulnera purgās,
Et Deus & medicus, iudex, pater, auxiliumq;,
Omnia Christus erat. Petro sublime locutus,
Claues sume poli, cuius tu ianitor esto,
Quæq; uoles, licuisse dedi: sic dixerat, altæ
Finis in occidui metas portæq; subibat
Pronior orbe dies, & limen pandere noctis
Cœperat: hinc epulis iussi de more sodales
Ad mensam aduentare Dei: tunc præscius ipse

Traditor unus hic eſt, mecum qui ueſcitur, inquit,
Non facinus,ſed tempus habens: ruit inde caterua
Vim factura Deo,gladios cui præbuit ira,
Et dedit arma furor:tradens dedit oſcula ſignum,
Perfidus et iuſto confregit guttura nodo.
Forte dies ſolennis erat,quo iure tribunal
Priuatum lictore ſilet,tortore quieto,
Non Ebræa minax ponit uindicta furorem,
Supplicio fugiente caput,tunc Chriſtus habetur
Maieſtate reus,furit ardens improba turba,
Hunc ſatis eſt iam morte mori,flagriſq; cruentum
Affixere cruci: felix ſed germine lignum (eſt,
Quod meruit portare Deum, proh gloria quanta
Ligno uita perit,per lignum uita reuertit:
Iunguntur q; ſcelesta pio,fit latro beatus,
Et caruit feciſſe nefas,dominumq; fatetur.
Digna pati,referens,meruit de crimine palmam,
Et placuit comes ire Deo:ſed linquitur alter,
Non credens,gemitu expirans in tartara plangit.
Sed Deus omnipotens patrē clamore per auras
Suprema iam uoce uocat:quia deſeror,audi.
Tempus erat ſpiritum patri ſoluiſſe Tonantem,
Et manes patuere,& profugit undiq; cœlum,
Turbinibus natura perit,mixtiſq; tenebris
Nox fuit illa dies:confuſa nube premebat
Arua,domoſq; chaos,fixus ſtetit impiger axis.
Concurrunt montes,raptoſq; à ſede procella
Ancipites per inane rotat,templiſq; decorem
Rumpunt uela,crepant fiſſæ formidine cautes,
Mortis opem negat ipſe furor,diſcordia mundi
Planctus erat,ſæui quem fecit fama pericli.
Mœſta fluenta gemunt,et luctum flumina plorant,
Inq; ſinus rediere ſuos:à ſedibus imis
Tartarus euomuit proceres,patreſq; beati
Conſurgunt,morienſq; Deus reparatur in omnes, A
Vim patiens hominum,uitali morte ſepultus.
Noluit eſſe nefas,magis indulgentia ſemper
Quàm uindicta placet, quãuis penetrale reſurgēs
Carceris inuiſi,an rurſum in ſecula uenit
Omnipotens,iterum Ieſus poſt funera uixit.
Regia forte poli,tum primum lumen agebat,
Aeternum teſtata diem,claruſq; per orbem
Cuſpide fulminea noctis diuiſerat umbram
Stellifico temone iubar,Deus ultor ab umbris
Ecce redit,uiuuſq; ſuis(mirabile uiſu)
Corporeus per clauſa uenit,dubiumq; ſodalem
Alloquitur,firmans animum,corpuſq; retexens
Infer,ut agnoſcas digitum,clauoſq; reuulſos,
Perfoſſumq; latus,ueniens ubi pondere ſæuo
Lancea conſtiterit:faciant te ſigna fidelem.
Sic ait: egrediens,cœlum patremq; petebat:
Temporis anguſti paulum tellure moratus.
Excipitur radiante throno,quem gloria tractum
Voce ſonat,dominumq; capit per mœnia cœli,
Sideribus gemmata domus,cui limina claris
Pandit ſtella comis,decus iridis atria curuat,
Porticibus lux ampla iacet: crucis alta columna B
Aſtat,& hic ſine nocte dies,hic ſceptra regenti
Fulmina cenſentur,ſtrepituq; tonitrua feruent.
Angelicos uocat ordo choros,ſeruire paratos.
Sol etiam rapidus,lunæ quoque ſplendidus axis
Excubat,obſeruant auræ,pluuiæq; iubentur
Omnigenum rorare ſolum, te maxime mundi
Arbiter exorat pelagus: te flumina,fontes,
Stagna,lacus,fluctus,& merſæ gurges abyſsi.
Te recinunt uolucres,& uulgus reptile,ponti
Te ſperant animæ,ueniam te uindice poſcunt.

MEROBAVDIS HISPANI SCHOLASTICI

De Chriſto.


PRoles uera Dei, cunctiſq; antiquior annis,
Nunc genitus,qui ſemper eras,luciſq; repertor,
Ante tuæ matriſq; parens,quem miſit ab aſtris
Aequæuus genitor,uerbiq; in ſemina fuſum
Virgineos habitare ſinus,& corporis artus
Iuſsit inire uias,paruoq; in ſede morari:
Quem ſedes non ulla capit,qui lumine primo
Vidiſti,quidquid mundo naſcente creares,
Ipſe opifex,opus ipſe tui dignatus iniquos
Aetatis ſentire uices,& corporis huius
Diſsimiles perferre modos,hominemq; ſubire,
Vt poſsis monſtrare Deum,ne lubricus error
Et

A Et decepta diu uarij solertia mundi,
Pectora tam multis sineret mortalia seclis.
Auctorem sciuere Deum te, conscia partus
Mater, & attoniti pecudum sensere timores:
Te noua sollicito lustrantes sidera uisu
In cœlo uidere prius, lumenq; secuti
Inuenere Magi: tu noxia pectora soluis,
Elapsasq; animas in corpora functa reducis,
Mundus & ad manes penetras, mortisq; latebras
Immortalis adis, tibi tantum non fuit uni
Principium finisue mori, sed nocte refusa
In cœlum ad patrem scandis, rursusq; perenni
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu solus patrisq; comes, tu spiritus insons,
Et toties unus, tripliciq; in lumine simplex.
Quis nisi pro cunctis aliud, quis credere poßit
Te potuisse mori, poteras qui reddere uitam?

AVCTORIS INCERTI
DE LAVDIBVS Domini.




Quis queritur sera uirtutis dote iuuari?
Quis promissa dei lento procedere passu?
Quis fine humano metitur iudicis urnam
Perpetui, tardumq; putat quod secula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam quà stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumq; Diuuix explicat amnem;
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes,
B Coniugium memini summa pietate fideq;,
Lex diuina tamen meritum cumulabat amoris:
Et uotum ambobus, socium præcedere morte,
Mœroriq; pio curam mandare sepulchri.
Sed prior uxorem decreti pagina legit:
Tum uir sollicitus largo iubet ore cauari,
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa:
Susciperet ueniens, æternaq; fœdera iungens,
Vt quos uiuentes tenuisset lectulus idem,
Post percepta dei, bustum commune leuaret.
Sensit uota sui coniunx præsaga mariti,
Magnaq; temporibus tribuit miracula castis.
Nam cùm defunctis iungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat uincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera uitæ,
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore uita peracta est,
Iungendus sociæ prospecta sede maritus.
Postquàm morte uiri reserata est ianua læti,
Horrendumq; larem iam lux ingrata retexit:
Deprænsa est læuam protendens fœmina palmam,
Inuitans socium gestu uiuentis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis uincula soluit?
Vnde sepulta uidet uenturæ coniugis umbram?
Tu facis hæc, tu Christe deus, tua signa mouentur,
Paulatimq; doces sopita resurgere membra:
Tu, quem uenturum sancti cecinere prophetæ,
Incorrupta Dei soboles, rectorq; regentis,
Quo sine nil magnum, genitor deliberat ingens,
Cuius ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaq; montanos includunt littora fluctus:
Qui uario stabilem dotasti munere terram,
In nostros usus, largus pietate paterna.
Te uade mortales committunt semina sulcis,
Et nouus arenti procedit cespite partus:
Tu manare iubes fœcundo nectare uites,
Tu gratos epulis hominum, medicosq; saluti
Arboribus succos, tu trudis dulcia mella.
Tu seruire iubes homini genus omne animantum,
Insuper & grauibus lucos curuescere pomis,
Atq; nouos reditus nullo de semine nasci:
Tu uarios amnes nostro prodesse labori,
Et renouare sacris benedictum fontibus æuum:
Te duce ueliuolis patuerunt æquora rostris,
Diuisosq; fretis lustrauit nauita portus.
Tu postquàm certis sunt acta elementa figuris,
Ne torpere rudi cœlestis machina uultu
Inciperet, uario signasti munere mundum:
Et quicquid cœlo radiat, tua dextera finxit.
His aulam domini placuit contexere signis.
Iam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Aßiduumq; alacer numeraret nauita portum:
Crebra satis tumido defigitur insula ponto.
Nec tamen insano metuit circundata fluctu,

Exiguoq; fretis innitens orbe resistit,
Te duce confidens, cuius uenerabile pactum
Nexum lege pari summumq; imumq; peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus uel nuda iaceret,
Vitibus aptandos iußisti assurgere colles
Grandibus, & largos umbracula texere lucos.
Tum ne uastus agat siluis torpentibus horror,
Innumeros fœtus proceris saltibus addis:
Incola ne nemori, neu desit præda petenti.
Tum uolucres multas, & mille examina uocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris.
Sic annum placuit uarijs intexere formis,
Et uice iucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,
Néue breuis iustum raperet nascentibus ignem:
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
Dat requiem feßis hominum nox roscida curis:
Vtq; humana salus securum duceret æuum,
Sponte salutares de cespite surgitis herbæ.
Has Pater ipse serit nutu, non uomere diues.
Non ego ferrato tegerer si uiscera muro,
Ferrea uox linguæq; forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam uestræ pietatis obire.
Sed pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam uisu facilis, cunctisq; tremendus:
Te misit dominum terris uitæq; magistrum.
Et quisquis natum iusto ueneratur honore,
Ambobus sua uota dicat uitamq; perennem.
Tu casti rectiq; tenax, & flectere leges
Post crimen facilis, si quem uecordia præceps
Depulit à uobis præscripto limite uitæ.
Te genitor nostra paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membrisq; caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere uisus,
Si talem trepidis uoluisset sistere terris,
Qualis es, ingenti cùm torques fulmina dextra,
Præsentemq; iubes directa pauescere pœnam: dierecta
Vel cùm placatus, campis sitientibus imbres
Diuidis, & dubias sulcis producis aristas.
Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine conciperis. non sufficit esse pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino cõiungere fratrem,
Ne procul ex utero contagio turpis abesset. A
Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis seruare paternis
Aggrederis, rectamq; uiam labentibus offers.
Atq; ut missa Deo penitus præcepta paterent,
Imperium tu morti adimis, morboq; soluto
Desperata iubes apprændere munia uitæ,
Restituisq; diem cæcis, & ne quid in ausum
Restaret penitus, quo perfidus error obiret,
Indîcis sensum tumulis, & condita pridem
Membra iubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscuntq; suum dilecta cadauera nomen.
At postquàm legem sectátor idoneus hausit,
Vt se mortali cœlestis spiritus aula
Exueret, legi intentum quô cuncta doceres
Pro summo toleranda Deo, recteq; perennem
Contemptu mortis sibi quenque assumere uitam:
Sic completa ferens genitoris iussa, redisti
Ad summi secreta poli, quà lucidus æther
Pigra uetat proprio succendere nubila cœlo: sic
Atq; ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserandis auribus arcet,
Nec noua defunctos iampridem iura tenerent: B
Carceris inferni feralia, libera nobis,
Innumeramq; iubes tenebris emergere plebem,
His tantùm clausis, quos impia uita notarit:
Et loca pœnarum uenturis diuidis umbris,
Quæ tibi non credant, uel quæ se credere fingant.
Sancte Deus summiq; Dei uenerabile pignus,
Ad cuius nomen uiolenta morte fugatæ,
Pectoribus proprijs, alienaq; pectora nactæ,
Exclamant, pallentq; animæ, iußæq; recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produnt,
Cùm terram cœlumq; inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.
At nunc tu Dominum meritis, pietate parẽtem,
Imperio facilem, uiuendi lege magistrum,
Edictisq; parem, quæ lex tibi condita sancit,
Victorem lætumq; pares mihi Constantinum.
Hoc melius fœtu, terris nihil antè dedisti,
Nec dabis, exæquent utinam sua pignora patrem.

PAVLI-

Ad Deum omnipotentem precatio.



Omnipotens, quem mente colo pater unice rerum,
Ignorate malis, & nulli ignote piorum,
Principio extremoq; carens, antiquior æuo,
Quod fuit aut ueniet, cuius formamq; modumq;
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus, coramq; audire iubentem
Fas habet & patriam propter considere dextram
Non genito genitore Deus, qui fraude superbi
Offensus populi gentes in regna uocauit,
Stirpis adoptiuæ meliore propage colendus,
Cernere quem licuit proauis, quo numine uiso
Et patrem uidisse datum, contagia nostra
Qui tulit, & diri passus ludibria lethi,
Esse iter æternæ docuit remeabile uitæ.
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, & inane sepulchri
Arcanum uacuis adopertum linquere terris
Nate patris summi, nostroq; salutifer æuo,
B Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex inuidia retinens, plenusq; datorum
Pande uiā precibus, patriasq; hæc perfer ad aures.
Da pater inuictam contra omnia crimina mētem,
Vipereumq; nefas nocituri auerte ueneni,
Sit satis antiquam serpens quod prodidit Heuam,
Deceptumq; adiunxit Adam. nos dura nepotum
Semina uiridicis ætas prædicta prophetis,
Vitemus laqueos quos lethifer implicat anguis.
Pande uiam, qua me post uincula corporis ægri
In sublime feram, puri quà lactea cœli
Semita uentosæ superat uaga nubila Lunæ:
Quà proceres abiere pij, quaq; integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru
Elias, & solido cum corpore præuius Enoch.
Da pater æterni speratam luminis auram
Si lapides non iuro deos, unumq; uerendi
Suspiciens altare sacri, libamina uitæ
Intemerata fero, si te Dominiq; Deiq;
Vnigenæ cognosco patrem, mistumq; duobus,
Qui super æquoreas uolitabat spiritus undas.
Da genitor ueniam, cruciataq; pectora purga.
Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
Quæro, nec carnis numen coniecto sub extis,
Si scelere abstineo errori obnoxius & si
Opto magis quàm fido bonus purusq; probari,
Confessam dignare animam, si membra caduca
Execror, & tacitum si pœnitet, altaq; sensus
Formido excruciat, tormentaq; sera gehennæ
Anticipat, patiturq; suos mens saucia manes.
Da pater hæc nostro fieri rata uota precatu,
Nil metuam, cupiamq; nihil, satis hoc rear esse,
Quod satis est. nil turpe uelim, nec causa pudoris
Sim mihi, nec faciam cuiquā, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi: nec uero crimine lædar,
Nec maculer dubio, paulum distare uidetur
Suspectus uereq; reus. malè posse facultas
Nulla sit, & bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui uictu atq; habitu, sim carus amicis,
Et semper genitor sine uulnere nominis huius.
Non animo doleam, non corpore, cuncta quietis
Fungatur membra officijs, nec saucius ullis
Artuum artibus amissum quidquam desideret usus.
Pace fruar, securus agam, miracula terræ
Nulla putem. suprema mihi cùm uenerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia uita, nec optet.
Purus ab occultis cùm te indulgente uidebor,
Omnia despiciam. fuerit cùm sola uoluptas
Iudicium sperare tuum, quod dum sua differt
Tempora, cunctaturq; dies, procul exige sæuum
Insidiatorum blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mœsto trepidantia uota reatu
Christe apud æternum placabilis assere patrem
Saluator Deus ac Dominus, mens, gloria, uerbū,
Filius ex uero, uerum de lumine lumen,
Aeterno cum patre manens in secula regnans,
Consona quem celebrat modulato carmine plebes,
Et responsuris ferit aëra uocibus, Amen.

D. Paul. Ep[isto]la ad Philemonē, filios spirituales. De hac gignendi seu pariendi modo præclare Philo Iudeus Comētario De Vita cōtēplatiua. De ambus Virginib. [vetulis] mēsæ adhiberi cōsuetis, nimirū diuinæ nō mortalis prolis cupidæ, quā solæ Deo charæ āiæ ex seipsis pariut, excipiētes pro semine intelligibiles patris radios, vt decreta sapiētiæ cōtemplādo percipere valeat. De hoc s. Arator pag. 602. Trismegistus ait [illegible] apud sapiētes i vita esse liberorū procreationē id quod de animi filiis intelligunt. Plutarch. Comētario De Platonicis Questionib.

EIVSDEM,

Pro salute Augustorum.

SAncta salutiferi redeunt solennia Christi,
Et deuota pij celebrant ieiunia Mystæ,
At nos æternum cohibentes pectore cultum.
Intemeratorum uim continuamus honorum.
Annua cura sacris, iugis reuerentia nobis.
Magne pater rerum, cui terra & pontus & aër,
Tartaraq;, & picti seruit plaga lactea cœli,
Noxia quē scelerum plebes tremit, almaq; rursum

Concelebrat uotis animarum turba piarum:
Tu breuis hunc æui curſum, celeremq́; caducæ
Finem animæ donas æternæ munera uitæ.
Tu mites legum monitus, ſacroſq́; prophetas
Humano impertis generi, ſeruaſq́; nepotes
Deceptum miſeratus Adam, quem capta uenenis
Implicuit ſocium blandis erroribus Heua.
Tu uerbum pater alme tuum, natumq́;, Deumq́;
Concedis terris totum, ſimilemq́; paremq́;
Ex uero uerum, uiuáq́; ab origine uiuum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum
Vt ſuper æquoreas nabat qui ſpiritus undas,
Pigra immortali uegetaret membra lauacro A
Trina fides, auctore uno, ſpes certa ſalutis,
Hunc numerum iunctis uirtutibus amplectendi
Talem terrenis ſpeciem ſpectatur in oris
Auguſtus genitor geminûm ſator Auguſtorum.
Qui fratrem natumq́; pio complexus utrumq́;
Numine partitur, regnum neq́; diuidit unum
Omnia ſolus habens, atq́; omnia dilargitus.
Hos igitur nobis trina pietate uigentes
Rectores terræ placidos, cœliq́; miniſtros
Chriſte apud æternum placabilis aſſere patrem.

DAMASI EPISCOPI
ROMANI ELOGIA.

De Paulo apoſtolo.


Iamdudum Saulus procerũ præcepta ſecutus,
Cum Domino patrias uellet præponere leges,
Abnueret ſanctos Chriſtum laudaſſe prophetas,
Cædibus aßiduis cuperet diſcerpere plebem,
Cùm lacerat ſanctæ matris pia fœdera cæcus,
Poſt tenebras uerum meruit cognoſcere lumen,
Tentatus ſenſit, poßit quid gloria Chriſti.
Auribus ut Domini uocem lucemq́; recepit,
Compoſuit mores, Chriſti præcepta ſecutus.
Mutatus poſtquàm placuit de nomine Paulus.
Mira fides rerum, ſubitò trans æthera uectus,
Noſcere promeruit, poßint quid præmia uitæ.
Conſcendit carus martyr penetralia Chriſti,
Tertia lux cœli tenuit paradiſus euntem,
Colloquijs Domini fruitur, ſecreta reſeruat:
Gentibus & populis, iuſſus prædicere uera,
Profundum penetrare maris, noctemq́; diemq́;
Viſere, cui magnum ſatis eſt uixiſſe, latentem.
Verbera, uincla, famem, lapides, rabiemq́; ferarũ,
Carceris illuuiem, uirgas, tormenta, cathenas,
Naufragium, lacrimas, ſerpentis dira uenena,
Stigmata non timuit portare in corpore Chriſti.
Credentes docuit, poſſent quò uincere mortem.
Dignus amore Dei uiuit per ſecla magiſter.
Verſibus his breuiter fateor ſanctißime doctor
Paule, tuos Damaſus uolui monſtrare triumphos.

De Agnete martyre.

Fama refert ſanctos dudum genuiſſe parentes
Augmentum lugubris cantus, tuba cùm crepuiſſet,
Nutricis gremium ſubitò liquiſſe puellam,
Sponte truces calcaſſe minas, rabiemq́; tyranni,
Vrere cum flammis uoluiſſet nobile corpus.
Viribus immenſum paruis ſuperare timorem,
Nudam perfuſos crines & membra dediſſe,
Ne domini templum facies peritura uideret. B
O' Agnes uerum decus, alma pudoris imago,
Vt Damaſi precibus faueas precor inclyta uirgo.

De eadem.

Conſtantina Deum uenerans, Chriſtoq́; dicata,
Omnibus impenſis deuota mente paratis,
Numine diuino multum Chriſtoq́; iuuante,
Sacrauit templum uictricis uirginis Agnes.
Templorum quod uincit opus, terrenáq́; cuncta,
Aurea nam rutilant ſummi faſtigia tecti:
Nomen enim Chriſti celebratur ſedibus iſtis,
Tartaream ſolus potuit qui uincere mortem,
Inuictum ſolus cœlis inferre triumphum.
Dignum Agnes munus martyr, deuotaq́; Chriſto,
Ex opibus noſtris per ſecula longa tenebis.
O felix uirgo, memorandi nominis Agnes.

De Andrea apoſtolo.

Decus ſacrati nominis,
Vitamq́; nomine exprimens,
Hoc te decorum prædicat,
Crucis beatæ gloria.
Andrea Chriſti apoſtole,

Hoc ipſo

A Hoc ipso iam uocabulo
Signaris isto nomine,
Decorus idem mysticè.
Quem crux ad alta prouehit,
Crux quem beata diligit,
Cui crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.
In te crucis mysterium
Cluit gemello stigmate,
Dum probra uincis per crucem,
Crucisq; pandis sanguinem.
Iam nos foueto languidos,
Curamq; nostri suscipe,
Quo per crucis uictoriam
Cœli petamus patriam.

De Agatha martyre.

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,
Christus eam sibi qua sociat.
Et diadema duplex decorat.
Stirpe decens, elegans specie,
Sed magis actibus atq; fide,
Terrea prospera nil reputans,
B Iussa Dei sibi corde ligans.
Fortior hæc trucibusq; uiris
Exposuit sua membra flagris,
Pectore quàm fuerit ualido,
Torta mamilla docet patulo.
Deliciæ cui carcer erat
Pastor ouem Petrus hanc recreat,
Lætior inde magisq; flagrans,
Cuncta flagella cucurrit ouans.
Ethnica turba rogum fugiens,
Huius & ipsa meretur opem,
Quos fidei titulus decorat,
His Venerem magis ipsa premat.
Iam renidens quasi sponsa polo,
Pro misero rogita Damaso:
Sic sua festa coli faciat,
Se celebrantibus ut faueat.

De Felice.

Corpore, mente, animo pariter te nomine Felix
Sanctorum in numero Christi sacrate triumphis,
Qui ad te sollicitè uenientibus omnia præstas,
Nec quenquam pateris tristem repedare uiantem.
Te duce seruatus, mortis quòd uincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi uota rependo.

De nomine Iesu.

I n rebus tantis trina coniunctio mund I
E rigit humanum sensum, laudare uenust E
S ola salus nobis, & mundi summa potesta S
V enit peccati nodum dissoluere fruct V
S umma salus cunctis nituit per secula terri S.

De eodem.

I ure pari regnat, communis conditor æu I
E t cum patre pia regnat sublimis in arc E
S idereo sanctis insidit numine regni S
V nde mare & terras solo uidet omnia nut V
S uggerit humanis & donat munera rebu S.

De Christo.

Christe potens rerum, redeuntis conditor æui
Vox summi sensusq; Dei, quem fundit ab alta
Mente pater, tantiq; dedit consortia regni.
Impia tu nostræ domuisti crimina uitæ,
Passus corporea mundum uestire figura,
Affariq; palam populos, hominemq; fateri
Quem uerbo inclusum Mariæ, mox numine uiso
Virginei tumuere sinus, innuptaq; mater
Arcano obstupuit compleri uiscera partu,
Auctorem paritura suum: mortalia corda
Artificem texere poli: mundiq; repertor
Pars fuit humani generis, latuitq; sub imo
Pectore, qui totum latè complectitur orbem:
Et qui non spacijs terræ, non æquoris undis,
Nec capitur cœlo, paruos confluxit in artus.
Quin & supplicij nomen nexusq; subisti,
Vt nos surriperes letho, mortemq; fugares.
Morte tua: mox æthereas euectus in auras,
Purgata reparans lætum te luce, parentem
Augustum foueas: festis ut sæpe diebus
Annua sinceri celebret ieiunia sacri.

De ascensione Christi.

Ad sedem propriam Deus exule morte resurgit,
Vt uitam doceat credentibus esse futuram.
Angelus hoc uerbũ cecinit, quod uterq; reportans
Sic uenturus erit, sic Christum credere fas est.

De cognomentis Saluatoris.

Spes, uia, uita, salus, ratio, sapientia, lumen, Hieronymus Vida. Hymno
Iudex, porta, gigas, rex, gēma, propheta, sacerdos. Dej Filio. de his latissimè.
Meßias, Zebaoth, Rabbi, sponsus, mediator,
Virga, columna, manus, petra, filius, Emmanuelq;.
Vinea, pastor, ouis, pax, radix, uitis, oliua,
Fons, paries, agnus, uitulus, leo, propiciator, (sus.
Verbũ, homo, rete, lapis, domus, omnia Christus Ie

CLAVDIANI MAMERTI PRESBYTERI VIENNENSIS CONTRA POETAS UANOS AD COLLEGAM.


Am mihi polliceor sacris tua carmina libris (Christi,
Condere, teq; Dei flammatum nomine
Ora soluturũ summo facũda parenti:
Incipe diuinis tantum dare pectora rebus,
Subrectosq; Deo sensus attollere terra:
Mox oculis cœlo noua lux orictur aperto,
Intrabitq; sacer tacito per operta meatu
Spiritus, & læto quatiet tua uiscera statu.
Eia age tende chelym, & fœcundũ cõcute pectus,
Magna mouens habeat solitis impensa facultas
Carminibus, maior rerum tibi nascitur ordo.
Non modò iudicium Paridis, nec bella Gigantum
Falsa canis: fuerit puerili ludus in æuo
Iste tuus, quondam decuerunt ludicra paruum:
Nunc animis grauior, quantum prouectior annis
Aspernare uelis maturo corde camœnas,
Et qualem castis iam congrua moribus ætas,
Atq; tui specimen uenerabile postulat oris,
Suscipe materiam, & diuinos concipe sensus.
Si decus è falsis aliquod nomenq; tulisti,
De uacuis magnum rebus, cùm ficta uetustis
Carminibus caneres, uel cùm terrena referres
Gesta triumphantum laudans insignia regum:
Non equidem ex illis tu laudem sumere dignus,
Quos magis ornabas opulenti munere uerbi:
Quantò maior ab his cedet tibi gloria cœptis,
In quibus & linguã exercens, mentẽ quoq; sanctã,
Erudiens, laudemq; simul uitamq; capesses:
Dumq; legis catus, & scribis miracula summi
Vera Dei, propior disces & carior ipsi
Esse Deo: quem dum credens miraris, amare
Incipies, & amando rectè illabere Christo.
Hactenus illa tuæ uanæ tuba uocis in usus
Personuit uanos, modò celsior intonat actus,
Nosse magis causas rerum, & primordia mundi.
Ne uagus innumeros, Epicuri somnia, mundos,
Quos atomis demens per inane parentibus edit,
Irritus in uacuum spaciato pectore quæras:
Legifer antiquo uenerandus nomine Moses,
Compositum prima repetens ab origine mundum,
Instituente Deo, curas tibi soluet inanes:
Formatumq; hominem limo, & spiramine sacro
Afflatum referens, cuius sis munere cunctis
Celsior in terra spirantibus, ipse docebit:
Neu te ceu lapides Pyrrhæ, argillãmue Promethei
Contemnas, quem summa manus uultuq; animoq;
Sublimem, & propria dignatus imagine finxit.
Cognosces ibidem, ne pergas tradere fatis
Arbitrium nostri, quæ nos sententia letho
Vinxerit, & cuius uitam sub lege trahamus.
Si mentem cœlo iacis altius, & super astra
Scire cupis quid sit, uel quid fuerit prius æuo,
Et mundo & seclis docet ulteriora Iohannes.
" Principio uerbum, inquit, erat, Deus obside uerbo
" Gaudebat, uerbumq; Dei simul, & Deus idem
" Verbũ erat, hoc uerbũ est sine quo nihil, omnia per
" Omnia et æterno natura omnis famulatur (quod,
" Strata Deo, geniti numen genitoris adorant:
" Cunctaq; per genitos in maiestate paterna
" Regnantem dominũ iam lingua fatetur IESVM:
Nomine quo fundata salus stat nostra, fidesq;
Nititur, æternæ tendens in secula uitæ.
Huius diuino mortales munere fulti,
Assequimur fragilem castis euincere factis
Naturam, & rigidæ disrumpere uincula mortis,
Et non corporeis in corpore legibus uti,
Sectantes diuina Dei uestigia Christi,
Mente animã, corpusq; sacris moderãte sub armis:
Mens quoniam subiecta Deo, capit arma salutis,
Inq; animam carnemq; suam regnum obtinet, et fit
Iure potens homo quisq; sui, qui deditus uni
Aeternum Domino, proprios regnator in artus
Efficitur, uitijs inuictus, & osor iniqui,
Fortior aduersis uirtutibus, ordine iusto:
Verus homo quia mente potens, in qua rationis
Lumen habet, famulos nullo certamine sensus
Temperat, & placidis sua pectora flectit habenis.
Tu cui mens generosa superni seminis ignis,
Ardet in æthereos animo conscendere gressus,
In gremio Domini caput insere: mox inhianti
Proflua lacte sacro largus dabit ubera Christus,
Diuinoq; tuam perfundet lumine mentem,
Vt uideas pulsa caligine, magna tremendi
Iura Dei, quibus omniparens sapientia Christus,
In sese ipse manens, semper nouat omnia rerum,

Atq;

A Atque ut uult, operum Deus arbiter ipſe ſuorum,
Continet et mutat ſpecies & tempora uitæ,
Porrigit aut retrahit cœlum, mare, ſidera, uentos,
Qua fecit uirtute, regens: docet exitus ingens
Aegypti, merſusq́; mari refluente tyrannus:
Et prius ipſe graues elementa per omnia motus
Expertus, quē cuncta tremūt, cui cuncta miniſtrāt.
Tempore nanque uno tellus communis habebat
Iudæos, quæ ſola Deo tunc lecta fuit gens:
Et tamen illa Dei grauis hoſtibus ira ſuperbis
Permixtos inter populos diſcreta cucurrit.
Iam ſcio non dices quod ſors incerta procellas,
Et mare caſus agat, mare cùm diſcedere iuſſum,
Diſceßiſſe legas, ſiccamq́; rigentibus undis
Inter aquas patuiſſe uiam, rurſusq́; ſolutum
Aequor ad imperium ſancti uirgamq́; prophetæ,
In liquidos remeaſſe ſinus, in utroq; maris uis
Paruit, ut ſanctis iter & uindicta daretur.
Quid profugus Tharſum uates, quē ſorte pericli
In mare deiectum ſpacioſo bellua rictu
Cepit, & innocuum uaſta ructauit ab aluo?
Non'ne docet ditione Dei mare & aſtra moueri?
Namque Deum fruſtra fugiens, quē cuncta tenentē
B Nemo fugit, mouit cœli ſimul & maris iras.
Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoſcens, timuit per ſe quaſi conſcia tutum
Ferre reum, & uentis fugitiuum uinxit & undis.
Iſte propheta Deo lectus, terrere minaci
Peccantes monitu populos, poſtquàm graue dixit
Exitium, fregitq́; reos, auertit et iras
Numinis, impenſo lauit ſua crimina fletu,
Extremumq́; diem fugit benè uerſa Niniue.
Non rex ille habuit fatum, qui morte propinqua
Orauit Dominum, quem leges nouerat unum
Flectere poſſe ſuas, conſumptum intenderet æuum
Longius, & meruit tria ducere luſtra ſuperſtes
Annis ipſe ſuis, & non ſua uiuere ſecla.
Nunc tria miremur texentem fata Platonem,
Aut Arati numeros, & picta Manethonis aſtra.
Dicant quæſo ubi tunc rapidas naſcentibus horas
Ponebant, & quæ quibus ibant ſidera ſignis,
Cùm pius Ezechias fidei uirtute precatus,
Verteret aſtrorum curſus, cœliq́; meatus
Turbaret iußi retroacto lumine ſolis?
Vel ducis imperio ſancti, cùm ſiſteret idem
Dilata ſolem nocte, ut uictoria ſacri
Profligaretur populi, ſtetit orbe recurſo
Librans, ut magnos carperet lux aucta triumphos.
Quid ſoboles uirtusq́; Dei & ſapientia, Chriſtus?
Nónne ſatis uanis curas erroribus aufert,
Nóſque ſimul monitis & factis edocet, unum
Cuncta Deum regere, & nil ut ſine mente putemus
Principis eſſe Dei, dicens non arbore frondem,
Aëre non uolucrem ſine iuſſu decidere? et cùm
Omnipotens uerbo ſternit mare, uel pede calcat,
Et uerbo mortes abigit, uel dæmonas urget,
Aut reduces animas in corpora ſancta remittit,
Iamq́; diu exanimes tumulis iubet ire recluſis,
Integratq́; putres uita remeante ſepultos:
Nónne poteſtatem propriam ſatis indicat auctor,
Qui ſolus naturam omnem uitamq́; gubernat?
His precor, his potius ſtudiumq́; operamq́; legēdis
Scribendisq́; uoue: cane grandia cœpta Tonantis,
Scribe creatarum uerbo primordia rerum,
Et chaos ante diem primæq́; crepuſcula lucis,
Quæq́; dehinc uarijs elementa per omnia ſeclis
Dicta uel acta Deo, per ſancta uolumina diſces,
Quæ docuit tabulis legalibus indita Moſes,
Aut Euangelici quæ lex noua teſtamenti
Signat, operta prius retegens myſteria, Chriſtum:
Tunc te diuinum uerè memorabo poetam,
Et quaſi dulcis aquæ potum tua carmina ducam:
Cùm mihi nectareos ſummis à fontibus hauſtus
Præbebunt, dominum rerum retinentia Chriſtum,
Atque tuam pollere Deo teſtantia mentem,
Vt ſimul oris opes à te mentisq́; capeſſam:
Et quem cognato iunctum mihi fœdere lætor,
Gratuler hunc ſancta ſub religione propinquum:
*Nec cum mortali ſoluendis corpore uinclis
Perpetuo ſanctum complectar pignore. *


COLVMBANVS HIBERNVS HVNALDO DISCIPVLO. A

Epiſtola, in qua deteſtatur auariciam.

Vſcipe Hunalde libẽs, et perlege men/te ſer ena
Dicta Colũbani, fida te uoce monentis.
Quæ licet ornatu careant ſermonis honeſti,
Vota tamen mentisq; piæ teſtantur amorem.
Viue, Deo fidens, Chriſti præcepta ſequendo,
Dum modò uita manet, dum tempora certa ſalutis.
Tempus & hora uolat, momentis labitur ætas.
Deſpice, quæ pereunt, fugitiuæ gaudia uitæ.
Non fragiles ſecteris opes, & inania lucra,
Nec te ſollicitet circumflua copia rerum.
Sint tibi diuitiæ diuinæ dogmata legis,
Sanctorumq; patrum caſtæ moderamina uitæ,
Omnia quæ dociles ſcripſerunt antè magiſtri,
Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina uates:
Has cape diuitias, ſemper contemne caducas,
In mentemq; tibi ueniat tremebunda ſenectus,
Quam gelidæ tandem ſequitur uiolentia mortis.
Vltima iam ſapiens meditatur tempora uitæ,
Torpentes ſenio uires, morboſq; frequentes,
Incertumq; diem lethi, certoſq; dolores.
Multa ſenẽ fragilis uexant incommoda carnis,
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra,
Tunc genuum iunctura riget, uenæq; per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis.
Sic baculo nitens, artus ſuſtentat inertes.
Quid triſtis memorẽ gemitus, quid tædia mentis?
Somnus abeſt oculis, illum ſonus excitet omnis.
Quid tunc argenti, fului quid proderit auri
Improba congeries, multos collecta per annos?
Munera quid procerũ? ditis quid prandia menſæ?
Quid meminiſſe iuuat tranſactæ gaudia uitæ?
Venerit extremi tandem cùm terminus æui.
Hæc dum uita uolat, uigili qui mente retractat,
Spernit auariciam, uanoſq; refutat honores.
Quid modò terrenis mentes intendere curis,
Mortales cupiunt? quid turpia lucra ſequuntur?
Sẽper auarus eget, nec habet, quod habere uidetur.
Ille domi ſolus nummos abſcondit in arca,
Diuitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſeruat cui cuncta fidelis.
O nimium fœlix, parcus cui ſufficit uſus,
Corporis ut curam moderamine temperet æquo.
Non miſera capitur cæcaq; cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quàm quæ natura repoſcit,
Non lucri cupidus nummis marſupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula ueſtes,
Paſcere non pingui procurat fruge caballus,
Nec trepido tales doluit ſub pectore curas,
Ne ſubitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Viuitur argento ſine, iam ſine uiuitur auro,
Nudi naſcuntur, nudos quos terra receptat,
Diuitibus nigri reſerantur limina ditis, B
Pauperibusq; pijs cœleſtia regna pateſcunt.
Temnere diuitias monuit ſaluator auaros,
Quisquis amat Chriſtũ, ſequitur ueſtigia Chriſti,
Nam breuis & fragilis moriture gloria carnis
Quidquid habet, rapidi uelox fuga tẽporis aufert.
Pulchrè ueridici cecinit uox talia uatis,
Tempora dinumerans æui uitæq; caducæ.
Omnia tempus agit, cũ tempore cuncta trahuntur,
Alternant alimenta uices et tempora mutant.
Accipiunt alimenta dies noctesq; uiciſſim.
Tempora ſunt florum, retinet ſua tempora meſſis,
Sic iterum ſpiſſo ueſtitur gramine campus.
Tempora gaudendi, ſunt tempora certa dolendi,
Tempora ſunt uitæ, ſunt triſtia tempora mortis,
Omnia dat, tollit, minuitq; uolatile tempus.
Ver, æſtas, autumnus, hiems, redit annus in annum,
Omnia cùm redeant, homini ſua non redit ætas,
Hanc ſapiens omni ſemper reminiſcitur hora,
Atq; domum luctus epulis præponit opimis.

AVCTO-

A # AVCTORIS INCERTI
DE BEBIANI BAPTISMO,
& uxoris Apræ obitu.


Vir beatus, cui remiſſa iniquitas,
Nec imputata eſt pigra credēdi mora,
Operumq; caſſa contulit uitam fides:
En iſte celſi quem ſub auro culminis
Pictura ueris exprimit miraculis,
Clarus ſuperbo ueriorum nomine
Et conſulari Bebianus ſanguine,
Ipſe eſt potentis larga Chriſti gratia:
Prius iſte captus uinculis mortalibus,
Opes & inter ſeculi, pauper Deo,
Vitam ut peractis blandientem copijs
Mortalitatis immemor cucurrerat,
Vt ſe ſubacto fine mortalem uidet,
Feſſo benignum quærit aſpectu Deum,
Statimq; Chriſtum illuminatus inuenit:
Veniam precatur, & ſacerdotum pedes
Supplex adorat, ipſe culpator ſui,
Negansq; dignum, gratia dignum facit,
Vouetq; uitam ſi ſuperſit, integram,
Et obire gaudet, ſi renatus oppetat.
Credidit oranti, & ſitientem flumina uitæ,
B Præcinctus puro perfudit epiſcopus amne:
Quo peragente pios ſolito mox ordine ritus,
Et diuale ſacrum libans, & chriſmate fragrans,
Attonitum mira ſe maieſtate fatetur.
Sed quis odòr, quærit, quem ſentiat in ſua labi
Pectora, prædulci medicantem nectare fibras?
Sedula tunc coniux omen de nomine Chriſti
Vnguentum ſpirare docet, ſpondetq; ſacerdos
Et monet, ut longi ſpatium ſibi poſtulet æui.
Ille Dei iam totus, ad hæc, ſatis hoc mihi donum
Quo potior: nūc mors lucrū mihi, uitaq; Chriſtus:
Ecce per æternum terris data gratia Chriſtum.
Hic eſt ille latro felix, qui fine ſub ipſo
Confeſſus Chriſtum, meruit reus aſtra fidelis:
Hic donatus abit ſolida mercede diei,
Serus ab undecima iam mercenarius hora.
Ergo ut ſanctifica nituit renouatus ab unda,
Ipſe graues artus in mollia fulcra refuſus,
Vnanimam alloquitur recreato corde iugalem:
Aetatis ſpacium luſtra nouem mihi,
Annum uita ſuper ducere cœperat,
Felix unanimo coniugio mihi
Dulcis pignoribus clara & honoribus,
Et nunc mortificis eluta ſordibus,
Sancto fine pium tranſmeat in Deum,
Hæc ad uerba pijs ſedula fletibus,
Coniux, oret adhuc, uiuere ſupplicat,
Tunc ille, O mulier neſcia quid petas,
Iam ſcis an ualeam uiuere tam piè,
Vt tanti maneam muneris integer?
Et quid uita iuuat, qua moritur ſalus?
Hæc ut fortis ait, toruum oculis micans,
Et cœlum ſtupidè ſuſpiciens ait:
Flammantem uideo luminis ambitum,
In quem nulla uenit fœmina circulum,
O' felix cui adhuc corporeo datum
Aeterni ſpeciem cernere ſeculi,
In quo connubij nulla neceßitas,
Sexus perpetuis corporibus perit.
Rurſus ut hæc dixit, ſubita quaſi morte ſolutus,
Exanguem porrecta trahit per membra rigorem.
At trepida & uiſis exterrita talibus uxor,
Soluitur in ſpeciem lethi, iam muta trementes
Tendit in ora manus, membriſq; intenta, lacertis
Pendet in exanimum pallentior ipſa maritum.
Ipſa fidem mortis ſuadet mora: nanq; bis acto
Orbe, duplex reuoluta dies, bis ueſpera clauſa eſt,
Mortales oculos dum fallit mortis imago.
Ille autem angelicis manibus per nubila raptus,
Liquerat hoſpitium repetendi corporis, & tunc
Aetherij ſecreta poli, ſedesq; beatas
Expectat monſtrante Deo, dignataq; Chriſto
Mens pia, dum fletur terris, gaudebat in aſtris,
Hoc unum tantum mœrens quòd adhuc remearet.
Ex curſu medio redit, ut conſpecta referret,
Firmaretq; fidem dubitantum uiuere functos.
Vtq; redux membris admotæ coniugis ora
Vidit, pollicitus quiddam mirabile ſeſe
Dicturum, in lucem ſua diſtulit orſa ſequentem.
Ergo dies primos ubi craſtina fulſit in ortus,
Mâne nouo ſacris (aderat nam fortè ſacerdos)
Fungitur, utq; pio geßit ſolennia cultu,
Suſpiciens cœlum, ille manus diſpandit, & in ſe
Brachia conſtringens quaſi quædam munera cœlo
Miſſa auido premit amplexu, meáne oĩa ſunt hæc?
Percunctans. cuncti dictis ſtupuere, rogantq;,

Quidnam conspiciat clausum? mortalibus ille,
πάντα καλῶς inquit, patriarchā sæpius Isaac
Cōmēorās, Græce, θεῖον γλυκὺ θεῖον ἄγαθαι,
Horrescens ueneransq; refert, utq; angelus illum
Sustulerit per inane uehens, ut millia multa
Viderit angelicis mixta magnisq; cateruis,
Regnantemq; Deū super omnia cū patre Christū:
Narrat & æternam portis gemmantibus urbem,
Narrat & ætherij cœleste nemus paradisi.
Inter & hæc dextrā secreta in pectora misit (lud
Coniugis, hoc dicens, Vnū sumus ambo et idem il/
Ingeminans, sancto placidam sic ordine complens
Finem, euangelico uitam in sermone refudit.
Et nunc ille Deo fruitur, curamq; beatæ
Coniugis æterno uinctus amore tenet.
Attamen unius rapuit solatia nati,
Impatiens tota prole carere pater.
Sed postquam iusto tua tempora clauseris æuo
Edoctis genitrix inclita pignoribus:
Tunc puer ille tuus florentem luce coronam
Præditus occurret cum genitore tibi:
Quo comite adueniens tibi lætus ab æthere cōiux,
Dextram cum blandis porriget alloquijs:
Tempus adest, curis iam soluere, soluere membris
Vixisti natis, nunc redhibere mihi.
Iam non coniugium nobis mortale, ut in ægris
Ante dedit breuitas inuida corporibus:
Quod nobis tenui fructu rapida abstulit ætas,
Orbibus accumulans uix duo lustra tribus.
Nam tua uiginti lustro cumulauerat annos,
Præcessit cursus cum mea uita tuos.
At mihi bis decies maior te fluxerat ætas,
Sed tamen æquæuas fecerat unus amor.
Nunc meliore iugo stabiles, et in ore piorum,
Aurea uiuemus secula rege Deo.
Surge uirum natumq; sequens: patet ecce sereni
Porta poli, meritis angelus ante uolans,
Ipse pia de nube manum Deus exeret, & te
In cœlum dextra sollicitante uocat.
Felix Apra cui licuit terraq; poloq;,
Coniugis unicubæ iuge tenere bonum:
Quo terris tibi clarus honor sub nomine eodem
In cœlis etiam gloria perpes erit.

HYMNI ECCLESIASTICI VARII.

DIE DOMINICA.

D. Gregorij.


Primo dierum omnium
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor,
Nos morte uita liberat.
Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus pium,
Sicut prophetam nouimus.
Nostras preces ut audiat,
Suamq; dextram porrigat,
Vt expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Nos quiq; sacratissimo
Huius diei tempore,
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.
Iam nunc paterna claritas
Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans,
Et omnis actus noxius.
Ne fœda sit uel lubrica
Compago nostri corporis,
Propter quod Auerni ignibus
Ipsi crememur acrius.
Ob hoc Redemptor quæsumus
Vt probra nostra diluas,
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.
Præsta pater pijssime,
Patriq; compar unice,
Cum spiritu paraclito,
Regnans per omne seculum.

IN DILVCVLO.

D. Ambrosij.

Aeterne rerum conditor
Noctem diemq; qui regis,
Et temporum das tempora
Vt alleues fastidium.

Præco

A Præco diei iam ſonat
Noctis profundæ peruigil,
Nocturna lux uiantibus,
A' nocte noctem ſegregans.
Hoc excitatus lucifer
Soluit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deſerit.
Hoc nauta uires colligit,
Pontíq; miteſcunt freta,
Hoc ipſa petra Eccleſiæ
Canendo culpam diluit.
Surgamus ergo ſtrenuè,
Gallus iacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente ſpes redit,
Aegris ſalus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapſis fides reuertitur.
Ieſu labantes reſpice,
Et nos uidendo corrige:
Si reſpicis lapſi cadunt,
B Fletuq; culpa ſoluitur.
Tu lux refulge ſenſibus,
Mentiſq; ſomnum diſcute,
Te noſtra uox primum ſonet,
Et ore pſallamus tibi.

TEMPORE MATVTINO.
D.Ambroſij.

Somno reflectis artubus
Spreto cubili ſurgimus,
Nobis pater canentibus
Adeſſe te depoſcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum ſequentium
Te, ſancte ſis exordium.
Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno ſideri,
Vt culpa quam nox intulit
Lucis labaſcat munere.
Precamur idem ſupplices
Noxas ut omnes amputes,
Et ore te canentium
Lauderis omne ſeculum.

ALIVS.

Splendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis
Diem dies illuminans.
Veruſq; ſol illabere
Micans nitore perpeti,
Iubarq; ſancti ſpiritus
Infunde noſtris ſenſibus.
Votis uocemus te patrem,
Patrem perennis gloriæ
Patrem potentis gratiæ,
Culpam ut releget lubricam.
Informet actus ſtrennuos,
Dentem retundet inuidi,
Caſus ſecundet aſperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet & regat
Caſto, fideli corpore
Fides calore ferueat,
Fraudis uenena neſciat.
Chriſtuſq; ſit nobis cibus,
Potuſq; noſter ſit fides,
Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus.
Lætus dies hic tranſeat,
Pudor ſit ut diluculum:
Fides uelut meridies,
Crepuſculum mens neſciat.
Amore curſus prouehat,
Aurora totus prodeat,
In patre totus filius
Et totus in uerbo pater.

ALIVS.

Conſors paterni luminis,
Lux ipſe lucis & dies,
Noctem canendo rumpimus,
Aſſiſte poſtulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga cateruas dæmonum:
Expelle ſomnolentiam
Ne pigritantes obruat.
Sic Chriſte nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Vt proſit exorantibus,
Quod præcinentes pſallimus.

E ALIVS.

ALIVS.

Tu trinitatis unitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quæ excubantes psallimus.
Iam lectulo consurgimus,
Noctis quieto tempore,
Vt flagitemus uulnerum
A te medelas omnium.
Quò fraude quidquid dæmonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud cœlitus
Tuæ potestas gloriæ.
Nec corpus adsit sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.
Ob hoc Redemptor quæsumus,
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

ALIVS.

Aeterna cœli gloria,
Beata spes mortalium,
Celsi tonantis unice
Castæq; proles uirginis.
Da dexteram surgentibus,
Exurgat & mens sobria,
Flagrans & in laudem Dei
Grates rependat debitas.
Ortus refulget lucifer,
Sparsamq; lucem nunciat,
Cadit caligo noctium
Lux sancta nos illuminet.
Manensq; nostris sensibus
Noctem repellat seculi,
Omniq; fine temporum
Purgata seruet pectora.
Quæsita iam primùm fides
Radicet imis sensibus,
Secunda spes congaudeat,
Qua maior extat charitas.

TEMPORE VESPERTINO.

D. Ambrosij.

Rerum creator optime
Rectorq; noster aspice,
Nos à quiete noxia
Mersos sopore libera.
Te sancte Christe poscimus, A
Ignosce nostro crimini,
Ad confitendum surgimus
Morasq; noctis rumpimus.
Mentes manusq; tollimus,
Propheta sicut nouimus
Nobis gerendum præcipit,
Paulusq; gestis censuit.
Vides malum quod gessimus
Occulta nostra pandimus,
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccauimus.

ALIVS.

Nox atra rerum contegit
Terræ colores omnium,
Nos confitentes poscimus
Te iuste iudex cordium.
Vtq; auferas piacula,
Sordesq; mentis abluas,
Donesq; Christe gratiam,
Vt arceantur crimina.
Mens ecce torpet impia,
Quam culpa mordet noxia, B
Obscura gestit tollere
Et te Redemptor quærere.
Repelle tu caliginem
Intrinsecus quàm maxime,
Vt in beato gaudeat
Se collocari lumine.

ALIVS.

Summæ Deus clementiæ,
Mundiq; factor machinæ,
Vnus potentialiter,
Trinusq; personaliter.
Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Quò corde puro sordibus
Te perfruamur largius.
Lumbos iecurq; morbidum
Adure igne congruo,
Accinctus ut sim perpetim
Luxu remoto pessimo.
Vt quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,

A Donis beatis patriæ
Ditemur omnes affatim.

ALIVS.

D. Gregorij.

Nocte surgentes uigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur, atq;
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.

Vt pio regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul & beatam
Ducere uitam.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac nati, pariterq; sancti
Spiritus, cuius reboat per omnem
Gloria mundum.

ALIVS.

Eiusdem.

Ecce iam noctis tenuatur umbra,
Lux et auroræ rutilans coruscat,
Viribus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.

B Vt Deus nostri miseratus omnem
Pellat angorem, tribuat salutem,
Donec & nobis pietate patris
Regna polorum.

TEMPORE TOTIUS DIEI.

O' lux beata trinitas,
Et principalis unitas,
Iam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.

Te mâne laudum carmine,
Te deprecemur uesperi,
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet secula.

D. AMBROSII HYMNI V.

Ad primam.

Iam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Vt in diurnis actibus
Nos seruet à nocentibus.

Linguam refrenans temperet,
Ne litis horror insonet,
Visum fouendo contegat,
Ne uanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat & uecordia,
Carnis terat superbiam,
Potus cibiq; parcitas.

Vt cùm dies abscesserit,
Noctemq; sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Ad tertiam.

Nunc sancte nobis spiritus
Vnum patri cum filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, uigor
Confeßionem personet,
Flammescat igne caritas,
Accendat ardor proximus.

Ad sextam.

Rector potens, uerax Deus,
Qui temperas rerum uices,
Splendore qui manè instruis
Quiq; ignibus meridiem.

Extingue flammas litium
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum
Veramq; pacem cordium.

Ad nonam.

Rerum Deus tenax uigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Succeßibus determinans.

Largire clarum uespere,
Quo uita nusquam decidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.

Ad completorium.

Te lucis ante terminum
Rerum creator poscimus,
Vt pro tua clementia
Sis præsul ac custodia.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemq; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

PRECATIONES D. Ambrosij.

Pro pluuia.

Squallent arua soli puluere multo,
Pallet siccus ager, terra fatiscit:
Nullus ruris honos, nulla uenustas,
Quando nulla uiret gratia florum,
Tellus dura sitit, nescia roris,
Et fons nescit aquas flumina cursus.
*
Iam cœlos reseres, aruaq; laxes
Fœcundo placidus himbre rogamus.
Abrami meritis impia secla
Donasti pluuia, nos quoq; dones.

Pro serenitate.

Obduxere polum nubila cœli,
Absconduntq; diem sole fugato.
*
Iesu parce tua morte redemptis,
Prior diluuium pertulit ætas,
Vt mundaret aqua crimina terræ:
Sed mundata tuo sanguine terra est.
Iam nunc missa ferens ore columba
Ramum, paciferæ munus oliuæ,
Exutas liquido fulmine terras
Læto significat lapsa uolatu.

CANTICVM MOSIS.

Auctoris incerti.

Cantemus Domino, Deoq; nostro,
Cui sit gloria, cui honorq; pollens.
Sese magnificis decôrat actis,
Dum currus celeres Aegyptiorum
Rubri marmoris enecat fluentis.
Adiutor ualidus meæ iuuentæ,
Custos, & genitor, salusq; uera.
Ipsum conspicua sacrabo laude,
Ipsum uocibus arduis fatebor.
Dignus nomine, quod Deus uocatur
Plebem de medio tulit profundo,
Hic est hic Dominus potens, & ultor,
Hic est progenitor mei parentis
Qui bellum tulit, obruitq; fortes.
*

DE ADVENTV CHRISTI.

D. Ambrosij.

Veni redemptor gentium,
Ostende partum uirginis:
Miretur omne seculum,
Talis decet partus Deum.
Non ex uirili semine,
Sed mystico spiramine,
Verbum Dei factum est caro,
Fructusq; uentris floruit.
Aluus tumescit uirginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla uirtutum micant,
Versatur in templo Deus.
Procedens de thalamo suo
Pudoris aula regia,
Geminæ gigas substantiæ,
Alacris ut currat uiam.
Egressus eius à patre
Regressus eius ad patrem,
Excursus usq; ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Aequalis æterno patri,
Carnis trophæo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præsepe iam fulget tuum,
Lumenq; nox spirat nouum,
Quod nulla nox interpolet,
Fideq; iugi luceat.

DE NATIVITATE CHRISTI.

Auctoris incerti.

Nuncium uobis fero de supernis,
Natus est Christus, dominator orbis
In Bethlem Iudæ, ueluti propheta
Dixerat antè.
Hunc canit lætus chorus angelorum,
Stella declarat, ueniunt Eoi
Principes, dignum celebrare cultum
Mystica dona.
Thus Deo, myrrham trocleten humando,
Bracteas regi chryseas tulere,
Dum colũt unũ, meminere trino
Tres dare terna.

DE EPIPHANIA D.

Hilarij

Iesus refulsit omnium
Pius redemptor gentium,
Totum genus fidelium
Laudes celebret dramatum.

Quem

A Quem stella natum fulgida
Monstrat micans per æthera,
Magosq; duxit præuia
Ipsius ad cunabula.
Illi cadentes paruulum
Pannis adorant obsitum,
Verum fatentur & deum,
Munus ferendo mysticum.
Denis ter annorum cyclis
Iam parte uiuens temporis,
Lympham petit baptismatis
Cunctis carens contagijs.
Felix Ioannes mergere
Illum tremiscit flumine,
Potest suo qui sanguine
Peccata mundi tergere.
Nos Christe subnixa prece
Omnes precamur, protege,
Qui præcipis rubescere
Aquæ potenter hydriæ.

DE OBLATIONE CHRISTI in templo.

B Quod chorus uatum uenerandus olim
Spiritu sancto cecinit repletus,
In Dei factum genitrice constat
Esse Maria.
Hæc Deum cœli dominumq; terræ
Virgo concepit, peperitq; uirgo,
Atq; post partum meruit manere
Inuiolata.
Quem senex iustus Symeon in ulnas,
In domo sumpsit Domini, gauisus
Hoc quod optauit proprio uidere
Lumine Christum.
Tu libens uotis petimus precantum:
Regis æterni genitus fautor,
Clara qui celsi renidens Olympi
Regna petisti.

DE EADEM.
Auctoris incerti.

Fit porta Christi peruia,
Referta plena gratia,
Transitq; rex, et permanet
Clausa, ut fuit per secula.
Genus superni luminis;
Processit aula uirginis,
Sponsus, redemptor, conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.
Honor & parentis gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula
Mundi resoluit crimina.

HYMNUS IEIVNANTIVM.
D. Gegorij.

Clarum decus ieiunij
Monstratur orbi cœlitus,
Quod Christus auctor omnium
Cibis dicauit abstinens.
Hoc Moises charus Deo
Legisq; lator factus est:
Hoc Eliam per aëra
Curru leuauit igneo.
Hinc Daniel mysteria
Victor leonum uiderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Iohannes claruit.
Hæc nos sequi dona Deus
Exempla parsimoniæ.
Tu robur auge mentium
Dans spiritale gaudium.

ALIVS.
D. Ambrosij.

Ex more docti mystico
Seruemus hoc ieiunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.
Lex & prophetæ primitus
Hoc pertulerunt, postmodum
Christus sacrauit, omnium
Rex atq; factor temporum.
Vtamur ergo parcius
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctius
Perstemus in custodia.
Vitemus autem pessima,
Quæ subruunt mentes uagas,
Nullumq; demus callido
Hosti locum tyrannidis.
Dicamus omnes cernui,
Clamemus atq; singuli,
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram uindicem.

Nostis malis offendimus
Tuam Deus clementiam,
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.
Memento quòd sumus tui,
Licet caduci plasmatis,
Ne des honorem nominis
Tui, precamur alteri.
Laxa malum, quod gessimus:
Auge bonum quod poscimus,
Placere quò tandem tibi
Possimus hìc & perpetim.

ALIVS.

D. Gregorij.

Audi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis uirium,
Ad te reuersis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus,
Ad nominis laudem tui,
Confer medelam languidis.
Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet ut mens sobria,
A' labe prorsus criminum.

ALIVS.

D. Hilarij.

Iesu quadragenariæ
Dicator abstinentiæ,
Quiq; ob salutem mentium
Hoc sanxeras ieiunium.
Quò paradiso redderet
Seruata parsimonia,
Quos inde gastrimargiæ
Huc illecebra depulit.
Adesto nunc Ecclesiæ,
Adesto pœnitentiæ,
Qua pro suis excessibus
Orat profusis fletibus.
Tu retroacta crimina
Tua remitte gratia,
Et à futuris adhibe
Custodiam mitissime.
Vt expiati his annuis
Ieiuniorum uictimis,
Tendamus ad paschalia
Digne colenda gaudia.

IN DIE PALMARVM.

D. Gregorij.

Magno salutis gaudio
Lætetur omne seculum,
Iesus redemptor omnium,
Sanauit orbem languidum,
Sex ante paschæ ferias
Aduenit in Bethaniam,
Vbi piè post triduum
Resuscitauit Lazarum.
Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Vnxit beatos Domini
Pedes rigando lachrimis.
Post hæc iugalis asinæ
Iesus supernus arbiter
Pullo sedebat inclytam
Pergebat Hierosolymam.
O' quàm stupenda pietas,
O' mira Dei clementia,
Sessor aselli fieri est
Dignatus auctor seculi.

ALIVS.

Theodulphi Aurelianensis.

Gloria laus, et honor, tibi sit rex Christe redẽptor
Cui puerile decus prompsit Oschanna pium.
Israel tu rex, Dauidis et inclyta proles,
Nomine qui in Domini rex benedicte uenis.
Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis,
Et mortalis homo, cuncta creata simul.
Plebs Ebræa tibi cum palmis obuia uenit,
Cum prece, uoto, hymnis assumus ecce tibi.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra,
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

IN PASSIONE CHRISTI.

D. Gregorij.

Rex Christe factor omnium,
Redemptor & credentium,

Placa-

A Placare uotis supplicum,
Te laudibus colentium.
Cuius benigna gratia,
Crucis per alma uulnera
Virtute soluit, ardua
Primi parentis uincula.
Qui es creator siderum
Tegmen subisti carneum.
Dignatus hanc uilißimam,
Pati doloris formulam.
Ligatus es, ut solueres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.
Cruci redemptor figeris,
Terram sed omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atque seculum.
Mox in paternæ gloriæ
Victor resplendens culmine,
Cum spiritus munimine
Defende nos rex optime.

IN DIE PASCHATIS.

Auctoris inceri.

B Vita sanctorum decus angelorum,
Vita cunctorum pariter piorum
Christe, qui mortis moriens ministrum
Exuperasti.
Tu tuo lætos famulos trophæo,
Nunc in his serua placidus diebus,
In quibus sacrum celebratur omnem
Pascha per orbem.
Pascha quo uictor rediens ab imo,
Atque cum multis alijs resurgens,
Ipse susceptum super alta carnem
Astra leuasti.
Nunc in excelsis Dominus refulgens,
Et supra cœlos Deus eleuatus,
Inde uenturus homo iudicatus,
Denuo iudex.
Corda tu sursum modo nostra tolle,
Quo patri dexter residens in alto,
Ne resurgentes facias in ima
Præcipitari.
Hoc pater tecum, hoc idem sacratus
Præstet amborum pie Christe flatus,
Cum quibus regnas Deus unus, omni
Iugiter æuo.

ALIVS.

Fulberti Carnotensis.

Chorus nouæ Hierusalem
Nouam meli dulcedinem
Promat, colens cum sobrijs
Paschale festum gaudijs.
Quo Christus, inuictus leo
Dracone surgens obruto,
Dum uoce uiua personat,
A morte functos excitat.
Quam deuorarat improbus,
Prædam refudit Tartarus,
Captiuitate libera
Iesum sequuntur agmina.
Triumphat ille splendidè
Præcelsus amplitudine,
Soli poliq; patriam
Vnam facit rempublicam.
Ipsum canendo supplices,
Regum precemur milites,
Vt in suo clarißimo
Nos ordinet palatio.

IN DIE ASCENSIONIS.

Auctoris incerti.

Festum nunc celebre, magnaq; gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cum Christus solium scandit ad arduum
Cœlorum pius arbiter.
Conscendit iubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinit pariter angelicus chorus
Victoris boni gloriam.
Qui scandens superos uincula uinxerat,
Donans terrigenis munera plurima,
Districtus rediens arbiter omnium
Qui mitis modo transijt.
Oramus Domine, conditor inclyte,
Deuotos famulos respice protegens,
Ne nos liuor edax dæmonis obruat,
Demergat uel in inferos.
Vt cùm flammiuoma nube reuerteris,
Occulta hominum pandere iudicans,
Ne des supplicia horrida noxijs,
Sed iustis bona præmia.

ALIVS.

Auctoris incerti.

Aeterne rex altißime
Redemptor & fidelium,
Quo mors soluta deperit,
Datur triumphus gratiæ.
Scandens tribunal dexteræ
Patris, potestas omnium
Collata Iesu est cœlitus,
Quæ non erat humanitus.
Vt trina rerum machina,
Cœlestium, terrestrium,
Et inferorum condita,
Flectant genu iam subdita.
Tremunt uidentes angeli,
Versa uice hac mortalium,
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Tu esto nostrum gaudium,
Manens Olympi præuium,
Mundi regis qui fabricam
Mundana uincens gaudia.
Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleua
Ad te, superna gratia.
Vt cum rubente cœperis
Clarere nube iudicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

IN DIE PENTECOSTES.

D. Ambrosij.

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum uisita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.
Qui paracletus diceris
Donum Dei altißimi,
Fons uiuus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis gratiæ,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promisso patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis A
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemq; dones protinus,
Doctore sic te præuio
Vitemus omne noxium.
Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolue litis uincula,
Astringe pacis fœdera.
Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Teq; utriusq; spiritum
Credamus omni tempore.

ALIVS.

D. Hilarij.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum spiritus paraclitus
Effulsit in discipulos.
Ignis uibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut essent proflui,
Et charitate feruidi. B
Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent gentilium,
Musto madere deputant
Quos spiritus repleuerat.
Patrata sunt hæc mystica
Paschæ peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remißio.
Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia,
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora.
Te nunc Deus pijssime
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis cœlitus
Largire dona spiritus.

ALIVS.

D. Gregorij.

Iam Christus astra ascenderat,
Regressus unde uenerat,
Promißa patris munera
Sanctum daturus spiritum.

Solennis

A Solennis urgebat dies,
Quo myſtico ſeptemplici
Orbis uolutus ſepties
Signat beata tempora.
Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Apoſtolis orantibus
Veniſſe nunciat Deum.
De patris ergo lumine
Decorus ignis miſſus eſt,
Qui fida Chriſti pectora
Calore uerbi compleat.
Impleta gaudent uiſcera,
Afflata ſancto ſpiritu,
Voces diſertas intonant,
Fantur Dei magnalia.
Tum gente ab omni cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctis & admirantibus
Linguis loquuntur omnibus.
Iudæa tunc incredula,
Væſana toruo ſpiritu,
Ructare muſti crapulam
B Chriſti alumnos concrepat.
Signis ſed & uirtutibus
Occurrit, & docet Petrus,
Falſos probauit perfidos
Ioëlis teſtimonio.

DE CONCEPTIONE VIRGINIS.

Quem terra, pontus, æthera
Colunt, adorant, prædicant
Trinam regentem machinam
Clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui luna, ſol, & omnia
Deſeruiunt per tempora,
Perfuſa cœli gratia
Geſtant puellæ uiſcera.
Beata mater munere
Cuius ſupernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.
Benedicta cœli nuncio,
Fœcunda ſancto ſpiritu,
Deſideratus gentibus
Cuius per aluum fuſus eſt.
Quod Eua triſtis abſtulit
Tu reddis almo germine,
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli feneſtra facta es.
Tu regis alti ianua
Et porta lucis fulgida,
Vitam datam per uirginem,
Gentes redemptæ plaudite.

DE MARTYRIBVS.

Deus tuorum militum
Spes, & coronæ præmium,
Laudes canentes martyris,
Abſolue nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia
Et blandimenta noxia
Caduca ritè deputans
Peruênit ad cœleſtia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit uiriliter,
Pro teq; fundens ſanguinem
Aeterna dona poßidet.

ALIVS.

Rex glorioſe martyrum
Corona confitentium,
Qui reſpuentes terrea
Producis ad cœleſtia.
Aurem benignam protinus
Appone noſtris uocibus,
Trophea ſacra pangimus,
Ignoſce quod delinquimus.
Tu uincis in martyribus,
Parcendo confeſſoribus,
Tu uince noſtra crimina,
Donando indulgentiam.

DE VIRGINIBVS.

Ieſu corona uirginum,
Quem mater illa concipit,
Quæ ſola uirgo parturit,
Hæc uota clemens ſuſcipe.
Qui paſcis inter lilia,
Sæptus choreis uirginum,
Sponſas decorans gloria,
Sponſisq; reddens præmia.
Quocunq; pergis, uirgines
Sequuntur, atq; laudibus
Poſt te canentes curſitant,
Hymnosq; dulces perſonant.

Te deprecamur largius,
Nostris adauge sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis uulnera.

DE S. IACOBO APOSTOLO.

Auctoris incerti.

Huius diei gloria
Det Christe mundo gaudia
Quòd iunctus est cœlestibus,
Frater Iohannis Iacobus.
Qui te uocante littore
Prompto secutus pectore,
In naue patrem liquerat,
Et cuncta quæ possederat.
Viuens adhuc in corpore
Formam respexit gloriæ,
Quæ te post finem seculi
Lucis uidebunt filij.
Fundensq; pro te sanguinem
Idem bibebat calicem,
Quem tu bibebas hostia,
Nostræ salutis gratia.

HYMNI AMETRI
& legibus soluti.

IN ADVENTV CHRISTI.

Vox clara ecce intonat,
Obscura quæq; increpat,
Pellantur eminus somnia,
Ab æthra Christus promicat.
Mens iam resurgat torpida
Quæ sorde extat saucia,
Sidus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.
Desursum agnus mittitur,
Laxare gratis debitum,
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lachrimis.
Secundò ut cùm fulserit,
Mundumq; horror cinxerit
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

ALIVS.

Conditor alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Christe redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum.

A

Qui condolens interitu
Mortis perire seculum,
Saluasti mundum languidum,
Donans reis remedium.
Vergente mundi uespere,
Vti sponsus de thalamo
Egressus honestißima
Virginis matris clausula.
Cuius forti potentiæ
Genua curuantur omnia,
Cœlestia, terrestria,
Nutu fatentur subdita.
Te deprecamur agie,
Venture iudex seculi,
Conserua nos in tempore
Hostis à telo perfidi.

In natiuitate.

Christe redemptor gentium
Ex patre, patris unice,
Solus ante principium
Natus ineffabiliter.
Tu lumen, & splendor patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.
Memento salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata uirgine
Nascendo formam sumpseris.
Sic præsens testatur dies
Currens per anni circulum,
Quod solus à sede patris
Mundi salus adueneris.
Hunc cœlum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est
Auctorem aduentus tui
Laudans exultat cantico.
Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sumus sanguine,
Ob diem natalis tui
Hymnum nouum concinimus.

B

ALIVS.

Cœlum coruscans intonet,
Tellus resultans personet,
Infernus hians ululet,
Humanitasq; iubilet.

Hoc

A Hoc iuſticiam ſitiat,
Hæc ueritatem germinet,
Hic detrimenta congemit,
Hæc incrementa ſuſcipit.
Qui ſemper natus in æuo,
Nunc in æui ſimulachro,
De uirginali utero
Adeſt ruenti ſeculo.
Vt factus homo mortalis,
Quem hominem immortalis
Immortalem condideras
Mortalem nunc eripias.
Natus ergo in tempore,
Et natus ante tempora
Orto fidei ſidere
Mentis tenebras amoue.

DIEP. IEIVNII.

Chriſte qui lux es & dies
Noctis tenebras detegis,
Luciſq; lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte,
B Sit nobis in te requies,
Noctem quietam tribue.
Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat,
Ne caro illi conſentiens
Reos tibi nos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper uigilet,
Dextera tua protegat
Famulos, qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime,
Guberna tuos famulos
Quos ſanguine mercatus es.
Memento noſtri Domine
In graui iſto corpore,
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.

ALIVS.

Summi largitor præmij,
Spes qui es unica mundi,
Preces intende ſeruorum
Ad te uotis clamantium.
Noſtra te conſcientia
Graue te offendiſſe monſtrat,
Quam emunda ſupplicamus
Ab omnibus piaculis.
Si rennuis, quis tribuet?
Indulge quia potens es,
Si corde rogamus mundo
Certe debes ex promiſſo.
Accepta ergo hoc noſtrum
Qui ſacraſti ieiunium,
Capiamus ſacramenta
Quò myſticè paſchalia.
Summa nobis hoc conferat
In Deitate Trinitas,
In qua gloriatur unus
Per ſecula Deus, Amen.

ALIVS.

Ecce nunc tempus idoneum
Medicina peccaminum,
Quibus Deum offendimus
Corde, uerbis, operibus.
Qui pius & propicius
Nobis pepercit hactenus,
Ne nos cum noſtris perderet
Tantis iniquitatibus.
Hunc igitur ieiunijs,
Cum precibus & lachrimis,
Multiſq; bonis alijs
Adeamus deuotiſſimè.
Vt nos à cunctis ſordibus
Purgans ornet uirtutibus,
Angelicis & cœtibus
Nos iungat in cœleſtibus.

ALIVS.

Dis obſoluti prætereunt,
Dies obſeruabiles redeunt,
Tempus adeſt ſobrium,
Quæramus puro corde Dominum.
Hymnis, & confeſſionibus
Iudex complacabitur Dominus,
Non negat hic ueniam,
Qui uult ut homo petat gratiam.
Fugiamus de hoc exilio,
Habitemus cum Dei filio,
Hoc decus eſt famuli
Si ſit cohæres ſui Domini.

Post iugum seruile Pharaonis,
Post cathenas diræ Babylonis,
Liber homo patriam quærat
Cœlestem Hierosolymam.
Sis Christe nobis dux huius uitæ
Memento quod sumus oues tuæ,
Pro quibus ipse pastor tuam
Ponebas morte animam.

DIE PALMARVM.

Iam Christe sol iusticiæ
Noctis recedant tenebræ,
Nunc mentis eat cæcitas,
Virtutum & lux redeat.
Da tempus acceptabile,
Et pœnitens cor tribue,
Nos uacuos ne transeat,
Hoc quod benigne prærogas.
Dies uenit dies tua
In qua reflorent omnia,
Lætemur hac ut per tuam
Sumus reducti gratiam.

DIE PASCHATIS.

Ad cœnam agni prouidi,
Stolis & albis candidi,
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.
Cuius corpus sanctißimum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando, uiuimus Deo.
Protecti paschæ uespere,
A' deuastante angelo
Erepti de durißimo
Pharaonis imperio.
Iam pascha nostrū Christus est,
Qui immolatus agnus est
Sinceritatis azyma,
Caro eius oblata est.
O' uerè digna hostia,
Per quam fracta sunt tartara:
Redempta plebs captiuata
Redit ad uitæ præmia.
Cùm surgit Christus tumulo
Victor redit de barathro,
Tyranni trudens uinculum,
Et reserans paradisum.

ALIVS.

Aurora lucis rutilat, A
Cœlum laudibus intonat,
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus ululat.
Cùm rex ille fortißimus
Mortis confractis uiribus,
Pede conculcans tartara,
Soluit à pœna miseros.
Ille qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili
Victor resurgit funere.
Salutis iam gemitibus
Et inferni doloribus,
Quia surrexit Dominus
Clamat resplendens angelus.
Tristes erant apostoli
De nece sui Domini,
Quem pœna mortis crudeli
Serui damnarent impij.
Sermone blando angelus
Prædixit mulieribus,
In Galilæa Dominus B
Videndus est quantotius.
Ille dum pergunt concitæ,
Apostolis hoc dicere,
Videntes eum uiuere
Osculantur pedes Domini.
Quo agnito discipuli
In Galilæam poperè
Pergunt uidere faciem
Desideratam Domini.
Claro paschali gaudio,
Sol mundo nitet radio,
Cùm Christum iam apostoli
Visu cernunt corporeo.
Ostensa sibi uulnera
In Christi carne fulgida,
Resurrexisse Dominum
Voce fatentur publica.
Rex Christe clementißime,
Tu corda nostra posside,
Vt tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

ALIVS.

A ALIVS.

D. Ambrosij.

O rex æterne Domine
Rerum creator omnium,
Qui eras ante secula,
Semper cum patre filius.
Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem,
Cui tuæ imagini
Vultum dedisti similem.
Quem diabolus deceperat
Hostis humani generis,
Cuius tu formam corporis
Assumere dignatus es.
Vt hominem redimeres,
Quem ante iam plasmaueras,
Et nos Deo coniungeres
Per carnis contubernium.
Quem editum ex uirgine
Pauescit omnis anima,
Per quem & nos resurgere
Deuota mente credimus.
Quiq; nobis per baptismum
B Donasti indulgentiam,
Qui tenebamur uinculis
Ligati conscientiæ.
Qui crucem propter hominem
Suscipere dignatus es,
Dedisti tuum sanguinem
Nostræ salutis precium.

Die ascensionis.

Iesu nostra redemptio,
Amor & desiderium:
Deus curator omnium:
Homo in fine temporum.
Quæ te uicit clementia,
Vt ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?
Inferni claustra, penetrans,
Tuos captiuos redimis,
Victor triumpho nobili
Ad dextram patris residens.
Ipsa te cogat pietas
Vt mala nostra superes,
Parcendo & uoti compotes
Vultu tuo nos facies.

Die pentecostes.

Veni sancte spiritus,
Et emitte cœlitus,
Lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolatur optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima,
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Laua quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum,
Foue quod est frigidum,
Rege quod est deuium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.
Da uirtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

HYMNI,

DE NOMINE IESV:

Auctoris incerti.

Ad matutinam.

Iesu dulcis memoria,
Dans uera cordi gaudia,
Sed super mel & omnia,
Eius dulcis præsentia.
Nil canitur suauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Iesus, Dei filius.
Iesu spes pœnitentibus,

Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus es quærentibus,
Sed quid inuenientibus?
Nec lingua potest dicere,
Nec litera depromere,
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere.
Iesus dulcedo cordium,
Fons ueri, lumen mentium:
Excedit omne gaudium,
Et omne desiderium.
Iesum quæram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo:
Priuatim & in populo
Quæram amore sedulo.

Ad primam.

Cum Maria diluculo,
Iesum quæram in tumulo,
Cordis clamore querulo,
Mente quæram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
Iesu prouoluar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Iesu stringam uestigia,
Et flendo figam labia,
Vt detur mihi uenia,
Atq; perfecta gratia.
Iesus rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Tu mentis delectatio,
Amoris consumatio,
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi saluatio.
Mane nobiscum Domine,
Mane nouo cum lumine
Pulsa noctis caligine,
Mentem replens dulcedine.
Iesus amor dulcißimus,
Et uerè suauißimus:
Plus millies gratißimus
Quàm dicere sufficimus.
Quandò cor nostrum uisitas,
Tunc lucet ei ueritas.
Vilescit mundi uanitas,
Et intus feruet charitas.
Hæc probat tua paßio,
Et sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, Deiq; uisio.

A

Ad tertiam.

Iesus auctor clementiæ,
Totius spes læticiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Cum dignè loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor facit ut audeam,
Solum te loqui gaudeam.
Tua Iesu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replet sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt
Desiderare nesciunt,
Nisi Iesum quem cupiunt.
Quem tuus amor ebriat,

B

Nouit quid Iesus sapiat,
Felix gustus quem satiat,
Non est quid ultra cupiat.
Iesus decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.

Ad sextam.

Desidero te millies,
Mi Iesu quandò uenies,
Quando lætum me facies,
Vt uultu tuo saties?
Amor tuus continuus,
Mihi languor aßiduus,
Mihi Iesus mellifluus,
Fructus uitæ perpetuus.
Iesu summa benignitas,
Mira cordis iucunditas,
Incomprensa bonitas,
Tua me stringit charitas.
Bonum mihi diligere
Iesum, nil ultra quærere,

Mihi

A Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam uiuere.
Iesu mi dilectißime,
Spes suspirantis animæ:
Te piæ quærunt lachrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocunq; loco fuero;
Mecum Iesum desidero:
Quàm lætus cùm inuenero;
Quàm felix cùm tenuero?
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ uincunt mellis pocula.
Quàm felix Christi copula,
Sed in his parua morula.

Ad nonam.

Iam quod quæsiui uideo,
Quod concupiui teneo:
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Hic amor ardet dulciter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Et delectat feliciter.
B Hic amor mißus cœlitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
O ardens desiderium,
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium.
Iesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,
Nec tepescit, nec moritur,
Plus crescit et accenditur.
Iesus, flos matris uirginis,
Ardor nostræ dulcedinis,
Laus, honor, decus numinis,
Regnum beatitudinis.

Ad uesperas.

Iesu sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cuius amor sic afficit;
Cuius odor me reficit:
In quem mens mea deficit;
Solus amanti sufficit.
O mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi saluatio.
Dilecte mi reuertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem uicisti prosperè,
Iam cœli regno fruere.
Sequar quocunque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cùm meum cor abstuleris,
Iesus laus nostri generis.
Portas uestras attollite,
Cœli ciues occurrite,
Triumphatori dicite,
Salue Iesu rex inclyte.

Ad completorium.

Rex uirtutum, rex gloriæ,
Rex insignis uictoriæ,
Iesu largitor gratiæ,
Honor cœlestis curiæ.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat,
Iesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Iesus in pace imperat;
Quæ omnem sensum superat,
Hunc semper mens desiderat,
Et illo frui properat.
Iesus ad patrem rediit,
Regnum cœleste subiit,
Cor meum à me transiit,
Post Iesum simul abiit.
Iesum sequamur laudibus,
Hymnis, uotis, & precibus,
Vt nos donet cœlestibus
Cum ipso frui sedibus.
Veni Iesu rex optime,
Veni dator munifice,
Effulge claro clarius
Iam expectate sæpius.
Sis Iesu meum gaudium,
Qui es futurus præmium,

In te sit mea gloria,
Per cuncta semper secula.

DE GLORIA ET GAVDIIS PARADISI, D. AVRELIJ Augustini.

Versus politici.

Ad perennis uitæ fontem
Mens sitiuit arida,
Claustra carnis presto frangi
Clausa quærit anima,
Gliscit, ambit, eluctatur
Exul frui patria.
Dum pressuris ac ærumnis
Se gemit obnoxiam,
Quam amisit, cum deliquit,
Contemplatur gloriam.
Præsens malum auget boni
Perditi memoriam.
Nam quis promat summæ pacis
Quanta sit læticia?
Vbi uiuis margaritis
Surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta,
Radiant triclinia.
Solis gemmis preciosis
Hæc structura nectitur,
Auro mundo tanquam uitro,
Vrbis uia sternitur.
Abest limus, deest fimus,
Lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens,
Illic nunquam sæuiunt,
Flos perpetuus rosarum,
Ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, uernant sata,
Riui mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor,
Liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Luna non alternat uices,
Sol uel cursus siderum,
Agnus est felicis urbis
Lumen inocciduum,
Tempus & nox desunt ei,
Fert diem continuum. A
Nam & sancti quique uelut
Sol præclarus rutilant,
Post triumphum coronati
Mutuo coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis
Iam securi numerant.
Omne labe defæcati,
Bella carnis nesciunt,
Caro facta spiritalis,
Mens & unum sentiunt,
Pace multa perfruentes
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Veritatis et præsentem
Contemplantur speciem:
Fontis hinc uiui uitalem
Hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper idem
Exeuntes capiunt,
Clari, uiuidi, iucundi,
Nullis peccant casibus.
Absunt morbi semper sanis, B
Senectus iuuenibus.
Hinc perenne tenent esse
Nam transire transijt,
Inde uirent, uigent, florent,
Corruptela corruit,
Immortalitatis uigor
Mortis ius absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt
Quid nescire hi queunt?
Nam et pectoris arcana
Penetrant alterutrum,
Vnum uolunt, unum nolunt,
Vnitas est mentium.
Licet cuiquam sit diuersum
Pro labore meritum,
Charitas hoc facit suum,
Quod dum amat alterum
Proprium sic singulorum
Fit commune omnium.
Vbi corpus, illic iure
Congregantur aquilæ,

Quo

A Quo cum angelis & sanctæ
Recreentur animæ.
Vno pane uiuunt ciues
Vtriusq; patriæ.
Auidi & semper pleni,
Quod habent desiderant,
Non facietas fastidit,
Neq; fames cruciat:
Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Nouas semper harmonias
Vox meloda concrepat,
Et in iubilum prolata
Mulcent aures organa,
Tigna per quem sunt uictores
Regi dant præconia.
Felix cœli quæ præsentem
Regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta
Orbis uolui machinam,
Solem, lunam, & globosa
Cum planetis sidera.
Christe palma bellatorum,
Hoc in municipium
Introduc me, da soluto
Militare cingulum,
Fac consortem donatiui
Beatorum ciuium.
Probes uires inexhausto
Laborantis prælio,
Nec quietem post procinctum
Deneges emerito,
Teq; merear potiri
Sine fine præmio.

PAVLINI EPISCOPI NO-LANI AD PNEVMATIVM ET Fidelem parentes,

DE CELSI FILII OBITV, Panægyricus:

B De merito, de resurrectiōe corporum, de prẹmijs & pœnis uitę ęternæ.


Nte puer patribus claris, & nomine auito,
Celsus erat, sed nunc celsus agit meritò,
Quē Dominus tanto cumulauit munere Christus,
Vt rudis ille annis, & nouus iret aquis.
Atq; bis infantem spacio æui & fonte lauacri,
Congeminata Deo gratia perueheret.
Heu quid agam, dubia pendens pietate laboro,
Gratuler an doleam? dignus utroq; puer.
Cui⁹ amorę lachrimas, et amor mihi gaudia suadet,
Sed gaudere fides, flere iubet pietas.
Tam modicū patribus, tam dulci è pignore fructū
Defleo, in exiguo temporis esse datum.
Rursus ut æternæ bona uoluo perennia uitæ,
Quæ Deus in cœlo præparat innocuis:
Lætor obisse, breui functum mortalia seclo,
Vt citò diuinas perfrueretur opes.
Ne terrena diu contagia, mixtus iniquis,
Duceret, in fragili corporis hospitio:
Sed nullo istius temeratus crimine mundi,
Dignius æternum tenderet ad Dominum.
Ergo Deo potius, quàm nobis debitus infans,
Verùm & pro nobis ille Deo placitus,
Cœperat octauum producere paruulus annum,
Prima citis agitans tempora curriculis.
Iam puerile iugum tenera ceruice ferebat,
Grammatici duris subditus imperijs,
Quæq; docebatur puer admirante magistro
Sorbebat docili nobilis ingenio.
Gaudebant trepido præsagi corde parentes,
Dum metuunt tanti muneris inuidiam.
Nec mora longa fuit, placitā Deus æthere Christus
Arcessens merito sumpsit honore animam.
Et rapuit terris subitam, quò dignior esset
Associata pijs uiuere concilijs.
Causa fuit lethi, suffusus faucibus humor,
Quo grauis inflauit lactea colla tumor.
Inde repressus abit, sed lapsus ad intima fugit
Corporis, & uitam uisceribus pepulit.
Terra suam partem tumulata carne recepit,
Spiritus angelico uectus abit gremio.
Deserti uacuum funus duxere parentes,
Fletibus in culpam ne pietas ueniat.

Impia non pietas animam lugere beatam,
Gaudentemq; Deo flere, nocens amor est.
Nonne patet quantum tali pietate trahatur
Peccatum? arguimur fraude tenere fidem,
Aut reprobare Dei leges errore rebelli,
Ni placet nobis, quod placuit Domino.
Iustius est istas hominum lugere tenebras,
Quas facinus nobis degeneres animæ.
Immemores primos cœlestis imaginis ortus,
Quam reuocat miserans ad sua regna pater.
Cuius amore meos suscepit filius artus,
Virgine conceptus, uirgine natus homo.
Cuncta gerens hominis, cunctos et corpore in uno
Cunctorum Dominus suscipiens famulos.
Factus enim serui forma est, qui summus agebat
Forma Dei, regnans cum patre rege Deus.
Suscepit formam serui, culpamq; peremit,
Qua pœnæ & mortis quondam homo seruus erat.
Et libertati famulum sub imagine serui,
Nostra caro effectus restituit Dominus.
Vt mihi per Christum cœlestis imago rediret,
Qui cruce terrenum se spoliauit Adam.
Carnem igitur mortemq; meam meus ille creator
Pertulit, & charum morte redemit opus.
Multa mihi dederat, prius & promissa salutis,
Et præcepta, quibus per bona dirigerer:
Sed quia nec legis posito medicamine, primi
Inueterata patris uulnera dilueram:
Et neque præmißis diuino ex ore prophetis,
Expectare Dei munera credideram:
Et genus humanum paßim sine lege fideli
Desperata salus merserat in tenebras,
Regnabatq; simul peccatum in corpore nostro,
Mors in peccatis, hostis in interitu,
Captiuumq; hominẽ tristis metus, & miser error
Altius in mortem præcipitare dabant.
Interea pater ipse polo miseratus ab alto
Errantum lapsus pestiferos hominum,
Serpentemq; truci dominantem in morte cadentũ
Non tulit, & natum misit ad omne bonum.
Paruit ille libens, Deus omnia cum patre concors,
Communem curans rem pietate pari.
Aduenit, & fit homo, & mixtum perfectus utroq;
Ostendit fragili carnis inesse Deum.
Vtitur officijs hominis, sed et intus operti
Signa Dei medicis exerit imperijs.

Voce hominis diuina docet: mortalia uere, A
Extra peccatum, corporeus peragit.
Quippe sui rem tantũ operis sibi reddere curans,
Naturam uenit sumere, non uitium.
Namq; bonũ natura hominẽ bonus ad bona fecit,
Mente sua lapsus se uiciauit homo.
Quare opifex hominum mortali in corpore uenit,
Non & mortali crimine factus homo.
Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,
Nec laxare reos posset, & ipse reus.
Nec peccatori mors cederet, ut pote uinctum
Peccati uinclis ligitimè retinens.
Iure igitur ceßit rumpenti tartara Christo,
In quo quod posset nectere non habuit.
Ipsaq; iudicij iniusti rea facta uicißim
Per scelus occiso iure subacta homini est.
Palluit inuidia serpens, inferna reducto
Claustra homini, uersa lege reclusa uidens:
Inq; uicem uincta mortalem morte resolui,
Excussumq; sua surgere corpus humo.
Insuper et cœlos rediuiuum scandere cernens,
Dente truci frustra liuidus infremuit.
Et modo tabescit cum crebrescente piorum
Agmine, per Christum perditor ipse perit. B
Ergo mei uiciosa animi sanauit, & ægra
Corporis excepit, matre homo, patre Deus.
Imbecilla quidem, sed naturalia carnis
Ceßit, & affectus corporis exhibuit.
Sensibus humanis comedit, bibit, & sua somno
Lumina declinat, laßat eundo uiam.
Tanquã homo, defuncto lachrimas impẽdit amico,
Quem mox ipse Deus suscitat è tumulo.
Nauigio uectatur homo, et Deus imperat austris,
Et uirtute Dei permeat æquor homo.
Mente hominis trepidat uicinæ mortis ad horam,
Mente Dei nouit tempus adesse necis.
In cruce fixus homo est, Deus è cruce terruit orbẽ,
Mortem homo, uerũ mors ipsa Deum patitur.
In cruce pẽdet homo, Deus è cruce crimina donat,
Et moriens uitam criminis interimit.
Proq; reis habitus, peiorq; latrone putatus,
Quem Iudæa pio præposuit Domino.
Credenti donat regnum cœleste latroni,
Clausus adhuc terris, iam paradisum aperit:
Nos igitur firmare animos, attollere mentem,
Ignauosq; decet trudere corde metus.

A Pro quibus ecce animā posuit simul atq; resumpsit
Filius ille Dei, quo sata cuncta Deo.
De nostra uictor Deus egit morte triumphum,
Et nostrum secus corpus in astra tulit.
Non sat habens, quod pro nobis mortalia cuncta
Hausit, ut auferret uulnera nostra suis:
Sed ne me dubiæ suspenderet anxia mentis
Cura, resurrexit corpore, quo cecidit.
Clara fides oculis patuit mortalibus, ipse
Post obitum uisus, qualis & antè fuit.
Nam se discipulis dubitantibus obtulit ultro,
Rimandumq́; oculis præbuit & manibus.
Nec sine mente Dei, dubitauit Apostolus olim
Viuere post mortem, nullus ut ambigeret.
Firmauit dubitando fidem, dum cominus anceps
Arguitur Thomas, omnis homo instruitur.
Cernere quid Thomas coràm & palpare iubetur,
Constanter stabili credere disco fide.
Mortem hominū, Christi crucifixi morte, subactā,
Spemq́; resurgendi corporibus positam,
Corporibus nostris, quia Christus uictor in ista
Carne resurrexit, quam gero, qua morior.
Meq́; docet, pro me dubitantibus ingerit artus,
Et solidam carnem structa per ossa probat.
B Insuper et lateris, manū quoq; uulnera monstrat,
Et dubium digitos his iubet inserere.
Cerne, inquit, latus ecce meum, palmasq́; pedesq́;,
Ecce crucis clauos, cuspidis ecce uiam.
Ecce ipsam tota compagem corpore uiuam,
Stare patet neruis, ossibus, ore, cute.
Ergo tenete fidem, quam cernitis, insuper et quam
Tangitis, & dubios pellite corde animos,
Et testes tantæ cunctis estote salutis,
Cunctorumq́; hominum soluite corda metu.
Omnibus intereat mortis timor, & simul omnes,
Ista resurgendi spes animet populos.
Credentum tamen ista salus, qui corde fideli
Suscipiant, quæ uos lumine conspicitis.
Nam postquàm uicta gessi de morte triumphum,
Mors superata abijt, stat rediuiua salus.
Vitam ex morte dedi, mortem moriendo subegi,
Et genus humanum sanguine restitui.
Peccatum carnis superans, in carne peremi
Materiam culpæ, iusticiam peperi.
Corpore mors cecidit, surrexit corpore uita,
Qua prius occiderat carne, reuixit homo.
Et nunc ecce meo rediuiuum in corpore portans,
Præfero uictorem mortis & anguis Adam.
Quæ rogo, sufficient nobis solatia, uel quæ
Sanabit fessos iam requies animos?
Si nec tanta potest ægris medicina mederi,
Quæ uitas obita morte redire docet?
Mœror abi, discede pauor, fuge culpa, ruit mors,
Vita resurrexit, Christus in astra uocat.
Morte mea functus, mihi mortuus, & mihi uictor,
Vt mors peccati, sit mihi uita Dei.
Deniq; seruatum iam de cruce duxit aperto
Limite latronem, qua paradisus adest.
Munere quo signum dedit, & peccata piare,
Et nemoris uetiti uincere septa fide.
Talibus exemplis, tanto sponsore salutis,
Erectos lætis uertere mœsta decet.
Pellamus querulos ingrato corde dolores,
Et reddeant tersis lumina pura oculis,
Credamus Christo, quod in ipso uiuimus, ijsdem
Nos, quibus occidimus, surgere corporibus.
Inde superfusa diuini ueste decôris,
Sumere mutatos angelicam speciem.
Quod si tanta anis nox caligantibus obstat,
Et piger obtuso corpore sensus hebet:
Vt quia corporeis oculis diuina teguntur,
Nullam dicatis scripta tenere fidem.
Sed doceat Paulus, quia non æterna uidentur,
Aeterna humanis abdita sunt oculis.
Insipiens terrena uide, cœlestia crede,
Obtutu mundum conspice, mente Deum.
Hinc preciosa fides, nam sicut gratia iam non
Gratia, sic meritis attribuatur, erit:
Sic & nulla fides, nisi quæ quod non uidet, illud
Credit, & æternam spe duce rem sequitur.
Mortales miseri, querulum genus, impia tandem
Pectora mollitis mentibus exuite.
Heu, quò nam precor usq; graui mendacia corde
Quæritis, & uani lubrica diligitis?
Commutate uias, disrumpite uincula mortis,
Et date prædulci libera colla iugo.
Sumite diuinas pro libertate catenas,
Crimine quæ soluunt, & pietate ligant.
Qui sequeris tenebras, in aperto lucis oberras,
Et quia nocte uides, lumine cæcus agis.
Ergo oculos mentis Christo reseremus & aures,
Vt mens peccato clausa, Deo pateat.

Nam quæ corporeis sua iam promissa reuelat,
Visibus & claris monstrat operta Deus.
Cuncta resurgendi faciem meditantur, in omni
Corpore, & in terris germina, & astra polo.
Noctes atq; dies ortus obitusq; uicißim
Alternant, morior nocte, resurgo die.
Dormio corporeæ sopitus imagine mortis,
Excitor à somno sicut ab interitu.
Quid sata, quid frõdes nemorũ, quid tẽpora? nẽpe
Legibus his obeunt omnia, uel redeunt.
Vere resurgentum cunctis noua rebus imago,
Post hiemis mortem uiuificata, redit.
Quod semel est facturus homo, cui subdita mundi
Corpora, sub cœlo cuncta frequenter agunt.
Sed quærunt, quali reparetur mortuus omnis
Corpore, quóue modo fiat homo è cinere?
Si non sufficiunt sacris signata prophetis,
Muta fidem clamant, credite conspicuis.
Cernite nulla suis emergere semina campis,
Ni prius intereant, labe soluta putri.
Nuda seris, uestita legis: iacis arida grana,
Atq; eadem fructu multiplicata metis.
O peruersa fides, & diffidentia nobis,
Credere nos terris, & dubitare Deo.
Et certa nil terra fide spondere, nec ausa,
Nec potuit, quin & sæpe fefellit ager,
Vix commissa sibi reddens sata: nec tamen illi
Credere deceptus spem segetis dubito.
Nec piget incertis certum sudare laborem
Frugibus, & nudo credere nuda solo.
Quid si terra potest corruptum reddere semen
(Quod tamen æterni lege facit Domini)
Difficile omnipotentis opus fore creditur, ut nos
Ex nihilo factos, ex aliquo reparet.
Nullus eram, & faciente Deo sum natus, ut essem,
Iam nunc de proprio semine rursus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & ossa fauillam,
Corporis integri semina puluis habet.
Cumq; etiam cineres uacuatis terra sepulchris,
Cognato immixtos cespite sorbuerit:
Tunc quoq; corporeis hominum uanescere uisos,
Luminibus solidos continet omnipotens.
Inq; die magno, quæ nunc absumpta putamus,
Corpora cernemus surgere tota Deo,
Nulla cui natura perit, quia quidquid ubique est,
Omne creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus, pelagoq; & piscibus hau/ A
Quos uolucres, & quos diripuere feræ, (rit,
Cunctas terra Deo debet, quia quos aqua mersit,
Littore uel fundo strata recepit humus.
Quæ licet una, tamen non uno sumpta sepulchro,
Sparsa locis laceri funeris ossa tegit.
Et quia consumptus simul, & consumptor, in uno
Telluris gremio morte ferente cadunt.
Siue per egeriem, qua sese animalia purgant,
Reddunt digestis membra uorata cibis.
Humanum corpus transfunditur ex alieno
Corpore, nec perdit uim proprij generis.
Sed licet è membris in humum transmissa ferinis
Membra hominum, uiuo semine salua manent,
Et moriente fera, cui fortè cadaueris esca
Humani fuerit, diuiditur ratio:
Nanq; animal rationis homo est, ideoq; & in ipso
Rex alijs præstat corpore corporibus.
Inde licet poßit mutis animalibus idem
Præda dari, tamen his sorte coire negat.
Sola resurgendi caro perceptura uigorem,
Quæ rationalis uas animæ fuerit,
Vt reducem terris animam compage refecta,
Iam non lapsuro tegmine suscipiat. B
Et uelut hîc omni mens et caro iungitur actu:
Sic & in æternam sint sociata diem.
Vt carpant socio gestorum præmia fructu,
Consortes meriti luce uel igne loci.
Propterea quamuis, nos, & spirantia cuncta,
Vnam sortiti corpore materiem:
Non tamen in uacuum reuocamur morte soluti,
Exortes animæ carnis ab occiduo,
Sed clangente tuba reddentibus undique terris
Nostra ex arcanis corpora seminibus.
Corpore, mẽte, anima, rursum in sua fœdera nexis,
Integri Dominum sistimur ante Deum.
Si dubitas cineres in corpora posse recogi,
Et fieri reduces in sua uasa animas,
Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum
Tota resurgendi per Dominum facies.
Illic aspicies toto uiuescere campo,
Arentes ueterum relliquias hominum,
Ossaq; porrectum latè dispersa per agrum,
Vltro ad compages currere iussa suas,
Atq; medullatis penetralibus edere neruos,
Moxq; supernata ducere carne cutem.

A Et dicto citius, perfectis ordine membris,
Puluere de ueteri stare nouos homines.
Ac ne fortè, quod est sacri manifesta prophetæ
Visio, sopitis omnia uana putes,
Maiorem super his, & plenum suscipe testem,
Ipse prophetarum nam loquitur Dominus.
Vita ego sum, qui me credet, nec morte peremptus,
Consorti mecum luce beatus aget.
Denique quod uerbo dixit, uirtute probauit,
Ipse suum reuocans ex erebis hominem.
Tempore quãquã ille, nõ tãtũ in corpore Christus
Signa suo dederit, cùm cruce uictor obit.
Nanque ut concußis patefecit tartara terris,
Et uinctum inferno carcere soluit Adam,
Fissa resurgentes ruperunt saxa sepulti,
Et nouus in sancta floruit urbe tholus.
Viderunt multi ueterum renouata piorum
Corpora, descensu uiuificata Dei.
Tunc etiam refugo cæcatus lumine mundus,
Aeterna timuit nocte piare nefas.
Tunc & discusso nudata altaria uelo,
Amisere sacri relligionem adyti.
1 Vt monstraretur uacuandum numine templum,
B Et fore ab hostili sancta prophana manu.
Quod duce Romano, docuit pòst exitus ingens,
Euersis templo, ciuibus, urbe, sacris.
Fas etenim ut Iudæa, cui suus hostia Christus
Non erat, & per quam uictima Christus erat,
Sede locoq; simul ueterum uiduata sacrorum,
Inficiata fidem perderet omne sacrum.
Finis enim legis Christus, quia lege fideli
Prædictus, legi lex ueniendo fuit.
Præscribens ueteri legemq; modumq; fidei,
Legem perfectam gentibus instituens.
Vnde magister ait, uetera effluxere peractis
Temporibus, subeunt omnia ubique noua.
Iamq; reuelata facie speculamur apertum,
In Christo propriæ lucis honore Deum.
2. Et puto, quòd scißi in templo mysteria ueli,
Id quoque signarint, gratia quod tribuit.
Nam ueluti rupto patuere sacraria uelo,
Sic reserat nobis legis operta fides.
Inde sub antiquo legitur uelamine Moses,
Iudæis nebula cordis opertus adhuc:
Quam de luminibus mentis, mihi creditus, aufert
Christus, adumbratas discutiens species,
Seq; docet prisca uelatum legis in umbra,
Iamq; reuelatum corporis in facie.
Qualem præmißi cecinerunt affore uates,
Qualis apostolicis coram oculis patuit.
Qualem & Iudæi non perspexere uidentes,
Mentibus obtusis impietate sua.
Et qualem, quamuis non uisum in corpore nobis,
Credendo interno lumine conspicimus.
Non quod ueridici sese uidisse magistri,
Et palpasse docent, tango fide, & uideo.
Et cunctis credendo patet cognoscere Christum,
Impia cæcantem pectora perfidia,
Fundentemq; suam per corda fidelia lucem
Vt placitas habitet clarificetq; animas.
Ergo mei fratres, mea cura, meum cor, in ista
Mœrentes animos lætificate fide.
Pellite tristiciam, dociles pietate fideli,
Fidentesq; Deo læticiam induite.
Illos infelix luctus decet, & dolor amens,
Nulla quibus superest spes, quia nulla fides.
Hei mihi quàm stultum est, oculis se credere uanis,
Desperare Deo, fidere corporeis.
Illis internus stupor, insolabile pectus,
Desertis uero sensibus obsideat,
Quos infida Deo mens abdicat, & quibus exors
A'Christo infernas sors cadit in tenebras.
Nobis ore Dei solator apostolus aßit,
Nos Euangelio Christus amans doceat.
Nos exempla patrum, simul & præconia uatũm,
Nos liber historiæ firmet apostolicæ.
In qua corporeum remeare ad sidera Christum
Cernimus, & gremio nubis in astra uehi,
Et talem cœlis reducem sperare iubemur,
Ad cœlos qualem uidimus ire patri.
Huius in aduentum modò pendent omnia rerum,
Omnis in hunc regem spesq; fidesq; inhiat.
Iamq; propinquantem supremo tempore finem
Immutanda nouis secula parturiunt.
Omnes uera monent sacris oracula libris
Credere prædictis, seq; parare Deo.
Festinate, precor, dum copia panditur istic
Procurare bonis, præq; cauere malis.
Vertite peruersas conuerso pectore curas,
Monstrat flere fides utilibus lachrimis.
Peccato lugere iuuat, contractaq; cultis
Vulnera profusis fletibus abluere.

Qualibus ille suum stratum omni nocte rigabat,
 Multa gemens Dauid corde potens humili:
Sic cinerem rex ille Deo dilectus edebat,
 Et sua miscebat pocula cum lachrimis.
Quid facere heu misero mihi cõpetit, unde piabor?
 Vnde satisfaciam? quá nam ope saluus ero?
Pumiceum cor eget lachrimis, cinis horret ad escã,
 Delitiæq; iuuant esuriente anima.
Quis mihi suggereret lachrimarũ ad lumina fontẽ
 Quo mea deflerem facta, meosq; dies?
Nam mihi pro meritis, actæ per crimina uitæ,
 Ingentes plagas flumine flere opus est.
Rumpe mei lapidem cordis saluator Iesu,
 Vt mollita pio uiscera fonte fluant.
Tu precor, ô fons Christe, meis innascere fibris,
 Vt mihi uiua tuæ uena resultet aquæ.
Nam tu fons, quo uita fluit, quo gratia manat,
 Quo lux omnigenas funditur in populos.
Qui te Christe bibent, dulci torrente refecti,
 Non sitient ultra, sed tamen & sitient.
Nam quos diuini satiarit copia uerbi,
 Hos dulcedo magis pota sitire facit.
Te Domine ergo Deus, panem fontemq; salutis,
 Semper et esuriant & sitiant animæ.
Non ieiuna fames, sed nec sitis arida uitam
 Consumet, si te mens edat atq; bibat.
Iugifluus semper biberis, turbamq; sitimq;
 Potantum, exhausto largior exuperas.
Totus enim dulcedo Deus dilectio Christe es,
 Inde replere magis, quàm satiare potes,
Et desiderijs semper sitiendus auaris
 Influis, exciperis, nec saturatur amor.
Atq; ita perficitur pietas, sine fine ut ameris,
 Christe tuis uitam, qui sine fine dabis.
Da mihi nunc lugere Deus, fletuq; salubri
 Præserere æternæ semina lætitiæ.
Hoc precor hoc potius, maneat mihi luctus in æuo,
 In quo quidquid adest, per breue transit iter.
Ite procul læti, flentum consortia mâlo,
 Vt breuibus lachrimis gaudia longa metam.
Si modò lugentem grauis hirto tegmine saccus
 Caprigenum setis, dum teget, & stimulet.
Tunc patre placato meriti r eddentur honores,
 Annulus et cinget me, & stola lætitiæ.
Tunc mihi iure pater uitulum mactabis opimum,
 Si modo ieiunus iusticiam esuriam.

Mâlo famem panis, quàm sancti ducere uerbi, A
 Nolo domum uini, lucis aquam sitio.
Hîc cruciet me dira fames, hîc turpis egestas,
 Contractum pannis tristibus obsideat.
Hîc licet ante suas diues me transeat ædes,
 Spernens uel micis me saturare suis.
Nolo mihi Tyrio modo serica murice uestis
 Ardeat, arsuri corporis inuidia.
Ne post purpureos me flamma perennis amictus
 Ambiat, & precium uestis in igne luam.
Hic potius miseri iaceamus in agmine fœdo
 Stercoris, & lambant ulcera nostra canes.
Vt placida tristem post uitam morte solutos,
 Mitis ad occursus angelus excipiat.
Et patriarcharum sinibus deponat ouantes,
 Vnde gehenna procul sæuit, hiante chao.
Non commenta loquor uatum, terrentia paruos,
 Latrantem in foribus per tria rostra canem,
Terrentemq; umbras tristi squallore Charontem,
 Vipereis sæuas crinibus Eumenidas.
Aeternam Tityon funesti uulturis escam,
 Arentemq; siti Tantalon inter aquas.
Voluentem sine fine rotam, et reuolubile saxum,
 Cassaq; sudantum dolia Danaidûm. B
Hæc inopes ueri, uani cecinere poëtæ,
 Qui Christum ueri non tenuere caput.
At nos uera Deus docuit sator ipse, suorum
 Enarrans nobis omnia uera operum.
Disce Euangelio loca pauperis, & loca ditis,
 Pauper in Abrahamo, diues in igne iacet.
Iusticia mutante uices, qui fleuerat istic
 Gaudet ibi, & pleno paupere, diues eget.
Iste bona requie fruitur, gemit ignibus ille,
 Diues opum pœnas, pauper opes recipit.
Mendicat diues modicum de paupere rorem,
 Quem mendicantem spreuerat in superis.
Inde in eum ardentem, nec parui, pauperis imo
 Stillauit digito, gutta refrigerij.
De magnis quoniam dapibus nec mica refer to
 Esurientis in os pauperis exciderat.
His monitis sanctam discamus uiuere Christo
 Iusticiam, & partem ponere pauperibus.
Tu cui sordet inops, qui uiso horrescis egeno,
 Occursumq; pij supplicis, omen habes.
Qui te miraris preciosa ueste nitentem,
 Nec sordere uides interiore habitu.

Omnia

A Omnia mēte geris, quæ in corpore pauperis hor/
Sordidior, pannis, diues, & ulceribus. res,
Contemnis cæcum, leprosum tangere uitas,
Diues auare lepram diligis ipse tuam.
Ille oculis hominum miser est & debilis, at tu
Turpis es ante Deum debilitate animæ.
Improbe consortem naturæ, spernis egentem,
Et facis exortem partis auaricia.
Quidquid inique tibi, nullo superefflauit usu,
Quod fosso abstrudis cespite, pars inopum est.
Cur aliena tenes, qua spe linquenda retentas?
Nec retributa suis, nec potienda tibi?
Tu cui sordet inops, qui nomine diuitis excors
Triste leuas crispa fronte supercilium:
Nec dignaris eos homines, uel nomine fari,
Quos simili luxu non fluitare uides:
Filius ille Dei qua uenerit aspice forma,
Qui cùm esset diues, pauper in orbe fuit.
Et ueniens, non alta Deus, sed uilia mundi
Legit, ut infirmis fortia destrueret.
Non iam diuitijs diues, nec robore fortis,
Nec sapiens magno gaudeat ingenio.
Nemo ope confidat propria, aut de se sibi plaudat,
B Cùm data uel data sint omnia fonte Deo.
Perfugium Christus personaq; factus egentum,
Diuitibus pudor est, gloria pauperibus.
Huius in ambrosios auidi curramus odores,
Vt procul à nobis mortis odor fugiat.
Quis mihi det preciosum alabastro fūdere nardū,
Et Domini sacros flendo lauare pedes?
Vos precor, ò mea cura, pijs operam date curis,
Vosq; date immenso iungere mēte Deo.
Tēpus adest, prope iam Dominus, properate para
Regis ad occursum, dum breuis hora patet. (ri
Vtimini uestris opibus, pietate benigna,
Radicemq; mali uellite pectoribus.
Corde inopum uestræ precium concludite uitæ,
Et capita expensis ungite uestra pijs,
Castaq; lambentes Domini uestigia Christi,
Detergete comis ambo, lauate oculis.
Si desiderium est Celsi sine fine fruendi,
Sic agite ut uobis aula eadem pateat.
Nam quem sancta fides, & nescia criminis ætas;
Et pia mens casto corpore continuit:
Certa fides illa superum regione potiri,
Ignea qua sanctos protegit ara Dei.

Nolumus ergo boni fratres, de pignore uestro
Vos ita tristari, tanquam homines uacuos.
Nam si certa fides uobis, quia Christus Iesus
Mortuus est, & nunc uiuit in arce Dei:
Sic & eos quicunque fide uiuente quiescunt,
Adducet Christo cum remeante pater.
Hoc etenim in uerbo Domini docet ille magister,
Quo duce sidereas nitimur ire uias.
Quod quibus in Christo fuerit modo uita peracta;
Iisdem cum Christo uita perennis erit,
Cumq; tuba signum Domini aduentantis, ab alta
Sede patris, princeps angelus ediderit:
Primi qui in Christo mortes obiere resurgent,
Dignati occursum nubibus ire Deo,
Cumq; omnes, in qua uixerunt carne, reuiuent,
Non omnes uerso corpore lumen erunt.
Nanq; resurgemus, sed non mutabimur omnes,
Hoc discrimen erit gentibus ante Deum.
Incorrupta prophanorum quoque corpora surgēt
A tumulis, longo pabula supplicio.
Vita erit his sine fine mori, & mors uiuere pœnis;
Et durante suas pascere carne cruces.
Ipse suos proprio peccator corpore gignet
Carnifices, et erit uermibus esca suis.
At quos cœlesti pietas euexerit actu,
Participata regent stemmata, rege Deo,
Vestitiq; suum diuino lumine corpus,
Conformes Christo semper agent Domino.
Quod cùm ita sit, capite ex istis solatia uerbis,
Et fidos, ueri spe recreate animos.
Et pignus commune, superno in lumine Celsum,
Credite uiuorum lacte fauisq; frui.
Aut illum gremio fidei pater excipit almo,
Et blandus digiti rore Eleazar alit,
Aut cum Bethleis infantibus in paradiso,
Quos malus Herodes perculit inuidia,
Inter odoratum ludit nemus, atque coronas
Texit honorandis præmia martyribus.
Talibus immixtus, regem comitabitur agnum,
Virgineis infans additus agminibus.
Celse beatorum castæ puer incola terræ,
Celse dolor patribus, gloria Celse patrum.
Celse amor, & desiderium, lumenq; tuorum,
Celse breuis nobis gratia, longa tibi.
Sed tamen et nobis poterit tua gratia longum
Viuere, si nostri sis memor ad Dominum:

Nanque in te parui meritis ingentibus æui,
Tempore uita breuis, sed pietate potens.
Talium enim cœli regnum Deus esse profatur,
Qualis eras æuo, mente, fideq; puer.
Qualis & ille fuit noster tuus, ille beati
Numinis accitus tempore, quo datus est.
Exoptata diu soboles, nec præstita nobis
Gaudere indignis posteritate pia.
Credimus æternis illum tibi Celse uiretis,
Læticiæ & uitæ ludere participem.
Quē Complutensi mandauimus urbe propinquis,
Coniunctum tumuli fœdere martyribus.
Vt de uicino sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.
Fortè etenim nobis quoque peccatoribus, olim
Sanguinis hæc nostri guttula, lumen erit.
Celse iuua fratrem, socia pietate laborans,
Vt uestra nobis sit locus in requie.
Viuite participes, æternùm uiuite fratres,
Et lætos dignum par habitate locos,
Innocuisq; pares meritis peccata parentum
Infantes castis uincite suffragijs.
Quot tibi Celse annis, totidem illi uita diebus
Hausta, sed ille minor qua prior est, senior.
Celse tuo cum fratre, tuis quibus addimur, asta
Nam tua de patrio sanguine uena sumus,
Cum patre Pneumatio, simul et cum matre Fideli,
Dices Paulinum Therasiamq; tuos.
Vt precibus commune tuis, miserante habeamus
Præsidium Christo nos quoque Celse tui,
Sed tamen et nobis superest operam dare, qua te
Poßimus simili simplicitate sequi.
Tum nostro socij poßimus uiuere Celso,
Dulcis et æternum pignoris esse pares.

PAVLINVS EPISCOPVS NOlanus ad Cytherium:

De Martiniani periculis et liberatione, & de institutione Cytherij filij.

Martinianum spiritu fratrem mihi,
Vnaq; germanum fide,
Quem tu disertis prosecutus literis,
Ad nos uenire miseras.
Nunc uix salutis compotem factum suæ,
Scriptis inanem perditis,
Sed caritatis indicem plenum tuæ,
Vt os tuum suscepimus.
Et ueriorem literis epistolam
De corde signatam tuo,
Cùm te referret spiritali littera,
Et mente et aure legimus.
Tunc ambo nexi ad inuicem dextram damus,
In osculo pacis sacræ,
Et immolamus hostiam laudis Deo,
Gratesq; Christo reddimus.
Quo liberante nostra, sospes è mari
Intrabat hospes limina:
Nam dira paßus, & tamen miracula
Expertus in periculis.
Patria profectus, cognita causa tibi,
Iter pedestre legerat.
Sed longè secum spacia terrarum putans,
Vertit uiæ sententiam,
Et otiosam fluctuanti nauseam
Pedum labori prætulit.
Narbone soluit per trucem ponti uiam
Fragili carinæ credulus.
Hic ille greßu uir pio, & uersa uice
Fit nauigandi pœnitens.
Nanque ut profectus continente littore
In alta proceßit freta.
Iam nocte densa, sed sereno lucida,
Ridente tranquillo maris.
Cùm sola cursus ordinarent sidera,
Absente tunc luna polo.
Nauem repente tempore ab longo putrem
Vsus uehendi deserit,
Laterumq; laxis soluitur compagibus,
Vndasq; rimis accipit.
Cunctis soporem suaserat tranquillitas,
Tantum gubernator uigil,
Lambente blandis classe securus uadis
Iter secabat spumeum,
Et fortiores prouehendis cursibus,
Auras uocabat sibilo.
Interea nauis altius decrescere
Crescente pletura sui,
Tabulisq; sese latius laxantibus
Incurrit unda largior.
Quibusq; nulli de salo fluctus erant,
In naue fluctus nascitur,
Et dormientum membra iam subterluens
Vdo rigore suscitat.

Vt

A Vt sensit unus mox & alter, omnibus
Formido somnum discutit.
Timent pauore mortis, & causas adhuc
Timoris ignorant sui.
Qua miseri fugiant pelagus infestum uia,
Merguntur in naui sua.
Si concitata feruerant uentis freta,
Naui teneretur salus:
Intra carinæ uiscera infuso mari
Quo uita captetur loco?
Quis portus illius, cui & in naui mare est?
Quod intus oppressos necat.
Sed aura, portus, & salus cunctis Deus,
Manum paternam porrigit.
Et inter alta medij dorsa gurgitis,
Pietatis expandit sinum
Quo abrupta mortis incidentis excipit,
Et in uado uitæ locat.
Scapham sequacem quadriremis machinæ
Ad hanc opem parauerat.
Vt quos ab illa plebe nauigantium
Seruare legisset Deus,
Susciperet illa, quæ dehiscentem mari]
B Classem annatabat comminus.
Hanc ipse nauis rector & cum littore
In alta primo solueret,
Nouatianus ille discissam fidem
In corde portans naufrago,
Homo mortis ipse, & apta morti cogitans
De more deuoluit suo,
Vt esset onerum portio, in nauem statim
Properat mihi conscendere,
Et cùm periclo stringeretur ultimo,
Molitus est expellere,
Vt fune rupto, quo cohærebat rati,
Dimitteretur æquori:
Sed plurimorum uoce uictus obuia,
Ab utroq; mansit irritus.
Quia præualebat omnium sententia
Auctore Christo fortior.
Vt mox salubri barca perfugio foret,
Puppi superstes obrutæ.
Inusitata naufragij facies erat,
Mors nauis, & pax æquoris,
Foris sedebat, in freto tranquillitas,
In naue tempestas erat.
Nam saxa classem, non procella fregerat,
Sed ijs uetustas fortior.
Cauante ferro firma ligni robora
Aeuo terente soluerat.
Cœlum serenis enitebat nubibus,
Astris renidebat mare.
Verum quid illis læta uentorum simul,
Pelagiq; præstabat quies?
Quos deserebat in profundo marmoris
Vectura dilapsæ ratis?
Bibit unda nauem, nauis undam combibit,
Sorbentur & sorbent aquæ.
Inebriati nauitæ potu salis,
Tristi necantur crapula.
Ridebat alijs mitis unda nauibus,
Vniq; sæuibat rati.
Sed in periclo plurimorum cernere est
Cœlestis actum examinis.
Commune cunctos una quos nauis uehit
Periculum mortis manet.
Et ecce uarijs diuiduntur casibus,
Ad mortem & ad uitam dati.
Quod ne putetur forte permixtum bonis
Simul tributum uel malis,
Constat perisse Christianum neminem,
Et interisse perfidos.
Nanq; aut maligno corde Iudæus perit,
Reus aut superbi schismatis.
Quemcunq; Christi recta signauit fides,
Hunc uita cognouit suum:
Tamen fuere Christianis additi,
Necdum hoc sacrati nomine,
Quos de profundo iuncta seruauit fuga,
Quia Christianis hæserant.
Nam cum infideli plebe nauigantium
Nullus fidelis mersus est.
Vt clara magni ueritas mysterij
Ostendit in paucis Deus.
Quod fine mundi diuidendis gentibus
Discrimen in cunctos erit.
Cùm prænotatos ora uexillo crucis,
Transibit ultor angelus:
Sic naue in illa nemo morti traditus,
Qui ueritate præditus.
Vixere iuncti Christianis impij,
Vincente noctem lumine.

Nam Christianos aggregare mortuis
Virtute cassa mors fuit,
Quia fronte signum Christianis emicat,
Quo mors subacta corruit.
Nauarchus ipse perditæ princeps ratis
Pereuntibus primus fuit.
Nanque antè pelago quàm periret naufragus,
Naufrago pro naufragiu facio
Iam mente naufragauerat.
Bis mersus ille, quem carina fluctibus
Demersit, error inferis,
Potuisset ille se periculo abrumpere,
Sed debitum morti caput.
Captiua dignis mens auari uinculis,
Astrinxit in funem ligans.
Nam ne superstes nauis & mercis foret,
Necem saluti prætulit.
Martinianum iam supremo stamine
Mergentibus mixtum uiris,
Tumultuantis excitat turbæ sonus,
Somnoq; mortis eripit.
Qui tunc remoto fessus in proræ sinu, &
Securus innocentia,
Ionas ut olim uentre nauis abditus,
Somnos anhelabat graues.
Sed excitatus fluctuosis undique
Pereuntium clamoribus,
Pedibusq; turbæ membra quassus omnia
Duro cubili prosilit.
Plerisque mersis intus in nauis utero,
Laterum per oras quà solent,
Vt uela tollant, siue contis surrigant,
Nautæ expediti currere,
Tabulis adhuc supernatabat extimis
Operta nauis gurgite,
Viam salutis hac uia rimantibus
Martinianus iungitur,
Et agente Christo, de globo mortis fugax,
Comes fit euadentibus,
Seseq; saltu mittit in cymbam procul,
Quæ plurimis portus fuit,
Et pœnè morti derelictus hæserat,
Cum classe mergendus mari.
Nisi Christus illum, ceu manu prænsum sua,
Rapuisset è mortis lacu.
Sicut recussis fugit olim uestibus
Ioseph furentem fœminam:
Sic hic relictis omnibus nudus fuga, A
Euasit infidam ratem.
Et sicut olim iussa Ionan obuio
Excepit ore bellua,
Et hiulca latè lubricum per guttura
Transmisit in uentrem suum,
Incolume corpus dente suspenso uorans,
Et quem uorabat non edens:
Sic hunc ab alta naue in undas cernuum
Suscepit occurrens scapha,
Totoq; uexit fida per noctem sinu,
Donec referret portui.
Sed mentione magni uatis edita
In quo pij mysterij
Imago, mortem triduani funeris
Reduci salute prætulit.
Paucis reflexo carminis uestigio,
Recurrere ad Ionam libet.
Commenta Domini mira, mersus æquore
Intactus undis fluctuat,
Viuit uoratus, quiq; glutiuit, manet
Viuente ieiunus cibo.
Et præda cùm sit, esca non est belluæ,
Domoq; uentris utitur. B
O digna sancto claustra fugitiuo Dei,
Capitur mari quo fugerat,
Altumq; uastæ missus in uentrem feræ,
Viuo tenetur carcere.
De naue iactus perit, & undis nauigat
Exul soli, et hospes sali,
Spatiatur antro belluini corporis,
Captiuus et liber reus.
Nam liber undis, intra mare exter maris,
Natat in natante bellua,
Claususq; quanquam corpore, exit ad Deum
Volans propheta spiritu.
Corpus tenetur corpore, ac mentis fuga
Terrena uincla non tenent,
Inclusus aluo carcerem rumpit prece,
Auresq; pertingit Dei,
Orationi liber, & uinctus fugæ
Fide sua sese arguit.
Nam qui putarat per mare euadi Deum,
Et naue cælari Deo,
Nunc iste et intra belluam mersus mari,
Adesse credat arbitrum.

Iam

A Iam me referre flexilis uerbi pedem
Oportet ad Ionam meum.
Quem more ceti cymba suscepit capax,
Vteroq; conclusum suo,
Vexit trementem frigore & formidine,
Saluumq; terræ reddidit,
Mirum renarrat se per illud temporis
Cùm puppe præceps ardua,
Saliens in illam decidisset nauculam
Eoq; uenisset loci,
Quo cymba multam duxerat rimis aquam,
Olente sentinæ lacu.
Statim fouente frigidos artus Deo,
Quiete sopitum sacra
Nudumq; & udum, fugere quæ somnus solet,
Dormisse lecto mollius.
Spacioq; toto, quo relatus littori est
Somno fuisse deditum.
Nec aqua excitatum, quam madebat: nec gelu,
Quod nuditate traxerat.
Licet esset anni tempus autumnus tepens,
Sed naufragis hiems erat,
Quos perditorum dura damna tegminum,
Gelidusq; quassabat tremor.
B Aliud stupendum quo fidelem gratiam
Martiniani colligas,
Dilecte frater accipe, & lauda Deum,
Sanctumq; fratrem amplectere,
Et allabantem portui sensit ratem
Stridente harena littoris.
Abeunte somno fit sui tandem memor,
Recipitq; sese expergitus,
Et adiacentis pectori tangit suo
Epistolas Apostoli.
Hunc in pauore codicem, sed nesciens,
Rebus relictis sumpserat.
Vel ille codex spiritu uiuens sacro,
Non sentienti adhæserat.
Metire quæso, quis nisi Christus suo
Dedit hunc ministro præsulem?
Testatur iste cogitatum nec sibi,
Illo pericli tempore,
Vt implicatam sarcinis membranulam
Meminisset illic tollere.
Quod si subisset in metu mentem suam,
Non & uacasset quærere:
Sed in suarum litterarum corpore,
Paulus magister affuit,
Amansq; puro corde lectorem sui,
De mortis abduxit manu.
Iterum eximendos è maris fundo uiros
Largitus est Paulo Deus:
Quæ quondam in ipso nauigante apostolo,
Fuit potestas gratiæ.
Hæc nunc per eius suffragata litteras
Martiniano & cæteris,
Qui Christianis tunc cohæserunt fuga
Discrimen à discrimine
Tutum parauit, ut fideles impijs
Discriminarat naufragos.
Ergo ut biremis applicata littori,
Exposuit humentes uiros
Vitam tenentes, & requirentes simul
Opem saluti flagitant,
Næ sæuiori fluctibus terræ dati,
Algu perirent & fame.
Sed propter inde posita Gallorum solo MASSILIA.
Massilia, Graiûm filia,
Alumna sanctæ ciuitas Ecclesiæ
Pandebat humanos sinus.
Vrbem hanc petentes naufragij casum indicant,
Ali tegiq; postulant.
Martinianum suscipit fraternitas,
Tectoq; apricat & cibo.
Sed copiosa caritate pauperes
Stipem pusillam commodant,
Exigua largos pensant affectus data,
Orando ditant hospitem
Et spiritali diuitem uiatico
Cum pace dimittunt sua.
Caligis tamen iste uilibus donatus est,
Ne nautico erraret pede,
Qui maluisset confoueri excalceus,
Quàm calceari frigidus.
Sed ire terra, quamlibet passus mare,
Nudi pudore respuit,
Reputans & illud, ne putaretur lucri
Amore nudum fingere.
Si ueste Teucer pannea peruaderet
Castella, uicos, oppida,
Qualia uagari per mare & terras solent
Auara mendicabula,

Qui deierando monachos ſe uel naufragos,
Nomen caſumq́; uenditant.
Verùm iſte noſter Chriſtianus, quamlibet
Et naufragus uerè foret,
Similis putari præcauens fallentibus,
Alijsq́; de ſe falli negans,
Non uult uiatoris ſine re nomen nouum,
Acquirat impoſtor ſibi,
Mauultq́; uitæ ferre iactum nauigans,
Quàm frontis æſtum inambulans.
Panno ergo ſordens, calciamento nitens,
Fluitare rurſus eligit,
Repetitq́; portus, & terræ tuto uiæ
Præuertit intutum maris.
Vt naue tectus uſq; uoti littora,
Velut expeditus nauita,
De nuditatis nauticæ conſortio
Nudi pudorem euaderet.
Fauens fideli rex Deus conſtantiæ,
Proſequitur audacem fidem,
Viceſq́; mutans dura ſuccedentibus
Aduerſa penſat proſperis,
Solidoq́; nauem paginatam robore,
Ad peruehendum præparat,
Pacem procellis imperat, nubes fugat,
Curſumq́; in aura dirigit.
Tali quiete temperans cœlum & mare,
Ne pace curſus hæreat,
Periculoſa nec ratem flatu graui
Perurgeat uelocitas.
Sic iſte Chriſto blandiente molliter
Emenſus aſperum mare,
Longinquiorem portum ab urbe allabitur,
Cui Centicellis nomen eſt.
Ac inde naui promouendus longius
Intraret ut portum Phari.
Vix iſte credens ſe potitum littore
Telluris optatæ ſibi,
Naui relicta, lætus inſultat ſolum,
Romamq́; feſtinat pedes.
Illic amica tecta fratrum, ciuium,
Optatus hoſpes inuenit.
Reſpirat animo, cùm quieſcit corpore,
Dat accipitq́; gaudia.
Patria fruentes inuicem reddunt ſibi,
Deo fatentur gratias.

Martinianus mœſta gaudens indicat, A
Tolerata narrans fratribus.
Lachrymas in ipſis gratulationibus
Miſcent refuſo pectore.
Theridius aberat inde, tunc mecum, meus
Vir munus à Chriſto mihi,
Vir pacis, & uir legis, & uir gratiæ,
Requies, uoluptas, mens mea
Huius cohoſpes, mente Paulinus pia,
In urbe ſeruabat domum,
Martinianum hic ueſte nudat naufraga,
Et ueſte cooperit ſua,
Donumq́; tunicæ qua ſodalem ornauerat,
Geminat cucullæ munere.
Largitor ipſe tunc uiciſſim ut naufragus
In ueſte manſit unica.
Poſt hæc et ad nos pergere incœptat uiam,
Qua ſternit aggerem ſilex,
Munitor Appius cui nomen dedit,
Terit terentem tramitem.
Qui ueſte trita nauigator uenerat,
Pedes uiator exterit.
Sed ne uel iſta penitus immunis uia,
Solitis uacaret caſibus, B
Impune pigram non tulit ſententiam,
Qua tendere ingreſſu piger
Ab urbe Capua quæ loco ſedis meæ
Bis dena diſtat millia.
Capua a Nola xx m.p
Nactus uacantem ſarcina mulum, ut ſolent
Iumenta reuocari domum,
Paruo breue per iter ære conductum ſedet,
Medioq́; mox ſpacio uiæ,
Muli pauore ſeſſor excuſſus procul
Vectore ſubducto cadit.
In ora lapſus, ora non lædit ſua,
In ſaxa fuſus & rubos,
Nec ſente uultum, nec lapide artus contudit,
Felicis exceptus manu.
Qui iam propinquantem ædibus fratrem ſuis,
Non paſſus occurſu mali
Suis periclum in finibus capeſſere,
Hoſtem remouit inuidum,
Et hunc fidelis compotem uoti, ſuis
Confeſſor induxit locis,
Noſtriſq́; iuxta ſedibus gratum intulit
Felix patronus hoſpitem.

Patriam

A Patriam hic rogatus indicat, casus refert,
De te beata nunciat,
Refrensq; paucos de tuis scriptis logos,
Quasi labra melle asperserit,
Sic de fauorum mihi tuorum guttulis
Dulcißimum gustum offerens,
Magis coëgit quas habenti non dabat
Desiderari litteras:
Sed cùm ipse causa litterarum, uenerit,
Et litteras uidi tuas.
Non atramento calami, sed mentis stylo
In fratre præscriptas bono,
Ignotus antè, mox ut esse cognitus
Cœpit, fit et charißimus.
Ab intus eius emicabat gratia,
Sermone mentis nuncio.
Bonus inquit omnis de bono profert bona,
Et arborem fructu uides:
Sic iste uerbo suauis, & castus fide,
Et fronte honesta lucidus,
Dulci benignæ caritatis flumine
In nostra fluxit uiscera.
Super hæc amicum meritò se iactans tuum,
Quo plus amaretur, dabat.
B Nec enim ulla nocti et lumini concordia est,
Lupus nec agno congruit.
Hinc & propheta sicut inquit, alites
Pares in unum conuolant:
Sic semper apta qualitate moribus
Iusticia concurrit bonis.
Martinianum sic tibi longè parem
Germana mens contexuit,
Speculumq; mentis & fidei instar tuæ
Est talium dilectio.
Benedictus auctor, fonsq; sanctorum Deus,
Non stulta iam tantum, neq;
Infirma mundi defluentis eligit,
Vt alta mundi destruat:
Sed ut ipse dixit, cuncta iam sursum trahens,
Et alta mundi uendicat,
Quoniam ipse fecit & pusillum & maximum,
Vtrosq; iungit gratia.
Et quos creator opere in uno condidit,
Hos recreat uno munere.
Communis omnes clausit infidelitas,
Medeatur ut cunctis fides,

Vt fiat omnis subditus mundus Deo,
Omnisq; lingua & dignitas.
Super omne Iesum nomen unum in gloria
Regnare fateatur patris.
Huic iam et potentes seculi curuant genu,
Deduntq; ceruices Deo,
Regemq; Christum confitentur principes,
Et sceptra submittunt cruci.
Coëunt in unum purpura & panni gregem,
Pastore concordes Deo.
Commune regnum, sanguis unus omnibus,
Summis & imis Christus est.
Qui te decôrum gloriosis seculi
Honore, litteris, domo,
Ditauit humili corde, ut æternam tibi
Conferret altitudinem,
Et ut cohæres esses cœli diuitum,
Istic amator pauperum.
Beatus es nunc, mente pauper, sed spei
Diues, qua gaudent pauperes.
Qui defrudati lubricis mundi bonis,
Cœli fruentur gaudijs.
Hos inter alto in Abrahæ patris sinu,
Secretum ab igne diuitum, et
Refrigerantem roribus uitæ locum,
Deus uiuorum præparat.
Insigne tantæ iam spei certum tibi
Magno coruscat pignore,
Plantata Domino in atrijs Hierusales,
Tui propago germinis.
Nanq; ut fideli te patri componeret
Aetate poposcit filium,
In semine Isac semen asscribens tuum,
Ipsumq; ut Isac expetens,
Quem tu Abramææ caritatis æmulus,
Viuam dedisti uictimam,
Deoq; tradens iam peremisti tibi,
Vt saluum haberes firmius.
Nunc iste uobis exter, & uester manet
Terrestris exsors seculi,
De matris aluo promptus, antequàm patrem
Matremq; cognosset suam,
Bonúmue saperet aut malum discerneret,
Beatus elegit bonum,
Et nunc in aula paruulus ludit Dei,
Et ore lactenti canit,

De uentre matris, et die prima mihi
Tu Christe protector meus.
Audistis et uos quod beatis dicitur,
Potens erit semen tuum.
Habes & illud: uentris à fructu tui
In sedibus ponam meis.
Qui sermo Dauid quàm libet Christum sonet,
In Christo & illus concinit,
Qui Christiani corporis collegio,
In sede ponentur Dei.
Vobis & Annæ sternitur consortium
Infantis exemplo sacri,
Samuel & iste creuit in templo Dei,
Nunc agnus et pastor, dehinc
Contexat illi sedulæ matris manus,
Ephot staturæ congruum,
Quam spiritalis in Dei uerbo sacris
Doctrina texat licijs,
Sitq; in superna ueste reginæ aureis
Intextus ipse fimbrijs,
Sanctumq; Christo Nazarenus uerticem,
Passis adornet crinibus,
Animæq; pulchrum crine uirtutis caput
Armetur operosa fide.
Nec huius unquam desecans nouacula
Ascendat in damnum comæ,
Et ut ille Samson ui capillorum potens,
Virtute crinitus sacra,
Sternat leonem strangulatum fortibus
Orationum brachijs,
Dulcemq; fructum nobilis uictoriæ
Decerpat ore mortui.
Sed hoc ab exemplo monitus caueat sibi,
Aliena adire fœdera.
Allophyla mulier est mihi, lex carnea,
Blandis dolosa retibus.
Si lege mentis ista sit lex fortior,
In iura peccati trahet.
Malesuada uerbis fraudis, arte dulcibus
Animum uirilem effœminat,
Excæcat oculos mentis, & radit caput,
Spolians & exarmans fidem.
Hac parte Samson nolo sit noster puer,
Ne misceatur copulæ,
Quam consequatur protinus infirmitas,
Captiuitas, & cæcitas.

A

Licet ille fortis postea receperit
Robur, recretis crinibus,
Manuq; ductus de mola, ad ludibrium
Hostilis exultantiæ:
In cæcitate corporis, mente intuens
Vocarit ultorem Deum,
Et restituto mox capillis robore
Prostrauit hostilem domum,
Cuius columnas, fortior saxis manus
Vt clausit amplexu graui,
Collapsa fulcris tecta subductis humo
Cecidere in ipsum, sed tamen
Et morte in ipsa, præpotens heros Dei,
Hostes ruinæ miscuit,
Et gloriosa morte pensauit sibi
Vitæ subactæ dedecus.
Qui seruus hoste gloriante uixerat,
Hoste obruto uictor cadit,
Et plura moriens interemit millia,
Quàm uiuus interfecerat.
Imitetur istam filius noster uolo,
Sic morte mortem, ut permanens
In carne, carnem uincat, & uiuat Deo,
Peccata carnis opprimens.

B

Sed nolo carnis gaudijs, ut noxiæ
Dolis subactus fœminæ,
Addicat animum, postea fiat hostium
Virtute nudus gratiæ.
Samson in ista parte sit, qua iugiter
Sanctus, neq; accisus comam,
Per tota uitæ tempora irrupto sacrum
Pertexat æuum stamine,
Et inchoatam seruitute infantiam,
Vsq; ad senectam pensitet.
Occidat Amelech, & piæ sæuus Deo
Peccata carnis immolet,
Quibus peremptis interibit zabolus,
Inuisus æternum Deo.
Saul in hoc deficiat, & regnet Dauid,
Pusillus altum destruat,
Vt non sit altus spiritu superbiæ,
Nec liuidus zeli malo:
Sed humile cordis, celsa uirtutum gerens,
Ascendat in regni thronum,
Et illa Samson gesta, quæ priora sunt
Sequatur, ut restes nouas

Cen

A u fila rumpat, nec fidem prodat suam,
CeNeu perdat ignauus comam.
Crinitus operum uiribus cœlestium
Prætenta rumpet uincula,
Palos refiget, mille prosternet uiros,
Vna subactos dextera,
Quia nostra uirtus, et caput, Christus Deus
Qui dextera & uirtus Dei est,
Virtute cuius mille serpentem dolis,
Nos appetentem uincimus,
Si fortis anima, mortificans asinum suum,
Pigri iumentum corporis,
Decoctus humor sobrijs laboribus
Pallore uultum liuidet,
Et tribulata carne uictrix castitas,
Consumat igne criminum.
Exterior etenim noster, ut corrumpitur
Terente continentia.
Tunc innouatur qui intus est, uicti potens
Infirmitate corporis.
Tunc mille latere, dena dextris millia,
Arente maxilla cadent.
Si mala nostra salus fiat otio,
Quæ est usu e-len di mobilis,
B Quia succulenti corporis licentia
Retunditur ieiunijs,
Et nunc triumphus fonsq; nobis nascitur,
In ore fractis ossibus.
Maxilla telum præliandi quæ dedit,
Data æstuanti poculum,
Ieiuna succi, carnis ossa mortuæ
Sancto rigante spiritu.
Sed quæ ante sanctis in figuram gesta sunt,
Nobis in actum scripta sunt.
Vt quod parentes gestitarunt corpore,
Nos actitemus spiritu.
Fluxere uetera, cuncta facta sunt noua,
Vacuauit umbram ueritas.
Abest salutis iam dies, hiems abit,
Et terra uernat floribus.
Audita iam uox turturis, tempus canit
Incisionis affore.
Epulemur ergo, uetere fermento sine,
In ueritatis azymis.
Quia pascha nostrum Christus immolatus est,
Intraq; nos regnum Dei est.
Quare uetustis absoluti legibus,
Iam non in umbra degimus,
Quos nube legis, & statutorum iugo,
Quasi comarum sarcinam
Christus leuauit ipse, Deus ille est suis
Factus redemptis in caput.
Quo capite liberi super tetrum caput,
Dracone uicto incedimus.
Illos decebat impedimentum comæ,
Vmbraculumq; uerticis
Quibus tegebat corda uelamen, sacra
Obnubilans mysteria.
At nos remoto litteræ uelamine
In luce corporis sui
Enubilatam ueritatem cernimus,
Faciem reuelati fide.
Puer ergo noster legis atque gratiæ
Alumnus, ex utroq; fit
In spiritalem comparatus gloriam,
Vt uetera promat et noua.
Fortis pudicis actibus crines agat,
Ferrumq; damni nesciat,
Vt à machera noxiorum dogmatum
Conseruet intactam fidem.
Sed rursus idem & euangelico desuper
Mentem retectus lumine,
Ponat capillos oneris et uelaminis,
Seruus fidei & liber fide.
Hunc lacte primo per prophetarum ubera,
Lex pædagoga nutriat:
Hunc angelorum pane dulcis gratia,
Et melle de petra cibet.
Inebrietur sobriante poculo
De fonte sancti spiritus,
Et ipse tu mox copulatus filijs,
Vt palma florescas Deo.
Hunc nanque uestra uite fusum palmitem,
Sic credo firmandum Deo,
Radicis ipse ramus, ut radix suæ
Secum suam stirpem trahat.
Vt ille quondam prouidentia Dei,
Distractus in seruum puer
Ad arua frugum missus est, ut et patrem
Præiret, et fratres suos,
Qui mox per orbem consecutura fame
Patris altor et fratrum foret.

Sic iste forsan in sacram panis domum,
Vos antecessit filius,
Vt & parentes pascat, & fratres suos
In istius mundi fame,
Vbi terra tribulos parere nobis largior,
Eget bonorum frugibus,
Et hic spadoni uenditus dici potest,
Quia castitatis seruus est,
Et qui in seueri ius manumq; est traditus
Spadonis, ob regnum Dei,
Quo nutriente roboratus in fidem,
Et caritatem masculam,
Irretientis seculi pompam illicem,
Vt impudentem fœminam,
Casto superbus respuit fastidio,
Nudaq; uitauit fuga,
Et anteuertet gaudijs lethalibus
Pœnas salutares patri.
Vt ille quondam, sic modo iste carcerem
Pro castitate perferat,
Vt à iuuenta singulariter sedens,
Tacitaq; seclusus domo,
Amet quietæ tecta solitudinis,
Spinis et aures sæpiat,
Domibus ciborum præferat luctus domum,
Vt gaudium fletu ferat,
Seseq; duris sponte nectat legibus,
Culpæ ut resoluat uinculis,
Patientiæq; compedem imponat sibi,
Nec sede nec sensu uagus.
Et tunc ab humili celsa promerebitur,
Quia qui superbos deprimit,
Humiles inaltat, dansq; paruis gratiam
Resistit arrogantibus.
Sic ille Ioseph antè paruus factus est,
Vt magnus esset, & nisi
Seruus fuisset, non fuisset in sui
Tellure seruitij potens.
Vbi sustinuerat seruitutem & carcerem,
Ibi regnum opesq; nactus est:
Sed sustinendo iniquitatis uincula,
Cepit iusticiæ præmia.
Sic & hic probatus corporis custos sui,
Vt claustra teneat carceris,
Si uicia carnis strinxerit Christi metu,
Quasi uinculatis præerit,
Alijsq; mundi carceri inclusis adhuc A
Et alligatis seculo
Vt liber ipse, iamq; commissus sibi,
Magister & custos erit.
Nanq; ille iure qui sui seruauerit,
Aliorum habet custodiam.
Non ut tenebris permanere carceris,
Sed liberos uinctos uelit.
Sed ut receptos doceat exemplo suo,
Mundi catenis exui,
Et facile proprijs absolutus uinculis,
Solui docebit crimine,
Bonusq; mentis uir gubernator suæ, &
Ecclesiæ nauem reget,
Nam quomodo ille præsidebit proximis,
Præesse qui nescit sibi?
Sed sermo lapsus decucurrit longius,
Reuertar ad Ioseph meum.
Castus beatæ flore uernet gratiæ,
Sicut paradisi lilium,
Vt corde puro cœlitis prudentiæ
Potum pudicus hauriat,
Responsa dubijs exerat mortalibus,
Arcanus interpres Dei, B
Et emicante gloria famæ bonæ
Notescat in regis domo,
Placitusq; regi spiritus prudentiæ,
Sumatur in regni ducem,
Possessionis regiæ princeps eat,
Præfectus in magna domo,
Stolam sed iste byssinam, & torquem aureum,
Gerat apta Christo insignia:
Textam supernæ gratiæ uestem induat,
Stolatus innocentia.
Contexta bysso uestis irruptam fidem
Signat ualenti stamine,
Nam fila byssi fortiora & sparteis
Feruntur esse funibus,
Pro torque, collo caritatis aureæ
Prædulce circundet iugum,
Quod suaue Christo, nec molestum pondere
Astringit colla, non premit.
Hæc inter idem dona sumat regij,
Insigne iuris annulum,
Comptusq; trino trinitatis munere,
Curru uehetur regio.

Regalis

A Regalis etenim currus est Christi caro,
Corpusq; sanctum Ecclesia:
Quo uehitur ipse millibus lætantium,
Agitator Israël, Deus.
Imitare Christum, fac bona, & uita malum,
Cœli uiam in terris age,
Et ipse te rex ponet in currum suum,
Regniq; consortem dabit,
Et summa regni iura committet sui,
Pandetq; thesauros suos.
Sed antè digna largietur pignora,
Vt regijs insignibus
Ornatus, altum regis ascendas thronum,
Reseresq; regales penus,
Sapientiæ monile, gloriæ stolam,
Fideiq; gestans annulum.
Sed ut ille totam uir per Aegyptum potens,
Fuit extero Aegypti solo,
Et isti mundi uiribus potentior,
Sit fortis Aegyptum super,
Aegyptiorum sed peregrinus homo
Sic mixtus, ut non mixtus sit,
Distetq; sanctum, sede communi licet,
B De gente non sancta, genus.
Nam tunc in isto tanquam in Aegypto situs,
Sic demoretur seculo,
Alienus ut sit seculi negotijs,
Cœlestis urbis incola.
In carne uiuens, uita carnis exulet,
In lege mentis ambulans,
Totamq; regni crediti terram sibi,
Peragret in libris sacris.
Et sicut ille uir Dei, Ioseph pius,
Memphiticos fines obit,
Et ampliatis horreis lætas opes
Fœcunditatis congerens,
Exuberantum diues annorum bonis
Ieiuna pauit tempora:
Sic iste noster in sacratis litteris,
Perambulet regnum Dei.
Scriptura nanq; sancto flata spiritu,
Regni perennis mater est,
Et iste cura spiritali prouidens
Struat ampla mentis horrea,
Vt dilatato larga uitæ perpetis
Alimenta condat pectore,
Et cùm uitali diuitem substantia
Perfecerit terram suam,
Tunc tu ut fruaris filij potentia,
Tanquam Israël bis senex,
Et introibis lætus, & citò simul
Cognationis agmine,
Pascetq; natus in domo regis tuam
Partis senectam panibus,
Vt pullus aquilæ dicitur repascere
Cura parentes mutua.
Quos uis senectæ rursus implumes facit,
Nidoq; pascendos refert:
Donec replumi uestiantur corpore,
Pennisq; florescant nouis.
Versi uicissim more naturæ nouo
Sunt filijs pulli senes.
At cùm ueterno defæcata fecerit
Nouos iuuenta præpetes,
Desueta longo remigio pennarum senio,
Natis magistris inchoant,
Mixtiq; pullis conuolant altoribus,
Leui per auras impetu.
Liquidum sereno tractibus lentis iter
Secare sublimi iuuat,
Placideq; sudum uentilantes aërem
Ala pares immobili,
Dum se sequuntur, & uicissim præeunt,
Secto coronant circulo
Vtraq; regni cœlestis mysteria
Mutæ loquuntur alites.
Sacrum potentis explicant instar crucis,
Suspensa pennis corpora.
Volatus autem circumactus ambitu,
Spondet laboris præmium.
Sic iste pullus gratiarum filius,
Vestræ salutis præuius,
Auium per alta commeatum nubila,
Sit spiritalis æmulus,
Cornibus & alis arduæ fultus crucis,
Volet in coronam gloriæ.
Qui fonte proprio est deriuatus, ut suã
Fons totus in uenam fluat,
Vestrumq; proni riuulum sequamini
Vt fluminibus cunctis eat
Benedicta proles, sancta radix, & bonæ
Rami feraces arboris.

Aquilæ pietas par Ciconiarũ, vñ pia vicissim beneficiorũ relatione ἀντιπελαργεῖν usurpauere veteres quasi si latine dicas reci-coniare.

Deo dedistis nutriendum filium,
 Et ille sic uobis alit,
Vt uos uicißim nutriat canus puer:
 Senibus magister paruulus,
Pietatis admirabili mysterio
 Factus parens parentibus.
Deinde cuncti tota sanctorum cohors
 Ad corpus illud uerticis,
Quo sicut aquilæ congregabuntur pij,
 Et uos uolantes ibitis.
Quod non ualebunt, quos humo tolli uetant
 Patrimoniorum pondera.
Cum prima signum suscitandis mortuis,
 Cœlo tuba intonauerit.
Hi nunc obæsi spiritu superbiæ,
 Et opibus inflati cauis,
Humi manebunt compediti, nec suis
 Mundi caduci diuites,
Portare tenera non ualebunt nubila,
 Ad regis occursum Dei:
Sed hæsitantes in luto fæcis suæ,
 Opumq; pressos molibus:
A meridiano incendio mundi repens
 Ruina mortis opprimet.
Ne quæso Dominus talium uirgā Deus
 Admittat in sortem suam,
Neque nos in horū diuitū fructus sinat
 Manus iniquas tendere.
Vos ergo magna cura pectoris mei,
 Paramini Christo lenes,
Iamq; expediti sarcinis egentibus,
 Laxate uinculis pedes,
Vt copiosa luce uestiamini
 Estote nudi seculo:
Veniens ut huius seculi princeps, nihil
 Inueniat in uobis suum.
Et uos prementum mole rerum liberos,
 Et labe puros criminum,
Facile alleuantes perferant tenui sinu
 Nubes piorum baiulæ,
Sponsoq; reginæ obuiam uectos Deus
 Fulgore perfundat suo,
Vt sempiternæ clara uitæ gloria
 Mortale uestrum sorbeat,
Et ad supernam restituti imaginem,
 Herile conformes decus.

Aeuum perenne perpetes, ut angeli A
 Cum rege uiuatis Deo.

PAVLINI EPISCOPI NO-
lani ad Nicetam, Dacorum
Episcopum.

Iter amici pijs uotis prosequitur.

Iámne abis, et nos properans relinquis,
Quos tamen sola regione linquis,
Semper annixa sine fine tecum
 Mente futuros?
Iámne discedis reuocante longè
Quam colis terra, sed & hic resistis
Sancte Niceta: quoniam et profectum
 Corde tenemus.
I, memor nostri, remaneq; uadens
Spiritu, præsens animis uicißim
Insitus nostris, trahe ferq; tecum
 Quos geris in te.
O nimis terræ & populi beati,
Quos modo à nobis remeans adibis,
Quos tuo accedens pede uisitabit
 Christus et ore.
Ibis Arctoos procul usque Dacos,
Ibis Epiro gemina uidendus, B
Et per Aegeos penetrabis æstus
 Thessalonicen.
Appulis sed nunc uia prima terris
Te uehet longo spaciosa plano,
Qua Canusino medicata flagrant
 Vellera fuco. *suco*
Ast ubi paulum uia proferetur,
Det precor mites tibi Christus æstus,
Et leuis spiret sine nube siccis
 Aura Calabris.
Sicut antiquis manibus prophetæ
Per sacramentum crucis, unda misso
Dulcuit ligno, posuitq; tristes
 Myrrha liquores:
Sic tibi cœlum modò temperetur.
Lenè sic sudet tenuatus aër, *Sudo · sudat praes. te.*
Flatibus puris placidè salubres
 Spiret in auras:
Qui solet flatu grauis è palustri,
Anguium tetros referens odores,
Soluere in morbos tumefacta crasso
 Corpora uento.

Quem:

A Quem potens rerum Dominus fugari
Siue mutari iubeat,suoq;
Nunc sacerdoti bona sanitatis
Flabra ministret.
Sicut Aegypto pereunte quondam
Noctis & densæ tenebris operta,
Quá Dei uiui sacra gens agebat,
Lux erat orbi.
Quæ modò in toto species probatur
Orbe cùm sanctæ pia pars fidei
Fulgeat Christo,reliquos tenebris
Obruat error.
Sic meo,qua se feret actus ora,
Cuncta Nicetæ Dominus secundet,
Donec optatò patriam uehatur
Lætus ad urbem.
Perge Niceta bene,quâ recurris
Prosperos Christo comitante cursus,
Quem tui dudum populi fatigant,
Nocte dieq;.
Te reposcentes,ut ager leuandis
Cùm satis imbrem sitit,utq; molles
Cùm suas matres uituli represso
B Lacte requirunt.
Vnde nos iustis precibus tuorum,
Qui suum rectè repetunt parentem,
Cogimur uicto licet irrepleti
Cedere uota.
Et quia spes iam rapitur tenendi,
Vrget affectus placitis fauere:
Iam uias illas licet execremur
Quæ rapiunt te:
Odimus quamuis,tamen has amamus,
Odimus quod te retrahunt:amamus
Quod tuum nobis procul attulerunt
Cernere uultum.
Quas prius stringi superante amore,
Nunc tibi sterni faciles precamur,
Præuio terris pelagoq; summi
Numine Christi.
Qui tibi factis iter omne campi
Arduos montes reprimat,cauasq;
Impleat ualles,salebras adæquet,
Iungat hiatus. stringat
Te per Hydruntum Lepiasq; uectum,
Innubæ fratrum simul & sororum
Ambient,uno Dominum canentes
Ore,cateruæ.
Quis mihi pennas daret ut columbæ,
Vt choris illis citus interessem,
Qui deum Christum duce te canentes
Sidera pulsant?
Sed licet pigro teneamur ægri
Corporis nexu,tamen euolamus
Mentibus post te,dominoq; tecum
Dicimus hymnos.
Nam tuis intus simul implicati
Sensibus,uel cùm canis ac precaris,
Cùm tua de te prece,cumq; uoce
Promimur & nos.
Inde iam terris subeunte ponto,
Hadriæ stratus sinus obsequetur,
Vnda procumbet,Zephyroq; leni
Vela tumescent.
Ibis illabens pelago iacenti,
Et rate armata titulo salutis
Victor antenna crucis,ibis undis
Tutus,& austris.
Nauitæ læti solitum celeusma
Concinent, uersis modulis in hymnos,
Et pijs ducent comites in æquor
Vocibus auras.
Præcinet cunctis tuba ceu resultans
Lingua Nicetæ modulata Christum,
Psallet alternis citharista toto
Aequore Dauid.
Audient Amen tremefacta cete,
Et sacerdotem Domino canentem
Læta lasciuo procul admeabunt
Monstra natatu:
Vndiq; alludent patulo uerentes
Ore delphines,sine uoce quanquam,
Aemula humanis tamen eloquentur
Gaudia linguis.
Nam Deo quid non sapit atq; uiuit,
Cuius & uerbo sata cuncta rerum?
Hinc Dei laudem maris ima noscunt,
Mutaq; clamant.
Testis est nobis ueteris prophetæ
Bellua,ad nutum Domini profundo
Excita,ut mersum caperet,deinceps
Redderet haustum.

Sed modò ad noſtrum, ferus ipſe, uatem
Auribus tantùm pia deuorauit
Cantica, impaſtam ſaturauit aluum
Carmine paſtus.
Qualibet pergas iter, & per undas
Perq́; tellurem, licet & per hoſtes,
Ibis armatus galeâ ſalutis,
Vertice Chriſto.
Aduolet miſſus Raphael, ut olim
Tobiæ Medis, ita proſequendo
Ipſe Nicetæ comes, uſq; Dacos
Angelus adſit.
Ducat hunc æquè famulum ſuum dux,
Ille qui quondam profugum minacis
Fratris à uultu Deus in ſalutem
Duxit Iacob.
Nanq; Niceta fugitiuus æquè eſt,
Quod ſemel fecit patriarcha, ſemper
Hic facit, mundo fugiens ad alti
Mœnia cœli.
Et gradus illos, quibus ille uidit
Angelos uerſa uice commeantes,
Iſte contentus ſuperante nubes
Scandere uita.
Per crucis ſcalas properans in aſtra,
Qua Deus nitens ad humum coruſcis
E thronis, ſpectat uarios labores,
Bellaq́; mentis.
Tuq́; Niceta bene nominatus
Corporis uictor, uelut ille dictus
Iſrael ſummum quia uidit alto
Corde ſatorem.
Vnde Nicetes meus approbatur,
Iſraelites ſine fraude uerus,
Qui Deum cernit fidei ſalubri
Lumine Chriſtum.
Hic Deus noſter, uia noſtra ſemper
Sit comes nobis, ſit & anteceſſor,
Semitis lumen, pedibusq́; noſtris
Sermo lucerna.
Qua per obſcuri uada cæca mundi,
Luminis ueri face dirigamur,
Donec optatos liceat ſalutis
Tangere portus.
Quos modò undoſum petimus per æquor,
Dum uagæ mentis fluitamus æſtu:
Terreo, tanquam fragili carina, A
Corpore uecti.
Sed gubernaclo crucis hanc regente
Nunc ratem, in nobis pia uela cordis
Pandimus Chriſto referente littus
Flamine dextro.
Ergo dux idem modò proſequatur
Te uia, qua nunc properas reuertens
Ire Niceta, patrioq́; reddat
Limine tutum.
Sed freto emenſo ſupereſt uiarum
Rurſus in terra labor, ut ueharis
Vſq; felices, quibus es ſacerdos
Præſtitus oras.
Tu Philippæos Macedum per agros,
Per Tomitanam gradieris urbem,
Ibis & Scupos patriæ propinquos
Dardanus hoſpes.
O quibus iam tunc reſonabit illa
Gaudijs tellus, ubi tu rigentes
Edoces Chriſto fera colla miti
Subdere gentes.
Quaq́; Riphæis Boreas in oris
Alligat denſis fluuios pruinis, B
Hic gelu mentis rigidas ſuperno
Igne reſoluis.
Nam ſimul terris animisq́; duci,
Et ſua Beßi niue duriores,
Nunc oues facti, duce te gregantur
Pacis in aulam.
Quasq́; ceruices dare ſeruituti
Semper à bello indomiti negarunt,
Nunc iugo ueri Domini ſubactas
Sternere gaudent.
Nunc magis diues precio laboris
Beſſus exultat, quod humi manuq́;
Antè quærebat, modò mente cœlo
Colligit aurum.
O uices rerum bene uerſa forma,
Inuij montes prius & cruenti,
Nunc tenent uerſos monachi latrones,
Pacis alumnos.
Sanguinis quondã, modò terra uitæ eſt,
Vertitur cœlo pia uis latronum,
Et fauet Chriſtus ſupera occupati
Regna rapinæ.

A Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus uiget angelorum,
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris.
Præda fit sanctis uetus ille prædo,
Et gemit uersis homicida damnis,
Ire nudatus spoliante Christo
Criminis armis.
Interit casu satanæ uicißim
Inuidus Cain, recidiuus Abel
Pascit effusi precio redemptos
Sanguinis agnos.
Euge Niceta, bone serue Christi,
Qui tibi donat lapides in astra
Vertere, & uiuis sacra templa saxis
Aedificare.
Auios saltus, iuga uasta lustras,
Dum uiam quæris, sterilemq; siluam
Mentis incultæ superans, in agros
Vertis opimos.
Te patrem dicit plaga tota Boreæ,
Ad tuos flatus Scytha mitigatur,
Et sui discors, fera te magistro
B Pectora ponit.
Et Getæ currunt, & uterq; Dacus,
Qui colit terræ medio, uel ille
Diuitis, multo boue pelleatus, pro pellitus
Accola ripæ.
De lupis hoc est uitulos creare,
Et boui iunctum palea leonem
Pascere, & tutis caua uiperarum
Pandere paruis.
Nanq; mansueto pecori coire,
Bestias pulsa feritate suades,
Qui feras mentes hominum polito
Imbuis ore.
Orbis in muta regione, per te
Barbari discunt resonare Christum
Corde Romano, placidamq; casti
Viuere pacem.
Sic tuo mitis lupus est ouili,
Pascitur concors uitulus leoni,
Paruus extracto trucibus cauernis
Aspide ludit.
Callidos auri legulos in aurum
Vertis, et uersos imitaris ipse,
E quibus uiuum fodiente uerbo
Eruis aurum.
Has opes condes Domino perenni,
His sacrum lucris cumulans talentum,
Audies, intra Domini perennis
Gaudia lætus.
His precor cùm te domus alma sancto
Ceperit fratrum numerosa cœtu
In choris, & nos pietate chari
Pectoris abde.
Nam Deo grates, quod amore tanto
Nos tibi astrinxit per operta uincla,
Vis ut internam ualeat catenam
Rumpere nulla.
Vnde complexi sine fine charum
Pectus hæremus laqueo fideli,
Quaq; contendas comites feremur
Mente sequaci.
Charitas Christi benefusa cœlo,
Orbis aut alter, neq; mors reuellet,
Corporis uita moriente, uita
Viuet amoris.
Dum graues istos habitamus artus,
Mente te semper memori colemus,
Tu petes, simus simul in perenni
Tempore tecum.
Nanq; te celsum meritis in altum
Culmen imponet preciosa uirtus,
Inq; uiuentum super urbe magnis
Turribus addet.
Nos locis, quantum meritis dirempti,
Eminus celsis humiles patronis,
Te procul sacris socium cateruis
Suspiciemus.
Quis die nobis dabit hoc in illa,
Vt tui stemus lateris sub umbra,
Et tuæ nobis requietis aura
Temperet ignem?
Tunc precor nostri nimium memento,
Et patris sancti gremio recumbens,
Rosido nobis digito furentem
Discute flammam.
Nunc abi felix tamen, & recedens
Semper huc ad nos animo recurre,
Esto uobiscum licet ad paternam
Veneris urbem.

Non enim unius populi magiſtrum,
Sed nec unius dedit eſſe ciuem,
Te Deus terræ, patria ecce noſtra
Te ſibi ſumit.
Nunc tuos æqua pietate utriſq;
Diuide affectus, & amore nobis,
Ciuibus uultu, gemina morare
Ciuis in ora.
Forſan & maior patria hæc habenda,
Non manu factis ubi contineris
Pectorum tectis, hominisq́; uiuam
Incolis urbem.
Sicut antiſtes, ita dignus almi
Hoſpes es Chriſti, quia Chriſtianis
Mentibus conſors, habitas berile
Accola templum.
Iam uale nobis, & in omne noſtri
Diligens æuum bonus uſq; finem,
Duc bonum curſum, poſitamq́; iuſtis
Sume coronam.

PAVLINI EPISCOPI NOLANI, DE STATV turbulento ſuorum temporum, & fiducia in Deum.

Ex D. Felicis Nat. VIII.

TEmpus erat lætis modò promere gaudia uerbis,
Anxia ſi lætas paterentur tẽpora uoces:
Sed tamen iſta dies licet inter prælia, nobis
Lætitiæ paciſq́; dies erit: horrida longè
Bella fremant, noſtris pax libera mentibus adſit.
Lætitiæ dulcem non obliuiſcitur uſum
Mens aſſueta pijs ſua ſoluere pectora uotis,
Et Domino feſtis caſtè gaudere diebus.
Nunc igitur quamuis uarias uaga fama per oras,
Terrificis pauidas feriat rumoribus aures:
Nos tamen in Domino ſtabilis fiducia caſto
Roboret, & recto fixis pede mentibus armet.
Nec pauor ater in hanc obducat nubila lucem.
Legifer ut quondam Pharij tellure tyranni
Paſcha ſacrum Moſes, prima ſub legẽ dicauit,
Sanctaq́; tunc Iudæa, domo licet impius illos
Maturare fugam ualida ui cogeret hoſtis,
Libertate tamen deuoti pectoris audax,
Nec turbante metu iuſſum ſolenne reliquit:
Sed trepidans fugienſq́; licet, diuina peregit
Feſta, ſalutifero lætis epulatus in agno
Cœtibus, & ficto Chriſti iam ſanguine uictor, A
Duxit ouans lætas uicto Pharaone, choreas.
Inde fugæ memores, & iam nunc azyma ſumunt
Iudæi, ſolo retinentes nomine gentem,
In fermentatis pulſi quia panibus olim
Aegypto fecere fugam. paribus modò ſignis
Per patrios, ſed iam per inania Sabbatha, ritus
Antiqui recolunt ueſtigia grata timoris.
Nam fruſtra ueterem uacua ſub imagine legem
Exercent, uerùm nobis quia Paſcha repleuit
Vnus, pro cunctis patri datus hoſtia Chriſtus:
Et quia corpus adeſt uitæ, perit umbra figuræ.
Hic quoq; deuotis aderit, ſi fortior extet
Nunc ad lætitiam affectus, quàm cauſa timoris
Ad conſternendas obducto pectore mentes.
Credite, non armis neq; uiribus eſſe timendos
Allophylũ populos, quos propter crimina noſtra
Offenſi mouet ira Dei, ut formidine mortis
Excitet ad curam uitæ torpentia corda.
Ergo Deum mitem ſæuo timeamus in hoſte,
Abſit ut hoſte metus, quem formidare meremur,
Negligimus ſaltem ui compellente tremamus,
Placemus mœrore humiles, quem læta ferentem
Spernimus, ex ipſa mox proſperitate ſuperbi. B
Priſca retractemus ſanctorum exempla parentũ
Qui merita immiſſis tolerantes uerbera bellis,
Non armis ſibi, nec muris capienda parabant
Præſidia, humanis opibus ſperare ſalutem
Nulla ſalus: nec enim mortem mortalia pellent.
Ergo quod curæ tempus, ſit cura precandi
Cœleſtẽ Dominũ, à quo mœſta aut læta parantur,
Qui ſolus præſtare poteſt ditione ſuperna,
Rurſus ut exactis renouentur gaudia curis.
,, Hoc etenim regit, & uariat Deus arbiter uſu
,, Res hominum, ut ſemper ſuccedant nubila ſudis,
,, Atq; iterum fugiant imbres redeunte ſereno.
Quanta precum uirtus, quæ ſit medicina parenti
Flere Deo, doceat luctu ſeruata Niniue,
Et ſenis impenſa Moſi præuictus Amalech,
Et maledictus Amã, ſanctæ prece perditus Eſther:
Qui bene pœnarum uerſa uice, quæ malè ſanctis
Miſcuerat, ſolus bibit impius, & cruce iuſta,
Quam populo Domini præfixerat, ipſe pependit.
Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet
Pectora, & in mœſto ſecurum tempore tempus
Præſumat confiſa Deo. quia non metuendi

A Causa timere Deum, quem quisquis non timet unũ,
Omnia iure timet: fidant legionibus illi,
Perfugioq; parent reparatis mœnia muris,
Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi.
Nos crucis inuictæ signum et confeßio munit,
Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quanquã mẽbris uideamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.
Nunc opus adiutore Deo, solusq; timendus,
Quo sine et arma cadunt, per quẽ firmantur et ar/ (ma.
Ipse intra muros turris tibi, qui sine muris
Murus erit. recolamus abhinc signata sacratis
Gesta patrum libris, & perspice qui potiore
Præsidio fuerint, quos urbs circundata magnis
Absque Deo muris, an quos sine mœnibus urbis
Vallabat socio uirtus diuina fauore.
Illam dico urbem, quam perdidit acer Iesus,
Mutatus proprium uirtutis nomine nomen.
Quanquam militiæ solito de more subegit,
Vt solitum est, longa dux obsidione laborans.
Verùm ope diuina sacra per mysteria uibrans
Tela, nec exercens tacitis exercitus armis,
Lustrauit ceßante manu, septemq; diebus
B Septenos iterans sibi circũ mœnia gyros,
Obtinuit captos numeri uirtute potentis,
Atque sacerdotum lituis clangore tremendo
Fulmineos superæ tonitrus imitantibus iræ.
Tunc qui diuitijs populus fidebat & urbe,
Interijt mixtis intra sua tecta sepulchris.
Sola Rabab meretrix, castam quæ geßit iniqua in
Gente fidem, non freta suis euadere muris,
Sed pietate Dei, meritum pietatis adepta est,
Qua famulis Domini tuto fuit hospita tecto,
Cælatisq; piè, ciues illusit iniquos,
Fraude bona fallax, animo mentita fideli,
Hospitibus quia fida pijs, infida profanis
Ciuibus extiterat, uitam patriamq; domumq;
Prælato contempta Deo, mox cuncta benigno
Repperit in Domino, quæ si posuisset in urbe
Præsidium, patrijs cecidisset mixta ruinis,
Indefensa Deo meretrix: sed mystica Christum
Prouida, pollutas empturum sanguine gentes,
Puniceo proprium signauit uellere tectum,
Excepitq; suam patria pereunte salutem.
Significans illos mundo labente tegendos,
Quos crucis inuictæ signat cruor: hinc cape quãtũ
Ipse cruor ualeat, cuius saluabat imago.
Semper in omne, bono ualuit cõfidere Christo.
Credere cuncta Deo uirtutum, ponere solum
Omnia summa Deum: talis super omnia semper
Arma fides ualuit: tali puer ille pusillus
Robore grandis erat, qui spretis fortior armis
Perculit, armatum siclis, uirtute gigantem.
Arma fide semper, nunquam cognouimus armis
Indiguisse fidem. rupit mare uirga fidelis,
Quod uacua arma fide, cũ principe mersit iniquo.
Fœmineas quoq; personas, uirtute uirili
Induit alma fides: mulier qua sancta peremit
Terribilem Sysaram, transfixum tempora palo,
Terrentemq; manu latè populos Holofernem,
Arte pudicitiæ deceptum callida Iudith,
Risit in impuro, quæ non polluta, cubili,
Barbara truncato uictrix duce castra fugauit.
Nuda fides armata Deo est, fideiq; uigore
Fortior Ezechias paucis, quàm millibus ille
Sennacherin, cuius Babylon, & opima Niniue
Regnum erat, Aßyrias uires, & Medica regna
Mouerat, & magnis legionibus omnia circum
Regna terens, sacram Domini tendebat ad urbem,
Atq; unam tota bellorum mole petebat.
Dum parat hoc, bellis retinentibus impia uota
Impediente Deo, præmisit scripta superbis
Dura minis, quæ sumpta dolens altaria circa
Intulit Ezechias Domino, lachrymisq; profusis
Dum recitat fera uerba, lauans, prostratus, & orãs
Atrata cum plebe, Deum permouit, et una
Tam grauis exitij uictor prece, perculit absens
Aßyrios pugnante Deo, compendia tanta
Promeritus, ne noßet eum, quem uinceret hostem.
Nam post Ezechiæ querulos trãs sidera fletus,
Et de corde humili mißas super astra querelas,
Voce pia impulsis summi patris auribus, altæ
Vt patuere fores cœli, delabitur, ales
Angelus halantem qua labitur aëra ducens,
Armatus uerbi gladio ferit impia castra,
Et sopitorum taciturna strage triumphans,
Centum octoginta dedit uni millia letho,
Et nox una fuit tam magni conscia belli.
Mane minax rex surgit adhuc, et mox miser (armis
Milite deleto uacuis, fugit agmine raro,
Ezechian fugiens, alio procul orbe diremptum,

Cui modo præsenti fuerat sua uincla minatus.
Tunc uelut Ezechiæ fuit interuentor Esaias,
Ad Dominum nostras sic transfundamus & ipsum
Curas atque metus: leuis illi sarcina nostrum (gnis:
Pōdus erit, quia quod paruis onus, hoc leue ma-
Sic Deus ipse hominum gesſit peccata nec hausit,
Et mortem passus non pertulit, in cruce culpam
Perdidit ille meam, reparauit et in cruce uitam.
Ille reus factus, ne sim reus, inter iniquos
Condemnatus obit, nos ut discernat iniquis.
Morte pia Dominus mihi mortuus, ut sibi uiuam,
Et merear semper uiuentis uiuere uitam.
Sic legimus Mosen populo peccante precatum,
Extinxisse graues æterni uindicis iras.
Et cum Pentabolim perfunderet igneus imber,
Exiguam Segorim Sodomis secreuit iniquis
Loth fugiens, castaq; potens prece liberat urbem,
Electamq; domo sumit, quia sede pudica
Integer incestæ permanserat, incola terræ,
Permixtus Sodomæ tectis, sed moribus exter.
Quid loquar, Eliæ precibus clausum atq; reclu
Cœlū, et factiloquo sublimis in ore prophetæ (sum
Terrarum mansisse famen, rediisse salutem?
Et Deus Abraham Deus est tuus, & Deus Isaac,
Et Deus Israel Deus est tuus, ille rubentis
Diuisor pelagi, & fontis dulcator amari.
Ille dator mannæ cœlo, dator ortygis austro,
Et sitientis humi percussa rupe rigator.
Ipse tuus Deus est, qui per deserta sequentem
Præcesſit populum, et prætentam nocte dieq;
Temporis alterna mutauit lege columnam,
Quiq; quaterdenos inter deserta per annos
Angelico plebem de cœlis pane cibauit,
Et rupta in fluuios sitientem caute refecit.
Posce precor placidū nostris accedere Christū
Partibus: ipse tuus Deus est, quo fortis Iesus
Stare suis iusſit solemq; lunamq; triumphis.
Sicut in Assyria Daniel Babylone leones
Effusa domuit uictor prece: sic quoque nobis
Effera barbaries Christo frangente dometur,
Et tua captiui iaceant uestigia circum,
Ceu quandoq; feræ circum iacuere prophetam,
Orantisq; pedes linguis mulsere benignis
Naturam mutante Deo, ut damnaret acerba
Mente feros homines humana pace ferarum.
Sic et crudelem confudit flamma tyrannum,
Sanctus spectantem pueris seruire caminos, A
Innocuos cantare, reos ardere ministros,
Quónam se miseri poterunt defendere reges,
Qui tam degeneres humanæ mentis, in illos
Sæuierint, quibus et feritas et flamma pepercit?
Sed uelut æternos pueris recinentibus hymnos,
Roscidus accensos discusſit spiritus ignes:
Sic nobis placido, Christi quoque gratia, flatu
Aspirante, feros bellorum temperet ignes,
Ortaq; romuleis reprimens incendia terris
Sollicitos placida iam pace refrigeret æstus,
Fessaq; restinctis absoluat pectora curis.

PAVLINI EPISCOPI NOLANI,
De diebus festis olim Ecclesiæ celebribus.
Ex Nat. IX.

EST ueneranda dies cunctis, qua uirgine natus,
Pro cunctis hominem sumpsit Deus: utq; deinde
Qua puerum, stella duce, mystica dona ferentes,
Suppliciter uidere Magi: seu qua magis illum
Iordanis trepidans lauit tingente Ioanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas.
Siue dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine uerso,
Permutauit aquas prædulcis nectare uini. B
Quid paschale epulum? nam certe iugiter omni
Pascha die cunctis Ecclesia prædicat horis,
Contestans Domini mortem cruce, de cruce uitam.
Cunctorum tamen hoc magnæ pietatis in omnes
Grande sacramentū præscripto mense quotannis,
Totus ubique pari famulatu mundus adorat,
Aeternum celebrans rediuiuo corpore regem.
Hoc solenne dies sequitur: septem numeramus
Hebdomadas, et lux populis festiua recurrit,
Qua sanctus, quondam cœlo demisſus ab alto,
Spiritus, ignito diuisit fulmine linguas.
Vnus et ipse Deus diuisa per ora cucurrit,
Omnigenasq; uno sonuit tunc ore loquelas,
Omnibus ignotas tribuens expromere uoces,
Quisque suam ut gentē peregrino agnosceret ore,
Externamq; suo nesciret in ore loquelam.
Barbarus ipse sibi non notis nota canebat,
Verba suis aliena loquens, sed in omnibus unum
Voce Deum uaria laudabat Spiritus unus.
Vt citharis modulans, unius uerbere plectri,
Dissona fila mouet: uel qui perflantia textis
Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno
Ore

A Ore ferat, non una ſonat, uarioſq; magiſtra
Temperat arte ſonos arguta foramina flatu,
Mobilibuſq; regit digitis, clauditq; aperitq;,
Vt rapida uice, dulcis eat redeatq; cauernis,
Currens Aeolio modulabilis aura meatu,
Explicet irruptos animata ut tibia cantus:
Sic Deus omniſonæ modulator & arbiter unus
Harmoniæ per cuncta mouet, quam corpora rerũ,
Et naturæ opifex Deus, omnis & artis, in omni
Fons opere, & finis, faciens bona, factaq; ſeruans.
Ipſe manens in ſe media pietate uiciſsim.
Qua pater in uerbo, qua filius in patre regnat,
Quo ſine nil factum, per quã ſata cuncta in eodem
Conſiſtunt: idem nouat omnia principe uerbo,
Qui cruce purpurea precioſi ſanguinis oſtro
Arduus, aſcenſu uolucri penetrauit in alta
Nube, ſuper Cherubin uolitans, ſeditq; parenti
Dexter, & in ſeruos cœleſtia dona profudit,
Spiritum ab unigena ſanctum & patre procedentẽ.
Qui Deus ipſe Deo ueniens, licet adſit ubiq;,
Conſpicuo tamen allapſu ruit igneus illic,
Pubis apoſtolicæ concors ubi cœtus agebat.
Moxq; nouo ſonitu, multis ex urbe coactis
B Omni ex gente uiris ſedit, quaſi flamma per omnes,
Et ſimul in cunctis ſpiramine diſſonus uno.
Vt Lyricas facili modulatus pectine chordas,
Diuiduis eadem cecinit præconia linguis,
Incitiens uarias humana per organa uoces.
Talis ubi lectas impleuit crapula mentes,
Ructauere ſacras ieiuno gutture laudes
Ebria corda Deo, qui me miſeratus ab iſto
Numine potabit, quod ſobriat ebrietate.
Ergo uelut cœlum ſtellis, & floribus arua
Temporibuſq; annos Dominus, ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit, feſtis ut pigra diurnis
Ingenia obſequijs, ſaltem diſcrimine facto,
Poſt interuallum reduci ſolennia uoto
Sancta, libenter agant, reſideſq; per annua mentes
Feſta parent Domino: quia iugiter intemeratos
Iuſticiæ ſeruire piget, delinquere ſuetis
Parcere peccato labor eſt: decurritur omni
Valle, per aſcenſum non eſt euadere curſu.
Hinc uia labendi procliuior, & uia uitæ
Durior, illa capax multis, hæc ardua paucis.
Inde bonus Dominus cunctos pietatis ut ales
Contegat, inualidis niti uirtutis ad arcem,
t ad nitẽdũ vt euadãt

Congrua ſanctorum dedit interualla dierum,
Vt ſaltem officijs mediocribus ultima Chriſti
Veſtimenta legant, & eos ſacra fimbria ſanet,
Qui non extorres penitus regione ſalutis,
Intra perpetuæ ſtabulant præſepia uitæ,
Longinqui primis, non longo fine ſecundis.
Primus enim gradus eſt cœlo, pertexere cunctos
Continua bonitate dies, et tempore toto
Paſcha ſacrum Chriſti cultu celebrare pudico.
Quòd ſi mixta ſeges tribulis mihi germinat, & cor
Incultum ſtimulat terreni ſpina laboris,
Vel feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus,
Vt uel parte mei tangam confinia uitæ
Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.

DE TRIBVS VIRGIS
Iacobi patriarchæ.

Ibidem.

TRes patriarcha ſibi, trina legit arbore uirgas,
Spirantem ſtoracis, leuem platano, nuce firmã.
Spiritus in platão eſt, uirgo in ſtorace, in nuce Chri
Nã patulos platanus ramos expãdit ĩ umbras, (ſtus.
Sanctus inumbrata formauit uirgine Chriſtum
Spiritus, & ſtoracis puto uirga ſit arbore Dauid,
Prompſit odoratum quæ uirgo puerpera florem.
Virga nucis Chriſtus, quoniã in nucib. cibus intus,
Teſta foris, ſed amara ſuper uiridi cute cortex.
Cerne Deum noſtro uelatum corpore Chriſtum
Qui fragilis carne eſt, uerbo cibus, et cruce amarus,
Dura ſuperficies uerbum crucis, & crucis eſca eſt,
Cœleſtem Chriſti claudens in carne medullam:
Sed cruce dulcis item, quia protulit ãbore uitam.
Vita Deus noſter, ligno mea uita pependit,
Vt ſtaret mea uita Deo, quid uita rependam
Pro uita tibi Chriſte mea? niſi fortè ſalutis
Accipiam calicem, quo te mea dextra propinet,
Vt ſacro mortis precioſæ proluar hauſtu.
Sed quid agã? neq; ſi propriũ dem corpus in ignes,
Vileſcamq; mihi, nec ſanguine debita fuſo
Iuſta tibi ſoluam, quia me reddam tibi pro me,
Et quicquid ſimili uice fecero, ſemper ero impar
Chriſte tibi, quia tu pro me mea, non tua Chriſte
Debita ſoluiſti, pro ſeruis paſſus iniquis,
Quis tibi penſat amor? Dominus mea forma fuiſti,
Vt ſeruus tua forma forem, & res magna putatur
Mercari propriam de re pereunte ſalutem,
Perpetuis mutare caduca, ut uendere terram,

Cœlum emere! ecce Deus quanto me carius emit
Morte crucis, passus, deiectus imagine serui,
Vt uiles emeret precioso sanguine seruos.

DE VITAE RENOVATIONE.

Ibidem.

Vtile nobis
Deserto ueteris uitæ squallore, nouari
Mente pia, Christumq; sequi, regiq; parari.
Tunc quoq; cùm dabitur redeunte resurgere uita,
Ille resurgentum potior numerabitur ordo,
Qui super illustri carnem perfusus amictu,
Seruilem Domini mutauit imagine formam,
Conformemq; Deo conregnaturus honorem
Accipiet: Christo similis, sed munere Christi.
Hæc eadem species ueterum deponere formam,
Et gestare nouam monet, & retro acta abolere,
Inq; futura Dei conuersam incendere mentem,
Congrua præteritis obliuia ducere curis,
Cœlestumq; animo regnorum inducere curam,
Rebus & humanis & amoribus istius æui
Mente prius, quàm morte mori, neq; corporis antè
Nexibus absolui, quàm criminis. ergo nouemur
Sensibus, & luteos terrestris imaginis actus
Discutere à nostro properemus corpore, longè
Vestibus excußis, puros, ut corde recußi
Corporis atq; animæ nitidi reddamus amictus.
Nec modò commissum peccati, sed meditatum.
Sicut morbiferam de labe cadaueris auram,
Naribus obstructis, tristem fugiamus odorem.
Vt faciem colubri Solomon, peccata timeri
Horreriq; monet, dicens armata leonis
Dentibus, & uerè, quoniam uelut ore ferino
Sæua uorant animam, quam uicerit ægra uoluptas
Corporis, enectamq; suæ draco duxerit escæ,
Qui uorat Aethiopum populos, non sole perustos,
Sed uicijs nigros, & crimine nocticolores:
Tales Aethiopes serpens edit, in quibus escam,
Quam capere est, damnatus habet, quia peccatorē,
Serpentisq; cibum, Deus uno nomine terram
Dixit, & inde uorans peccata dracone uoratur.
Tempus adest mutare uias, exurgere somno,
Et tandem uigilare Deo, dormire uicißim
Actibus his, quibus inuigilat mens mortua Christo.

DE FABRICA HOMINIS.

Ibidem.

Quonā igitur nūc ista modo mihi fabrica formā
Præbebit, quæ me colere, ædificare, nouare,
Sensibus & Christo metandum condere poßim? A
Prōpta quidem ratio est, quæ sit mea terra, quod in
Rudus, & unde meo spinæ nascuntur in agro. (me
Terra cor est, culpæ praui sunt rudera cordis:
Luxus iners, impurus amor, maculosa libido,
Rudera sunt animæ. sic corporis anxia cura,
Liuor edax, & auara fames, grauis ira, leuis spes,
Prodigaq; ambitio proprij, sitiens alieni,
Spinæ sunt animo, quia semper inanibus angunt
Ancipites animas stimulis, quas iugiter urit
Defectus miseri metus, & miser ardor habendi.
Atq; ita & inter opes inopes, quasi Tantalus ille
Inter aquas sitiunt, nec habēt quod habere uidētur.
Nam partis uti metuunt, seruata relinquunt.
Dumq; alimenta parant, uiuendi tempora perdunt.
Has igitur spinas, hæc rudera, mentibus hirtis
Egerere est opus, & primùm hanc euellere fibris
Cunctorum stirpem scelerum, quia pullulat arbor
Infelix, Domini radicitus illa securi
Icta cadit, nostris ut nunquam germinet aruis.
Hæc si præciso de nobis fomite radix
Aruerit, cadet omne nefas, uitium omne peribit,
Matricisq; suæ causam mala cuncta sequentur, B
Et moriente sua simul arbore, pompa peribunt.
Tunc bene purgato domus ædificabitur horto,
Et firmo fundata solo, bene surget in altum
Fabrica diuini moliminis, ipse columnas
Eriget in nobis Christus, ueteresq; resoluet
Obstructæ pilas animæ, spaciumq; sibi rex
Sensibus efficiet nostris, ut inambulet illis
Tanquam in porticibus Solomonis, quæq; solebat
Ore pio medicos sapientia ducere gressus,
Corpora tangendo sanans, & corda docendo.
Non igitur simus ueteres inter noua tecta,
Vt qui corda habitat Christus, noua corda reuisat.
Peior enim scissura nouo ueteriq; coactis
Redditur, & noua uina nouos benè dantur in utres,
Vita prior pereat, pereat ne uita futura.

PAVLINI EPISCOPI NOLANI

PSALMVS I.

Beatus ille, qui procul uitam suam
Ab impiorum segregarit cœtibus,
Et in uia peccantium non manserit,
Nec in cathedra pestilentiæ sederit:
Sed corde toto fixus in legem Dei
Præcepta uitæ nocte uoluit & die,

Mentemq;

A Mentemq́; caſtis inſtitutis excolit,
Erit ille ut arbor, quæ propinqua flumini
Humore ripæ nutriente paſcitur,
Suoq́; fructu plena reddet tempore,
Et fronde nunquam defluente peruirens
Stabit perenni uiuidum lignum coma.
Non hæc iniquos proſequetur gloria,
Sed ut fauillam pulueris uentus rapit,
Sic ira iniquos uerret à uultu Dei.
Idcirco tali diuidentur ordine
Hominum per orbem diſsipatorum greges,
Vt iudicandi non reſurgant impij,
Quo denegarunt debitum cultum Deo,
Sed puniendi: nam ſuum crimen uidens,
Non indigebit quæſtione detegi,
Quoniam imminentem præferent mortis notam,
Signum ſalutis non gerentes frontibus.
Peccator autem non, & impius tamen,
(Quæ magna turba eſt) non reſurget gloriæ,
Verùm reſurget deputanda exanimi.
Nec enim ſedere cum pijs iudex poteſt,
Cauſas ſuorum redditurus actuum,
B Varieq́; geſtis aut probandus aut reus.
Sine lege paſsim legis ignari cadent,
In lege lapſus, lege iudicabitur.
Opus per omne curret ignis arbiter,
Quod non cremarit flamma, ſed probauerit
Illud perenni præmio penſabitur.
Qui concremanda geſſerit, damnum feret,
Sed ipſe ſaluus euolabit ignibus.
Tamen ſubuſti corporis ſignis miſer
Vitam tenebit, non tenebit gloriam,
Quia carne uictus, mente non uerſus tamen
Etſi negarit debitam legi fidem,
Per multa ſæpe deuolutus crimina:
Tamen fidei nomen æternum gerens,
Nunquam ſalutis exulabit finibus.
Idcirco cuncti nunc in iſto ſeculo,
Dum currit ætas, & dies æui patet,
Rectas agamus ſemitas firmo pede,
Nec deferamur lubrico latæ uiæ,
Præſtat per arctum dimicantis tramitem
Laborioſis introire niſibus:
Vias bonorum lætus agnoſcit Deus,
At impiorum pronum iter delebitur.

PSALMVS II.

Cur gentes fremuere, & inania cur meditati
Sunt populi? aſtiterunt proceres cum regibus acti
Aduerſum Dominum & Chriſtũ, ueſana frementes:
Vincula rumpamus, iuga diſcutiamus eorum.
Qui manet æterno totis moderamine cœlis,
Irridebit eos, iuſtaq́; loquetur in ira,
Terribiliq́; minax uerbo turbabit iniquos.
Aſt ego rex, ab eo parili ditione creatus,
Præceptum Domini ſuper almum prædico Sion.
Ipſe ad me Dominus, meus, inquit, filius es tu,
Teq́; hodie genui, pete, ſis mihi gentibus hæres,
Et tua fundatur totis poſſeſsio terris.
Ferrea uirga tibi eſt, ualido quia iure tumentes
Orbe regis toto populos, ceu uaſa recocta,
Ficta luto frangens corda, ut meliora reformes.
Et nunc ecce omnes ſtratis aduertite reges
Mentibus, & quicunq; hominum famulantia corda
Iudicio regitis, rerumq; tenetis habenas,
Deſeruite Deo trepidi, mixtoq́; fideles
Exultate metu, fiat diſcordia concors,
Diſsimiles ſocians affectus pectore in uno,
Ne timor affligat mentes, uel gaudia ſoluant,
Si careant læto pauidi formidine lethi.
Diſcite iuſtitiam, rectosq́; capeſsite mores,
Et iuſto trepidate Deo, gaudete benigno,
Nequando meritum Deus iraſcatur in orbem,
Vosq́; uia iuſta iuſtè pereatis abacti.
Amodo iam reſilire uia properetis iniqua,
Ecce breui cùm magna potentis inarſerit ira,
Ventilet ut totum diuino examine mundum,
Segreget & paleas igni, frumenta ſaluti,
Tunc omnes, quibus eſt in eo ſpes fida, beati.

PSALMVS CXXXVI.

Sedimus ignotos diræ Babylonis ad amnes
Captiui, Iudæa manus (miſerabile) flentes,
Cum patrium memori traheremus pectore Sion,
Et meritum iuſta ſuſpiraremus ab ira
Exilium, lentis qua conſita ripa ſalictis,
Hoſpitibus populis umbras præbebat amicas.
Illic Aſsyriæ medijs in mœnibus urbis,
Obliti lætas per mœſta ſilentia uoces,
De ſalicum ramis ſuſpendimus organa noſtra. De ramis salicũ suspendimus organa ramis
Nanq; dabat nobis durum grauis ira dolorem,
Quod ſolita in ſancto depromi cantica templo,
Hæc ad delitias ſibi nos cantare iubebat

Impius ille, domo qui nos abduxerat, hostis.
Ergóne diuinas laudes, & carmina castis
Apta choris, inter sacra barbara, fœdaq́; busta,
Inter & accensas funestis ignibus aras,
Heu malè de nostro lætis mœrore canemus?
Decq́; pio ritu, luxum faciemus iniquum,
Mystica ad hostilem modulantes cantica ludum?
Quo miseri nunc ore sacros cantabimus hymnos?
Quóue loco Babylon poscit sibi cantica Sion?
Sed Domini carmen tellus aliena mereri
Non capit, indignas sacra uox auertitur aures.
Si tamen ut captis Dominus uiolentior instas,
Et si tantus amor Sion pia noscere uobis
Cantica, si pergis me cogere non tua fari,
Et diuina tibi quæ nam sint cantica Sion,
Accipe, quid captæ Deus ultor spondeat urbi.
Ne longum speres isto gaudere triumpho
Impie, quo sacrum prodi tibi præcipis hymnum.
Ecce quis est hymnus Domini, quæ cantica Sion?
Si fuero oblitus mea mœnia, te mea cura
Vrbs Hierusalem, fiat mea non memor unquam
Dextra mei, mea lingua meis & adhæreat arens.
Faucibus, æterno nisi te complectar amore:
Et nisi principio promißi in secula regni,
Lætitiæq́; meæ primo reminiscar in anno,
Te cunctis Hierusalem præponere terris.
Esto memor tum prolis Edom, ut uersa uice nostrũ
Aspiciat confusa diem, quo plebs tua claram
Mœnibus æternis Hierusalem habitabit,
Cui nunc gens oblita tui crudele minatur,
Excidium dicens, inuisam funditus urbem
Diruite, & uacuate manu uestigia, donec
Nulla relinquantur, muris ad inane redactis.
Infelix miseræ Babylonis filia, felix
Qui tibi pro nobis in nos tua gesta rependet,
Nec minus ille beatus erit, qui parua tenebit,
Et simul elidet solidæ tua pignora petræ.
Si cupis extincta Babylonis stirpe beari,
In te ipso primis gliscentia crimina flammis
Frange fide: iã propter adest petra Christus, in ipso
Vipeream sobolem ualidis elide lacertis.
Nam Babylon, nomen confusio, filia cuius
Est caro peccatis mater, quæ turba saluti
Noxia, corporeis ducit mala semina fibris.
Hæc uincenda tibi, si uis euincere mortem.
Nanque tuis tales inclusos oßibus hostes,
Si permittantur crescendo assumere uires,
Difficili uinces luctamine: præripe paruos,
Dum rudis ex utero cordis, per pectora capta
Reptat adhuc teneris uiciorum infantia membris.
Quæ nisi præcaueas aucta uirtute necabit
Concordem uitijs animam terrena propago.
Ne parcas igitur talem mactare cateruam.
Non tibi crimen erit nocituram perdere gentem,
Vltricemq́; malo perfundere sanguine petram,
Gaudet enim iustus, si concidat impia proles.
Nam magis atq; magis pius ista cæde piatur,
Si perimat peccata suis dominantia membris,
Et fracta in Christo uiciorum plebe triumphet.

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN CHRISTIANIS, POETIS ueteribus præcipuè memorabilium Index.

arrij &

Bractea-

A Iudæis.

fragmina

Imfamia

latus

orandum

perfequutione:

O 2 *plasmator*

Euæ

ſufficientia

ueritas

FINIS

IN POETARVM veterum Ecclesiasticorum Christiana opera, & operum reliquias atq; fragmenta,

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS COMMENTARIVS:

In quo non solùm res & uerba obscuriora explicantur, sed & Historica quædam non uulgaria, ipsorumq; Autorum uitæ, & ad Carminum genera quædam spectantia, singulari studio elaborata inseruntur.


Cum Rerum & uerborum præcipuè memorabilium INDICE copioso.



BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum.

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, IOANNI NEVIO, SAXOniæ Electoris Medico doctißimo

S. D.



VLTI ſunt, qui imperijs & dignitate ſuperbiunt: multi, qui nobilitate & diuitijs efferuntur. Themiſtius philoſophus, ſe in ſolio argenteo collocari ab Imperatore paſſus eſt. Pythagoras, ueſtem inſignem & coronam auream ſponte ſumpſit. Sed iſtorum gloria uilis eſt, & momentanea: quia rerum caducarum, leuium & commutabilium. Verus igitur ſplendor neq; in potentia eſt, neq; in ſapiētia hominum: ſed in ſola pietate, quæ radices firmas habet, & prę alijs bonis atque ſtudijs potiſsimùm comparanda: quia fructus affert non flore deciduos, non folijs marceſcentes, non diuturnitate denique corruptioni obnoxios. Ea autem cùm omni ætati conueniat, tum nulla ad percipiendum cenſetur magis idonea, quàm puerilis: quæ ſi uel imperitia uel ignauia negligitur, quid obſecro in corroborata aut matura tandem ſperaueris? negligitur autem ea, quæ non informatur cultu diſciplinæ & literarū: aut in arte aliqua honeſta, laboribus exercetur, & patientia. Errare imperitum uulgus, & peccare rudes opifices, qui manuum mercede artibus nō ingenioſis uiuunt, minus mirandum eſt. Sed literarū atq; artium magiſtri, & doctores cùm labuntur aut delinquunt, ualde turpe eſt: quandoquidem id fit multorum offenſione, & plurimorum incommodo. Tales ſunt, qui res bonas, & cognitione dignas, atq; etiam diuinas, niſi niteāt orationis floſculis, & quaſi cincinnis ſint compoſitæ, ſtatim aſpernantur & abijciunt. Ii uerò multo magis, qui ingenijs deprauati, delectantur malicia & petulantia: qui Catullum, Martialem, & illis ſimiles legi & ediſci uolunt: qui eſſe ſingulos eorum uerſiculos,

Doctos, Iuppiter, & laborioſos,

exclamant: qui ſe in ijs uitam legendo conſumpſiſſe prædi-

cant. Inter iſtas duas factiones, prior ſanè eſt modeſtior: & ſi admonitionē fert, minus improba. poſterior iſta, quia ſeſe defendendo, facinus auget pertinacia, planè depoſita & deſperata eſt. Etenim uitæ uerecundiam iactat in ſermone impudico: mores honeſtos in leuitate & impudentia. quorum quia ſermo obſcœnus eſt, uita itidem meritò iudicatur contaminata & impia. Nam qui cor hominis creauit & contuetur, ſic apud Euangeliſtas duos loquitur, ἐκ περισσεύματος καρδίας τὸ στόμα λέγει: & Menandri dictum adducit Paulus apoſtolus, φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Nos itaq; ætatem teneram, uaſcula fragilima, & templa Dei excelſi, Deo quoque dicatum eſſe agmen cupimus: & tractari cum honore & reuerentia, ne prophanis dictis aut factis inquinetur, néue teſtæ recentis more imbuatur ſapore tetro, aut fœtore immundo: & mox fracta diſsipatáq; proijciatur in gehennam. Puerorum conditor, ipſe Deus eſt omnipotens: eorum cuſtodes, ſunt Angeli caſti. eoſdem ad ſe uultu paterno aduocat Chriſtus: matreſq; inuitat blanditijs, oſculis, & ominibus fauſtis: tum feſtinantium & nitentium acceſſum qui remorantur & impediūt, ſuos obiurgat Apoſtolos. Dei opera, ad ipſius imaginem formata, corrumpere aut deſtruere: Angelos uigiles & præſides fugare, & offendere: Chriſtum ipſum mandantem non audire, allicientem non amplecti: tanta profectò delicta & ſcelera ſunt, quanta nemo cogitatione aſſecutus fuerit, aut oratione expreſſerit. Quam ob cauſam libenter dehortor omnes, ut ab impuris ſcriptis oculos & manus abſtineant, animúmque & aures auertant: poetas quoque illos κιασοπλήκτους, ut antiquorum uerbo utar, è Bibliothecis eijciant. Contrà uerò adoleſcentes noſtros hortor, eoſq; quibus decet uerbis, quo poſſum ardore, quibus par eſt precibus, oro & obſecro, ut hos poetas Chriſtianos cognoſcant & legant, ſanctos & caſtos homines, eruditos & ſapientes uiros, præclaros & diuinos doctores, magna Eccleſiæ Chriſti lumina, ſocios denique Angelorum in uita æterna. In quibus euoluendis,

uendis, ne quis nouitate aut insolētia aliqua moram sibi patiatur inijci, ideo hūc Commentariū scripsi atque congessi: in quo res & uerba obscuriora explicarentur, nonnulla historica annotarentur, ipsorum scriptorum uitæ subijcerentur, & quædam ad genus carminis attinentia designarētur. quo labore, & fastidiosis eripere uolui ansam calumniæ: & curiosis, obtrectationis: studiosos porrò incitare, ut cupidius hos auctores inspicerent, & non sine insigni utilitate inter manus uersarent. Defero igitur ad te IOANNES NEVI, & has lucubratiunculas nostras: te enim prudentia, integritate, doctrina, humanitate, beneficentia clarum & spectatum uirum, meritò suspicio, tuoq; acri iudicio mea studia omnia rectissimè submitto. Vale feliciter.

XIII. Calend. Iulij: M. D. LXII.

IN GEORGII FABRICII CHRISTIANOS Poetas, Iohannis Hospiniani Steinani ἐγκωμιαστικόν.

Quis tua uituperet FABRICI pie cœpta Georgi,
Fratris amore simul plena, DEIq; metu?
Quis te, quis'ue tuum geniumq;, tuosq; labores
Non probet, & digna laude sub astra ferat?
Quisquis is est hominum, facinus qui tale patrauit,
Fecit is æthereo sat (mihi crede) PATRI.
Namq; hic ueridicûm requiescunt omnia uatum,
Ista sato Maria uirgine summa fuit:
Numinis in primis ut pectora compleat ardor,
Sitq; alter pariter charus, ut ipse tibi.
Non'ne autem studium summi uenerabile REGIS
Prædicat hic liber, hoc nobile clamat opus:
Carmina quo ueterum complexus es illa uirorum,
Quæ celebrant TRIADOS gesta stupenda sacræ?
Non'ne scatens animus pietate fideq; relucet
Hinc tuus in DOMINI pauper ouile tui?
Colligis illorum diuina poemata quando,
Ausi qui Stygium sunt pepulisse lupum.
À quorum calamis irritamenta malorum,
Vnde procul stimulus turpis amoris abest.
Sic DEVS omnipotens meritos sortitur honores,
Proficit in melius sicq; caducus homo.
Atq; utinam abijciant passim lasciua deinceps
Scripta poetarum Gymnasia atq; Scholæ:
È quibus impubes nocuo fœtore corona
Protinus imbuitur, seruat eumq; diu.
Hic procul ater odor, procul hæc, procul esto mephitis,
Suauiter ambrosius spiret ubiq; Notus.
Suscipiantq; omnes animo uno, pectoreq; uno,
Quæ CHRISTO Druidæ thura oleumq; cremant.
Si qua superstitio miserabilis illius æui,
Quo uixere patres, relligionis erat:
Dogmata nunc fidei melius correcta cauebunt,
Ne quis conciliet dedecus inde sibi.

IOANNES OPORINVS
AD LECTOREM.

En tibi sacros, studiose Lector,
Quos typis nostris dedimus, Poetas:
Dum tuis multo cupimus labore
Rebus adesse.
Accipe hos uultu placidus fauente,
Atq; sincera lege mente crebrò,
Ceu soles libros alios, legenti
Qui tibi prosunt.
Insuper dignas age Chemnicensi
Gratias uati: uitijs remotis
Exeunt cuius studio in serenas
Luminis auras.
Qui tuis Lector studijs amice,
Dum uerè tota cupit esse mente
Vtilis, teq; Aonias per urbes
Ducere rectè:
Vel nouos scribit studio libellos
Prospero, mendis ueteres'ue purgat,
Posteris tradens monumenta fido
Culta labore.
Antè Romani populi theatra,
Et locum scripsit, studia atq; mores,
Quicquid & lata ditione claudit
Roma superba:
Nunc sacros autem, ueteresq; Vates
Ecce collêgit uariè hîc & illic,
Et repurgauit uitijs: tibiq;
Edit, & offert.
Addidit porrò noua, quæ parauit,
Ecce Commentaria, ut eruditis
Viuus interpres foret ore cunctis
Ipse silenti.
In quibus gnaue & facilis GEORGI,
Vtilem nauas operam Scholisq;,
Et Dei sancto populo, atq; doctis
Omnibus unà.
Vnde & hi pridem meritò fatentur,
Quòd tibi multum, nimiumq; multum
Debeant semper, facilis GEORGI,
Pro uice tali.

Cumq;

Cumq; tu quondam tumulo iacebis
Elaborato, teneris & almis
Functus his auris, tuus & tenebit
Spiritus astra:
Paruuli dicent sibi tunc Scholares
Inuicem: Verè fuit eruditus,
Virq; solers, FABRICIVS, reliquit
Tot bona scripta.
Iam uerò uitæ facilem benignus
Dum tuæ cursum Deus hoc in orbe
Præbet, & sanctis studijs relinquit
Docte GEORGI.
Perge sic prodesse labore fido
Et uiris doctis, studijsq; sanctis:
Et tuos Musis ita consecrare
Perge labores.
Sic DEO gratum facies, Scholisq;,
Atq; discenti iuuenum cateruæ:
Sic dabunt Musæ tibi sempiternæ
Præmia laudis.

FINIS.

GEORGII FABRICII Chemnicensis

IN POETARVM VETERVM ECCLESIASTIcorum Christiana opera, & operum reliquias atque fragmenta, COMMENTARIVS.

A 

A LITERA, præter naturam suam, in nominibus quibusdam neutris producta legitur. Pr. Steph.
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit. Ibid.
Friuola utraq; & utraq; nihil. Initiò autem obseruari hoc uolumus, Poetas Christianos in præcepta peccasse, non ignoratione, sed uoluntate. Quod cùm excusationem inuenerit apud Poetas prophanos, ut in metra peccarent arte, non inscitia, ut scribit Terentianus: ne Critici nostris aut stomachentur, aut eos exagitent, qui eruditione & pietate sunt magni atq; uenerabiles.

Ablatiuos quosdam in i more solito desinentes, per e effert Fortunatus. ut mare, pro mari: lib. 8. Site, pro siti: lib. 2.

Abolla uestis senatorũ, ut toga equitum fuit: utraq; palmata, utraq; lati claui. Pr. Sym. 1. *Adiectus fastis, palmata insignis abolla.*
ita enim in Aldino rectè legitur. Palmatam dictam autumat Baysius, uno in loco à palma, id est uictoria: (quod uerum est, si de Imperatorum ornamento intelligatur:) altero in loco, à latitudine claui, hoc est à palmo. quæ etymologia si uera est, simul & ad abollam & togam referri potest: quo modo tunicam quoq; palmatam nominauit Liuius. Fort. lib. 3. de diuo Martino:
— Mihi tegmen defer abollæ: Nec pauper desit, qui uestibus indiget illis.

B Abunde, ultima breui, contra consuetudinem. Drep.
His ego nutritus, his semper abunde refectus. Idem:
Vnde meam recreas doctor abunde sitim.

ABVNDVS, martyr Aruernensis. Fort. De gaudijs uitæ æternæ.

Abyssus, ἄβυσσος, profunditas immensa. Alc. 5. *— Aut fortè reuulso Obice terrarum patriam sordentis abyssi Migrasse in superos. —*
Pro ipsis inferis. Pr. Ham. *Mersandum penitus puteo feruentis abyssi.*

Achæmenia ira, pro uehementi & regia. Sedul. 1.
Cuius Achæmeniam rabies accenderat iram.
Respexit autem ad dictum Solomonis, qui ait: Ira regis, rugitus leonis.

Achæmenius, pro Persa. primus enim Persarũ rex, Herodoto & Platone testibus, Achæmenes fuit. Victor 1. *Sed nec quod Medus redolet, uel crine soluto Fragrat Achæmenius. ——*

ACISCLVS, martyr Cordubensis. Pr. Steph. hymno quarto: cuius alibi mentio non extat.

Acroama, ἀκρόαμα, de quo dicere atq; audire iuuat. Pr. Steph.
Egon' cachinnis uenditus acroama festiuum fui?

Acrostichis, ἀκροστιχὶς, est, in qua à literis initialibus carmen aliquod ordine continuo deducitur. Ea est duplex. Vel cùm in uersibus singulis tale literarum

initium eſt: ut in Sibyllinis, in quibus (ut Cicero ait 2 de Diuinat.) ex primo uerſu ſententiæ, primis literis, illius ſententiæ carmen omne pertextum fuit. ea autē ſententia, ut ex Euſebio patet, fuit: *ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ.* Vel cùm in colis ſingulis eſt tale initium, interdum ordinem elementorum ſequens, interdum conſtituens ſingularem ſententiam. talis eſt hymnus Sedulij de uita & morte Chriſti: & alter Fortunati de Leontio epiſcopo. talis pſalmus Dauidis 119. & 55. Tales oratione ſoluta ſunt Græcè ſcriptæ à Theophane, qui ordinem elementorum ſequitur: à Coſma Hieroſolymitano, & Marco Hydruntino, & Ioanne Damaſceno, qui ſingularem aliquam præponūt ſententiam. Interdum in initio & fine literæ eædem ponuntur: ut in uerſibus Liberij & Beliſarij de Sedulio. A

Acta, *ἀκτή*, ora maris. Pr. Sym. 1. *Inuenit expoſitam ſecreti in littoris actâ.*

Actutùm, pro ſubitò & ſine diſcrimine: dictio Comica. Iuuenc. 2.
Actutùm feſſo fugeret quòd corpore tabes. Alc. 1.
Actutùm ſuaui producens omnia fœtu.

ADAE ſomnus in paradiſo, ſignificauit Chriſti quietem in ſepulchro. ex illius latere educta eſt fœmina: ex huius latere, fluente ſanguine & aqua, prodijt ſponſa Chriſti, Eccleſia. Alc. 1.

Adeouſq;, pro uſqueadeò, per inuerſionem. Vict. 2. — *Adeouſq; malignis Herbarum dubias paßim radicibus eſcas* Explorare iuuat.—

Adhinnire, libidinoſè & furenter appetere, ut beſtia ſolet. Pr. Sym. 1.
— *Thuſcis nanq; ille puellis* Primus adhinniuit.—

Adinſtar, pro inſtar. Vict. præf. — *Tuiq; effingis adinſtar, Nobiliora facis.* — Alc. 1. *Hinc dura è medijs traxerunt oſſa medullas Viſceribus, lunæ augendas creſcentis adinſtar.* Idem 4. *κατὰ τμῆσιν* diſiunxit: B
— *Similiſq; ad turbinis inſtar* Humanum uitijs ibat genus.—

ADON, dilectus Veneri adoleſcēs, qui à poetis alijs Adonis. Fort. de uitæ incertitudine: *Occubat Hippolytus, nec ſuper extat Adon.*

ADORATA, puella martyr Luſitana. Pr. Steph. hymno quarto.

Adulatio, ſecunda ſyllaba correpta, *συστολή*. Iuuenc. 1.
Nec me quòd dominum perblanda adulatio dicit.

Adulterum, pro adulteratum ſeu corruptum. Pr. Ham.
Tunc lolium, lappasq; leues per adultera culta Ferre malignus ager.—

Aedō, *ἀηδών*, luſcinia. Paulinus Auſonio: *Si cōfers fulicas cygnis, et aedona parræ.*

Ægide pugnare, eſt ſimulacris ad decipiendum aptis dimicare, *ἀπὸ τῆς αἰγίδος* ſcuti Palladis nomine. Idem Sym. 2. *Aegidaq; in dubijs pro ſe pugnaſſe periclis.* Ouidius in eandem ſententiam: *Decipit hac oculos ægide diues amor.*

Ægyptij, homines maximè ſuperſtitioſi (ut eſt apud Prudentiū in Romano) ſimias, canes, crocodilos, ibides, item porrum, allium, cæpe coluerunt. cuius idem meminit Sym. 2. Ex animantibus quadrupedibus, alij Scriptores addunt uaccam, ouem, hircum, capram, felem, lupum, cephum, murem araneum: è piſcibus, anguillam, lepidotum, oxyrynchum: ex amphibijs, ichneumona, & ſerpentis genus: è uolatilibus, phœnicem, aquilam, accipitrem, *χηναλώπεκα*. Sunt qui addant etiam ructus & crepitus ſaturorū: quos itidem Claudius Auguſtus edicto honeſtauit. Vnde Minutius Felix: Aegyptij (inquit) non magis Iſidem, quàm ceparum acrimonias metuunt: nec Serapidem

A Serapidē magis, quàm crepitus per pudēda corporis expressos extremiscūt.

Ægyptus, regio fertilissima fuit. Paulin. Cyth. *Distractus in seruum puer, Ad arua frugum missus est.* de Iosepho in Ægyptum uendito.

Ænigmata, αἰνίγματα, ἀντὶ τῶν εἰκασμάτων, pro imaginibus, & ipsa effigie hominum. qua in significatione alibi legi non existimo, neq; libros Prudentij correctos suspicor: quamuis duobus in locis inueniatur. ut Cath. *Non immemor ille requiret Sua munera uictor & auctor, Proprijq; ænigmata uultus.* Idem Steph. *Is ipse tantum non habet Argenteorum ænigmatum Augustus.* Propriè significat tectas & obscuras similitudines, & ponitur κατ' ἐξαίρεσιν prima breui. Idem Apoth. *Legis in effigie scriptum per enigmata Christum.*

Imo pro symbolis atq; hieroglyphicis quoq; notis, quae saepe abditos rationis recessus habent: Secreta temporum atq; occasionum monumenta. Qualia in numismatis antiquis Caesarum Ro. Aereis, Argenteis, atq; Denarijs ab altera parte expressa videmus.

Ænipes, pedes æneos habens. Pr. Sym. 1. *— Oscula figit Cruribus ænipedum, si fas est credere, equorum.*

Ætatula, pro infantia. Idem Steph. *Nec uim decebat innocenti ætatulæ Inferre. —* Item pro minimo spacio temporis. Ibid. *Vix mille fastis implet hanc ætatulam Cursus dierum. —*

Æthiopa, pro Æthiopissa. Arat. 1. *Comprobat Omnipotens, tædarum fœdere Mosen Aethiopam sociasse sibi. —*

Æthra, est ipsius ætheris splendor & serenitas. Sedul. 4. *Omnemq; uagis cum nubibus æthram.*

Afflictus, pro afflictione, magis latinum est. Tertul. 3. *Afflictus lugere suos, ueniamq; precari.* τὴν ταλαιπωρίαν, id est angustiam & ærumnas, & (ut uulgò loquimur) pressuram.

B AGNES, puella nobilis Romana, martyr: passa anno ætatis XIII. ut D. Ambrosius in ipsius uita scribit, cuius adhuc splendidū templum est extra portam Viminalem, uia Numentana, à Constantina Constātini filia extructum atq; ornatum: ut auctor est Damasus. Pr. Steph. & Fort. lib. 8.

AGATHA, Sicula Catanensis, à Decio Quintiano proconsule, post multas corporis lacerationes, imposita testis acutis, & carbonibus ardentibus, moritur. Fort. lib. 4. & 8.

AGAVNENSES martyres, qui ad Agaunum, non procul à Rhodano fluuio, cęsi sunt, Maximiani tyrannide. Fuerunt autem Thebani Ægyptij, ex ea legione quæ Thebea dicta, cognomento Felix. Fort. lib. 8. *— Et legio Felix Agaunensis adest. —* Extructum in eodem loco est, à Sigismundo rege Galliæ, monasterium: ut scribit Ado. Eorundem meminit Fort. lib. 2. Eius legionis dux fuit Mauricius: signiferi, Candidus, Innocentius, Exuperius, Victor, Constantinus.

Agon, ἀγών, tria significat. Primùm certamen, quod in suo quisq; munere sustinet. Arat. 2. *— Varij luctamen agonis Hic dabitur certare mihi. —* Deinde martyrum certamen, in sufferendis cruciatibus & supplicio. Idem 1. *Emicat hinc Stephanus, qui primus agone coronam, Heres huius habet. —* Pr. Steph. *Nil illa uis exercita Tot noxiorum mortibus Agone in isto proficit.* Postremò, luctamen spiritus extremi, in homine animam iam agente. Iuuenc. 4. *Nuncius aduenicns narrat, sub agone iacēre Dilectum Christo iuuenem. —*

αἱμοῤῥαγία, quæ à Plinio sanguinis fluxio, à Celso sanguinis profluuium, à

Sedulio inundans cruor,riuus cruoris,& fluentum sanguinis:à Prudentio, A
riuus cruore fluens perpeti,nominantur.Marcus & Lucas *μάςιγα*, id est flagellum appellãt,propter molestiam. Quem morbum in muliere Capernaitica sanatum,attactu uestis Christi,excepto Ioanne,scribunt reliqui Euangelistæ omnes. Statuam Cæsareæ Philippi,monumentum eius miraculi,usq; ad Iuliani tempora uisam,tradit libro 6 Nicephorus.

Alabastrum oppidum est,ut alij scribunt,Phrygię:ut alij,Thebaidis.ad id effoditur marmor,quod Alabastrites nominatur:in flauo candidum, & soli obuersum pellucens.ex eo fiebant uasa,in quibus oliui unguenta seruabantur.Paulin.Panegyrico: *Qui mihi det preciosum alabastro fundere nardum.*
Iuuenc.4. *Accedit mulier propius,frangensq; alabastrum,*
Quo preciosa inerant latè fragrantis oliui Vnguenta.—
A'colore *ὄνυξ* hic lapis dicitur. Visuntur ex eo magnæ columnæ Romæ, in Mariæ Ægyptiacæ:maiores Venetijs,in diui Marci templo.

ALANI populi Dacis finitimi, qui cum Gothis irruperunt in Italiam, ut testatur Victor ad Salmonem.Paulinus Natali 8.
Hunc ego si Geticis agerem malè subditus armis,
Inter & immites celebrarem lætus Alanos.

Alapa,peregrina uox est,*αὐτὶ τοῦ κολάφου,ἢ ῥαπίσματος*.Sedul.4.
His alapis nobis libertas maxima plausit. Vtitur eadem uoce Lactantius. Vide Colaphus.

Albana porta Romæ, quam Procopius Prenestinam, antiquissimi Metiã nominarunt:nunc Esquilina,& à uulgo Taurina.Pr.Steph.
– Albanis acies se candida portis Explicat.– Malo tamen intelligere Albanas B
portas,Romam deducentes ex oppido Alba.

ALBANVS,Britanus martyr,de quo Fort.
Egregium Albanum fœcunda Britania profert.

ALCIMO AVITO pater fuit Isacius,uir primùm senatorij ordinis, deinde in episcopum assumptus: mater Audentia, quemadmodum ipse in libello ad sororem Fuscinam ostendit:frater Apollinaris,Valentinensis episcopus. Auitus à puero humanis literis apprime,& suprà quàm illa ætas,Vandalorum & Gothorum incursionibus propè infecta, ferre posset,institutus: cùm illum amplissimum alioqui & locuples maneret patrimonium, ualedicto mundo,monasticen professus est,in cœnobio D D. Petri & Pauli, ad urbis Viennensis mœnia. Inde patri Isacio in episcopatu succedens, totum se aduersum sui temporis hæreses contulit. Primùm enim Gundebaldum Burgundionum regem,in Arrianorum hæresim lapsum,in catholicæ Ecclesiæ consensionem restituit. Deinde eius hortatu aduersus Arrianam factionem,quæ Africam omnem cum Sardinia,ac magnam partem Galliarum & Italiæ occupauerat,Dialògos aliquot:& aduersum Nestorianos,Eutychianos, Sabellianos, libellos duos conscripsit. Et cùm Faustus ex abbate Lirinense, apud Regium Galliæ, episcopus factus, in Pelagij errorem (ut Ado Viennensis refert) lapsus esset,asserens liberi arbitrij illuminationem,uirtutem non à Christo, sed natura esse:aduersus hunc errorem,librum edidit. Epistolarum libros nouem scripsit,ad imperatores,reges, populos & diuersas personas. Libellum quoq; de subitanea pœnitẽtia, Homiliarum libros plures,

plures,& poemata uaria:è quibus,quæ nunc emittimus, tantùm superſunt
A opuſcula. Nec dubito reliqua ab Arrianis,alijsq; hæreticis, aduerſum quos ſcripſerat,aſportata eſſe:quorum inſaniam & furorem ſæpe expertus eſt,plerunq; illorum inſidijs ad mortem uſq; & exilium periclitatus. Valebat autem Auitus,& ſcribendi, & extemporanea dicendi declamandiq; facultate egregiè. Ferunt nonnulli,extare longè plures tanti uiri lucubrationes apud Pictauos & Ianuenſes. Claruit Zenone & Anaſtaſio Impp.anno Domini D. ſepultus in monaſterio DD. Petri & Pauli, in Viennenſium urbe ſenatoria. Hæc ex Gennadio & Adone Ioannes Gagneius,Theologus Parriſinus.

ALCIMI AVITI perperam nõnulli Euſebium in Chronicis meminiſſe uoluerunt,cùm Euſebio ipſe & Hieronymo & Prudentio poſterior fuerit. Alcimus enim in libro de uirginitate ad ſororem,Prudentij mentionem facit,canens: *Deſcribens mentis uarias cum corpore pugnas,*
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore. At uerò Alcimus ille,de quo cum Delphidio Euſebius ſcribit,multum ante Prudentium fuit. Scripſit autem Alcimus Auitus pleraq; cùm uerſu,tũ ſoluta oratione.Poemata hæc ad manus meas peruenere:De origine mundi,De originis peccato, De Dei ſententia,De diluuio,De maris rubri tranſitu,De uirginitate ad ſororem. Meminit præterea huius Alcimi Sidonius ad Lupum ſcribens,libro 8.Epiſt.meminit & Fortunatus.Hæc Lilius Gyraldus.

ALCIMVS AVITVS Sigiſmundum regem in fide pietatis erudiuit,qui agente illo, poſtea monaſterium SS. martyrum Agaunenſium, Mauricij ſociorumq; eius,conſtruxit:quem regem captum,& à Francis occiſum, uehementiſsimè doluit. Quantus autẽ in Eccleſia Chriſti uixerit, quiſquis ſcire
B ad plenum uult, poſt eius innumera in diuinis laboribus opera, Epitaphiũ ipſius legat.ibi quantus fuerit,uidere poterit. Hæc Ado. Epitaphium autem,quod olim Viennæ extitit,tale fuit,cuius etiã finẽ idem Ado adducit:

Quiſquis mœſtificum tumuli dum cernis honorem
Ceſpite concludi,totum deflebis Auitum:
Exue ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides,celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas,quem larga manus,quem fama perennat:
Nil ſocium cum morte tenet.Quin proſpice ſancti
Geſta uiri.Primùm floreſcens indole quanta
Spreuerit antiquos dimiſſo ſtemmate faſces,
Maturum teneris animum dum præſtat in annis:
Et licitum mundi,uoti uirtute,relegat.
Nec mora, pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat ut ſoliti felicia cœpta laboris:
Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur,ſeq; ipſe alijs plus æſtimat: imò
Subijcitur magnus,ſeruat mediocria ſummus,
Diſtribuit parcus,paſcit ieiunus,amando
Terret,& auſteris indulgentiſsima miſcet.
Cunctantes ſuaſu iuuit,ſolamine mœſtos,
Iurgia diſſoluit,certantes fœdere iunxit.

Diſſona ueridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu,ingenio,monitis,meritisq́; ſubegit.
Vnus in arce fuit quo, quolibet ordine fandi,
Orator nullus ſimilis,nullusq́; Poeta:
Clamant quod ſparſi per crebra uolumina libri.
Qui uixit,uiuit,perq́; omnia ſecula uiuet.

Alcimus legis Moſaicę interpres,res maximas tanta maieſtate,& ita grauiter eſt executus,ut neſcias,utrum diuinior an elegantior exiſtat: tam ferues eſt in dicendo,tam culto & fluido poemate ſingula diſſerit. Ita Adelphus, in epiſtola ad Iacobum Treuirenſem antiſtitem.

ALCIMVS uetere Auitorum familia fuit:cuius atauus,proauus, pater,auunculus,frater, dignitatibus Eccleſiaſticis clari & eminentes fuere : mater Audentia,poſt prolem quartam editam,uotum caſtitatis ſuſcepit: pater Mamerto ſucceſsit in epiſcopatu Viennenſi,Alcimus uerò patri. Ex eadem familia Deo dicatæ uirgines,Seueriana,Aſpidia,Fuſcina,Euphroſyne,ab ipſo memorātur in libro De uirginitate ad ſororem. Ex eiuſdem libri Proœmio intelligitur,à iuuene ſcripta fuiſſe ea carmina,quæ nunc extāt. inquit enim, Dudum profeſsionem ſuam, nunc etiam ætatem decere, ut grauioribus ſtudijs operam ac tempus conſumat. Fuit ex hac ipſa familia Alphius Auitus,qui ſcripſit libros Excellentium carmine iambico dimetro: citaturq́ue à Terentiano & Priſciano Grammaticis. Item Fidelis Auitus, ad quem extat Ioannis VI.epiſcopi Ro.epiſtola. Item Auitus abbas Aurelianēſis,quem uirtutibus & prophetiæ ſpiritu effulſiſſe teſtatur Iornandes. Item Auitus Aruernorum epiſcopus,qui cum factione Iudæorum contendit,& eos ad fidem conuerſos baptizauit: ut ſcribit Fortunatus lib. 5. Item alius, qui aulicus Radegundis reginæ concionator fuit,de quo idem lib.3.

ALCIMI habuimus codicem manuſcriptum, quem nobis communicauit poeta clarus Michaelus Toxites : is planè conuenit cum Menradi Moltheri,qui Baſileæ cum ipſius Annotationibus excuſus eſt,anno Chriſti M.D.XLV.& cum Ioannis Adelphi,qui Argentorati M.D.VII. Hæc autem Argentoratenſis editio omnium prima,quantum nos meminimus,extitit. Ipſum exemplar Adelphus accepit à ſuo præceptore Philippo Beroaldo Bononienſe,uiro ſuorum temporum doctiſsimo.

Aligeri,pro Amoribus,Veneris miniſtris.Arat.1.
Aligerosq́; uagos ſtudio coluiſſe procaci. τὺς π]όρόοντας.

Allophylus,ἀλλόφυλος,gentis externæ & peregrinæ.Pr.Ham.
Quin ſi fulmineos cogens ad bella Gigantes
Allophylus tua caſtra uelit delere tyrannus. Amœnus Ench.
– Faces caudis circumligat,in ſata mittit *Allophylûm.—* Paulinus 7.Nat.
Credite non armis,neq; uiribus eſſe timendos *Allophylûm populos.*

Altare,uel κατ' ἀποκοπὴν altar.Pr.Steph. *Altar quietem debitam*
Præſtat beatis oßibus. Et, *Altar tepeſcit ore,ſaxum pectore.*
Altare dictum ab altitudine,quia gradibus ferè conſcenditur:ara aūt à precibus,ἀπὸ τῆς ἀρᾶς. Alij dicunt,altare poſitum alicui diuo,τὴν ἐσχάραν: aram, ipſi Deo dicatam,βῶμον.Quæ differentia apud noſtros uerior,quàm iſta Seruiana:Altare deûm ſuperûm,aram eſſe inferûm. Pr.Steph.

Hæc

A *Hæc ſub altari ſita ſempiterno Turba.*— loquens de multis martyribus, una tumba concluſis.

Alternare, modò in hanc, modò in illam ſententiam animũ flectere. Idem Ham. *Vocat hinc Deus, inde tyrannus,*
Ambiguum, atq; ſuis ſe motibus alternantem.

Altrinſecus, uiciſsim, uel ex altera parte. Idẽ Steph. *Reſpo*[illegible]*ltrinſecus.*

Amaſio, onis, pro amatore. Ibid. *Sæpe luduntur dolis,*
Amaſionum comprimuntur fraudibus.

Ambago, inis. Idem Sym. 2. *Nam multa ambago uiarum*
Anfractus dubios habet, & perplexius errat.

Ambire, circumire & circundare. Idem Cath. *Prædam rictibus ambit incruentis.*

Ambitus templi apud Prudentium, qui nunc uulgò circuitus: nos porticum interiorem templi uerbo antiquo poſſumus appellare. ut Steph.
Clauſitq; magnis ambitum talentis.

AMBROSIVS, epiſcopus Mediolanenſis, præter alia opera eximia, quæ in manibus ſunt, hymnos ſuauiſsimos reliquit Eccleſiæ occidentali decantandos. De opere creationis hymnos ſeptem, aſſcribit ipſi D. Auguſtinus libro 9 Confeſsionum: ubi citat duo cola ex Hymno ſeptimo, quem & Beda citat libro De re metrica. Alij præterea eius Hymni ſunt numero 27. quos quidem nos in codicibus ei inſcriptos inuenimus. Iſidorus eum ſecundum ponit ab Hilario, qui hymnos elegantiſsimè apud ueteres ſcripſerit. Obijt anno CCCXCIX, Imperij fratrum Honorij & Arcadij anno ſecundo. Stilico comes dixit, eius mortem portendere ruinam Italiæ & imperio.

B Amentum eſt haſtæ ligamentũ, quò manu certius teneatur, & ualidus mittatur. Pr. Pſych. —*Nec ſtridula lancea torto Emicat amento.*— Amentatam ſententiam nominat D. Ambroſius, qua firmiter petitur aduerſarius.

Amnicus, ab amne. Pr. Steph. *Quid poßis, probat amnicus Qui uectat ſilice liquor.*

Amodò, aduerbium è Græco ſumptum, ἀπ' ἄρτι, Interpres Pſalmi 2.
Amodò iam reſilire uia properetis iniqua.

Amœnare, amœnum reddere. Vict. 3. —*Ripiſq; umbrantibus inter*
Labitur, & teretes ſaltus Iordanis *amœnat.*

AMOENVS, qui fuerit, ignoratur. Eius extat Enchiridion ueteris & noui Teſtamenti. Id Enchiridion hactenus additum fuit operibus Prudentij. alij arbitrantur eſſe Sedulij: in qua opinione eſt Sichardus. Verùm cùm idem teſtetur, Amœni nomen in manuſcripto Vuernheri Vuolflini Argentoratẽſis appoſitum fuiſſe: id putaui in hæſitatione ſequendum, quod libro antiquo teſte probaretur.

Amomus, frutex odoratus, in Armenia proueniens, ut Dioſcorides: in Phœnicia interiore, ut Dracont. Hexaemeron,
Hæc nardi flores, hæc portio fundit amomum: in multo pluribus locis, ut Plinius. Tert. 6. *Et ſpiſſo lætum folio confragrat amomum.*

Anas, fluuius Hiſpaniæ (ut ait Prudentius) memorabilis, eundem quẽ Tagus & Bethys ortum habet: ut Strabo lib. 3 Bethycam & Luſitaniam ſeparat. & ideo Bethyca, maria utraq; proſpicit: ad occidentem, mare Atlanticum: ad meridiem, noſtrum: ut Mela lib. 2.

Anathema, ἀνάθημα: modò donarium quod dijs offertur, quæ ſignificatio antiquorum

antiquorum est: modò res execrabilis, quã attingere aut in suos usus transferre capitale sit, in qua significatione utuntur Ecclesiastici. In priore significatione Pr.Ham. *Iam patriæ meminisse piget, iam mystica frangunt Organa, & externi laudant anathemata regni.* In altera, Psych. A
Dum uetitis insigne legens anathema fauillis.

Angariare, ἀγγαρεύειν, uerbum peregrinum. Angari autẽ, ἄγγαροι, Persarũ lingua sunt nuncij regij: quorũ cursus ἀγγαρήιον, Herodoto & Xenophõti dicitur, apud utrunq; libro 8. Iis nuncijs licebat cuiusuis naue, uehiculo, iumento, seruo uti, ad conficiendum cursum. unde angariare apud Iureconsul. est uiolentia quadã, & quasi regio imperio cogere: quod adhuc fit in regnis quibusdam Occidentalibus. Matthæus & Marcus uerbum illud retinent, quod mutauit in sua translatione Erasmus, retinuit Arator:
Angariat, inquit, *Te quicunq; petens, ut pergas præuius unum,*
Cætera uade simul duo millia. –

Anguinus, pro anguineus. Pr.Ham. *Sæuit & anguino medicãs noua femina succo.*

Angustare, in unum cogere, angustum facere. Alc.5.
Usqueadeò Aegyptum angustat stipata iuuentus.

Anicla, pro anicula. Idem Steph. *Heros, uirgo, puer, senex, anicla.*

Animalia uenenata, Græcis ferè nominibus in lingua Latina appellantur: quorum autem apud Poetas nostros mentio, ea sunt. Aspis, cuius uirus necat somno. Arat.1. – *Crudelior aspide surda.* Oua aspidis rumpere, prouerbium est, quo Esaias utitur: pro eo quod est, summo periculo rem aliquam tentare. Et, Venenum aspidum, pro nocentissimo usurpat Dauid. Basiliscus, solo necat intuitu: Latinis regulus. Fort. de partu Virg. B
Reguli & aspidis ausa manus penetrare foramen. Cenchris, à maculis nomen habet, quibus (ut Lucanus canit) *Variatam pingitur aluum.* Idem uidetur esse cum iaculo, quem Græci ἀκοντίαν. Chelydrus, idem qui natrix. Pr.Sym.1.
– *Virides discindunt ore chelydros.* Fort. lib.3. de diuo Martino:
– *Percutitur puer atro dente chelydri, Membraq; percussi distenderat ira ueneni.*
ubi loquitur de famulo Euantij. Chersydrus ἀμφίβιος, modò in terris, modò in aquis degit. Cerasta, cristato capite. Dracont. Hex.
Nec semper tollunt, ad uulnera, colla cerastæ. Draco, maximæ magnitudinis, acie acutissima & peruigili: naturam solis imitatur, ut ait Macrobius. unde templis, adytis, oraculis, lucis, hortis, & thesauris præesse fingebatur. Talẽ Donatus, Eureæ episcopus in Epiro, saliua oris sustulisse scribitur à Nicephoro. Hæmorrhois, necat sanguinis profluuio. Hybris, monstrosus serpens, qualis est Aspidogorgon apud Epiphanium. Fort. de partu Virg.
Regulus atq; aspis, cedunt quis cuncta uenena:
Vipera, chersydros, seps, draco, cenchris, hybris. Seps, necat putredine. Tert.1.
Per latebras animæ sepis manante ueneno. Scorpio, uel scorpius, in quibusdam locis lethalis, in quibusdam non est. Dracont. Hex. – *Nec scorpius ictus Semper habet, nec semper agit fera uipera morsus.* Sedul.3.
Vipereasq; minas, & scorpion, atq; inimica Agmina uirtutis.—
Vipera prolixè à Prud. Ham. describitur. Horum generum penè omniũ lib. 9. Lucanus meminit, in descriptione itineris Catonis per Libyam. Isti autẽ serpentes, quantũuis uirosi atq; noxij sunt, tamẽ suis morsib. uulneribus ue aliqui

Prouerb.

A aliqui ex ipsis faciunt medicinam. Dracont. Hex.

—Anguis hians, quatiens sub dente uenenum,
Et subitò sparsura graues per sibila mortes,
Atque eadem membris impertitura medelas. Eosdem deponere senectá, & annuatim renouari, idem testatur canens: *Squammeus exuitur stellato tegmine serpens,*
Pelle renascenti: rursus redeunte iuuenta,
Reptat hians anguis, per sibila guttura pandens.

Animator, qui dat animam. Ibid. *Nihilumq́; & illud unde corpus nescio,*
Nouit animator solus, & factor tui.

ANICIORVM familia nobilis Constantini Imp. tempore, IESV CHRISTI complexa Euangelium est, teste Prudentio contra Symmachum:
Fertur enim ante alios generosus Anicius, urbis Illustrasse caput.—
Extant Romæ in domo Cæsiorum quatuor marmora, in quibus Anicij Hermogeniani Olybrij, & Anicij Probini, duorum fratrum: & eorum patris Sexti Petronij Probi, Anicianę domus culmini, multarumq́; dignitatum quas gesserunt, illustris mentio. In ijsdem Anicia Falconia Proba, Consulum proles, Consulum mater prædicatur, seruandæ ac docendæ castitatis exemplum. Alia eidem cognominis, Consulis uxor, Consulis filia, Consulum mater laudatur, animo Spintios Aniciosq́; decorans. Tiranniæ Aniciæ, & Aniciæ Iulianæ, in Vrbis Epigrammatis mentio. Anicius Bassus cum Fl. Philippo consul fuit: quo anno mortuus Arcadius, cum Fl. Aetio militię occidentalis magister sub Theodosio. Tum Boethius, togatorum doctissimus, hanc familiam facit celebriorem. Obijcitur autem Symmacho & hæc B familia, & quædam aliæ, ne plebeios solùm homines, & uulgus nouitatis amans, uerùm etiam è nobilitate plurimos, cupidè amplexatos doctrinam uitæ atq; salutis comprobet. Aniciæ igitur familiæ amplissima & uerissima laus est, non modò quòd Romana, sed et quòd Christiana fuerit: nec tam illi laudi est quòd in eã se insinuauerint Iustini Impp. senior & iunior, item Iustinianus, Tiberius, & Mauricius: quàm quòd in ea professio nominis diuini diu manserit, atq; floruerit.

ANVBIS, Ægyptiorum dæmon, canis forma cultus: Cynocephalus diuo Augustino, caniformis Prudentio, canis semihomo Sedulio, Deus semicanis Lucano, latrator Virgilio. Secutus hic canis fertur Osyridem, & eius corporis custos fuisse. Alc. 5. *—Cursus*
Testor Nile tuos, & diuæ uocis Anubim,
Cum rabidus latrat, iam non impunè futurum.

Apellæ dicti sunt Ebræi, quòd essent circumcisa cuticula. Alc. 5.
In regnis Aegypte tuis Iudæus apella.

APODEMVS, martyr Cæsaraugustanus. Pr. Steph. hymno quarto: interfectus cum socijs à prætore Daciano.

Apostata, ἀποστάτης, qui deficit à religione, ut transfuga ab imperio: unde Iulianus Imp. hoc cognomentũ accepit, seductus ambitione, ut Iudas Christi discipulus auaricia. de hoc Sedul. 4.
Tunc uir Apostolicus, nunc uilis apostata factus.

Apostaticus, ἀποστατικὸς, qui digna desertore & proditore facit. Ibid.
—Formidine rursus Plebis apostaticæ, Dominum quæ cæca negasset.

APOSTOLI, ἀπόστολοι, legati, seu duodecimuiri, quos Christus Dei filius ex infimo & imperitissimo hominum genere elegit familiares & discipulos: item doctrinæ, miraculorum, mortis atq; resurrectionis testes: quibus uniuersis atq; singulis tradita potestas est regni cœlorum: à quo, quos ipsi excluderent, exclusi in sempiternum essent: quos admitterent, eo in æternũ cum summa felicitate perfruerentur. De ijs legi antiquum Epigramma Honorij Romani episcopi, quod è manuscripto huc adijciam. agit autem de Christi ad cœlos ascensu: A

Luce uidet Christum, quem Petrus nocte negauit,
Et cecinit Dominum pergere ad astra suum.
Territus Andreas orat: Miserere magister,
In regnum Patris collige discipulum.
Iacobus expauit hominem per nubila ferri:
Supponit scapulas, dat pia uota Deo.
Hæret ab aspectu tremulus per membra Iohannes:
Et turbatus, adhuc sic stetit, ut placeat.
Quem sequimur te Christe? uocat sine uoce Philippus:
Num proiectus ego liber, & implicitus?
Bartholomæe pedes Christi pendère tremiscis:
Et uis, si capias, tendere posse manus.
Thomas ex toto nondum satiatus amore,
Se palpare putat uulnera, membra, latus.
Matthæus muto similis, per scripta locutus:
Nam timor inuasit, nota tacere senem. B
Iacobus Alphæi pallet, sine morte sepultus,
Dans comites oculos, reddere quod potuit.
Hic stupet attonitus Simon, migrasse Tonantem,
Et fugit affectans fulgura uelle pati.
Matthias portæ cœli defixus inhæret,
Omnia cum Christo teste abijsse putans.
Iudas è cunctis corpus sine fronte leuatus,
Conspicit occisum uiuere in orbe Deum.

De ijsdem lege Fortunatum, De gaudijs & spe uitę æternæ: quo quisq; in loco, & apud quas gentes docuerit.

Appia uia, Roma ducens in Campaniam. Paulin. Cyth. —— *Viam*
Quam sternit aggerem silex, Munitor Appius cui nomen dedit.
Fuit maxima omnium uiarum, quæ ex urbe in alias regiones deducta est.

Apricare, soli exponere, fomenta addere. Paulin. Cyth.
Martinianum suscipit fraternitas, Tectoq; apricat & cibo.

AQVILA, Corinthi hospes & ὁμότεχνος Pauli apostoli: de quo in Actis, & in epistola ad Corinthios. Arat. —— *Ponticus ille*
Aquila, tunc præceptor erat: uir plurima laudis Instrumenta gerens. ——
Posuit autem primam longam, fortasse differentiæ causa.

Aquila eburnea Consuli Romano declarato, cũ alijs insignibus fuit prælata: id constat duobus Prudentij testimonijs. Steph.
Aquila ex eburna sumit arrogantiam Gestator eius. —— Sym. 1.

Post

A *Post trabeas, & eburnam aquilam, sellamq; curulem.* Liuius: Scipionem (inquit) eburneũ præferebant, extãte in summitate aquila, ex eadem materia. Vnde Iuuenalis illam aquilam ita circumscribit: – *Volucrem sceptro quæ surgit eburno.*

ARATOR, qua patria gente'ue fuerit, lectum nondum est. Italum fuisse, opinio est. Scripsit historiam Apostolicam libris duobus, interpretatus Lucam euangelistam, ut ipse inquit: *Versibus ergo canam quos Lucas retulit Actus.* Et, *De qua pauca canam, Luca narrante, relatu.* In allegorijs, seu (ut ipse nominat) in typis frequens est. Monachum fuisse professione, deinde subdiaconũ Romæ, testantur Præfationes abbati Floriano, & pontifici Vigilio inscriptæ: è quibus etiam colligimus, idem Opus ab ipso auctore bis fuisse editum. Hoc certò traditur, cùm primùm Arator Vigilio pontifici librum obtulit, ad VIII. Id. Aprilis, in magna sacerdotum & ministrorum corona Pontificem fuisse, partemq; libri ab Aratore recitatã: sed labente hora, à Pontifice liber, Surgentio primicerio notariorũ scholæ traditus, ut in scrinio collocaretur. Sed mox instantibus sedulò apud Pontificem plerisq; uiris doctis, publicè recitari præcepit in templo, quod in Esquilijs est ad S. Petri uincula: quaterq; ab eodem Aratore recitatus proditur, incredibili audientium studio & attentione. Vixit Arator anno DLX. sub Iustiniano Cæsare: quod & Paulus Diaconus cùm in Romanis, tum Longobardicis historijs, & Palmerius in Chronico testatum reliquerunt. Quorum mihi potior auctoritas, quàm Aldi, qui DXLIIII, ex quopiam glossemate, illum claruisse prodidit: nisi fortasse hoc scripsisse tempore, illo decessisse intelligamus. potior etiam quàm Platinæ, qui magis in hoc decipitur. In hanc ferè sententiã Lilius Gyraldus.

B ARATORIS exempla impressa contuli duo, Suollense & Dauentrianũ: manuscripta contulit tria Theodorus Poelmanus Cranenburgius, unum Brugense, & bina Leodiensia. quorum adiumentis usus, locos multos restitui: & in diuersitate lectionis, quod optimũ uisum fuit, elegi. Nouerint aũt studiosi, ubi lectio expedita est, id exemplaribus antiquis deberi: ubi uerò adhuc aliqua hæsitatio fuerit, & in hoc Poeta, & in reliquis omnibus, ipsi meliora inquirant, & ex ijs emendent.

Arbiter, arbitri, media in obliquo longa. Alc. ad Sor.

—— *Longeq; remotis Arbitris, morbum simulans.*——

Archangelus, ἀρχάγγελος, princeps angelorum nominatur Gabriel, qui Christi ortum matri nunciauit uirgini: Ioannis ortum, matri anui, & parenti effœto. Alc. 4. *Hic rerum solers, summusq; archangelus ille.*

Architectus, ἀρχιτέκτων, præfectus ædificio. Arat. 1.

Qui fundamentis manet architectus in illis.

Arcus triumphales statuebantur Victoribus, in quibus duces captiuos, & currus uictos, item tela hostilia, & truncos exsculpebant: ut ex Prudentio Sym. 2 discitur. Romæ inter arcus antiquissimos extat in hunc diem, Titi Imp. de uictis Hierosolymis, eregionè Capitolij, uia qua itur ad Amphitheatrum ipsius. Hic singulari Dei prouidentia remansit, ut cotidie Romam, & per se uitijs corruptam, & gentium aliarum corruptricẽ, uocet ad pœnitentiam. Extat non longè inde, ad Amphitheatri dextram à foro eundo, arcus Constantini Imp. de uicto Maxentio, qui de ponte Moluio cadens, in Tiberis uado perijt, inspectantibus duobus exercitibus: cuius arcus reliquiæ

docent, nullam impietatem esse diuturnã, nullam libidinem impunem. nam A
ijs facinoribus præcipuè Maxentius accusatur à Prudentio.

Arietare, ariete percutere, incurrere. Pr. Ham. *– Non æris machina rostro Arietat insiliens. —* Aries machina bellica, quam antiquissimi, Plinio auctore, Equum nominarunt. unde, de equo Troiano fabula orta est.

ARISTO, chirurgus Antiochenus, qui iussu Asclepiadis, martyri Romano linguam scalpello eruit. Pr. in Romano.

Armaria sunt scrinia, seu foruli, seu tabulata Bibliothecarũ. Idem Apoth.

— Quæ non scriptorum armaria, Christi Laude referta? —

Aroma, ἄρωμα, quod usurpabatur ad delicias, odoramentum: quale balsami, thuris, croci. uel quod adhibebatur ad cadauera, condimentum: quale myrrha, stacte, aloe. Pr. Steph. *Auras madentes Persicorum aromatum.*

Aromaticum, odorum, conditum. Sed. 4. *— Cum munere matres Messis aromaticæ, notum uenêre gementes Ad tumulum. —*

Arra, pro pignore. Fort. de descensu Christi ad inferos: *Funeris ordo eius nostræ fuit arra salutis?* Aliqui non Romanam, sed peregrinam uocem esse autumant.

ARRIVS, in Dei filium blasphemus, effusis uisceribus interijt. Sed. 1. *Visceribus fusis, uacuus quoq; uentre remansit.* Arat. 1.

— Fusa ruit Arrius aluo Infelix, plus mente cadens. —

Ars bonam & malam in partem, modò sapientiam, modò astutiam significat. Fortunat. hymn. *Multiformis proditoris ars ut artem falleret.*

Arthresis, neq; Græcum neque Latinum est: ut pleuresis, phrenesis, ne-
phresis. Græca autem sunt, ἀρθρῖτις, πλευρῖτις, φρενῖτις, νεφρῖτις: illa in uulgari B
abusu, longo tempore manserunt. Quòd si temporis præscriptio, ut apud Iureconsultos, ita etiam in regno Latino ualet: consuetudine mille annorum hæc uocabula iam auctoritatem consecuta sunt. Est autem arthritis, articulorum uitium seu morbus: cuius species, chiragra & podagra. Idem Steph. *Sic eiulantes, ossa clamant diuidi, Nodosa torquet quos podagra aut arthresis.*

Articulare, clarè & expeditè proferre. Paulin. *— Molitaq; uocis Articulare sonum. —*

Aruina liquente, quæ desuper de cautere fluebat, cruciati sunt à tyrannis Christiani. Vide Cauter.

Arula, ara parua. Ibid. *Appone porrhis religiosas arulas.* Vtitur & aliâs.

ASCLEPIADES, præfectus Antiochiæ sub Galerio, Romanum, eius urbis ciuem, multis tormentorum generibus horribiliter excruciatũ, occidit. Steph. hymno 10, qui omnium est eruditissimus.

Asperare, asperum facere. Ibid. Et dum Mineruæ pectus hydris asperat.

ASPRA, uxor Bebiani: & eiusdem nominis soror Hilarij, episcopi Pictauiensis.

ATHENAE, urbium Græcarum maxima, nobilissima, potentissima, humanissima: à Theseo mœnibus circundata, à Solone legibus fundata, ab Adriano Imp. instaurata: qua de re ante annos centum talis ibidem lecta fuit inscriptio: *αἵδ' εἰς ἀθῆναι, θήσεως ἡ πρὶν πόλις, αἵδ' εἰς, ἀδριανοῦ κ' οὐχὶ θήσεως πόλις.* In ea urbe fuit Areopagus, totius Græciæ forum, in quo iudices duodecim dixerunt sententiam: quem Athenæum

pagum

A pagum nominat Sedulius lib.1. *Sectantesq; magis uitam, ſpirantis odorem Legis, Athenæi pædorem linquite pagi.* dehortatur enim à paganiſmo:uultq; nos omnes ſinceritatem potius legis diuinæ, quàm impuritatem commentorũ humanorum ſequi: & potius adorare Dominum cœlorum & terræ, quàm aureas & eburneas ſtatuas,lapides atq; æra & alia muta metalla colere. Idẽ ſentit,dum inquit Tertullianus:Quid Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? Doctor autem primus Athenienſium fuit Paulus apoſtolus,cùm ibi aram θεῷ ἀγνώστῳ,uel (ut ſcribũt alij) ξένῳ dicatam inueniſſet. Ibidem diſcipulum, ſenatorem Areopagi, Dionyſium reliquit,& Damalim mulierem.

Athleta,ἀθλητὴς,luctator.Tert.2. *In ſtadio ligni fortis congreſſus athleta.* Vtitur eodem modo & quantitate Fortunatus.

Atomi,ἄτομοι,corpuſcula tenuiſsima, qualia in radijs ſolis uidentur uolitare,παρὰ τὸ μὴ τέμνεσθαι.Pr.Apoth. *—— Vmbram Prodere,quam tenues atomi compage minuta Inſtituunt.——* Ex his nugatores Democritus & Epicurus mundum fabricati ſunt.

Auctor,ſcribitur per ct: nec aliter antiqui ſcripſerunt. Rod. Agricola ſcribit Autor,& deducit ab aueo:ut ſit autor,qui cupit aliquid.Sunt & qui cum aſpiratione ſcribãt Author,à Græco αὐθέντης, quibus ego præfero Rodolphi ſententiam:& tamen antiquorum orthographiam ſequor.

Audientia,audiendi uis atq; poteſtas,auditus.Pr.Steph. *Surdis fruendam reddere audientiam.*

AVGVRIVS,Tarraconenſis martyr,& eius urbis diaconus:cum ſuo epi-
B ſcopo Fructuoſo,rogo imponitur.Steph.Hymno 6.

AVGVSTINVS,epiſcopus Hipponenſis,in libro Meditationum cap.25. carmen ametrum ponit, De gloria & laudibus paradiſi. Auguſtini extat tale apud Proſperum elogium:

Auguſtinus erat,quem Chriſti gratia cornu
Vberiore rigans,noſtro lumen dedit æuo,
Accenſum uero de lumine:nam cibus illi,
Et uita,& requies,Deus eſt:omniſq; uoluptas,
Vnus amor Chriſti eſt,unus Chriſti eſt honor illi:
Et dum nulla ſibi tribuit bona,ſit Deus illi
Omnia,& in ſancto regnat ſapientia templo. Fortunat.lib.8.
Quodq; Auguſtinus fonte fluente rigat.

Ex Auguſtini ſententijs librum Epigrammatum ſuorum contexuit Proſper. Vixit in ſuo epiſcopatu annos quadraginta.

Aulea, αὐλαῖα,uela aut tapetes,ad parietum ornamenta ſolita adhiberi.Pr. Steph. *Ergo ut recliue mollibus Reiecit auleis caput.* velu regia latine dicitur.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS uitam hoc modo deſcribit ex eius præcipuè operibus Aldus Manutius: Aurelius Prudentius Clemens,uir conſularis, genere fuit Hiſpanus, ex urbe Cæſarauguſta, ut ex eo Hymno colligimus,quem in laudem duodeuiginti martyrum Cæſarauguſtanorũ ſcripſit.Fuit homo ingenioſus,grauis,& ornatus moribus, ac Chriſtianæ religionis obſeruãtiſsimus,quod ex ipſius operibus facile eſt cognoſcere:licet adoleſcẽtiam,& iuuentutem,cum bonis literis indulgeret, incon

tinenter egerit: quod dolet ipse in Procœmio *καθημερινῶν* his uerbis: A

Aetas prima crepantibus Fleuit sub ferulis: mox docuit toga
Infectum uitijs falsa loqui, non sine crimine.
Tum lasciua proteruitas, Et luxus petulans (heu pudet, ac piget)
Fœdauit iuuenem nequitiæ sordibus, ac luto.

Fuit & iuris peritus, ac Messaliæ consul. Militauit etiam non sine laude, puto sub Honorio, quod sic ipse testatur:

Bis legum moderamine Frenos nobilium reximus urbium.
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu Euectum pietas principis extulit.
Assumptum propius stare iubens ordine proximo.

Postremò septimum & quinquagesimum annum agens, res Ecclesiasticas uario metrorũ genere cœpit componere, ingeniose quidem, & eleganter, sed spreta interdum syllabarũ quantitate, in peregrinis dictionibus, & maximè Græcis: nõ quòd putem ipsum ignorasse literas Græcas, quoniam hi tituli librorum eius redarguunt, *ψυχομαχία, καθημερινῶν, ἀποθέωσις, ἁμαρτιγένεια, περὶ στεφάνων, διττοχαῖον*: sed ectasin, systolenq; facere posse interdum in rebus sacris sibi licuisse (nisi mendosi codices) fortasse uoluit. Dolens præterea, nihil scribendo se consenuisse, sic queritur:

Instat terminus, & diem Vicinum senio iam Deus applicat,
Quid nos utile tanti spacio temporis egimus?

Floruit temporibus Valentiniani II. & Theodosij Magni, & filiorum eius Arcadij & Honorij Impp. quibus & Ausonius & Claudianus poetę, item Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, diui Ecclesiæ sanctæ doctores floruerunt. Nam in Procœmio primi libri contra Symmachum, colligimus Prudentium eo tempore floruisse, quo Symmachus, his ad Christum pro Symmacho precibus: B

Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis ueniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu:
Huius, si potis est, iam miserescito
Præruptam in foueam præcipitis uiri.
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresq; suos indocilis fouet.
Obtestor iubeas, ne citus impetus
Arsurum medijs inferat ignibus.

Tum quia contra Symmachum D. etiam Ambrosius scripsit ad Valentinianum Augustum, perspicimus D. Ambrosij tempestate fuisse Prudentium. In fine autem secundi libri contra Symmachum, uidetur Prudentius ad Honorium, Theodosij Magni filium, dirigere sermonem his carminibus:

Te precor Ausonij dux augustißime regni,
Et tam triste sacrum iubeas, ut cætera, tolli.
Perspice, non' ne uacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, & genitoris amica
Seruauit pietas? solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, Partem tibi nate reseruo,
Dixit: & integrum decus, intactumq; reliqui.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam,

Quodq;

A *Quodq; patri superest, successor laudis habeto.*
Ille urbem uetuit taurorum sanguine tingui:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in urbe cadat, cuius sit pœna uoluptas,
Nec sua uirginitas oblectet cædibus ora.
Iam solis contenta feris immanis harena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit deuota Deo, sit tanto principe digna,
Et uirtute potens, & criminis inscia Roma:
Quemq; ducem belli sequitur, pietate sequatur. Præterea meminit Stiliconis, quem & Rufinũ, Theodosius Magnus, cùm Arcadius & Honorius filij, quos post liberatum orbem, subactosq; undiq; domitosq; tyrãnos, consortes imperij fecerat, nondum maturi imperio forent, ductores legit, & Rufinum Arcadio adiunxit, Stiliconem Honorio: & Arcadius Constantinopoli, Romæ Honorius imperauit. Carmina uerò, quibus de Stilicone Honorij comite meminit, quoniam stragem barbarorum continent, qui duce Radagasto in Italiam irruperunt (fuit enim numerus CC milliũ) operæpreciũ hoc loco recensere existimauimus. Sunt autem hæc:
Tentauit Gethicus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio ueniens iuratus ab Istro
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, mastrucis proceres uestire togatos.
Iamq; ruens Venetos turmis protriuerat agros,
B *Et Ligurum uastarat opes, & amœna profundi*
Rura Padi, Thuscumq; solum uicto amne premebat:
Depulit hos equitum nimbus, non peruigil anser
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli:
Sed uis cruda uirûm, præfractaq; congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
Pro patria, & pulchram per uulnera quærere laudem.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auspice tantum
Virtutis precium? dux agminis, imperijq;,
Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atq; parens Stilico, Deus unus Christus utriq;.
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ: prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert,
Illic ter denis gens exitiabilis annis,
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent, mirabere seris
Posteritas seclis inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros. Romam quoq; ex Hispania profectum fuisse, testatur ipse in libro περὶ στεφάνων, in Cassiani, Hippolyti, & Petri Pauliq; martyrijs. Composuit autem multa quæ titulis Græcis ornare operæpreciũ duxit, præter duos libros aduersus Symmachum, ac Romani

martyris tragœdiā. Ea uerò ſunt, ψυχομαχία, hoc eſt animi pugna, heroico car- A
mine. ψυχὴ enim Græcè, Latinè animus, & μάχομαι pugno. In eo enim libro
uitia cum uirtutibus pugnant, & ſuccumbunt uitia. καθημερινὸν, hoc eſt diur
narum rerum opus. Sunt enim odæ ex uario metrorum genere à matutino
ad uespertinum crepuſculum. ἀποθέωσις, hoc eſt diuinitas, deificatio: ἀποθεόω,
deifico: eſt enim opus de reb. diuinis. ἁμαρτιγένεια, peccatorū origo, ἡ ἁμαρ-
τία peccatum, & γεννάω genero. Scribit enim aduerſus Marcionem hæreticū,
qui duos eſſe deos dicebat, alterum Veteris teſtamenti crudelem, ſanguina-
rium, ac peſsimum: Noui alterum, pium, miſericordem, optimum: atq; ani-
mos à bono, à malo corpora eſſe creata: pugnaſſeq; eos inter ſe, atque à malo
bonum uictum, animumq; in corpus immiſſum, & hinc inter carnem & ani
mum bella geri inteſtina aſsiduè. quod confirmabat his Apoſtoli uerbis: Ca-
ro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Id uerò,
quia fomes peccatorum, origoq; eſt, ἁμαρτιγένεια ei libello inditum eſt no-
men. περὶ στεφάνων, hoc eſt de coronis. Sunt enim Hymni in laudem marty-
rum: qui quoniam legitimè certauerunt, coronis honeſtati ſunt. διττοχαῖον,
duplex cibus. διττὸς duplex, & ὀχὴ cibus. Sunt enim tituli hiſtoriarū ueteris
& noui Teſtamenti: atq; hinc puto Dittochæum, hoc eſt duplicem cibum
appellatum hunc librum à Prudentio. Sed quoniam non ſic excultus eſt, &
elaboratus hic liber, ut cæteri à Poeta compoſiti: ſunt qui non eſſe Prudentij
dicunt. Ego uerò ipſum à cæteris ſeparare non ſum auſus: tum quia Genna-
dius, qui poſt D. Hieronymū ſcripſit de uiris illuſtribus, Dittochæum à Pru-
dentio compoſitum dicit: tum etiam, quia in antiquiſsimo codice cæteris
Prudentij operibus, quæ imprimenda curauimus, inſertus & hic erat libel- B
lus, & pro Dittochæum, Dirrochæum titulus, ſcriptorum culpa, quod con-
ijcio facilè: quia interpretatū inibi eſt antiquiſsimis characteribus, duplex
refectio, pro duplex cibus. Scripſit etiam aduerſus Symmachum libros duos
heroico carmine pulcherrimos, in quibus & doctrinam ſuam, copiamq; ac
ingenium non mediocre oſtendit. Erat autem hic Symmachus urbis Romę
præfectus, ac ſumma uir eloquētia, qui ad Valentinianum & Theodoſium,
Arcadiumq; Imperatores legatus à Senatu miſſus, ut ueteres deorum cultus
reuocarentur, hac de re elegantem habuit orationem. Quę impreſſa inter D.
Ambroſij epiſtolas uiſitur: cui & Ambroſius proſa oratione, & Prudentius
duobus libris Heroico carmine compoſitis, aptè, copioſeq; reſpondent. In-
quit quoq; Gennadius, Hexaemeron de mundi fabrica, uſq; ad cōditionem
primi parentis, & præuaricationē eiuſdē cōmentatū fuiſſe Prudentiū: quod
opus ſi ueniſſet in manus noſtras, unà cùm cæteris prodiſſet in publicum.

AVRELIVS PRVDENTIVS, Palatinus miles dicitur à Gennadio. Do-
let ipſe alicubi, ſe iuuentutem uitijs infectam fœdaſſe, & in toga cauſas ini-
quas egiſſe: mox tamen commutata uita bonis ius reddidiſſe, urbes rexiſſe,
& religioni addictum plurima poemata uario carminū genere compoſuiſ-
ſe: quæ extant, & adhuc leguntur. Perierunt ex eius operibus commenta-
ria in Hexaemeron, quæ ille Græcorum more ſcripſerat, De mundi fabrica,
uſq; ad primi parentis præuaricationem. Vixit Theodoſij ſenioris ac filio-
rum temporibus. Eius Alcimus Auitus, & Sidonius, & Iſidorus meminere.
Hæc Lilius Gyraldus.

AVRE-

A AVRELIVM PRVDENTIVM, uirum fuisse consularem, non rectè scribunt Aldus & Lilius: neq; in Fastis consularibus nomen eius legitur. Natus Prudentius est Philippo & Salia Coss. ut ipse testatur his uerbis: V. C. Vir clariss.

Hæc dum ui-a uolans agu, Irrepsit subitò canicies seni,

Oblitum ueteris me Saliæ consulis arguens. Vltimus hic uersus in omnibus editionibus Italicis, Gallicis, Germanicis, hactenus deprauatus, ansam errori dedit. Fuisse autem non tantùm militem Palatinum, ut Gennadius scribit, (qui sanè honor mediocris est, & esse plebeij hominis potest) sed ipsi urbi præfectum, ex his uersibus, testimonio penè euidenti colligimus:

Tandem militiæ gradu Euectum pietas Principis extulit,

Assumptum propius stare iubens ordine proximo. nam ab Imperatore proxima dignitas togata fuit, urbis præfectura. Erasmus in quadam Apologia: Prudentius (inquit) poeta tantum spirans tum sanctimoniæ, tum sacræ eruditionis, ut mereatur inter grauissimos Ecclesiæ doctores annumerari. Idem in Ecclesiaste: Prudentius (ait) licet carmine scripserit, tamen multum spirat Christianæ facundiæ. Tribuit eidem grauitatem & elegantiam alicubi Cæsarius, pietatem & animum uerè Christianũ Riuius. Hunc unum legendum censet Viues. In Dialogo quodam Mosellanus: Quandò (inquit) parum est æquum Christianos in gentiliũ libris esse totos, his diebus quibus ferias agimus, elegantissimos simul & grauissimos Hymnos Aur. Prudentij, grauis & sancti uiri, audiemus. Idem epistola ad Matthiam Meinerum: Prudentius unus omnium inter poetas Christianos, lectores suos pascere sufficit lautissimè, siue preciosissimas panis cœlestis, hoc est uerbi diuini

B epulas esurias, siue efficacis eloquentiæ condimenta requiras. Tribuunt eidem nonnulli Romanam eloquentiam, aut certè illi propinquã. Leonardi Quercetani, hominis obscuri, nomen non nouissemus, nisi malè sensisset de Prudentio. Lilius ei multam eruditionem ac uariam asscribit: sed eloquentia ac linguæ castitate uel parum ualuisse, uel potius ea neglexisse ait: neutrũ homini nec diserto, nec eleganti, ut & de eloquentia, & de orationis puritate iud cet, concedimus. Christophorus Mylæus uerecundè & bene ait: Nostræ religionis historiam, doctrinam, instituta, numeris Prudentium conclusisse aptè & concinnè.

AVRELII PRVDENTII codicem manuscriptum, è bibliotheca Numburgana, habuit uir eruditione & diligẽtia præstans CASPAR BORNERVS: quem ante annos octo & uiginti, cùm in ludo Lipsiensi Thomano eius collega essem, mihi conferendum dedit: ex quo uersum in hymno De baptisterio integrum sarciui, locos plurimos correxi: & similiter effeci, ut etiã in carmine minus desiderari posset, de quo Viues alicubi conqueritur:

Auretenus, quod ad usq; aures peruenit. Pr. Sym. 2.

— *Te stante sub armis Libera, & auretenus Gethicos experta tumultus.*

Auribus perfossis, suspendebant de ijs gemmas, aut aurea ornamenta mulieres: quod adhuc Hispanis & Italis usitatum. Alc. ad Fusc.

Nec tibi transfossis fixerunt auribus aurum,

Quæ compensarent pendentes uulnera baccæ.

Auricolor, auri colorem habens. Iuuen. 1.

Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra.

A

Aurulentus, auri splendore fulgens. Pr. Steph. *Vt omnis aurulenta Lux esset intus, ceu iubar sub ortu.*

AVSES, appellatus fuit Iosua, minister & successor Mosis. Tert. 3. contra Marcionem: Cùm successor Mosi destinaretur Auses, filius Naue, trāsfertur certè de pristino nomine, & incipit uocari Iesus. Idem 4. Auseæ nomen reformauit, uocando Iesum. Idem carminis lib. 3.
At Iesus Naue filius, Auses antè uocatus.

AVSONIVS poeta, quòd Christianus fuerit, Camers, Crinitus, Lilius asserunt. Sed eorum sententiæ uidentur aduersari, quę ad ipsum scribit Paulinus uir Consularis, eius discipulus:
Cùm steriles fundas non ad diuina precatus,
Castalijs supplex auerso numine Musis,
Non his numinibus tibi me patriæq; reduces. Hactenus autem quæ eius operibus inserta fuerant de Christo carmina, partim Iuuenci presbyteri sunt, partim Paulini episcopi: & eadem nunc suis ueris & sinceris auctoribus, librariorum deprehenso plagio, sunt restituta, & reddita.

Auspicatò, bonis & felicibus auspicijs. Pr. Steph.
Quòd Roma pollet auspicatò condita, Ioui Statori debet.
Alludit etiam ad nomen Romæ, quæ uerbo Latino dicta Pollentia.

Azymus, ἄζυμος, purus, sincerus, non fermentatus. Pr. Apoth.
Lasciuire coris similaginis, azymon esse,
Cùm fermentati turgescant crimine mores. Paulin. Cyth.
Epulemur ergo, uetere fermento sine, In ueritatis azymis.

B.

B

BAALIS cultum Assyrij inchoarūt. Nimroth enim gigas Babylonicus, amisso unico filio, ad lenimen sui desiderij statuam erexit, ad eam sacra fecit, hostias immolauit, & idololatriæ auctor maximus extitit: ut testatur, nescio quo auctore, Victor Massiliensis lib. 3. Huic Belus successit, quem Iouem Babylonicū esse ferunt, in eum totus ille cultus translatus est. Quem autem Baal uocarunt Ebræi, is Bal à Pœnis, Bel ab Assyrijs dictus est: ut Seruius grammaticus annotauit, qui illud nomen ait significare Deum: alij dominum, seu maritum interpretātur. Cùm autem semel Israelitæ speciosam Babyloniorum religionem suscepissent, quoniam errorum (ut Casianus ait) fœcunditas prodigiosa & monstrosa parturitio est: eidem Baali plures attribuerunt potestates & numina, plures præterea indiderunt appellationes & cognomenta. Primus dictus est Beelzebub, de quo Pr. Steph.
Beelzebulis callida Commenta Christus destruit.
Hic apud Lucam princeps dæmoniorum dicitur: quem coluerunt in Palæstina Accaronitæ, feceruntq; præfectum penui & cellarijs, à quibus muscas abigeret: præfectum agris, quos fœcundos faceret. Tales fuerunt, apud Romanos Hercules, qui muscarum abactor habitus, unde ad eius templum nō aduolarunt: apud Latinos Sterculus, qui artem agros stercorandi docuit. Pr. Steph. *Ianum bifrontem & Sterculum Colit Senatus.*
Creditus idē fuit adesse ægrotantibus, & morbis mederi: unde quòd ipsum de sua ualetudine consuluerat rex Ochozias, ab Elia propheta reprehenditur. Alter cognominatus Beelphegor, id est dominus cadauerum, cui plus quàm

Meminit Fulgentius ... Sapientiæ cap. ... columna 336

HERCVLES MVSCARV̄ ABACTOR

A quàm barbara crudelitate, suos immolarunt liberos, reges illi duo Manasses & Achas. Imponentes autem eos brachijs & sinui idoli, cui ignis subiectus erat, morte lenta & miserrima necabant. Spartani filios flagellis ceciderũt ad necem, in suæ Dianæ honorem. Idem perpetratum in Latio est, ut Prudentius Sym.2. *Cædibus infantum fument Saturnia sacra,*
Flebilibusq; truces resonent uagitibus aræ. Eundem crediderunt assidere morientibus: qualis Romanorũ Clinicus fuit, de quo idem Prudentius contra Symmachum. Vel qualis Mercurius ille χθόνιος apud Orpheum. Tertius, Baal Bosor, dominus dissipationis, cui in bellum ituri uota fecerunt: ut Græci, Marti & Palladi. Quartus, Baal Peor, quasi dominus nuditatis, à Moabitis accersitus, & à monte eius regionis appellatus: qualis Lupercus aut Mutinus Romanorum, & nunc quidam Arcalius Italorum. Cultores autem huius idoli fœdissimi podicibus concurrerunt, nudatiq; se oleto contaminarunt: cui cùm initiati essent duces Israelitici, Moses Dei mãdato laqueis eos suspendit, ut liber Numerorum testatur. Quintus, Baal Berith, dominus fœderis, in cuius cultum occiso Gideone, Israelitæ cõiurauerunt ea pertinacia, ut eius sacra aboleri passuri nõ essent, quasi perpetua religione & sacramento illi obligati. Hic Baal est Iuppiter Lapis, apud Romanos & Atheniẽses: aut Consus ille subterraneus, qui ad latus montis Palatini scrobes & sacellũ possedit. Huius diuersitatis in religione Baalitica, uir optimus & eruditissimus, ALEXIVS PRAETORIVS, urbis nostræ antistes, me admonuit. Vitulũ Baali in deserto erectum, cui caput coctile fuit, ut ait Prudentius, cõminuit Moses: Baalis sacerdotes CCCCL occidit Elias propheta: uniuersos sacerdo-
B tes, & eorũ ministros sustulit rex Iehu: ipsum Belum in Babylone, offa medicata extinxit Daniel, & fanum eius diruit: sacerdotes cum uxoribus & liberis rex Persarum necauit: cuius historiæ ad sororẽ Alcimus obiter meminit.

Bacçæ pro gemmis, indito ipsis nomine à forma. Pr. Ham.
Auribus aut grauidis uirides suspendere gemmas. Alc. ad Sor.
Quæ compensarent pendentes uulnera baccæ.

Bacchi Thyades seu sacrificulæ, furiosum fœminarum agmen, nodos seu tænias habebant de serpentibus, ut Horatius: item cingula, ut Catullus: Serpentes manibus gestarunt, ut Porphyrio: eosdem ore & dentibus laniarũt, ut Prudentius scribit. Ea temeritas Bacchi beneficio illis sine fraude, & nociua non fuit. Eiusmodi imagines extant bacchantium in antiquis marmoribus. Vide Chelydrus.

Baia, βάϊα, folia palmarum interpretatur D. Hieronymus: ramos palmarũ apud Ioannem euangelistam, uetus interpres. Ex eorum surculis aut uiminibus uincula fortasse facta sunt, quibus colla captiuorum includerentur. Hactenus ea uox è Prudentio exulauit, quam nos è codice manuscripto BORNERI, in ueterem possessionem restituimus, duobus in locis: ut Præfatione Cath. *Attrita baijs colla liber erigit.* & Steph.
Carcer illigata duris colla baijs impedit. Alijs legendum uidetur boijs, ut apud Plaut. in Asin. *Neruos, cathenas, carceres, numellas, pedicas, boias.* Boiæ.

Baptisma, βάπτισμα: uel baptismus, βαπτισμός, primum sacramentum à Christo institutum, per quod regeneramur ad uitam aliam. Prosp. contra Ing.
Tam diues uerò hoc donum baptismatis esset. Vnde ab eodem lauacrum purgans,

à Iuuenco lauacrum mundans, à Sedulio lauacrum ueniæ nominatur. Tertul. contra Marcionem lib. 1. — *Iohannes baptismi primus apertor.* A

Baptisterium, locus Romæ fuit in Vaticano, prope custodiam Mamertinam. Fons autem ibidem exortus est, dum in carcere illo Petrus apostolus detineretur: ex quo milites nouem & quadraginta, ibidem detentos, cum Processo & Martiniano carceris custodibus baptizauit. Ad baptisterij locũ martyres olim aliquot occisi sunt. Hymnus apud Prudentium VIII, mutilus & imperfectus est: in cuius initio tertium uersum hactenus desideratum inserui, è codice Borneri. Ostenditur iam Baptisterium in Vaticano, cum cochlea, intra ædes pontificias: cuius usui aqua seruit Sabatina, deducta ab Innocentio VIII. de qua in Roma nostra meminimus.

Baptizati olim, qui fidem Christi sequerentur, & gentilismum abiurarẽt, duobus in locis Romæ sunt: in Vaticano, ubi est locus ipse Baptisterium dictus: in Esquilino, iuxta ædem Lateranã, ubi adhuc labrũ ostentatur, quod lauacrum Constantini nominant. Pr. Sym. 1.

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes, Vnde sacrum referat regali chrismate signum.

BARABBAS nomen latronis, quem CHRISTO prætulit clamore & plausu plebs Hierosolymitana. D. Ambrosius uertit filium patris, ein Vatter sönlein/ cui omnem licentiam præbent indulgentes parẽtes. aliam autem interpretationem affert D. Hieronymus. Sedul. 4.

Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam. Sunt & alia nomina in Christi passi historia, quorum notationes non iniucundæ sunt. Iudas significat confessorem, der etwas wagen vnd bekennen darff. Iscariotes à mercede, qua Christum uendidit, ein Kremer/ schösser/ der mit gelde vmbgehet. Annas ab affligendo, ein Volterer/ ut Sueui loquuntur, βασανιστής, der die armen leute martert. Caiphas, canis uenaticus, ein Jaghund: uel helluo, qui ingesta reuomit. Simon, homo aures præbens, der im sagen lest/ cum Christo crucem baiulat. B

Barathrum, βάραθρον, fuit locus in Attica, in quo erant (ut Suidas inquit) ὄρυγμα, οἱ μὲν ἄνω, οἱ δὲ κάτω: in quem nocentes præcipitabantur. Significatur per barathrum Latinis, quæuis alta & tenebricosa profunditas, ut uoraginis aquarum. Vict. 1. *Tellus uicta cauo sorbet patefacta barathro.*
ut carceris: Pr. Steph. *In hoc barathrum conijcit*
Truculentus hostis martyrem. ut inferorum: Idem Cath.
Et mancipatam fumido Vitam barathro immerserant.

Barca, genus nauigij, quod olim ad maiores adiungebatur. Paulin. Cyth. *Vt mox salubri barcha perfugio foret.* Hoc genus notissimum est nunc apud Venetos: & est inter naues tectas, & ad transuehendos homines adhiberi solitas. Vnde apud eosdem Imbarcare est, barcam onerare.

BASILIDES, Valentini sectator. Tert. 1.

Tantos esse deos Basiliden credere iussit, Quantos & dies annus habet. —

Nugatus est idem, mundum ab Angelis conditum, & in sorte diuisionis terrarum Christo Iudæam obtigisse. Ab eo Gnostici descenderunt, impurissimi omnium hæretici. Vide Hieronymũ in uita Agrippæ Castoris, & copiosè deos Basilidis enumerantem Epiphanium.

BASILISSA Antiochena martyr, sub Diocletiano Romæ bestijs obijcitur. Fort. de Gaudijs uitæ æternæ.

BASSO-

A BASSORVM antiqua Romana familia, laudem insignem habet nobilitatis, sed non minorem pietatis: quæ Constantino imperante, religionem filij Dei coluit, teste Prudentio Sym.1. *Non Paulinorum, non Bassorum dubitauit*
Prompta fides dare se Christo.——

BEBIANVS, è familia consulari, Romanus nobilis, anno ætatis XLVI baptizatus est: & post biduum graui morbo afflictus, in ecstasi fuit. die altero, de ministerio angelorum qui se uexerint, & de uita cœlesti docuerint, Asprę uxori concionatur: & inde statim moritur. Extat incerti auctoris carmen, de ipsius baptismo atq; obitu: in quo initium præclarū est de causa salutis, è psalmo Dauidis 32 sumptum: O' *uir beatus, cui remissa iniquitas,*
Nec imputata est pigra credendi mora, Operumq; cassa contulit uitam fides.
Quo fundamento Paulus quoque apostolus nititur ad Romanos 4. capite.

Belial, pro apostata. Pr. Ham. *Principe Belial rectoribus horret iniquis.*

BESSI, Ponti accolæ, Hæmi montis incolæ, quos inter feras gentes enumerat Ouidius, eosq; λῃστὰς uocitatos ait lib.7 Strabo. Quò alludēs Paulin. 7. Nic. *Præda fit sanctis uetus ille prædo, Et gemit uersis homicida damnis,*
Et latet iustus, quibus ipse latro Vixit in antris. Idem:
——*Terris animisq; duri, Et sua Beßi niue duriores.*
Fuerunt apud Bessos aurifodinæ. Idem: *Nunc magis diues precio laboris*
Bessus exultat, quòd humi manuq; Antè quærebat, modò mente, cœlo Colligit aurum.

Bibere, ad notum gustatus sensum propriè pertinet. Horatius ad auditū retulit, 2. Carm. ——*Exactos tyrannos Densum humeris bibit aure uulgus.*
Fortunatus ad odoratum, *Vt similis nullus nare bibatur odor.*
B Est autem μεταφορὰ ἐκ τῶν συγγενῶν μεταβατική, elegans, & (iuxta Fabium) audax. Calicem bibere, πιεῖν τὸ ποτήριον, apud Matthæum & Marcum, pro eo quod est affligi atq; effundi: id est, excruciari & necari. relatum ad sensum tactus est. Vide Calix. a Cicutæ potio

Bifestus dies, quo duorum festa diuorum celebrantur. Pr. Steph.
Diem bifestum sic colas memento. Loquitur autem de die Petri & Pauli apostolorum. Ita dies bifestus est, Cornelij episcopi Romani, qui à Decio interfectus: & Cypriani episcopi Carthaginiensis, qui à Valeriano. Similiter de Concordia & Constantia martyribus, conueniunt Romanum & Moguntinum calendarium. Expectamus autem uiri doctißimi MICHAELIS BEVTHERI Ecclesiasticas Ephemeridas: in quibus de his rebus, ut antea fecit in alijs, diligentißimè scripturus est.

Bipennis, anceps securis, qua Hispani nocentib. capita amputarūt. Ibid.
Seu foret præbenda ceruix ad bipennem publicam. Fuit eadem Romanis consuetudo, & nunc est Italis, ut facinorosos securi feriant.

Bis coctus, pro bis tinctus: pro ueste dibapha. Alc. ad Fusc.
Nec te Sidonium bis cocti muricis ostrum Induit.——

Bitumen aut est fluidum, quod mari aut undis innatat: id Cypr. in Sod. picem marinam nominat. Aut cum terra mistum, quod foditur: quo Babylonij usi sunt. id Græcis πιττάσφαλτον. Pr. Steph. *Fuligo quem mox sulphuris,* colū. 302
Bitumen & mistum pice, Imo implicabunt tartaro. Iustinus ad uerbum uertit picebitumen, quomodo picesulphur dixit Sallustius. Vict. 3.
Hanc interstratam sic nectit utrinq; bitumen,

Vt solidas simulent circundata mœnia cautes. Alc.4. A
Qui coctos lateres, lentoq; bitumine iunctos, In sublime rati manibus sic posse superbis Sustolli.— Materia horum laterum βήσαλος dicta à Babylonijs, auctore Zeze. Tali besalo circumdedit urbem Semiramis, arena picebitumine interstrato: unde tam solida ædificia facta sunt, ut ipsis cautibus uiderentur firmiora, magisq; diuturna.

Bitumine liniuntur naues. Alc.4. *—Memor esto linire Iuncturas laterum, pigrumq; infunde bitumen.* Vnde eodem in castellis & piscinis usi sunt Romani. Ægyptij condiendis cadaueribus mixto alijs aromatib. Diodorus Siculus lib. xix.

Biuium, uia duplex. Pr.Sym.2. *—Nescia flecti In diuerticulum, biuijs nec pluribus anceps.*

Blatta bis cocta, pro bis tincta: hoc est, preciosissima purpura. Alc.3.
—Fulgidus auro Serica bis coctis mutabat tegmina blattis.

Blattarum pallium, pro ueste purpurea regia. Idem 4.
Pallia blattarum spreto diffibulat auro.

Bonorum genera sunt triplicia, secundum Peripateticos. Animi, τὰ περὶ ψυχὴν, quæ munera cœlestia nominat Alcimus ad Fusc.
—Deus quæ pneumate misso Christicolis, sacro infudit baptismate tinctis.
Corporis, seu (ut idem) naturæ, τὰ ἐν σώματι: ut ualetudo, robur, promptitudo in agendo. Externa, τὰ ἔξω, quæ bona fortunæ falsò appellare solemus. qualia diuitiæ: ut ibidem canit.

Botryon, βοτρύων, racemus. Idem Ham. *Perdidit inuenti uallem botryonis opimã.* Vallem autem botryonis, hoc est racemiferam, uocat agrum Hierichuntinum: in quem missus est Iosua, & socij eius, ad explorandam soli bonitatẽ. B

Brabium, βραβεῖον, uulgò brauium, præmium certantibus propositum. Pr. Steph. *Tu solus, ô bis inclyte, Solus brabij duplicis Palmam tulisti.*

Bractealis, bractea relucens. Ibid. *Setasq; fulgor bractealis inficit.*

Bracteola, pro laminula aurea argẽtea ue, quæ superinducitur lignis aut metallis. Ibid. *Bracteolas trabibus sublcuit.*

Breuiare, κολοβοῦν, detruncare. Iuuenc.4.
Et numerum miserans uellet breuiare dierum.

Britanus coluber, pro Pelagio, aut eius sectatore, qui Britaniam insulam uirulẽta doctrina infecit: quá refutat Prosper libro contra Ingratos scripto.

Bruchus, βροῦχος, locustæ genus, satis & frugibus inimicum. Septuaginta uertunt ἀκρίδα, speciali nomine. Pr.Ham.
Aut populator edit gemmantia gramina bruchus. Alc.5. *—Surgit consumere fructum Bruchus, & excusso confidens crure locusta.*
Bruchus autem sine alis est, locusta alas habet.

Brutum, bruti naturę simile. Brutum fulmen, quod effectu caret: apud Plinium. Brutum mandatum, quod ratione: apud Prudentium Steph.
O uestra inanis uanitas, Scitumq; brutum Cæsaris.

Bustialis, ad busta seu sepulchra pertinens. Pr.Cath.
Suetus antro bustiali sub cathenis frendere. id est, in sepulchretis agens, τὴν κατοίκησιν ἔχων ἐν τοῖς μνημείοις. Sequitur Matthæum & Lucam, qui de uno dæmoniaco loquuntur, ut & Iuuencus: nam Marcus duos ponit, quem secutus est Sedulius.

CAECI-

C

A CAECILIA, Sicula martyr, aquis feruentibus imponitur, & securi tandem percutitur, temporibus Antonini Commodi. Fort.

CAECILIANVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. hymno quarto.

CAELIVS SEDVLIVS, poeta Christianus, quẽ nonnulli Scotum fuisse existimant, Scotorumq; præsulis aliquo tempore discipulum: moxq; diuersas orbis partes studij gratia adijsse: tum demum, auctore Sigeberto, creatũ pontificem. Floruit anno à Verbo corporato CCCCXXX. Scripsit uersu heroico opus, quod Mirabilium diuinorum aliqui uocant, ipse Opus Paschale appellasse uisus est: quod pontificũ Romanorũ decretis insigni laude cõmendatur. Citatur à Beda in Poetica, & in Commentarijs à Placido Luctatio. Scripsit præterea de CHRISTO Hymnum carmine dimetro iambico, cuius acrostichides totum cõtinent alphabetum: item Elegiam. quæ omnia nunc leguntur. Alij addunt carmen ad Theodosium Imperatorem, cuius initium sit, *Romulidum ductor clari, &c.*——

Citatur & à nonnullis carmen Sedulij, quo se ille Scotigenam uocat: quæ certè Aldum latuêre, qui nullo alio argumento ducitur, qua ætate floruerit, nisi quòd ad Macedonium sacerdotem scribit, qui Hieronymi ætate uixerit. Scripsisse & alia pleraq; dicitur: quæ quia mihi uidere non contigit, non commemoro. Hæc Lilius Gyraldus.

SEDVLIVS quis fuerit, aut unde ortus, aut quibus temporibus floruerit, quæ solent in reliquis auctoribus considerari: fateor me, quòd meminerim, nusquam legisse. nam neq; D. Hieronymus in libro De uiris illustribus: ne-

B que in alio Opere quod est de Ecclesiasticis scriptoribus: sed neq; Gennadius, qui post Hieronymum in eodem sudauit opere: aut quisquam alius, quod sciam, Sedulij meminit. Sub incerto auctore quædam illius carmina Ecclesia canit, ut illud: *Salue sancta parens, enixa puerpera regem,*

Qui cœlum terramq; regit per secula.— Et illud, —*Quæ uentre beato*

Gaudia matris habens, cum uirginitatis honore,

Nec primam uisa es similem, nec habere sequentem,

Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo. Et quod in nocturnis lectionibus omnium Sanctorum legitur, ubi egregius Poeta inquit, Dei sapientiam omnia nosse atq; posse, canens: *Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,*

Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti. Sigebertus tamen, auctor non multę auctoritatis, asserit hũc fuisse natione Scotum, scripsisseq; Opera complura ad religionem nostram pertinentia. floruisse autem sub Theodosio Cæsare: quod mihi non fit uerisimile, cùm à cæteris scriptoribus prætermissus sit. Operis uerò materia tangitur, cùm dicit, Mirabilium diuinorum. quod & ipse auctor uidetur innuere, cùm scribit in ipsa statim sui Operis fronte:

Clara salutiferi taceam miracula Christi. Et infrà:

— *Constant uirtutum signa tuarum.*

Et in Epigrammate, quod ipsius nomine scriptum reperitur:

——*Breuiterq; triumphos* *Tangit Christe tuos.*——

Sed & in Titulo, qui in omnibus propè antiquis codicibus legitur, Mirabiliũ diuinorũ opus inscriptũ est. At in ipsius epistola, quæ est ad Macedoniũ, opus suum Paschale carmẽ inscripsit: Huic, inquit, operi Paschalis carminis

nomen

nomen imposui, quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Et in liminari uersu Procœmij illud ipsum ostendit, dicens: A

Paschales quicunq; dapes conuiua requiris. Et infrà:

Hæc firmos ad dona gradus Paschalia ducit, *Hæc mihi carmen erit.*——

Deniq; & in Gelasij decreto, cuius paulò antè mentionem fecimus, Opus Paschale prænotatum est. Quare & nos duplicem materiam proposuimus, & quam antiqui codices habent, & quam recentiores: cùm præsertim ex ipsius auctoris opere uterq; titulus defendi posit. Neq; est nouum scriptoribus, duplices titulos suis operibus imponere: id quod in Dialogis Platonis & Ciceronis licet intueri. Ita Antonius Nebrissensis.

CAELIVM SEDVLIVM patria fuisse Scotum, ait Gemblacensis: iuuenem fuisse deditum studijs infructuosis, quibus non seruierit auctori Deo, non consuluerit saluti animæ: ipse fatetur, & deplorat Præfatione ad abbatē Macedonium. Opus eius Paschale Nebrissensis diuisit in libros quinq;: nos in quatuor, cum Georgio Cassandro, diuidimus, ex ipsius auctoris Pręfatione, & quatuor manuscriptis: Chemnicense, quod peruetustū fuit: Gandauense, & binis Leodiensibus, quæ contulit Th. Poelmanus. Id opus in Decretis distinct. XV. papæ Gelasij uerbis ita commēdatur: VIRI VENERABILIS SEDVLII OPVS PASCHALE, QVOD HEROICIS DESCRIPSIT VERSIBVS, INSIGNI LAVDE PROFERIMVS. Hunc locum decretorum ita Pierius Valerianus emendat in oratione Pro sacerdotum barbis: Vulgata (inquit) hactenus exemplaria pro Heroicis uersibus, Hæreticis uersibus habuere. Quod quibusdam legum professoribus suspicionem oggessit, omnia poemata esse hæretica: Poetasq; inter pios, etiamsi sacra tractent, nequaquam annumerari. Id quod Paulo II. & Hadriano VI. Pontt. usqueadeò persuasum fuit, ut hac de causa nullum hominum genus maiori prosequerentur odio, quàm Poetas: id nominis nihil aliud præ se ferre arbitrati, quàm impietatem. De Sedulio extant binæ Acrostichides, quæ hactenus à paucis sunt agnitæ. B

LIBERII.

S *edulius Domini per culta noualia pergen* S
E *n loca conspexit multo radiantia flor* E
D *iscurrit per prata libens, quo gramine Daui* D
V *idit diuino modulantem carmina cant* V
L *audato psallente uiro refluit Citharæ me* L
I *lle ubi grandisono, captus dulcedine plectr* I
V *titur, & celeri graditur per lilia pass* V
S *acratosq; iterum latè prospexit amœno* S
A *eterna Christi fluuios quos abluit und* A
N *ec passus torpere diu doctoris acume* N
T *unc sua Dauidico delectu plectra poposci* T
I *rrita polluti contempsit numina mund* I
S *igna crucis fronti ponit, breuiterq; triumpho* S
T *angit Christe tuos, numerosaq; prælia liba* T
E *rgo his dum uario decorat sua rura color* E
S *tabunt hi gracili ducti testudine uersu* S

BELI-

BELISARII.

A

S *edulius Chriſti miracula uerſibus eden* S
E *micat,inuitans paruæ ad ſolennia menſa* E
D *ignum conuiuani:non hunc,qui carperet illu* D
V *ix quod nobilium profert triplici aula parat* V
L *ætum quod ponitq; ſub aurea tecta tribuna* L
I *n quo gemmiferi,totq; aurea uaſa caniſtr* I
V *iuida pro modico portant ſibi gaudia uict* V
S *ed quod olus uile producit pauperis hortu* S
A *c poſt delicias properant qui ſumere magn* A
N *ituntur paruum miſerorum ſpernere germe* N
T *utum quod nihil eſt,dum nil cum uentre tumeſci* T
I *nſidias membriſq; mouens,animæq; iuent* I
S *i tamen his dapibus ueſci dignantur egeni* S
T *emnat diuitias animus,pauciſq; quieſca* T
E *xemplo aſſumptus Domini,qui millia quinqu* E
S *emotis cunctis,modicis ſatiauit ab eſci* S

Miraculorum in utroq; Teſtamento collatio, Sedulio aſcribitur à Beda, qui inde uerſus aliquot citat. In antiquis codicibus legitur edita à Turcio Ruffo. Vide TVRCIVS Ruffus. Circumfertur carmen quoddam Sedulij nomine, ad Theodoſiũ Imp. quod adieci: non quia eius eſſe cenſeam, ſed quòd ab alijs citatur. Puto autem alterius cuiuſdã eſſe præfatiunculam, qui carmen ipſum Imp. eiuſq; filio uoluerit eſſe commendatum.

B

Romulidûm ductor, clari lux altera Solis,
Eoûm quia regna tenes moderamine iuſto,
Spes orbis, fratriſq; decus, dignare Maronem
Mutatum in melius diuino agnoſcere ſenſu,
Scribendum famulo quem iuſsiſti: hic tibi mundi
Principium, formamq; poli, hominemq; creatum
Expediet limo: hic Chriſti proferet ortum,
Inſidias regis, Magorum præmia, doctos
Diſcipulos, pelagiq; minas, greſſumq; per æquor:
Hic fluctuûm famulare iugum, uitamq; reductam
Vnius crucis auxilio, reditumq; ſepultæ
Mortis, & aſcenſum pariter ſua regna petentis.
Hæc relegas, ſerueſq; diu, tradaſq; minori
Arcadio: hæc ille ſuo generi: hæc tua ſemper
Accipiat doceatq; ſuos Auguſta propago.

CAESARIVS Arelatenſis, temporibus Anaſtaſij floruit. Fort.

CAIVS, Cæſarauguſtanus martyr. Pr. Steph. hym. 4. Caij & Cæciliani mentionem in alijs diuorum Catalogis non inuenio.

CALABRIA, Italię regio, quam ſiccam appellat Paulinus: ut Apuliam ei uicinam, ſiticuloſam Horatius.

Calceamenta, antepenultimam habet breuem. Pr. Steph.

Plantis calceamenta diſſolutis *Pronus detrahere ſtudebat unus.* Vict. 1.

— Cui tangere non ſum *Calceamenta pedum dignus. —* Arat. 1.

Quo calceamenta mouente, *Hi meruere pedes.*—— A

Calix, κύλιξ, notum poculi genus, pro paſsione & cruce, uerbum Theologicum eſt. Iuuenc.3. *Vos noſtrum calicem fas eſt potare.* Pr.Steph.
Hic hic bibendus nate nunc tibi eſt calix,
Mille in Bethleem quem biberunt paruuli. Vide, Bibere.

Camelus, apud Euangeliſtas, à nonnullis exponitur pro craſsiſsimo fune nautico, cui anchora alligetur. Sedul.lib.4. notũ animal κάμηλον intelligit:
Nanq; foramen acus ſicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit.—— item Iuuenc.3.
Nam citius tenuis per acus tranſire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli. Ea aũt ſentẽtia ut eſt uſitata, ita magis uidetur probabilis: & pauci ex uetuſtis Theologis ſunt, qui aliter accipiant.

Campi ardentes, φλέγραια πεδία Straboni. Alc.4. *Mendax Phlegræi fabula belli:* ubi Gigantum meminit. Tales campi ſunt in Campania, Sicilia, Theſſalia, & apud nos in Miſnia prope Zuiccam. Ager Vueidanus ardere cœpit ante annos undecim, in Votlandia, quæ uetus Nariſcorum ſedes fuit. Hæc quæ naturæ ſunt in locis bituminoſis, ad fabulas poetæ tranſtulerũt. Plura eiuſmodi loca enumerat Vict.lib.3. uidelicet Ætnam in Sicilia, Inarimẽ in Campania, Aponum in ualle Euganea, Veſeuum iterum in Campania, Chimærã in Lycia, cuius trinam fornacem fingit.

Camurus, incuruus, flexuoſus, forma arcus aut fornicis. Pr.Steph.
Tum camurus hyalo inſigni uariè cucurrit arcus.

Canes milites, ſunt canes Moloſſorum: eorum enim populorum reges, ut & Mithridates Ponti, corporis cuſtodes habuerunt canes efferatos, quos B in hoſtes ſuos ante pugnam immiſerunt. Idem Apoth.
Semifer & Gothus ſentit, cane milite peior. Eiuſmodi canibus nunc utuntur Armorici in littore Normanico, ad cuſtodiẽdum Archangeli templum. Tales aliquando canes in quibuſdam Græciæ inſulis fuerunt, qui exteri nemini nocerent, ſolos Turcos inuaderent.

Canis, petulantiæ aut impudentię conuiciũ, κυνώπης, uiſo del can, ut nũc Itali dicunt. Ibid. —*Linguam canis improbe morde*
Ipſe tuam, lacero conſumens uerba palato.

Sic ſeſe Helena apud Homerũ Iliad. Z cane vocat Hectore alloquens. — ἐπεί σε μάλιστα πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν, εἵνεκ' ἐμεῖο κυνός,

Canis ſemihomo, apud Sedulium, pro Anubi. Deos autem ſuos canum capitibus coluerunt Ægyptij. Pr.Sym.2.
Quaſdam uicta dedit capitis Cleopatra canini *Effigies.*—— Talis ſtatua ingens Romæ extabat ante D.Stephanum, cognomento Cacabum.

Canopus, Ægypti inſula, pro tota regione, συνεκδοχικῶς. Idem Steph.
Quis Roma libat, quis Canopus ſupplicat. Alc.5. —*Vel quo patet ampla Canopus,*
Et portentoſæ tellus uaſtiſsima Memphis. Regna Canopica pro Ægyptijs, Prudentius. Canopus ſpecie ollæ cultus eſt. nam cùm Chaldæi ſacerdotes Mithram ſuum, quo ignis ſignificatur, omnium gentium dijs præferrent: uidelicet quòd aureos, argenteos, æneos deos conflaret, ligneos conſumeret, lapideos & gypſeos corrumperet, omnes deniq; deformaret: ſacerdos Ægyptius uas fictile formauit, ollæ ſpecie, quæ foraminibus plena, aquam contineret: eam obturauit cera, deinde hominis ſimul effigiem aptauit, & ſtatuę impoſuit. Chaldæi circa Canopum (id enim ollæ nomẽ erat) ignem accen dunt: ex

A dunt: ex olla autem, cera paulatim dissoluta, lentè aqua effluens, focum extinxit. unde Canopus Chaldæorũ Mithræ prælatus, & ab Ægyptijs cultus est maxima ueneratione, qui & stellæ cuidam lucidæ nomen. Canopi impo fuerunt. Canopi stella nunc diuæ Catharinæ à Palæstinis dici perhibetur, sidus clarissimum, ut ait Martianus.

Cantamen, pro incantatione. Pr. Steph.

Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulchra.

Cantor Tragicus, pro homine ostentatore, qui uoce aut actione res magnificas repræsentat. Idem Sym. 2. *Vt Tragicus cantor ligno tegit ossa cauato,*
Grande aliquod cuius per hiatum carmen anhelet.

Capitis cute detracta olim puniebantur, Deum uerum confitentes homines pij, deformi admodum & crudeli spectaculo. Idem Steph.
Comam cutemq́; uerticis reuulserat A' fronte tortor, nuda testa ut tegmine
Ceruicem ad usq; dehonestaret caput.

Captiuare, captum tenere. Alc. ad Sor.
Atq; obitum signans captiuat lumina somnus. Help. de Christo:
Vinctaq́; perpetuis captiuet pectora pœnis.

Carbunculus, est inflammatio bilis atræ: ut furunculus, sanguinis. Prosp. c. Ingratos: *— Corrupti & cordis in aluo*
Persistit, cruda feruet carbunculus esca.

Carceralis, carcere dignus: ut carceralis cæcitas. aut carceri accommodatus: ut carceralis stipes, ad quem puniendi uinciebantur. Pr. Steph.

Carcereus, idem. *Inde ad carceream uiros cathenam*
B *Pastus sanguine carnifex trahebat.*

Carminum genera, quibus poetæ ueteres Ecclesiastici utuntur, secundũ Attilium, quædam sunt πρωτότυπα, quæ sunt simplicia, & originis propriæ, quorum inueniuntur in his Poetis species nouem: Iambicum dimetrum, Iambicum trimetrum, Dactylicum trimetrum, Dactylicum tetrametrum, Hendecasyllabum Phalæcium, Hendecasyllabum Sapphicum, Anapæsticũ trimetrum, Choriambicum trimetrum, Choriambicum tetrametrum. Quædam uerò παράγωγα, ex illis prioribus composita, τῇ συναρμοσίᾳ, decenti & pulchra quadam contignatione, cuius duas species reperire est apud Prudentium. Quædam ἀμφισβητήσιμα, dubia, & in cõtrouersia posita, quo nam sint referenda: ita ut de Trochaico octonario dicetur. Est igitur in uniuersum de duodecim generibus agendũ, ne quid in hac parte desit adolescenti ueritatis cupido.

1. Iambicus dimeter acatalectus Archilocheus, locis imparibus spondeũ, & interdum anapæstum, paribus iambum sine conditione recipit. Huc pertinent Hymni

Pr. Cath.	1.	*Ales diei nuncius.*
	2.	*Nox & tenebræ nubila.*
	11.	*Quid est quòd arctum circulum.*
	12.	*Quicunq; Christum quæritis.*
Steph.	2.	*Antiqua fanorum parens.*
	5.	*Beate martyr prospera.*
Drep. Psal.	27.	*Ad te polorum conditor.*

Beda: Hoc genere (inquit) ſcriptus eſt hymnus Sedulij, A
A' ſolis ortus cardine. Sed & Ambroſiani hoc maximè currunt, *Deus creator omnium.* *Iam ſurgit hora tertia.* *Splendor paternæ gloriæ.* *Aeterne rerum conditor.* & cæteri perplures, in quibus pulcherrimo decôre eſt compoſitus Hymnus beatorum Martyrum (is Hymnus nunc non extat) cuius loca cuncta imparia ſpondeum, paria tenent iambum: *Aeterna Chriſti munera,* *Et martyrum uictorias,* *Laudes ferentes debitas,* *Lætis canamus uocibus.* Recipit hoc metrum (ut ſcribit Mallius Theodorus) etiam tribrachyn locis omnibus, præter nouiſsimum: dactylum & anapæſtum locis tantùm imparibus. unde eſt, *Geminæ gigas ſubſtantiæ.* Cæterorum rara habes exempla. Hactenus Beda. Ad hoc genus pertinent hymni Hilarij, Gregorij, Fortunati, Damaſi, & multorum aliorum. nullũ enim genus in uſu Eccleſiaſtico fuit frequentius. Eodem ſcripſit libros Excellentium Alphius Auitus: & nos libros multos Hymnorum atq; Carminum.

Iambicus dimeter catalectus Anacreonteus, primo loco habet uel iambum, uel ſpondeum, uel anapæſtum: ſecundo iambum ſolum: tertio iambũ uel ſpondeum, cum ſyllaba ſuperflua. qualis ille

Pr. Cath. 6. *Ades pater ſupreme.*
Proſp. ad Vxor. *Age iam precor mearum.*

2. Iambicus trimeter acatalectus Archilochius, locis paribus iambũ, & aliquoties anapæſtum admittit: imparibus, iambum, ſpondeum, anapæſtum, tribrachyn, & in ultimo etiam pyrrhichium.

Præf. Pſych. *Senex fidelis, prima credendi uia eſt.*
Cath. 7. *O' Nazarene, dux Bethlem, uerbum patris.* B
Steph. 10. *Romane, Chriſti fortis aſſertor Dei.*
Præf. Ham. *Fratres ephebi, foſſor & paſtor, duo.*
Auct. incerti: *O' uir beatus, cui remiſſa iniquitas.*

Huc accinitur iambicus dimeter, ut in Præfatione Apoth.
Eſt uera ſecta, te magiſter conſulo? *Rectam'ne ſeruamus fidem?*

3. Dactylicus trimeter hypercatalectus Alcmanius, conficitur tribus dactylis, & ſemipede. cuius generis ſunt,

Cath. 3. *O' crucifer bone, lucifator.*
Steph. 3. *Germine nobilis Eulalia.*
Dam. Hym. *Martyris ecce dies Agathæ.*

4. Dactylicus tetrameter catalectus. Huius ſpecies duas inuenio. Prima conſtat ſpondeo, baccheo, duobus dactylis: ut apud Prudentium

Steph. 14. *Agnes ſepulchrum eſt Romulea in domo.*

Altera, cuius & Beda meminit, conſtat ſpondeo, duobus dactylis, ſpondeo: quo uſus eſt Ambroſius in precatione pluuiæ, & poſtulatione ſerenitatis, cuius carminis idem fragmenta citat, quorum initia ſunt:
Squallent arua ſoli puluere multo, *Obduxere polum nubila cœli.*

5. Hendecaſyllabus Phalæcius, conſtat uno ſpondeo, uno dactylo, tribus trochæis.

Cath. 4. *Paſtis uiſceribus, ciboq; ſumpto.*
Steph. 6. *Felix Tarraco Fructuoſe noſtris.*
Auct. inc. *Cantemus Domino, Deoq; noſtro.*

6. Hendeca-

A 6. Hendecaſyllabus Sapphicus abſoluitur trochæo, ſpondeo, dactylo, duobus trochæis. Pentaſyllabus Adonius, qui accinitur, dactylo & ſpõdeo.

Cath. 8. *Chriſte ſeruorum regimen tuorum.*
Steph. 4. *Bis nouem noſter populus ſub uno.*
Gregorius: *Nocte ſurgentes uigilemus omnes.*
Ecce iam noctis tenuatur umbra.
Auct. inc. *Nuncium uobis fero de ſupernis.*
Quod chorus uatum uenerandus olim.
Vita ſanctorum decus angelorum.

7. Anapæſticus trimeter hypercatalectus Parthenius, conſtat anapæſtis tribus, & ſyllaba indifferente. Prudentius tamen promiſcuè duabus ſedibus prioribus, modò anapæſto, modò ſpondeo utitur: tertio uerò peculiariter anapæſto.

Cath. 10. *Deus ignee fons animarum.*

8. Choriambicus trimeter acatalectus Glyconius, conſtat ſpondeo, choriambo, & pyrrhichio ſeu iambo.

Steph. 7. *Inſignem meritis uirum.*
Præf. c. Sym. 2. *Simon quem uocitant Petrum.*

9. Choriambicus tetrameter acatalectus Aſclepiadeus, conſtat ſpondeo, duobus choriambis, pyrrhichio.

Cath. 5. *Inuentor rutili dux bone luminis.*
Præf. c. Sym. 1. *Paulus præco Dei, qui fera gentium.*
Auct. inc. *Aetatis ſpacium luſtra nouem mihi.*

B His duabus ſpeciebus accinit etiam choriambicum pentametrum Callimacheum, in præfat. Cath. *Per quinquennia iam decem,*
Ni fallor, fuimus, ſeptimus inſuper *Annum cardo rotat, dum fruimur ſole uolubili.*

Secundæ ſpeciei poſt tertiam ſtrophen accinitur ſpecies prima. Auctor incertus hymni de aſcenſione Chriſti:

Feſtum nunc celebre magnaq; gaudia, &c. *Cœlorum pius arbiter.*

Hactenus περὶ τῶν πρωτοτύπων, ἢ ἀρχεγόνων, quàm breuiſsimè potuit, diximus.

10. Archilocheus primùm ex tetrametro bucolico, hoc eſt, quatuor pedibus heroici hexametri: deinde ex dimetro trochaico brachycatalecto, hoc eſt, è tribus trochæis compoſitus eſt.

Pr. Steph. 13. *Punica terra tulit quo ſplendeat omne, quidquid uſquam eſt.*

11. Hipponactius, primùm è iambico monometro hypercatalecto, deinde ex trochaico dimetro brachycatalecto. Hunc ſuperiori generi accinit Prudentius Steph. 12. *Plus ſolito coeunt ad gaudia, dic amice quid ſit,*
Romam per omnem curſitant, ouantq;. Eundem præponit dimetro trochaico, in concluſione ſuorum operum:
Pius, fidelis, innocens, pudicus, *Dona conſcientiæ.*

12. Trochaicus octonarius catalectus Archilocheus, parib. locis ſcanditur trochæo, ſpõdeo, rarius anapæſto: imparibus trochæo, excepto uno, in quo ſpondeũ quoq; admittit. Vltima ſyllaba abundás (ſicuti ubiq;) cõmunis eſt.

Cath. 9. *Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus.*
Steph. 1. *Scripta ſunt cœlo duorum martyrum uocabula.*
Fortunat. *Pange lingua glorioſi prælium certaminis.*

Currit hoc carmen (inquit Beda) alternis uersiculis ita, ut prior habeat pedes quatuor, posterior pedes tres & syllabam. Cuius exemplum totus est ille Hymnus ameter pulcherrimus, *Hymnum dicat turba fratrum* A
Hymnum cantus personet: Christo regi concinentes, Laudes demus debitas.
Iuxta hanc opinionem Bedæ prior uersus est dimeter acatalectus, alter dimeter catalectus, uterq; trochaicus: quomodo etiam Sichardus Prudentianos distinxit, in editione Basiliensi. Sed si ueram rationem ineas, uersus è duobus colis est compositus, ut eos coniunxit in editione Veneta Aldus, in Lipsiensi Bornerus: quibuscum ego sentio.

13. Dactylicus commaticus est (ut hoc inusitatum antiquis genus subiungam) qui constat è tribus commatis: quorũ priora duo, singula habent dactylos duos: ultimum comma, dactylum & spondeum. quales sunt:
O' sacer & pius, ô ter & amplius, ille beatus, Cui sua pars Deus: ô miser & reus, hac uiduatus.
Hi etiam, ut superiores, diuidi possent per commata singula: ut,
Quid retro ceditis, Illaq; spernitis Intima dona?
Manna relinquitis, Atq; recurritis Ad Pharaona.
Hoc genus nulli ueterum, quòd scio, in usu fuit: sed usurparunt recentiores quidam, ingeniose quidem satis, si iudicio non caruissent: ut Hildebertus Lauerdinus, in laudibus Mariæ Ægyptiacæ: Bernardus Cluniacensis, in libro de Contemptu mundi, cuius uersus modò citati sunt: Vuichardus Lugdunensis in Satyra.

Carnulentus, carni seruiens & deditus. Idem Steph.
O' carnulenta nationum pectora.

CARTHAGINIENSES Martyres trecẽti celebrantur, qui hortante Cypriano episcopo uitam profuderunt: & in fossam calcariam ardentem, ne idolis litarent, summa animorum alacritate insiluerunt. Locus Carthagine nomen à massa candida aliquot seculis retinuit. Pr. Steph. hymno 13. B

CARTHAGO, urbs Africæ & Hispaniæ: unde Afra Carthago, ad alterius differentiam dixit Pr. Steph. Exponitur autem noua ciuitas, seu Neapolis, teste Seruio. Ab alijs, aula seu sedes domini.

CASSIANVS, patria Brixiensis, ut aliqui uolunt, ludimagister Forocornelianus factus, à ducentis pueris discipulis transfoditur stylis & graphijs. Pr. Steph. hymno 9. *Omnia membra manus pariter fixere ducentæ.*
Ita enim scripsimus illũ uersum è manuscripto: cui aptè respondet sequens, *Totidemq; guttæ uulnerum stillant simul.* Eodem modo à suis discipulis interfectus est Ioannes quidam Scotus, tempore Caroli 2. Imp. Natalis Venetus historiam utriusq; Cassiani confundit.

CASSIANVS Mauritanus, in examinandis Christianis functus exceptoris officio, tandem & ipse pro Christo obijt: natus è regione Tingitana. mentio eius apud Prud. Steph. hymno quarto.

Cataclysmus, κατακλυσμὸς, diluuium. Tert. 4.
In cataclysmo enecans pariter cum prole parentes. Dixerunt philosophi, hyemem aliquando per cataclysmum futuram, æstatem per ecpyrosin. quod de Ecclesiæ doctrina cùm audiuissent, non intellexerunt.

Catamitus, serui turpissimi & execrandi nomen. Pr. de Ioue:
Compressu immũdo uiserũ afficiens catamitũ. id Poeta optimus nominat uidelicet,
–Rapti

A *—Rapti Ganymedis honores.* Hic eſt ille ſenſus peruerſus, hæc illa cupiditas ignominioſa, hoc illud deſiderium impurum, de quo Romanis loquitur D. Apoſtolus: ἡ ἀντιμισθία τῆς πλάνης. Nomẽ etiam ipſum ἀπὸ τοῦ μισθοῦ, per ablationem literæ factum uidetur. nam latinè concubinus dicitur.

Catarácta, καταρράκτης, eſt uehemens aquæ decurſio: qualem Anienis, Rheni, & quorundam torrentium in Alpibus uidimus, cùm de altis montibus in planum fluuij præcipitantur. Proſp. c. Ing.
Candida ſunt, & ſcripta manent, quæ de cataractis
Aeterni fontis fluxere, undante meatu. Aquæ ubi è cataractis, aut è charadris colliguntur, is locus, μισγάγκεια dicitur.

Cataſtæ erant ſeruiles carceres, ἀπὸ τοῦ καταστῆναι, ab exponẽdo dicti, quòd in ijs uenalia producerentur mancipia. Accipiuntur aut pro uinculis & nexibus. Pr. Steph. *Vltro è cataſta iudicem Compellat.—*
Aut pro tortorum inſtrumentis. Idem: *Emitto uocem de cataſta celſior.*
Interdum ignitæ & candentes adhibitæ ad doloris magnitudinẽ ſunt. Ibid.
Verberum poſt uim crepantum, poſt cataſtas igneas. Quamuis hoc loco Nebriſſenſi uidetur ligneas, non igneas, legendum.

Catholicon, καθολικόν, ab uniuerſis receptum & approbatum: ut catholica fides, catholica Eccleſia. Pr. *Catholicam diſcutiat fidem.* Idem:
Munere ditatum catholicæ fidei.

Catechumeni, κατηχούμενοι, religionis initijs & elementis imbuti, necdum planè initiati. Fort. lib. 10. *— Cùm extincto catechumenus ore iacêret.*
Idem 1. de D. Martino: *Tetradius pariter catechumenus eſſe meretur.*

B Catus, uox antiqua, peritus & callidus. Pr. Sym. 2.
Orator catus inſtigat, ceu claſsica belli Clangeret.— Sedul. 1.
—Nil tradere docti, Sed tantùm certare cati.—

Caumata, καύματα, æſtus ignis. Drep. Hymn.
Tum fontis gelido moderantes caumata potu.

Cauſa, μεταληπτικῶς ualetudinem malam & morbum ſignificat. Vnde irrigare cauſas, pro morbos tollere. Pr. Steph.
Supplicum cauſas petitis quæ medelis irrigant. Cauſarij milites, propter morbum miſsi, ut Nebriſſenſis: uel propter aliam neceſsitatem. unde Cauſaria miſsio eſt (ut ait Martianus Iureconſultus) cùm quis uitio animi uel corporis, minus idoneus militiæ renunciatur.

Cauter, καυτὴρ, inſtrumentum chirurgicũ, quo corrupta hulcera adurunt. Pr. Steph. *Credas cremari ſtridulis cauteribus.* Accipitur pro ſtilo ferreo. Ibid.
Aruina poſthinc igneum Impreſſa cauterem lauit, Vis unde roris fumidi
In membra ſenſim liquitur.
Tormenti genus, aruina liquente corpora conſpergere.

Cedò, prima breui, modò dic. Pr. Steph. *Ergo ipſa mater adſit, exclamat, cedò.*
Modò da. Ibid. *Hoc iam quod ſupereſt, cedò Pro te Chriſte Deus mori.*

Celeuſma, κέλευσμα, uox nautarum inuicem ſeſe hortantium. Fort. de D. Martino lib. 4. *Atq; petens portum uada complet nauta celeuſma.*
Ponit autem genere fœminino, ut paſcha.

CELSVS, puer nobilis, & indole uirtutis eximia, Pneumatij & Fidelis filius, anno ætatis octauo moritur, & à Paulino epiſcopo Nolano, gẽtile ſuo, celebratur.

celebratur. Celsi frater ętatis die octauo mortuus fuerat, cuius nomen idem A
non apprimit, sed in urbe Complutensi sepultum scribit.

Cementa, lapides uiles, quibus supplemēti loco utuntur fabri. Pr. Apoth.
Artificis quia dextra solubilis illud Cemento struxit. — Alc. 4.
Irrita conscensis cementa inferret in altum Nubibus. —
Vterq; locus hactenus corruptus fuit. Ædificia autem omnia aut cemento fiunt, aut lapide coctili, aut quadrato natiuo.

Centifidus, in partes centum fissus. Pr. Sym. 2. — *Qui morte sinister Centifidum confundit iter.* —

Centuplicatus, id est centuplex. Ibid. *Talis nostrorum solertia centuplicatos Agrorum reddit fructus.* —

Cera & ære numerari, est nobilē esse: quia tabulis ceratis, aut signis æneis, aut (ut Cicero ait pro Archia) laudibus marmoratis antiquitatem generis declarabant. Pr. Sym. 1. *Annales proprio signarent nomine chartas, Atq; inter ueteres cera numerentur, & ære.*

Cerasta, κεράστης, serpens cristæ cornutæ. Idem Ham. *Virides allambunt ora ceraste.* Alc. 5. *Primus adhuc mordax absorbuit ora cerasta.*

Ceraunia gemma, κεραύνιος, alio nomine asterias, ἀστεριάς, sideris fulgorem rapit: à Ceraunijs illis dicta, uel Carmaniæ uel Epiri montibus. Plinius colore ait candidā, Prudentius fuluam. Psych. *Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis Germanus uidit commilito.* —

CERDO Romæ dogma noxiū sparsit, quod postea renouauit Marcion. Tert. 3. *Cum uestri sceleris socio præcursor & auctor Aduēnit Romam Cerdo.* —

Cereis in sacris uti, antiqua consuetudo est. Pr. Steph. *Auroq; nocturnis sacris* B
Astare fixos cereos. Vnde nocte accensos, non die, intelligas.

Cernere, pro discernere & separare. Tert. 4. — *Hœdos Abs ouibus cerni, stantes in parte sinistra.*

Cerussa & minium, duo sunt præcipua mulierum pigmenta, quæ Victor ponit libro ad Salmonem: illo facies rubicūda, altero candida efficitur. Plautus uocat offutias, Victor uenena. Cerussam, ψιμύθιον Græci: minium, purpurissam idem Plautus à colore appellat.

Ceruicula, parua ceruix. Pr. Steph. *Dum ferit ceruiculam Percussor ense.*

Cetus, ceti, κῆτος, pro grandi pisce marino, apud Sedulium. Cete, τὰ κήτη, apud Alcimum & Victorem.

Charasso, χαράσσω, lacerando imprimo, aut (ut alibi Prudentius) exaro. Steph. *Charassat ambas ungulis scribentibus Genas, cruentis & secat faciem notis.* Vtitur uerbi huius participio Gregorius Turonensis lib. 9. Hist. Vasa per domos diuersorum, signis nescio quibus charassata sunt: quæ res nullo unquā modo aut eradi potuit, aut deleri.

Charisma, χάρισμα, munus gratuitum. Pr. Steph.
Si luteum facili charismate pectus Expiasti. — Idem Sym. 2.
— *Ne pectoris æstus Flagret, & effœtis urat charismata uenis.*
primam produxit licenter, ut & Fort. 4. de diuo Martino,
— *Aegyptius hæc ait unus, Quin & dum Christi charismata senserat.* —

Charybdis est aquæ uorago in litore Siculo, iuxta Zanclen, ut Ouidius: circa Messanam, ut interpres Lycophronis. in ea uortices pelagi desidentis naues

A naues abſorbent. Alc.4.hæreſeon charybdim nominat,quæ homines imprudentes allidit,& pertinaces abſorbet.nam de Eccleſię hoſtibus agens canit: *Hæreſeon uæſana.furens exinde,Charybdis*
Concutit,& Graiûm ſapientia ſtulta ſophorum.

Chaſma,χάσμα,terræ uorago. Alc.3.*Hœdis diſparibus diuerſa in parte locatis,*
Chaſmate diuiſa medio.— Reſpexit ad locum Lucæ 16.cap.de diuite comeſſatore. Chaſmata ſunt,aut diſceſſus cœli.Virg.
— Video medium diſcedere cœlum. Aut ſunt hiatus terræ.Idem:
— Quæ nunc ſatis ima dehiſcat *Terra mihi.*— Talem cœli diſceſſum uidimus,nocte tota durantem,III.Id.Martij,M.D.LXII. Hiatus autem terræ factus eſt ingens in Turingis,prope Ienam,M.D.LVII. Et antiqui cernuntur multi in agro Northuſano & Chalueſritano.

CHELEDONIVS,miles Cæſarianus,martyr Calagurritanus,Prudentio Steph.hymno quarto:in quo Prudentius queritur de monumentis ueterũ, à tyrannis & gentilibus odio religionis abolitis.

Chelydrus,χέλυδρος,natrix. Idem Sym.1. *Virides diſcindunt ore chelydros.* de Mænadibus & Bacchis. Sedul.3.*Ille chelydrus adeſt,nigri qui uelle ueneni*
Liuidus humano gaudet pingueſcere tabo.

Chelys,χέλυς,inſtrumentum Muſicum. Pr.Apoth.
Quidquid caſta chelys,quidquid teſtudo reſultat. Quæ hîc diſiungit,alij unum eſſe inſtrumentum ſentiunt.Alij chelym interpretantur tympanum.

Chirographum,χειρόγραφον,manu noſtra ſcriptum. Idem Steph.
Sit ſatis,quòd capta primo *Vita ſub chirographo.*

B Chirurgus,χειρȣ̃ργος,qui manu facit medicinam,ſecãdo,urendo,ligando. Ibid.*Putate ferrum triſte chirurgos meis* *Inferre coſtis.*

Chlamys,χλαμὺς,ueſtis militaris,diuerſa à pallio,quę minus longa & ampla fuit. Fort.de deſcenſu Chriſti ad inferos:
Sputa,flagella,chlamys,fel,acetum,lancea,claui. Tali enim ueſte induerunt Chriſtum milites in prætorio,ut eſt apud Matthæum,qui nominat χλαμύδα κοκκίνην.nam Ioannes generis nomine utitur,inquiens:τὸ ἱμάτιον πορφυροῦν.

Chorus,χόρος multitudo hominum in aliqua ſolenni frequentia.Tert.3.
Hi uates Domini,quorum chorus uſq; canentum.

Chriſma,χρῖσμα,unctio quælibet.Auctor inc.in Bebiano:
Et diuale ſacrum libans,& chriſmate fragrans. Aliàs unctio,qua Chriſtiani deſignabantur,qui baptizati erant. Pr.Cath. *Rorem ſubiſſe ſanctum*
Te chryſmate innouatum. Et Apoth. *— Ec quis alumnus*
Chriſmatis,inſcripto ſignaret tempora ſigno.

Chriſtus pendens in cruce,percuſſus eſt à lictore.ut Alc.1.
In latus extenſi defixit miſſile lictor. Ioannes,qui ſolus facti meminit, tanquam teſtis oculatus,εἷς τῶν στρατιωτῶν,ſcribit.nec aliter Tertul.5.
Exanimum telo miles latus haurit aperto. Et,τὴν πλευρὰν ἔνυξε, latus fixit,idẽ Euangeliſta inquit,ubi interpres Latinus uerbo alio utitur.

CHRISTIANI homines uarijs tormentis, & modis innumeris olim diſcruciati,laniati,& extincti ſunt.Alij in aere ſuſpenſi perierunt, alij aquis immerſi ſunt,alij rogis impoſiti,alij terræ infoſsi. nam elementa quæ ad uitam alijs mortalibus data ſunt, ſeruis Chriſti ad pœnam fuerunt reſeruata: ut

F quidam

quidam ex antiquis ait. Sublati sunt fustuario, gladijs, lapidatione, iaculis, eculeo, cruce, grabbato. Item rhamnis palmisq; aculeatis puncti, tibijs diuaricatis robori inclusi, fidiculis torti, unco tracti, ungulis lacerati, percussi plumbatis, stilis fossi, uirgis cæsi, infusis in corpora metallis liquidis excarnificati, truncati membris, alligati armentis siluestribus, dissecti uiuentes, sartagine cocti, oleo frixi, prunis ustulati, craticulis assati, lentis flammis absumpti. Aruina aut oleo defluente, substratis testis, impressis laminis excruciati, laqueis aut loris distenti, contis palisq; affixi, corio & cute denudati, membratim aut articulatim soluti, uisceribus & intestinis exenterati, faculis & pice tentati, sellis candentibus impositi, molaribus contusi, catapultis traiecti, tabi & putredini uulnerum reseruati, rotis fracti, nouaculis discissi, carpti forpicibus, præcipitati de scopulis, arboribus dissilientibus alligati, uentis & fluctibus marinis commissi, feris immanibus expositi, in loca sola deportati, inedia & fame sublati, nudi & algentes in uias publicas proiecti, in excremētis proprijs necati, ad metalla damnati, scrobibus lethalibus immissi, in latumijs consumpti, canibus & alitibus obiecti, in fornaces igneas aut calcarias intrusi. Lanistarum & seruorum furori, piratarum & mangonum auariciæ, lenonum & militum libidini, lictorum & carnificum crudelitati traditi: deniq; nullo non contumeliæ, nequiciæ, iniuriarum, tormentorum genere diuexati. Præterea curam, ut ait Lactantius, tantopere tortis adhibuerunt, ut ad alios cruciatus membra renouarētur, & repararetur nouus ad pœnam sanguis. Harum pœnarum aliæ à Prudentio, Victorino & Fortunato: aliæ ab alijs auctoribus Ecclesiasticis referuntur. ut omittā eas, quas sine pudore referre, sine horrore cogitare nō possumus, neq; recensere propter multitudinem omnes ualemus.

Chryseus. χρύσεος, aureus. Auct. inc. *Bracteas regi chryseas tulere.*

Cicuta homini & quadrupedibus uenenum, capellæ remediū. Pr. Ham.
Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cùm prius innocuas tulerit natura cicutas. Vide Rhododaphne.

Ciere, concitare. Idem Sym. 2. *Cogit ad arma uiros, lituis ciet, urget in hostem.*
Item nominare. Iuuenc. 1. *Qui fatui miseri' ue cient sub nomine fratrem.*

Cilicum, pro ciliciorum. Alc. 4. *Mollibus abiectis, cilicum dant tegmina setæ.*

Cinisculus, cinis paruus. Pr. Cath. *Fueritq; cinisculus arens.*

Cinnamus, frutex odoris suauissimi. Dracont. Hex.
Cinnamon interior profert Phœnicia tellus, *Solis amica nimis.* —— Tert. 6.
Hic & odoriferis nascuntur cinnama uirgis. Fort. 7.
Cinnama, caltha, crocus, uiolæ, rosa, lilia cedunt.

Cippus Deucalioneus, pro statua lapidea, deo alicui erecta. Idem Apoth.
—— *Vnus* *De grege thurifero uenerator, Deucalionum*
Deuotus cippo, ficulni & stipitis unctor.

Circes, itis, propriè circulus, quo dolia & uasa circundantur: pro quouis circulo. Vict. lib. 1. —— *Quas circite uasto*
Contigit æthereum deducto hinc nomine cœlum. Et 2.
Vndiq; littoribus summo se circite iungit *Fluctus.* ——

Circinio pro circumago, & quasi circino designo. Alc. 5.
Principiò in cunctis orbis quos circinat, *Mensibus.* ——

Circinus

A Circinus instrumentũ, quo fit circes aut circulus, κατὰ μετωνυμίαν pro circulo. Idem 4. *Interea immensum uertebat circinus annum.*

Circuli solis reciprocati, pro cursu solis se uertente, & iterũ iterumq; recurrente. Pr. Steph. *Per solis ignes iuro, qui nostros dies*
Reciprocatis administrat circulis.

Circumscribens, pro deceptore aut falsario. Alc. 4.
Sic circumscribens illuso simplice gaudet.

Circus fuit locus Romę, theatri instar ad latus montis Palatini extensus, ea parte qua Auentinum spectat: in eo equorum decursiones, uenationes, & alia spectacula multa ad plebis delectationem exhibebantur. Pr. Ham.
Nec equum uesania feruida circi Auctorem leuitatis habet. —

Citharista, κιθαριστὴς, qui cithara canit. Paul.
Nicetæ, Psallet alternis citharista toto Aequore Dauid. —

CLAVDIANVS MAMERTVS (ita enim in manuscripto) Viennensis ecclesiæ (ut Gennadius) presbyter, uir & ad loquendum artifex, & ad dispu tandum subtilis. Vixit circa annum CCCCXC imperante Zenone. Eius libri de statu animæ, primùm è Veterocellensi bibliotheca editi sunt, à Michaele Galliculo. Carmen contra poetas uanos, est Parisijs impressum, sed ibidem non addito auctoris nomine. Claudianum autem poetam, cui Arcadius & Honorius Impp. statuam posuerunt in foro Romano, ab hoc fuisse diuer sum, nulli potest esse dubium: eundem Christianum fuisse, affirmant Christophorus Landinus, & Ioannes Camers. Hic in summ errorem traxit Andream quoq; Asulanum Venetum: nam carmẽ de Saluatore, quod Claudia
B ni scriptis adiecit, non Claudiani est, sed Damasi, cui nos in libro antiquissimo inuenimus inscriptum. Claudianum hunc fuisse hostem Christiani nominis, etiam cum peruicacia, ex diuo Augustino & Orosio constat.

Clepere, à Græco factum, quod est κλέπτειν. Idem Psych.
Quod rapere & clepere est, auideq; abscondere parta.

Clinicus, κλινικὸς, ἀπὸ τῆς κλίνης, Deus lecticarius, qui credebatur morituris asidere. Idem Apoth. — *Quamuis promittere & ipsi*
Gallinam soleant, aut gallum, clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum. Vide Baal.

Cloacina, cloacarum & omnis immundiciæ dea. Pr. Ham. Eam sacrauit Tatius, Romuli consors, teste D. Augustino 4. de Ciuitate Dei. Cloacina autem à cloacis, ut Lactantius: Plinius, à cluere, scribit dictam Cluacinam: & cluere, interpretatur purgare.

Cluere interpretor pollere: quamuis aliter Hermolaus Barbarus, aliter Baptista Pius, aliter Antonius Nebrissensis exponit. nam Nonium & Plinium apud ueteres sponte omitto. Alc. 2. — *Pars magna retentat*
Vim propriam, summaq; cluit uirtute nocendi. Pr. Cath.
Dexter in parentis arce qui cluis uirtutibus. Idem Sym. 1.
— *Prædiuite cultu Illustrata cluis.* — Hactenus lectio contaminata fuit, in sequentibus rectè habuit. Ibid.
— *Hæc pulcherrima nostræ Arma cluant patriæ.* — Idem Sym. 2.
— *Quis gloria fortibus aucta Sic cluat.* — Alij deriuandum censent ἀπὸ τοῦ κλύω, alij ἀπὸ τοῦ κλύζω, alij à nomine κλέως, qui interpretantur splendere.

Hanc diuersitatem interpretationis & originis peperit, ut opinor, uocabuli raritas. A

Coæqualis, non solùm tempore & ætate, uerùm etiam statu & dignitate. Tert.6. *Pauperibus mixtus coæqualis in agmine diues.*

Cocytia iura, pro irreuocabilibus: qualia sunt inferni iura. Pr.Sym.1.

—— Cocythia lethi Iura resignasse. ——

Cœlum, quòd omnia cœlet ac tegat, auctore Vict.1.

Nixa superfudit rebus, quas circite uasto Contegit æthereum, deducto hinc nomine, cœlum.

Vel κοῖλον, cœlum, quasi concauum & conuexum.

Cœptum, pro initio. Help. de Christo: *Tam cœpto, quàm fine carens.*

Cohospes, qui unà hospitatur. Paulin. Cyth.

Huius cohospes mente Paulinus pia, In urbe seruabat domum.

Colaphus, κόλαφος, alapa. Sunt autem colaphi, uerbera pugnis infracta, uel incussa. Sedul.4. *—— Non deniq; paßim Vel colaphis pulsare caput, uel cedere palmis.* His percußionibus, quæ manibus fiebant, addunt Matthæus & Marcus etiam ῥαπίσματα, hoc est fustuaria, quæ bacillis aut scipionibus inferebantur.

Collina porta Romæ, quæ & Quirinalis, & Agonia, ad quam Hannibal accesit post pugnam Cannensem. Pr.Sym.2.

Affirmentq; Libyn, Collinæ à cardine portæ, Hannibalem Iouis imperio Martisq; repulsum.

COLVMBANVS, ex insula Hibernia, Abbas in Gallia floruit, & in Italia cœnobium Bobiense in iugis Apennini instaurauit, quod Theolinda Langobardica extruxerat. Eius extat epistola ad Hunaldum, de reprehensione auariciæ, ex antiquo exemplari à nobis edita. B

COLVMBANVS natione Scotus, Luxouiensis abbas, à Brunhilde regina Burgundionũ, eo quòd eam de pessimis operibus suis ac maleficijs zelo Dei argueret, tanquam Elias iustus à Iezabele grauem persecutionem tulit: monasterium mutare, ac in Italiam ad locum qui Bobium dicitur, transire, ibiq; usq; ad diem obitus sui manere compellitur. Huius discipuli, clarißimi regni Christi ciues fuere: Leodigarius, qui postmodum Antißiodorensem regens Ecclesiam, martyrio coronatur: Romaricus, qui in monte, qui ex nomine suo mons Romarici dicitur, nobile fundauit cœnobium: Gallus, qui in Sueuia, in territorio Cõstãtiensi residens, egregiam ex nomine suo, quæ multis honoribus atq; diuitijs modò locupletata cernitur, tenet Ecclesiam. Hæc Otho Frisingensis.

Columbæ periphrasis. Sedul.2. *—— Per uolucrem quæ felle caret.* Iuuenc.2. *Simplicitate tamen puras superate columbas.* ita in manuscripto, nec aliter citat Rauisius.

Columnaris lux, quam columna cœlitùs præbuit exercitui Israelitico per deserta ambulanti. Pr.Ham. *—— Mediasq; tenebras Luce columnari scindens exercitus. ——*

Colymbus, κόλυμβος, natatus, uel locus natationi aptus. Idem Steph.

Nunc preciosa ruit per marmora, lubricatq; cliuum, Donec uirenti fluctuet colymbo.

Comitor, cum datiuo, more Græco, ἑπομαί σοι. Iuuenc.4.

Et sponso tantùm comitatur factio prudens. pro, sponsum comitatur.

Como, comere, id est ornare: pro quo antiqui, comare. Pr.Steph.

Hoc

A *Hoc est monile Ecclesiæ, His illa gemmis comitur.* Idem Cath.
Sed decus uultus, capitisq; pexum Comit honorem.

Comparatiuo additum eiusdem significationis aduerbium. Arat. lib. 1.
— Magis qua rectius hora Prodiret iam trina fides. — Ita μᾶλλον ϖεϱισσότεϱον, magis abundantius, apud Marc. euang. cap. 7.

Comperpetuus, συνυπάρχων, simul perpetuus. Pr. Apoth.
Et comperpetuum patris, retro sed patre natum.

Compleo cum genitiuo, τῷ ἑλληνισμῷ. Iuuenc. 4.
– Sinus cophinorum fragminis implent. Et 3. *Complentur mensæ, mixtæ sine nomine plebis.* In editione Rotomagensi locus uterq; mutatus est.

Complices, socij facinorum. Pr. Steph. *— Perdere*
Puerum ac magistrum, complices sectæ impiæ.

Compugnans, quod inter se distat, & contrarium est. Prosp. c. Ing.
Nec tamen hæc inter tam compugnantia, quisquam Arguit auctorem.

Conchæ marinæ, aut sunt crispæ: aut sunt (ut in Sodoma Cypr.) *duplici compagine clausæ.* Binas concharum differentias duabus speciebus complectitur. Etenim cōchæ omnes aut sunt δίθυϱοι, biualuæ, quæ dissolui possunt: aut sunt μονόθυϱοι, integræ, quarum testa non diuiditur. Eædem aut sunt planæ, aut asperæ: harū plurima & diuersa genera Plinius libro nono recensuit.

Condignus, pro dignus. Paul. in Ioanne: *Obsequio condigna Dei. —* Et,
Ergo ad condignas tanto pro munere grates.

Confieri, antiquum. Pr. Apoth. *— Iusserat ut lux*
Confieret, facta est ut iusserat.

B Congregatim, confertim, densis agminibus. Pr. Cath.
Cursant per ampla congregatim mœnia Plebs & senatus. —

Congrege nexu, pro concordi & unanimi uinculo. Idem Sym. 2.
Iam mundus te Christe capit, quem congrege nexu Pax & Roma tenent. —

Conspicabilis, pro conspiciendo. Idem Steph.
Coràm refulsit ore conspicabili.

CONSTANTINVM Magnum fore Imp. & paganismi euersorem, in suo martyrio prædicit D. Laurentius: *Video futurum principem*
Quandoq;, qui seruos Dei Tetris sacrorum sordibus Seruire Romam non sinat.
A' Prudentio dicitur parens patriæ, & orbis moderator. Romæ gentilium templa edicto euertit, Apostolorum D d. Petri & Pauli magnificentissimè extruxit. *Regia pompa loci est, princeps bonus has sacrauit ædes.* Sacerdotibus amplissimos redditus constituit. *Munera sacricolis, summos impertit honores Dux bonus.* Ad Chiistianam fidem ui neminem compulit: qui sponte eam sequerentur, coluit: ut ad Sym. 1. idem testatur. In carmine auctoris incerti, De laudibus Domini, eius fit honorifica atq; præclara mentio. Constantinum porrò distribuisse frumentum in uiduarum pauperumq; alimenta, è diuo Athanasio constat.

CONSTANTINI filij fuerunt Coustantius & Constans, boni patris partus dissimilimi. Pr. Sym. 2. *Armorum dominos, uernantes flore iuuentæ,*
Inter castra patris genitos, sub imagine auita Edoctos. —
Constantius cæsus, & in flumen proiectus est: Constās cum domo, in quam fugerat, crematus: interitu ipsorū nemo doluit. Auctor incertus de Laudib.

Domini, ita canit de patre & filijs, quasi præsagio quodam: A

Hoc melius fœtu terris nihil antè dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem.

Contamen, pro re contaminata, uox Tertulliana est. lib. 1.
Fœmineos usus uulgi contamine mixtos. Lib. 4.
Qui uerè mundat plebem contamine plenam. id est, spurcicia & contagione: ita alibi.

Contracta morbo, ut Lucas euangelista, συγκύπτουσα, incuruata, uel (ut uetus interpres) inclinata. Erasmus Sedulium secutus, uertit contracta: quam uocem recentior quidam suggillat, tanquam minus significantem. Sed & Erasmus sentētiam assequitur, & morbi genus ἐμπροσθότονον eruditè circumscribit Sedulius lib. 4. *— Morbo contracta uetusto, Non senio.* — Item,
— Incurua caducis Vultibus, & solam despectans cernua terram.

Conuallare, comitatu cingere, & quasi agmine circumdare. Tert. 6.
Conuallantq́; Deum cum maiestate superna.

Copertus, pro coopertus, τῷ συνιζήσει, usitata Tertulliano. ut:
Gentes errore copertæ. &, *Hastæ mucrone coperto.* &, *Fluctuq́; fretoq́; copertis.*
Eâdem etiam figura in præteritis utitur. ut,
Peccati uotum uiolenta morte coperuit. Et,
In cœlos tulit, atq; aditus spe diues aperuit.

Cophinus, κόφινος, uas uimineum, ad usus rusticos factum. Alc. 5.
Oppressos cophinis humeros, attritaq́; colla. Sedulius uertit corbem:
Implentur minimo micarum fragmine corbes Bisseni. —

Cornua mensæ, pro extremis partibus dixit nouè Iuuenc. 3.
Cornibus in summis deuitet ponere membra, Quisq; sapit. — Ibid. B
Turpiter eximio cogetur cedere cornu, τῇ πρωτοκλισίᾳ, ut Lucas: & ut Iuuenc. lib. sequenti, accubitu primo, hoc est, sede & loco honoratiore.

Corona, pro martyrio: coronati, pro martyribus. Vnde librū περὶ στεφανῶν, de Coronis inscripsit Prudentius, in quo laudat uirorum & puellarum constantissimam fidem ac patientiam. Hanc coronam certantium, D. Paulus nominat τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον: D. Petrus, τῆς δόξης στέφανον τὸν ἀμαράντινον. Prosp. cont. Ing. *— Creansq́;*
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

Corporalis, pro corporeo. Pr. Steph. *Si mors habenda huiusmodi est,*
Quæ corporali ergastulo Mentem resoluit.

Corrigia, calceamenti est lorum, seu solea, ὁ ἱμὰς τῶν ὑποδημάτων, ut Euangelistę omnes: excepto Matthæo, qui tantùm nominat ὑποδήματα. Iuuenc. 1.
Cuius uincla pedum non sum contingere dignus. Arat. 1.
Quæ ligat excelsas humilis corrigia plantas.

Cortina fuit uasis sacri genus, uel adytum templi secretius. Pr. Apoth.
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina regit. —

T Corus, κόρος, mensura Ebraica omnium capacissima, secundum Iosephū lib. 15. Antiq. decem medimnos Atticos capiens: hundert scheffel mensuræ nostratis. Septuaginta id uocabulum retinent, scribētes in historia Regia, diebus singulis Solomonem insumpsisse σεμιδάλεως κόρους τριάκοντα. Pr. Apoth.
Lasciuire coris similaginis, azymon esse.

Coruum

A Coruum ex arca emissum à Noe, & non reuersum, scribunt Sedul.1. Arat.1. Vict.2. Annotauit Nebrissensis, errorem esse ignorationis linguæ, & Sedulium suo tempore codicem habuisse non castigatum. Scribi enim, Egrediebatur & reuertebatur, uidelicet nõ habens ubi cõsisteret. Laudanda Nebrissensis, uiri optimi, diligentia, qui linguã intellexit: idem tamen phrasim non discussit. Sensus enim est, ut uir linguæ peritissimus explicauit, Coruũ hinc inde uolando, moram tam diu traxisse ad reuertẽdum, donec aquæ siccarentur supra terrã: quasi diceret, nunquam ipsum ad Noe esse reuersum. Coruum ἀλληγορικῶς ad Iudæos refert Alc. lib.4. ad apostatas Arat.1. nam & Iudæi & apostatæ, in Ecclesia alti & conseruati, ex ea exciderũt, & discursando ac tumultuando, nunquam ad eius societatem placidam reuertuntur. Coruus.

Crater, κρατήρ, poculum, quod è fundo angusto, ore ampliore assurgit Sedul. Ench. *Cratera in fratris sacco clàm præcipit abdi.*

Creamen, pro re creante. Pr. Ham. *—— Ex elementis*
Cuncta solubilibus, fluxoq; creamine constant.

Creatura, πλάσμα. Alc.2. *Quiq; creaturæ præfulsit in ordine primus.*

CREMENTIVS, martyr Cæsaraugustanus. Pr. Steph. hymno quarto.

Creta medicorum, & omnis terra medicata. Tert.6. Terræ medicatæ.
Et pulchræ redolent munus medicabile cretæ. Tales terræ sunt, Samia, quæ oculorum medicamentis miscetur: Chia, quæ ad cutem fucandã adhibetur: Lemnia, quæ sanguinem sistit: Meletensis, quæ morbibus uenenatis medetur: Cerinthia, quæ à tritico gurguliones arcet.

Crinitos agros Prudentius nominat, quos Horatius hispidos, id est imbre nimio uel negligentia cultoris fruticosos & arborescentes. Sym.2.
B
Vnde seges latè crinitis fluctuet agris.

Cruce signati sunt frontes Christianorum in baptismo. Pr. Cath.
—— Dic triumphalem crucem,
Pange uexillum notatis quod refulget frontibus.
Vide Chrisma. De cruce cùm loquuntur poetæ Christiani, non ipsum lignum adorandum docent, non clauos, non lanceam, non coronam spineã: nam id facere, aperta εἰδωλολατρεία est. Sed per crucem ἀλληγορικῶς eum significant, qui in cruce pependit, Christum. quo intellectu Cypriani carmen elegantissimum, & hymni Fortunati suauissimi sunt legendi. Neque Prudentius, cùm canit:
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ, ipsum lignum id censuit facere: sed per metonymiam eum accipit, qui in cruce uitam pro hominibus posuit, iustus pro peccatoribus, innocens pro maleficis. De adoratione autem, cui debeatur, cui'ue exhibenda sit, extat mandatum Mosis: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. quod idem Christus Satanæ tentatori opponit, apud tres Euangelistas.

Crucem Christi Tertullianus Ταῦ literæ Græcæ comparat, de qua contra Marcionem lib.3. ita scribit: Signatos illa nota, de qua scribit Ezechiel: Dicit Dominus ad me: Pertrãsi in medio portæ, in media Hierusalem, & da signũ Tau in frontibus uirorum. Ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis: quam portendebat futurã in frõtibus nostris apud uerã & T
catholicam

catholicam Hierusalem,in qua fratres Christi, filij scilicet Dei, gloriam patri Deo referunt:& quæ sequuntur. De eâdem litera idem: A
Hoc etenim signo prædonum strauit aceruos,
Congressus populo Christi, sine milite multo
Tercenteno equite, numerus Tau littera Græca. innuens, Midianitas uictos per Christum à Gideone, figura futuræ uictoriæ de diabolo, per crucem. Eandem crucem D. Cyprianus duabus depingit similitudinibus: mali & antennę, in naui: temonis & libræ, in iugo: —— *Vno de stipite surgit,*
Et mox in geminos extendit brachia ramos, Sicut plena graues antennæ carbasa tendunt,
Vel cùm distunctis iuga stant ad aratra iuuencis. Eiusdem antennę rursus meminit Tertullianus, & superaddit his omnibus similitudinem quartam, inquiés: Tauri decor eius, cornua unicornis cornua eius. Non utiq; rhinoceros destinabatur unicornis, nec Minotaurus bicornis: sed Christus in illo significabatur, taurus ob utranq; dispositionem, alijs ferus, ut iudex: alijs mansuetus, ut saluator, cuius cornua essent crucis extrema. nam & in antenna, quæ crucis pars est, extremitates cornua uocantur: unicornis autem, media stipitis palus est. Ita ille, in allegorijs acutus & uerus, ut in reliqua oratione grauis & magnificus. Eandem crucem alia similitudine aliti uolanti confert Paulinus ad Cytherium: *Sacrum potentis explicant instar crucis,*
Suspensa pennis corpora.

Cruci apud Pœnos affixi sunt milites transfugæ, & duces proditores. Tagum regem, erecto suffixum robore, scribit Sil. Italicus: Hamilcarem alij. Caius Cæsar prædones, Seuerus calumniatoré in crucem egit, Periander Arionis Musici interfectores. Crucifixus est ipse CHRISTVS: & eodem supplicio Petrum, Andream, Simonem, Philippum apostolos affectos, proditum monumentis est, ipsis expetentibus id mortis genus, magistri sui exemplo: uel ethnicis infligentibus, maiore ludibrio. Eodem supplicij genere sublatus Xistus Ro. episcopus. Tyrannus apud Pr. Steph. B
Huic abscinde caput, crux istum tollat in auras. Pendentes in ligno (inquit Augustinus) clauis ad lignum manibus pedibusq; confixi, producta morte necabantur: non enim crucifigi hoc, erat occidi, sed diu uiuebatur in cruce: non quia longior uita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citò finiretur. Pulchrè Lactantius in Institutionibus diuinis: Cannius ciuis Romanus (inquit) mortalis à tyranno mortali est crucifixus: at Christus Deus, à cultoribus Dei. Cannij mortem cum tota sua eloquentia M. Cicero non potuit exprimere: at crucifixum Deum deplorãt omnia mundi elementa. Immanitatem autem supplicij huius crudelis, Constantinus Magnus sustulit, & aboleuit.

Cruentifer, cruore perfusus, sanguinolentus. Tert. 6.
Atq; cruentiferis signis sacrauerit aras.

Cryptæ, κρύπται, erant loca subterranea, in quibus conueniebant Christiani tyrannide oppresi, ut sacra ibi clàm facerent: & in quibus cæsos mortuosq; sepelirent. Extat Epistola Cornelij Papæ, qui sub Decio uixit, scripta ad Lupicinum Viennensem archiepiscopum: ex qua constat, in Cryptis congregationes fuisse sanctorum. Eam subscribam integram, quia non uulgaris est.

¶ Scias

A ¶ Scias Frater charisſime, arcam Domini uento perſecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Chriſtianos ubiq; tormentis uarijs affici: nam in urbe Roma Imperator ad hoc conſtitutus eſt. Vnde neq; publicè, neq; in cryptis notioribus miſſas agere Chriſtianis licet. Exhortetur itaque charitas ueſtra omnes credentes in Chriſtum, ne timeant eos qui occidunt corpus: ſed potius eum qui habet corpus & animam perdendi poteſtatem. Iam plures fratrum martyrio coronati ſunt. Ora ut perficiamus curſum noſtrum, nobis à Domino reuelatum. Vale frater in Domino, & ſaluta omnes qui nos amant in Chriſto.

In cryptis autem fuiſſe condita ſanctorum corpora, adeò manifeſtum eſt, ut probatione non egeat. Cryptam Veraniam in uia Tiburtina deſcribit exactè Pr. Steph. hymno 11. Cryptæ aliæ tres Romæ ſunt celeberrimæ, diuæ Agnetis, diui Sebaſtiani, diui Pancratij, extra portas Viminalem, Capenam, Aureliam: quarum me maior admiratio cepit ſub terra, quàm rerum cęterarum omnium, quæ unquam ſupra terram uidi. Vrbi Romæ minatur Lactantius, quòd tantū Chriſtiani ſanguinis profuderit: Roma (inquit) interibit, & quidem iudicio Dei, quòd nomen eius habuerit inuiſum: & inimica iuſtitiæ, alumnum ueritatis populum trucidarit. Cachinnentur Epicurei, rideāt Sophiſtæ: Deum iudicem & ultorem non effugient.

CVCVFATVS, Barcinonenſis martyr. Pr. Steph. hymno quarto. Cæſareæ in Mauritania literis operam dedit: in Hiſpania à duodecim militibus cæſus, uſq; ad ipſorum laſsitudinē. A' Maximiano præſide in crate aſſatur, ſinapi & aceto perfunditur: à Rufino tandē eius ſucceſſore, poſt atrocia ſup-

B plicia capite punitur.

Cui, datiuus monoſyllabus, & correptus. Pr. Cath.
Sanguine paſta cui cedit auis. uerſus dactylicus trimeter. Monoſyllabus & eliſus. Incertus auctor de Bæbiano: *O' felix, cui adhuc corporeo datum*
Aeterni ſpeciem cernere circuli. Datiuus diſſyllabus, prima breui. Pr. Sym. 2.
—— Nec digna perenni *Largitore, cui propria eſt opulentia, nunquam*
Deſinere.—— Rurſus diſſyllabus, & colliſus Idem Cath.
Cui eſt origo cœlum, *Purusq; fons ab æthra.* Rurſus diſſyllabus utraq; breui. Idem Steph. *Cæſarauguſtum uocitamus urbem,* *Res cui tanta eſt.—*
Rurſus diſſyllabus prima longa, ſed tantùm in cōpoſitione: ut in ſequentib.

Cuiq; triſyllabum, prima longa, uſitatum Prudentio: & quantū ego memini, eius proprium. Ham. *Aßignare deos proprios, ſua cuiq; iura.* Sym. 1.
Omnibus ante pedes poſita eſt, ſua cuiq; ſordens *Arula.——* Sym. 2.
—— Vnum *Imus ad occultum: ſuus eſt mos cuiq; genti.* Rurſus:
Vincendi quæuis dominam, ſua cuiq; dextra eſt. Exempla adoleſcentibus annumero ex manuſcripto. nam negligentia idem non obſeruantium, in libris impreſsis ea ferè deprauauit.

Culmina, pro ſuprema parte. Sedul. 3. *— Sportarum culmina ſeptem*
Expauit fugitiua fames.—— σπυρίδας πλήρεις, Matthæi interpres: σπυρίδων πληρώματα, Marcus.

Cumulatim, pro cumulatè: hoc eſt, abundanter & ſuperfluè. Pr. Apoth.
Ambeſis dapibus cumulatim aggeſta redundat. Item, quaſi in cumulū cōgeſtim. Ibid.
— Cumulatim qui bona Chriſti *Seruarent.——* συλλήβδην.

G Cuneatus,

Cuneatus, in cuneum coactus, seu congregatus. Sedul. 3. A

Quam fera septenis rabies inuaserat armis Dæmonico cuneata globo.—

Cyaneus, κυάνεος, cæruleus, color cœli sereni, & maris trãquilli: unde com mune utriusq; epithetum. Pr. Steph. *Cyaneusq; latex umbram trahit imminentis ostri.*

Cyclus, κύκλος, circulus, reuolutio. Hilar. hym. *Denis ter annorum cyclis Iam parte uiuens temporis.*

Cygni cantio, prouerbialiter, pro dulci. Pr. Sym. 1.

In morem, retinens suauè, immorientis oloris.

Cylindrus, κύλινδρος, pro columna terete. Arat. 1. *— Qui' ue oscula figat Postibus, & tacta sacretur parte cylindri.*

Cymba, nauicula parua. Cymbis impositi sunt Christiani, ut submergerentur. Pr. Steph. *En tibi, quos properes rimosæ imponere cimbæ, Pellere & in medij stagna profunda freti.*

Cymbia, κύμβια, pocula lignea, nauiculæ formam habentia, quorum in sacris usus. Pr. Apoth. *Quàm sufferre queant spumantia cymbia lacte.*

CYPRIANVS, Thascius Afer, è mago fit Christianus, ut & Anastasius: ex oratore fit martyr, ut & Iustinus: tandem Carthaginiensis episcopus, uir singulari eruditione & constantia præstantissimus: anno secundo Impp. Valeriani & Gallieni, à nato Christo CCLVI. gladio percutitur. Sabellicus tẽpus non obseruauit: ego sequor Prudentium, qui eius meminit Steph. hymno quarto: mortem describit hymno 13. Preces eius in uinculis, sunt memoriæ adoscentibus pijs mandandæ, quas Prud. carmine exposuit: preces in die martyrij sui, in fine Operum eius leguntur. Extant eius carmina, Genesis, Sodoma, & De ligno uitæ. Opera autem alia eximia in manibus sunt, ad om B nem posteritatem monumenta sacrosancta.

Cypris, pro Venere, à patria, κυπρογενής. Pr. Steph.

Nec te lupanar Cypridis sanctæ mouet?

D

DACI, in Scythia Europea populi potentes, episcopum habuerunt Nicetam, quem doctissimum nominat in epistolis Paulinus, eumq; in Natali 9. & singulari oda celebrat, & inter cætera de eodem canit: Ad tuos fatus Scytha mitigatur, Et Getæ currunt, & uterq; Dacus, Qui colit terræ medio. Vterq; autem Dacus dixit, quia Daci ripam Danubij utranq; coluerunt. In ulteriorem autem eos repulit, duce Lentulo, Cæsar Augustus: adeò ut ab eo Dacia non uicta sit, ut Florus scribit, sed summota atq; dilata.

DACIANVS, Decij Imp. prætor, Laurentiũ & Vincentium Hispanos tormentis crudelibus affecit. Pr. Steph. hymno 2. & 5.

Dæmonis ministros Prudentius Sym. 2. nominat in scholis, Sophistas: in imperijs, aulicos potentes: per quos uidelicet, aut fraude aut ui, sacram Christi religionem deprauat, aut euertit. His addit aruspices, fatidicos, magos, & mathematicos: quorum artes, iter esse mortis affirmat.

DAMASVS, urbis Romæ pontifex maximus (Ado duobus in locis tantùm ait, episcopus) in componendis uersibus (ut Hieronymus & Suidas aiunt) elegans habuit ingenium. Multa uolumina heroico carmine composuit: diuorum Petri & Pauli mensam ac altare, quod ille Placoniam uocabat, uersibus ornauit: sed & multorũ martyrũ sepulchra, quæ ille Conchylia uocitare

A uocitare solitus erat. Circumferuntur eius nomine pleraq; in Psalterium carmina, item in D. Paulum apostolũ: alia quæpiam, quæ parum mihi probantur, cùm adeò ipse in Poetica laudetur. Fuit uerò Hispanus natione, nec ignobili genere natus. Illum post Theodosij obitum uixisse, in historia scribit Socrates. Alij octogenarium quidẽ decessisse, sed adhuc uiuente Theodosio: id quod Suidas & Hieronymus scribunt. Ita Lilius Gyraldus. Obijt anno Christi CCCLXXXVI.

DAMASI carmina in Psalterium, in manus meas non uenerunt. Carmen de Paulo apostolo, ante me Aldus edidit: quæ de diua Agnete addidi, sunt è manuscripto desumpta. Hymni duo de Andrea apostolo, & Agatha uirgine, canuntur in Ecclesia. Reliqua de Christo, sumpta sunt de manuscripto, cuius nobis copia facta ab Oporino nostro. Epigramma tamẽ de cognomentis Saluatoris, inscribitur Seuero cuidam: quemadmodum alterum de Christo, fuit Claudiano inscriptum à Camerte: cuius lapsum suprà ostendimus. Damasus sanctorum inuocationẽ suis temporibus stabiliuit, & scriptis multis cumulauit: de qua prolixius dicemus infrà. Idem annos decem & octo tenuit episcopatum, uir multa ueritatis luce coruscus, ut Nicephorus: uarijsq; uirtutum generibus ornatus, ut Theodoritus: iudicio Dei electus sacerdos, ut Ambrosius testatur. Impugnauit hæreticos Apollinarem & Macedonium. *Sanctor. inuocatio a Damaso cõfirmata. pag. 118.*

DAVID ISAI filius, è pastore rex factus: in genitiuo Dauìdis, media producta. Iuuenc. 1. *Vrbs est Iudææ Bethlem, Dauida canorũ Quæ genuit.* — Theod. *Israël tu rex, Dauìdis & inclyta proles.* Mediam autem corripit Ant. Flaminius B in suis Hymnis, & translationibus Psalmorum elegantissimis. Priorem autem in hoc nomine nemo correptam posuit, excepto Paulino.

Deasciatus, ascia seu securi politus. Pr. Steph.
Deasciato supplicare stipiti.

Debilis crurum, pro cruribus, ἀντίπτωσις antiqua. Iuuenc. 3.
Pars captos oculis & crurum debile uulgus. hactenus tamen aliter lectum est in impressis. Sed sic in manuscripto Mersburgico: item in Gandauẽse, quod Th. Poelmanns contulit. Vsitatè paulo pòst,
Cruribus atq; oculis certatim debile uulgus.

DECIVS Imp. post Neronem crudelissimus fuit, odio Philippi & eius filij, qui primi Christum ex Impp. agnouerunt. Pr. Sym. 2.
Post hunc & Decius iugulis bacchatus apertis, Insanam pauit rabiem. —

Defrudati, pro defraudati, antepenultima breui, contra naturam. Paulin. Cyth. *Qui defrudati lubricis mundi bonis, Cœli fruentur gaudijs.*

Demeritum, pro damno. Vict. 3. — *Tanta mercede docemur*
Quanti sit meriti, diuino credere uerbo: Demeriti contrà quanti, non credere.

Denuò, quasi de nouo, dissyllabum. Pr. Steph.
Illum recentes per cicatricum notas Denuò exarabant.

Depositi, dicuntur desperati. Depositum, terræ mandatum atq; creditũ. & DEPOSITVM LEONIS X. PON. MAX. pro Leonis reliquijs, Romæ legebatur in saxo, anteq̃uã destrueretur à Paulo III. Depositi per translationem, pro desperatis. Vict. 2. — *Nisi rector Olympi*
Depositos, hominum auxilio donoq; carentes, Sustinuisset eo quo condidit omnia nutu.

Detumeſcere,tumorem,hoc eſt faſtum deponere. Pr.Steph. A.
Quibus tumetis,moxq; detumeſcitis.

DEVCALION homines diluuio perditos iactis refecit lapidibus, è quibus homines enati ſunt. Alc.4. *— Fabula mendax*
Victuros lapides mundum ſparſiſſe per amplum *Deucaliona refert.—*
Vide Cippus Deucalioneus.

DEVM ESSE PATREM NOSTRVM, Chriſtus docet in formula precum, quā nobis præſcripſit. Nouit (inquit) Pater ueſter, quibus rebus opus ſit uobis, priuſquam petatis ab illo. Ad hunc ergo modum orate uos: Pater noſter qui es in cœlis. Idem poſt reſurrectionē à morte: Aſcendo (inquit) ad Patrem meum, & Patrem ueſtrum: Deum meum, & Deum ueſtrum. Hilareſcebant (inquit Cyprianus) animi diſcipulorum, paternitatis diuinæ illuſtrari honore, & fraternitatis Chriſti honorari conſortio, cùm audirent & crederent, ſe filios Dei, & fratres Chriſti: & quæ ſequuntur. CHRISTVM FRATREM NOSTRVM, ipſe quoq; teſtatur, dicēs mulieribus: Ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me uidebunt. Quos autem fratres hic nominat? Non'ne Petrum, paulo antè periurum? reliquos fugitiuos? Thomam deniq;, pertinaciſsimè incredulū? D. Bernardus in hoc nomine fraternitatis, locis multis exultat: Chriſtus (inquit) factus eſt hominum frater, factus eſt hominis filius, factus eſt homo. Idem modò dixit Cyprianus: & fraternitate cum unigenito Dei gaudet Chryſoſtomus, nec non præclarè Sedulius lib.2 *Qui Dominum cœli patrem memoramus, in ipſo*
Iam fratres nos eſſe decet. SPIRITVM SANCTVM, HOSPITEM ANIMAE NOSTRAE eſſe canit in Hymno antiquiſsimo Eccleſia: Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ. Rurſus etiam alio loco Cyprianus: Adeſto ſancte B
ſpiritus, ſanctifica templum corporis noſtri, & conſecra inhabitaculum tuū, adorna thalamum tuum: & multa alia ibidem. nam & Paulus, templa Dei uiuentis nos eſſe affirmat, ad Corinthios. Hæc pro modo Cōmentarij abundè dicta ſunt: & dicta propter eos qui hæc confidenter nimis dici autumāt, homines uidelicet ſine cognitione, fide atque amore Dei Patris, Filij, Spiritus ſancti: cui uni Deo φιλανθρώπῳ, σπλαγχνιζομένῳ, παρακλήτῳ ſit laus in omne æuum ſempiterna, qui ſe patris, fratris, hoſpitis benignitate, caritate, affectu generi humano patefecit.

Diabolus, διάβολος, nōmen habet à calumnia, quia (ut in Apoc. ſcribitur) accuſat pios ante conſpectum Dei die ac nocte. Ab Alcimo ſubuerſor, tranſgreſſor, incentor, lethi compertor: à Sedulio tentator, præſumptor: à Victore auctor ſcelerum, & inuentor lethi: à Proſpero ſator mortis: à Prudentio ſciſcitator & præſtigiator: à Fortunato proditor appellatur.

Diadema, διάδημα, faſcia inſignis, qua reges Orientales uſi ſunt. Faſciam fuiſſe, intelligitur ex Alexandri hiſtoria, cùm ſuo diademate uulnus Lyſimachi obligaret. Imperatorum effigies à temporibus uſq; Auguſti cum lauro & diademate expreſſæ ſunt in ſtatuis, ſignis, monetis: quod monumenta lapidea, ænea, aurea, argenteaq; teſtâtur: & patet ex Horatio, oda ad Criſpum Salluſtium. Pr.Sym.2. *— Tandem deprendere rectum*
Doctus iter, caput Auguſtum diademate cinxit. Sumitur pro quouis inſigni, tam hominum quàm agrorum. Pr.Steph. *Intende noſtris colluuionibus*

Vultum.

A *Vultum gemello cum diademate.* Alc.1. —*Varios dant arua colores,*
Et naturali campos diademate pingunt.

Dialecticorum ratiocinationes, modos fragosos, & argumenta litigiosa uocat Pr.Apoth. propter sophisticam.

Didrachmus, δίδραχμος, nummus aureus fuit: drachme, δραχμή, argēteus. Sedul.3. genus mutauit, dicens: *Didrachmatis aurei.* quod alibi inuentum non est: nam δίδραχμος ου, & δραχμή ῆς, more consueto flectitur.

Digestim, pro dispositè. Pr.Steph. *Dū tota digestim mihi Christi supellex scribitur.*

Digladiabile, id est controuersum. Idem Cath. *Hoc erat aspidis atq; hominis Digladiabile dissidium.*

Dilancinare, lancinando, id est diuidendo perdere. Pr.Steph.
Cùm membra morti obnoxia *Dilancinata interficis.*

DIONYSIVS, episcopus Parrisiensis, imperāte Domitiano patitur. Fort. de Gaudijs uitæ æternæ, & lib.1. in descriptione eius basilicæ. Fanum eius amplissimum non procul ab urbe Parisiorum, in quo regum plurimorum sunt sepulchra ornatissima.

Disciplinatus, cultura domitus, aut disciplina excultus. Alc.4.
Disciplinatos dissuescit promere fructus.

Discipulûm, pro discipulorum, Syncope. Sedul.4.
Discipulûmq; globum placidi sub tempore somni.

Discruciatus, quartæ declin. pro tormento. Pr.Ham.
Vermibus & flammis & discruciatibus æuum *Immortale dedit.*—

Disparilis, pro dispari. Idem Sym.2.
B *Quæ sub disparili subeunt noua corpora sorte.*

Distectus, pro aperto. Alc.4. —*Qui fortè cachinno*
Distectum petijt misero spectamine patrem.

Dogma, δόγμα, placitum. Pr.Cath. —*Famulos remisso*
Dogmate palpas.— Idem Steph. *Damnes, si sapias, anile dogma.*

Dominari, cum genitiuo, τῷ ἑλληνισμῷ. Iuuenc.4. *Dominantur eorum, Exercentq; trucem subiectis urbibus iram.* Alc.1. *Solus habe, solisq; prior dominare fruendo.*

Draconis insigne in uexillis Romanis fuit. Pr.Cath. *Signaq; bellica Prætendunt tumidis clara draconibus.* Idem Sym.2. *Cecinere tubæ, prima hasta draconis Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.* Idem Steph.
Proq; uentosis draconum quod gerebant pallijs
Præferunt insigne lignum, quod draconem subdidit. Primarium igitur uexillum draconis fuisse, ex his tribus locis colligimus. Vnde draconarij, eiusmodi signorum gestatores dicti sunt: auctore Vegetio. Claud. in III. Cons. Honorij:
Hi uolucres tollunt aquilas, hi picta draconum *Colla leuant.*——

DRACONTIVS, poeta Christianus, qua gente aut patria fuerit, ignotū. Eius carmen Hexaemeron, id est, de opere creationis sex dierū, eruditū atq; insigne est: quod Parisijs editū è Bibliotheca diui Victoris, huic operi adiecimus, trib. quatuorue emēdatis erroribus, quos typographus admiserat.

Drama, δρᾶμα, factum celebre, quale decantatur in scenis. D.Hilar.
Totum genus fidelium *Laudes celebret dramatum.*

DREPANIVS, natione Gallus fuit, ut ex eius Epistolis colligimus: Florus nominatus, ut ex epistola ad Moduinum. Scripsisse eum Hymnos, ipse

testatur ad Vulsinum Grammaticum: *Conticuit citharæ quondã uox optima nostræ, Et lyra dulcimodos præstit amica sonos.* Quo tempore uixerit, quas dignitates gesserit, quid præterea scripserit, à nemine annotatum inuenio. Extat Latini Pacati Drepanij Panegyricus, Theodosio seniori dictus Romæ: qui tamẽ an hic Drepanius sit, affirmare non possum. A

Ducatus, pro magistratu præcipuo, legitur apud Suetonium & Iustinum historicos. Alc.5. *At uos sinistro qui talia uota ducatu Instruitis.*——

Ductile, quod duci potest. Idem ad Fusc. *Vestis ductilibus concludens fila talentis.*

Duellũ, bellũ inter duos. Iuuenc.2. Hostis in aduersa cõsistet frõte duelli.

DVITAE hæretici duos statuerunt deos, alterum boni, alterum mali auctorem. Eius sectæ Marcion defensor fuit, quem impugnat Prudẽtius Ham. & grauiter contra ipsum scripsit Tertullianus.

Dulcator, qui dulcem facit. Paulin. Nat.8.

——*Ille rubentis Diuisor pelagi, fontis dulcator amari.*

Dulcuit, pro facta dulcis est. Paulin. Nic. *Vnda misso Dulcuit ligno.* Loquitur de fonte Marrha, cuius aquas Moses ex amaris dulces, & potui gratas fecit, iniecto ligno quod illi Deus monstrauerat.

Duo, pro duos. Pr. Apoth. *Quinq; in deserto panes iubet, & duo pisces Apponi.*—— Ibid. *Septenos decies conscendit Christus in ortus, Et duo.*——

Dyscolus, intractabilis, sui cuiusdam iuris, sine disciplina & bonitate. Iuuenc.2. —*Veniet sed dyscolus alter, Nomine quem fultum proprio, gens uestra sequetur.*

E

E Litera, sæpe in fine producitur, duobus in dictione altera consonantibus insequentibus. Iuuenc.4. B

Aspicite scribas sublimi sede superbos. Pr. Cath.

O' nouum cæde stupenda uulneris miraculum. Sic idem sæpius. Eadem in secunda imperatiui persona corripitur, contra naturam. Idem: *Extorque, si potes, fidem.* modò codex non sit deprauatus. Eadem in compositione corripitur præter naturam, ut in Enorme & Eneruo: de quibus infrà. In eneco, apud Tertullianum: in emendo, apud Fort.6. *Corrigit ipse prius, quod poscit ut alter emendet.*

EBER, abnepos Noæ: à quo Ebræi nominantur, qui postea Iudæi, à pronepote Abrahæ. Dicitur autem Ebræus & Ebraicus, Iudæus & Iudaicus, eadem significatione. Prima etiam modò corripitur, idq; rarò. Alc.5.

—*Nec genti spes ulla accedit Ebrææ.* modò producitur, ut frequentissimè apud eundem.

EBION, hæreticus, in Mesopotamia & Italia multos à uera fide in errorẽ traxit. Vide Hæreses.

Ebrietas quædam sobria describitur in Sacris literis, ex illo dicto obscuro Iacobi, benedicentis Iudæ, Rubicundior oculis præ uino: Genesis capite penultimo. De hac ebrietate duo tantùm legi in Sacris literis exempla. Vnum Testamenti ueteris, primo libro Samuelis, cùm ea obijcitur Hannæ Samuelis matri, ab Heli sacerdote, cùm effudisset ipsa animam suam coram Deo gemitu & precibus. Alterum Testamenti noui, in actis Apostolorum, cùm ab irrisoribus quibusdam eadem exprobatur Apostolis, post acceptũ Spiritum sanctum, cùm uarijs linguis loquerentur facta Dei magnifica.

Gregorius

A Gregorius Hymno: *Læti bibamus ſobriam Ebrietatem ſpiritus.* Paulin.Cyth. *Inebrietur ſobriante poculo De fonte ſancti ſpiritus.* Eſt igitur hæc ebrietas non uini aut ſiceræ, ſed Spiritus ſancti: quando mentes afflictæ aut lætantes ita inflammantur ac rapiuntur, ut non ſua agant aut loquantur, ſed Dei: & inſpiratione atq; agitatione quadam cœleſti ita feruntur, ut ebrij uino ſolent. De hac homines non exercitati, nihil intelligunt: ij uidelicet, qui nunquam in anguſtia cordis poſiti, feriò orauerunt: aut diuinis beneficijs excitati, ex animo exilierunt. Idem Paul.Nat.9.

Paulinus De diebus festis col. 864.

Talis ubi lectas impleuit crapula mentes, Ructa.——

Eccleſia, ἐκκλησία, pro cõuentu & agmine populi Chriſtiani, ſeu domo ſancta: ut Prudentius. Correptam habet antepenultimam τῇ συστολῇ, apud Sedulium, Aratorem, Fortunatum, Drepanium, magis auctoritate quàm ueritate: ſed quadam uulgari conſuetudine. Correptam etiam habet primam, τῇ παρεκτάσει: ſed alibi nuſquam, quàm apud Tertullianum, ut lib.3.

Eſſe caput Chriſtum, ſunt cuius Eccleſia membra. & 2.

Scilicet in Chriſto eſſe decus tuum Eccleſia cernens. Ita idem locis pluribus.

Eccleſiatenus, uſq; ad ipſas eccleſias, uel per eccleſias. Pr.Steph.

Ire mandat milites, Eccleſiatenuſq; de ſacrarijs Raptare plebem.

Echo, ἠχώ, uocis relatio, uel (ut ſcitè Horatius) uocis imago, μιμηλόγος.

Ibid. *Echo ſed exit inde, non oratio.*

Ecquis, pro quis'nam. Pr.Steph. *Ecquis uirorum, ſtrenuè Cymbam peritus pellere?* Idem Sym.2. *Ecquis erit, qui mille meos reprehenderit annos?*

Eculeus, uel, ut alij, equuleus, ſtipes quidam, in quo rei ſuſpendebantur.

B Ibid. *Euiſcerandum corpus eculeo eminus Pendere.*—— Quærendum, num eiuſmodi machina fuerit, de qua præcipitarentur ſontes, quam Saxones Das Rößle nominant, quaſi paruum equum.

Effigiare, artificioſè ad effigiem exprimere. Pr.Apoth.

His animam ſimilem ſibi conditor effigiauit. Vnde participium. Idem Ham.

Effigians quod morbus edat, quod crimine multo Sordeat.——

Egeries, pro excrementis. Paulin.Pan.

Siue per egeriem, qua ſeſe animalia purgant.

Egregius, quaſi è grege ſelectus, ſegregatus & excellens: prima breui, altera longa, contra rationem & conſuetudinem. Pr.Cath.

Quem petram loquitur doctor egregius.

Electrum, ἤλεκτρον, metallũ facticium ex auri & argenti temperatura, precio & ſplendore eximium. Pr.Pſych. —*Quam ſumma rotarum Flexura electri pallentis continet orbe.* Sumitur etiam ἤλεκτρον pro ſuccino, propter colorem falernum, auro non diſsimilem. Electrei, nummi Luſitani, regis Ioannis. Vaſa electrina, leguntur in libris Iureconſultorum.

ELIAS propheta, qui uiuens in cœlum igneis quadrigis raptus eſt. Hoc nomen ortu proprio ſcribitur ſine aſpiratione, & ſignificat Deum dominũ, aut fortem dominum: D.Hieronymo interprete. Interdum etiam extrema litera abijcitur. Pr.Cath. *Elia tali creuit obſeruantia.*

Sedulius facit etymon allegoricum, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, inquiens:

—*Nam ſi ſermonis Achiui Vna per accentum mutatur littera, ſol eſt.*

Elia autem, Eliæ; ut Numa, Numæ.

Elogium

Elogium,ἐλογεῖον,teſtimonium de aliquo honeſtū: ut Elogia Damaſi pon A
tificis De ſanctis. Accipitur pro certa alicuius rei inſtitutione. Tert.1.
Delecto elogio cunctos iubet ipſe lauari.

Emancipator,aſſertor & uindex. Idem Cath.
Emancipator ſeruientis plaſmatis.

Emblemata,ἐμβλήματα,uaſorum poculorum'ue non ſolùm ſimpliciter cælaturæ,ſed etiam ornamenta,ſeu cruſtæ,quæ addi detrahi'ue poſſunt utentis arbitrio. Pr.Pſych. *Sordent argenti emblemata,& omnis Theſaurus.——*

Emerita,urbs Luſitaniæ,ut Mela & Plinius:colonia Vettonienſium, quā Anas alluit,ut Prudentius.patria Eulaliæ fuit,cocco celebrata,& loco amœno ac fertili ſita.

EMILIANVS, prætor Gallieni Imp. Fructuoſum & eius collegas duos ſacerdotes cremauit. Pr.Steph.*Edictum Emiliani tale fuit:*
Iuſſum eſt Cæſaris ore Gallieni,ut Quod princeps colit,hoc colamus omnes.

Eminulus,modicè eminēs ſeu extans:ut eminulis digitis, pro extremis, ſeu ſummis. Idem Steph.*Si modicum ſalis eminulis, Thuris & exiguum digitis*
Tangere uirgo benigna uelis.

Energima, ἐνέργημα, pro actionis effectu atq; opere : penultima correpta, contra naturam. Pr.Apoth.*Audiat inſanum bacchantis energima monſtri.*

Eneruo,neruis inciſis mutilo,prima producta ſemper : ſed eâdem correpta apud Prudentium Cath. *—— Aquoſus albis*
Humor in uenis dominetur,ægrum Corpus eneruans.—— & Sym.2.
Corpus eneruatum gereret ſine laude palæſtræ.

ENCRATIS,Cæſarauguſtana martyr,in horrendum modum laniata,ſer B
uataq; in uinculis,donec uulnera & corpus putreſcerent. Pr.Steph.
Viua poſt pœnæ ſpecimen puella. Lege Hymnum quartum.

Enorme,pro ualde magno,cuius norma ſeu menſura uix iniri poteſt :prima itidem breui. Sedul.3.*Et ſeptem panibus agmen Pauit enorme uirûm.——*

Enubilatus,à nubibus liber,ſincerus & perſpicuus.Paul.Cyth.
Enubilatam ueritatem cernimus.

Eous,ἠῷος,orientalis. Pr.Apoth.*Eſt'ne Deus,cuius cunas ueneratus Eous?*
Per Eoos autem,Perſarum magos intelligit. Primam autem interdum corripit,ut in exemplo poſito:interdum producit. Sedul.2.
Eoi uenêre magi,ſæuumq; tyrannum Grandia ſollicitis perturbant nuncia dictis.

Ephebus,ἔφηβος,pubes,adoleſcens. Pr.Steph.
Doctor amarus enim diſcenti ſemper ephebo. Idem Pſych.
— Seu feruor ephebos Incendat nimius.—

Ephebus thyrſiger,pro Baccho. Idem Steph.
Putent ephebum poſt triumphos Indicos Ferire thyrſo poſſe,cùm ſit ebrius.
Arma ipſa Græcis dicuntur θυρσόλογχα.

Epiſcopum,ἐπίσκοπον, Prudentius modò antiſtitem, modò magiſtrū, modò gregis paſtorem,modò uulgi uocabulo papam nominat.

Epiſcopale,ad epiſcopum pertinens:ut ſolium epiſcopale.Idem Steph.

Epona dea,quam alij Hipponam dici autumant,quaſi ſtabulariā, iumentorum præſidem. Idem Apoth.*Nemo Cloacinæ aut Eponæ ſuper aſtra deabus*
Dat ſolium.— In Heluetijs Saloduri,tale extat monumentum:

DE AE

A DEAE EPONAE MAN
ILIVS RESTIO MIL.
LEG. XXII. ANTONINI
ANAE. & quæ ſequuntur.

Locum igitur Prudentij è manuſcripto, & hoc monumento uerè emendauimus: qualis dea fuerit, nondum annotatum inuenimus. Quidã τλὺ ἱππαὺ Orphei intelligunt: ſed Eponæ nomen in uetuſtis libris & marmoribus nõ eſt temerarium, aut nullum.

Equina libido, pro effreni & uehementiſsima. nam (ut Poeta ait)
— Furor eſt inſignis equarum. Pr. Sym. 1.
Aduena quos profugus gignens, & equina libido Intulit Italiæ. —

Er ſyllaba παραγωγική, in carmine. Alc. *— Tum læta precarier omnes.*
Proſp. c. ing. *— Neq; diſsimiles nunc naſcier illo Ortu primorum. —*

Erebus, ἔρεβος, pro inferis. Vict. Præf. *Deq; imis erebi, dura ad maiora petitum, Reſtituis. —* Sedul. 3. *Tartara diſsiliunt, crebi patuere receſſus.*

Eremus, ἔρημος, uaſtitas & ſolitudo. Alc. 5.
Tempore quo uaſta Ebræi uerſantur eremo. Prudentius corripit mediam, Pſych.
Excidit ergo animis heremi ſitis: excidit ille Fons patribus de rupe datus. — Et,
Cui ieiuna eremi ſaxa madentibus Exundant ſcatebris. —

Ergaſtula, quaſi ἐργαστήρια, ſeruorum carceres, in quibus ad opus includebantur. Idem Steph. *Viſe libens tenebris ergaſtula cæca diſsipatis.*

Es ſyllaba, in quibuſdam nominibus breuis, contra naturã: ut in proles, apud Fort. 1. *Et noua de terris proles ad aſtra uolat.* In pubes & lues, apud Pruden
B tium Steph. *Pubes eunt, redeunt ſolis ad uſq; obitum.* Item Pſych.
— Stupuit lues improba caſtis Heroum iugulis. —
In fames, apud Tertul. 3. *Inq; luto putei fames hauſit tabida membra.*

ESAIAM prophetam de tribu Iuda generis nobiliſsimi, in duas partes ſectum ſcribit Epiphanius: factum id eſſe ligno, & à populo, Tertullianus: regnante impio rege Manaſſe, Hieronymus.

Eſſe, τὸ εἶναι, pro ſubſiſtere. Proſp. Epig. 11. *Eſſe Deo uerum & proprium eſt. —*

Eſſedum, pro uehiculo: uel eſt uerbum Britanicum, ut colligitur è Cicerone: uel Belgicum, ut è Virgilio. Pr. Steph. *Lapis nigellus euchendus eſſedo.*

Etenim, pro enim, κατὰ χρηστικόν. Sedul. 2.
Altera pars etenim cœli ſumus, altera terræ. Idem Apoth. *Tunc etenim factam uideo. —*
Alc. 3. *Nulla etenim meriti poſt mortem facta poteſtas.* Apud ueteres differunt poſitu: etenim in principio, enim in medio ponitur. Interdum κατὰ τμῆσιν diuiditur. Alc. ad ſor. *Et quid enim prodeſt periturum comere uultum?* pro, Etenim quid prodeſt. Sedul. 4. *Nam quid enim prodeſt illic trepidare timore, Nullus ubi timor eſt?* pro, quid nam enim prodeſt.

Ethica, ἠθικά, præcepta de uita & moribus, prima breui. Pr. Ham.
Si licet ex ethicis quidquam præſumere, uel ſi De phyſicis exempli aliquid. —

Etyma uocabulorum Poetæ noſtri interdum peruertunt: ut Eliæ prophetæ, Græcum facit Sedulius: Philippi & Petri apoſtolorum, Ebraica Arator. Hoc autem fit propter allegorias: in quibus curioſum eſſe, plerunq; eſt ineptum & barbarum eſſe.

Euangeliſtæ, ſunt ſacræ Chriſti hiſtoriæ ſcriptores quatuor, animantium

totidem imaginibus designati,& ipsis nominibus nulli ignoti. Matthęus & A
Ioannes fuerunt Christi ipsius discipuli, testes uidelicet omnium rerũ oculati. Marcus uerò discipulus Petri fuit, Lucas Pauli. Theophylactus utrunq; ex Septuaginta fuisse memorat. De his tales reperi in codice antiquo uersus:

Virtutum instituit Matthæus tramite mores,
Et bene uiuendi iusto dedit ordine leges.
Infremit ore pio Marcus, similisq; leoni
Insonat, æternæ pandens mysteria uitæ.
Lucas uberius describit prælia Christi,
Iure sacer uitulus, quia iuxta mœnia fertur.
Terras inter amat cœlumq; uolare Ioannes,
Et uehemens, aquilæ stricto secat omnia lapsu.

De ijsdem similia ferè in fine libri primi Sedulius.

Euangelistam Ioannem, ea quæ scripsit in Apocalypsi, uidisse in somnis, testari uidetur Sedulius: uidisse animo, non oculis, neq; somniantem, sed uigilantem, nebulis remotis, ait Prudentius.

EVENTIVS, martyr Cæsaraugustanus. Pr.Steph.hymno quarto.

EVGENIA Romana, Alexandriæ sexum simulauit, inter uiros habitãs. Alc.ad Fusc. Eadem Romam rediens, Gallieni dominatu in Tiberim præcipitatur. Fort.

EVLALIA uirgo, patria Emeritana, regione Lusitana, martyr Barcinonensis: annos nata quatuor & uiginti, ut Prudentius: uel, ut alij, tredecim, à Deciano prætore, imperãte Maximiniano, primùm ungulis laniatur, deinde flammis crematur. Pr.Steph. hymno tertio. Natalis decem penè B
tormentorum genera enumerat, quæ omnia uicit animositate plus quàm uirili. Fort.lib.3. *Eulalia, Emerita tollit ab urbe caput.*

EVLOGIVS, martyr Tarraconensis, Augurij collega. Pr.Steph.hymno sexto.

Eumorphius miles, crudelitatis Dacianæ administer, Vincentij martyris cadauer lembo in mare deportauit. Pr.Steph.hymno 5.

Eunuchus, εὐνοῦχος, spado. Arat.1. *Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus, Deposuit serpentis onus.——*

EVPHEMIA Chalcedonensis, post multos cruciatus ursis obijcitur, sub Diocletiano. Fort. duobus locis. Chalcedone & Byzantij templa celeberrima habuit. Paulin. Nat. *Et quæ Chalcidicis Eufemia martyr in oris Signat uirgineo sacratum sanguine littus.*

Euphrates, paradisi fluuius, Ebræis Phrat. testibus Sallustio & Iustino, oritur in monte Armeniæ: montem Niphaten ait esse Strabo, præfecturam Caramitidem Plinius. Ab hoc irrigari, fertilemq; effici Mesopotamiam, libro 3 tradit Lucanus: & Victor Massiliensis, latiùs confirmat. In mare nõ effluit, sed meatu occulto sub terras labitur, ut Curtius lib.5.

EVPOLEMIVS carmine scripsit heroico certamen Agathi & Caci, hoc est Christi & diaboli, libris duobus. Auctoris nomen fictum est, & carmina non sunt meliora quàm aut Alani aut Rigensis: quamuis similitudines magis eruditas habeat. Exemplar eius è bibliotheca Mersburgica ad Salam, Iacobus frater meus mihi descripsit, Sententias pauculas inde excerpsi, &

Scholæ

A Scholæ Christianæ paſsim addidi: quia librum illum eſſe diuulgatũ, nondũ cognoui, nec luce admodum dignum arbitror.

Excalceus, ſine calceis, nudipes. Paul. Cyth.

Qui maluiſſet conſpueri excalceus, *Quàm calceari frigidus.*

Excruciabile, quod excruciat. Pr. Steph.

Ecce parata miniſteria *Excruciabilis exitij.*

Excruciatus, quartæ declin. pro pœna ſeu tormento. Ibid.

Corpusq; duris excruciatibus *Sponte offerebat.*

Exequialis, adhibitus in exequijs. Ibid.

Tollunt ſodales ſeminecem ſolo, *Verbisq; deflent exequialibus.*

Exfibulare, fibulas ſeu cincturam detrahere. Idem Pſych.

Auulſis exfibulat ilia zonis.

Exhæres, qui hæreditatem non conſequitur. Vict.3.

Exhæres fieret regni uitæq; futuræ.

Exinire, in ſpacium breuius cõtrahere, ut in ordinibus fit columnarum, cùm primùm latæ porticus, deinde contractiores fiunt. Pr. Steph.

Adduntur graciles tecto breuiore receſſus, *Qui laterum ſeriem iugiter eximient.*

Exorciſmus, eſt mali dæmonis coniuratio. Verba eiuſmodi exorciſmi ponit Prudentius Apoth. —*Fuge callide ſerpens,*

Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes: & quę ſequũtur, uerſibus adhuc quatuor.

Exoletus, turpi & libidinoſa ætate contaminatus, & confectus. Pr. Steph.

—*Velox, armiger* *Leno, exoletum qui tyranno pertulit.*

Lenonem uocat, aquilam raptorem: tyrannum, Iouem deorum maximum:

B exoletum, Ganymedem Troianũ, iniuriam paſſum, Iouis ipſius abnepotẽ.

Exoticum, ἐξωτικὸν, externum, & ab aduenis petitum. Idem Pſych.

Ne ſecta exotica tectis *Naſcatur conflata odijs.*

Expergitus, pro experrectus, inuſitatum. Paulin. Cyth.

Fit ſui tandem memor, *Recipitq; ſeſe expergitus.*

Experimentum, longa antepenultima, διάπειραν. Pr. Steph.

Et experimentum cape, *Sit crudum an aſſum ſuauius.*

Exſibilare, cum ſibilo eloqui, aliter quàm reliqui ſcriptores utuntur.

Idem Steph. *Cui prætor ore ſubdolo* *Anguina uerba exſibilat.*

Exter, ubi nunc exterus, Paulino uſitatum, ut,

Nam liber undis, intra mare exter maris. Et,

Nunc ille uobis exter, & ueſter manet. Item:

Permixtus Sodomæ teſtis, ſed moribus exter.

Qui uerſus in Pariſienſi totus deprauatus fuit.

Extimum ueſtis, τὸ ἐσχάπεδον τοῦ ἱματίου, pro fimbria ſeu lacinia. Idem Cath.

Extimum ueſtis ſacratæ furtim mulier attigit.

Extunc, eo illo tempore. Alc.2. *Extunc inſipido mulier præuenta reatu.* Idem 3.

Extunc paulatim retrò ſublapſa referri.

Exultantia, pro læticia & inſultatione. Paulin. de Samſone:

Manuq; ductus de mola, ad ludibrium *Hoſtilis exultantiæ.*

F

FAbriliter, more fabri, uel artificioſè. Pr. Apoth. —*Templum Eſt illud, quod nemo opifex fabriliter aptans* *Compoſuit.*—

Fabros & parentes deorum Prudétius nominat Mentorem & Phidiam: quorum opera cum adorentur, ipsos non coli artifices absurdum est. In sententiam eandem Seneca loquitur, cuius uerba repetit Lactantius, de Falsa religione. Rectè in Moralibus Seneca: Simulacra, inquit, deorũ uenerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem iaciunt, uictimas cædunt: & cum hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere contemnunt. Quid inter se tam cõtrarium, quàm statuarium despicere, statuam adorare? & eum ne in cõuictum quidem admittere, qui tibi deos faciat? Hæc illi. A

Facibus & lampadibus urebantur Christiani, ad augendam cruciatuum & mortis grauitatem. Idem Steph. *Aut facibus data fumificis.* Ibid.
Flamma sed undiq; lampadibus In latera stomachumq; furit.

Factor, ποιητής, id est auctor & conditor, in bonam partem. Sedul. 1.
Factorem fugiunt, & quæ fecere uerentur. Alc. 1.
Præcellis factis? factorem pronus adora. Prosp. c. ing.
Factis hæsit, factore relicto. Fortunat. hymn.
De parentis protoplasti fraude factor condolens. Idem lib. 1.
Factor dans legem, factus sub lege minister. Pr. Apoth.
— Nec ferre pudescit Factor quod peperit. —
Iureconsulti in malam partem hoc uerbo utuntur.

Factura, ποίημα, id est opus, uox noua est. Alc. 1. *— Placet ipsa tuenti Artifici factura suo. —* Pr. Apoth.
Iam cui certus inest modus, & cui nosse negatum est Omnia, factura est. — Legitur sæpius apud Sedulium. B

Falernum, uinum Campaniæ nobilissimum. Pr. Psych.
Vbi cantharus ingens Despuit effusi spumantia damna Falerni. Id Horatius ardens uocat, quia arsit in censum. Ager Falernus ubi fuerit, nunc ignoratur.

Falsare, aliquo obtentu deprauare. Tert. 5.
Et quanquam perit, id falsare agnomine uerbi.

Falsificatus, pro corrupto. Pr. Ham. *Nil de pestiferis opibus uel falsificatis Terrarum spolijs stulto oblectamine libans.*

Famidus, pro famelico. Drep. Epist. 3. *Vel famido gratas uertat ab ore dapes.*

Famula, famulatrix. Alc. 1. *Impendat famulam longæuo in tempore uitam.*

Famulari, more famuli inseruire, cum cultu uidelicet & obseruãtia. Ibid. *Tu mihi, cuncta tibi famulentur. —*

Fanatici homines, sunt religiosè furiosi: de quibus Prudentius Steph. *Furere ac rotari ius putatur mysticum.* Nam torsione oris, rotatione capitis, comarum excussione, iactatione corporis totius, uaticinia edebãt. de quibus Virgilius: *— Non uultus, non color unus Non comptæ mansere comæ. —*

Fanaticus anhelus, ἔνθεος, pro uate. Pr. Apoth.
— Non spumat anhelus Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.

Faselus, paruum nauigium, à Campanis sumptum. Idem Sym. 2.
Instar erant tenuis cymbæ, fragilisq; faseli Inter turritas Memphitica rostra Liburnas.

Fatus, declinationis quartæ, pro sermone. Paulin. Nic.
Ad tuos fatus Scytha mitigatur.

Febris, quasi dea à Romanis culta, fanum habuit in Capitolio, aram in Esquilijs.

A Esquilijs. Deos quosdã coluerũt, qui iuuarẽt: alios uenerati sunt, ne nocerẽt.

FELIX, martyr Cæsaraugustanus.

FELIX martyr Gerundanus: amborum meminit Pr. Steph. hymno 4. Hic Felix patria fuit Scyllitanus, ciuis Cucufati: de quo diximus suprà.

FELIX martyr Vicentinus. Fortunatus lib. 8. *Felicem meritis Vicentia læta refundit.* Fuit hic patria Aquileiensis, frater Fortunatiani, interfectus temporibus Diocletiani.

FELIX Nolanus episcopus, patrem Syrum habuit, qui ius Nolanæ ciuitatis miles adeptus est. Felicis frater Hermias, ambitioni studuit, & militiæ patris exemplo operam dedit: sed Felix ad Ecclesiam se contulit, & patrimonium amplum proscriptione amisit: quod cùm potuisset recipere, noluit. In eius natali die Paulinus aliquod carmen publicè recitare solitus est, quę carmina Natales Felicis inscripsit: quorum decem adhuc sunt in manibus, ut suo loco dicetur.

Ferias esse Stygias, & tormentorum uacuitaté apud inferos, ea nocte qua Christi celebratur à mortuis resurrectio, tradit Prudentius Cath. hymno 5. Id alibi non legitur, & uidetur Hispanicum esse commentum.

Feriatus pro ocioso. Pr. Steph. *—— Manusq; Tingant magistri feriatas sanguine.* Feriatum fretum, pro mari tranquillo. Ibid. *Et carmen freta feriata pangant.*

Feris obiecti sunt homines Christiani, cum quibus etiam certauit in theatro Ephesino Paulus apostolus. Pr. Steph. *Aut laniabere membra feris.* Ibid. *Non incendia, non feræ Crudeli interitu necant.* Alijs locis feras has nominat,

B leones & pardos, à quibus crudeliter laniati sunt.

FERREOLVS Gallus, Viennensis episcopus. Fort.

Fescenina carmina erãt, primùm (teste Horatio) rustica opprobria, deindè in nuptias urbanas translata, à lasciuientibus, & petulanter ac iocosè inuehentibus in sponsum. Alij ab Oscis Campanis, alij ab agrestibus Etruscis initiò decantata scribunt. Pr. Sym. 1. *—— Editur inter Fescenina, nouo proles aliena marito.* Loquitur de Liuia Drusilla, Tiberij Neronis uxore, quam Augustus à marito prægnantem abduxit: quæ intra tertiũ mensem Drusum peperit, Claudij Imp. patrem. Ipse uerò Augustus nullam ex ea superstitem prolem suscepit, quæ pœna raptus fuit: non solùm dissociatio corporum, ut scribit Plinius. nam & infans, qui conceptus erat, immaturus est editus, teste Suetonio. Fescenina autem carmina qualia fuerint, uerbis Ambrosij Leonis libuit declarare, ex lib. 3. cap. 14. de Vrbe Nola, ubi de Vindemiantibus agit: Clamor (inquit) captum omnem hominis superat, atq; qui uix audientibus creditur: nam omnino furentium est. In agro enim, in quo uindemiant, semper pudibunda uindemiando inclamant: obscœnasq; quasq; partes suis nominibus pronunciantes, Veneres uel obscœnissimas se optare exclamant, eas iactant, minitantur: idq; omnibus ijs qui adsunt, atq; ob hæc dicta etiam risitant atq; cachinnantur. Quod si agri dominum dominam'ue, aut domesticos horum spectarint (nanq; tota familia ad agrũ uindemiamq; se conferre solet) tum ueluti crabrones irritati simul omnes exclamãt, atq; certatim efflant quod cuiq; uenereum lubet: reliquos uerò aduenientes ad agrum, aut fortè pertranseuntes, non modò his ipsis

uerbis excipiunt, sed etiam omni genere conuiciorum lacessere gaudent. A
Quod si in itinere obuij fuerint uel ciuibus uel hospitibus, tum conuicia audita mirabilia inueniunt, atq; contorquent in eos, præter iniectas omne genus Veneres: nec parcũt regulis, magistratibus, alijs'ue summis uiris. Sacerdotibus quoq;, præsertim cœnobitis, omnium furiarum furentissimi, eadẽ malè obscœneq; dicta incutiunt, sicubi uiderint: neque ob hæc pœnas ullas soluunt, more loci eos absolutos ferente. Monentem uerò, si quis eos castigare uelit, derident, ac exerta lingua contemnunt, oreq; ipso in eum oppedunt: pudor nullus, reuerentia omnis deleta est in eis: loquendi summa licentia atq; arrogantia in promptu est. Hæc ille, de suis Oscis Nolanis.

Fictor, πλαστὴς, ἀνδριαντὸς. Prosp. c. ing. *Limo procedat ab uno*
Dispar opus, mutat numeros per uascula fictor.

Ficu Iudam se suspendisse, ait Iuuenc. 4.
Informem rapuit ficus de uertice mortem.

Ficulnus, uel ficulneus, è ficu detractus, aut natus. Sedul. Ench.
Dat nudis ficulna draco mox tegmina uictor. Idem 3.
Confestim uiduata suis ficulnea ramis *Aruit.* ——

Fidele, cui fides meritò habetur: non solùm de persona, sed & de alijs rebus dicitur. Fort. lib. 2. *Impleta sunt quæ concinit*
Dauid fideli carmine. Prud. Cath. *Da puer plectrum,*
Choreis ut canam fidelibus *Dulce carmen & melodum.*

Fidei, quintæ declin. media producta, consuetudine uetustissimorũ. Paulinus: *Auscultat nato genitrix, uis tanta fidei.*
Simile ex altero Paulino citat exemplum Beda, B
Discutiebat ouans galea scutoq; fidei: quod nunc legitur Nat. 5. Sed in editione Badiana corruptum est, ut & alterum, quod ex oda ad Nicetã idem Beda affert:
Quæ modò in toto species probatur *Orbe, cùm sanctæ pia pars fidei*
Fulgeat Christo: reliquos tenebris *Obruat error.*
Ita rursus Nat. 5. *Anxia corda regens firmabat amore fidei.* Et in Paneg.
Præscribens ueteri legemq; modumq; fidei. Tot exempla ostendunt, more Lucretiano ipsis hoc planè fuisse peculiare.

Fidiculæ erant lora seu chordæ, quibus ad torquendum homines, uterentur: ab ipsis fidibus seu chordis dictæ. Pr. Steph.
Nec distat, ignis an fidiculæ sæuiant. Ibid.
Sulcosq; acutos, & fidiculas transferant. Sunt qui putent cultros esse tonsorios, acie acutissima. Mihi uidetur, illi aliquid simile fuisse, quòd Misnenses ein Daumenstock nominant, Saxones ein dumschrub.

Figmen, pro figmento. Pr. Apoth. *Vtroq; hominem meditans de figmine.* Ibid.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os cupere, & flabro deitatis figmine nasci.

Figurare, figuram indere, formare. Tert. 1.
Quiq; figurauit carmen spiramine uiuum.

Figurator, qui figuram dedit. Ibid.
Ipse figurator, renouator corporis ipse.

Filij nomen, pro cuiusuis ex posteris. Alc. 4.
—*Celsa petenti* *Successit magnis non impar filius actis.*

Loquitur

A Loquitur de Noe, qui erat pronepos Enochi, quem fides (ut idem canit) *In cœlum sine morte tulit.*

Fio, in dissyllabis correptum frequentissimè, contra aliorum poetarum usum. Pr. Steph. *Ignibus uorabere Damnatus, & fauilla iam tenuis fies.* Ibid. *Iamq; tuū fieri mandas, fio Cyprianus alter.* Sym. 1. *Vera ratus, quæcunq; fiāt auctore senatu.* Sichardus cōsensum non obseruans, locum hunc ultimum correxit: sed nos Prudentium ipsum, & codicem manuscriptū sequimur. Similiter Tertul. 2. *Saxa fiunt, & semper erunt, nisi magna potestas — Soluerit.* Et Arat. 2. *Credite, uera fient: nec spe frustrabor inani.* Et Cypr. Gen. *Lux fiat, & claro nituerunt omnia mundo.*

Fiscella Prudentio est, Sparteus culleus, ut ipse nominat, cui imponebantur qui mergendi essent in fluminibus, aut mari. Steph. *Tantiq; custos pignoris Fiscella fertur fluctibus.* Paulo antè: *Sparteus— Claudat cadauer culleus.*

Fistula instrumentum musicum, factum olim ex calamis, ἐμπνευστόν: nunc è piro aut buxo fit, pastoribus familiare. Idem Apoth. *Aemula pastorum quod reddunt uocibus antra.*

Fistulares uersus, ut Diomedes, qui à Græcis σιρυγγώδεις, sunt apud ueteres, cùm syllabarum numerus cum singulis uerbis crescit: qui alio nomine κλιμακικοί. Qualis est ille Prud. Apoth. *Nec capit humanis angoribus excruciari.* Et ille Iuuenc. 2. *Cum nato pariter conuiuia concelebrabat.*

Flabra uitalia, pro ipso spiritu uitali, dicit in 4. Sedulius.

Flabralis, à flabro. Pr. Apoth. *Cùm libet in gelidum flabrali frigore uentum*
B *Spiritus existit tenuis.—*

Flagitiosi apud inferos è sententia Poetarum puniuntur. Titius libidinosus, cui iecur uultur exedit: Tantalus auarus, qui in medijs aquis sitit: Sisyphus πολυπράγμων, qui saxum ingens uoluit & reuoluit: Danai filiæ perfidæ, quæ in pertusum dolium aquam cribris important.
Hæc inopes ueri, uani cecinere poetæ, Qui Christum ueri non tenuere caput:
ut in Panegyrico canit Paulinus. Vbi & Cerberum nominat, umbras allatrantem per tria rostra, & Charōtem eas terrentem sordibus & squallore, & Eumenidas sæuientes uipereis crinibus.

Flagrantia, ardor. Pr. Steph. *Sic sedat omnem pectoris flagrantiam.* Gellianum uerbum: ut Flagrantia montis, ut Vigor flagrantiæ, apud eundem.

Flammari, pro inflammari. Vict. 2. *Insanas flammatur in iras.*

Flora, nobilissima meretrix Romana, posteaquam Senatū hæredem scripsisset amplissimarum opum ex quæstu partarum, simulacrum, templum, ludos, sacra, circum meruit. Campus Floræ adhuc in urbe celebris est. Ridet autem Prudentius illam domus Pompeianæ libertam, lecti pellicem, urbis scortum publicum, mulierem sola forma commendatam, inter deas nomen & honorem consecutam.

Fluiscere, pro fluere. Dracont. Hex. *Cuius ab aspectu montes & saxa fluiscunt In cineres.—*

Fluuij qui lætificant terram, & agros (ut sic dicam) conferunt, in Ægypto Nilus, in Mesopotamia Euphrates: de quibus Alcimus. in Sicilia Elorus, de quo Virgilius, qui eum ideo stagnantem appellat.

Forare

Forare, pro perforare. Pr. Steph. *Quanquam forassem fortè si puncto leui.* A
Fortunæ imago cum Copiæ cornu picta est. Idem Sym. 1.
Formatum Fortunæ habitum cum diuite cornu.

FORTVNATVS qui dictus cognomento est, Venantius Honorius Clementianus Fortunatus dicitur, in codice Murbacense manuscripto. Nascitur in Italia Transpadana, uiculo agri Taruisani. ita enim ipse scribit de loco natali in uita D. Martini, libro ultimo:

Per Cenitam gradiens, & amicos dupla Venenses,
Qui natale solum est mihi sanguine, sede parentum,
Prolis origo patrum, frater, soror, ordo parentum,
Quos colo corde, fide.— Sororis Tutitianæ idem lib. 11. facit mentionem. Institutus Rauennæ fuit, à Gregorio episcopo. In exiliũ pulsus est, sub initium Exarchatus. De exilio conqueritur lib. 8.

Exul ab Italia nono, puto, uoluor in anno,
Littoris Oceani contiguante salo.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per scripta parentum,
Nullus ab exclusis me recreauit apex.
Quod pater ac genitrix, frater, soror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, solùs amore pio. Scribit autem hoc ad Lupum Campaniæ ducem. In Galliam profectus, propter ingenium præclarum & sanctimoniam uitæ, dignitatem pontificiam consequitur apud Pictauos. de qua re idem lib. 8.

Italia genitum, Gallica rura tenent.
Pictauis residens: qua sanctus Hilarius olim B
Natus in urbe, fuit notus in orbe pater. In ea dignitate non ociosam uitam duxit, sed multa ad uarios scripsit, carus summis & infimis: in primis regi Sigeberto, & Lupo duci Campaniæ, de quo diximus. In Germania peregrinatus est. Metim, Treuerim, & Moguntiam inspexit: & ad eorũ antistites, Vilicum, Nicetiũ, Sidonium carmina misit. Radegundim Turingicã, fratris Erinfridi filiam, inter captiuas è Germania abductam, matronis sanctissimis comparat. In adolescentia, cùm ex oculis laboraret, diui Martini beneficio ipse, & Felix Taruisanus, restituti sunt. ita enim canit:

Quà mea Taruisus residet, si molliter intras,
Illustrem socium Felicem quæso require:
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim. Quod factum esse in Dd. Pauli & Ioannis templo Rauennæ, testatur ibidem:

Tignus adest, cuius uitrea natat ignis in urna,
Huc ego dum propero ualido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce fenestræ.
Quo procul ut tetigi benedicto lumen oliuo,
Igneus ille uapor marcenti fronte recessit,
Et præsens medicus blando fugat unguine morbos. Scripsit de excidio regni Turingorum, Hodœporicum uitæ suæ ad Iustinum iuniorem Imp. & ad Sophiam Augustam: item, De gubernando regno, ad Sigebertum Gallorum regem: qui libri amplius non extant. In bibliotheca Murbacense asseruantur in hunc diem, Carminum uariorum libri 11. De diuo Martino lib. 4, carmine

Regino monachus Prumiensis lib. 1. Annalium fol. 18. b. Fortunatus, inquit, poëta in Galliis insignis habetur, qui natus quidem in loco qui Duplauis (al. Duplauilis) dictus fuit: qui locus haud longè a Cenitensi castro vel Taruisiana distat ciuitate. Sed tamen in Rauenna nutritus & doctus in arte Gramatica siue Rhetorica, seu metrica clarissimus euadit. Qui amore S. Martini in Gallias transiens primo Turonis, deinde Pictauis habitauit, qua in ciuitate Episcopus ordinatus est.

A carmine heroico. De partu Virginis lib.1. Eiusdem expositionem Dominicę orationis, & Symboli apostolici, Ioannes Hartungus edidit nuperrimè ex officina Hérici Petri. Floruit sub Iustino iuniore, anno D.LXX. & in diuorũ catalogo numeratus. Exemplar Murbacense ad me misit Ioannes Oporinus, de studijs optimè meritus: ex quo, quæ ad institutum huius Operis pertinuerunt, collegi, libellos quatuor: reliqua enim momenti non magni uisa sunt. Quidquid autem sententiosum fuit, præterea inde excerpsi, & Scholæ Christianæ puerili locis suis inserui, ne quid relinqueretur in auctore nondum edito, quod desiderarent studiosi.

FORTVNATVS propter uersum dicitur, qui uero nomine Fortunatianus, episcopus & martyr Aquileiensis. Fort. lib. 4. de diuo Martino: *Aut Aquileiensem si fortè accesseris urbem, Ac Fortunati benedictam Martyris urnam.* Eiusdem quoq; meminit de Gaudijs uitæ æternæ, lib. 8. Hic cum Felice fratre, à Diocletiano capite truncari iubetur. Fortunatianus sepulchrum habet Aquileiæ, Felix Vicentiæ: de hoc etiam paulo antè.

In Fossa ruere, pro in defossa, id est, in scrobibus latentibus perire. Tert. 1. *Qui cæco duce præcipites in fossa ruistis.*

FOTINVS hæreticus, Manichæo contrarius: ille Christum negat esse Deum, hic uerò hominem esse negat. Ille ait initium à uirgine sumpsisse, sed tamen seipsum suscitauisse à mortuis, ut testatur D. Ambrosius in epistolas ad Galatas & Ephesios. Pr. Psych. *Hac sese occultant Fotinus & Arrius arte, Immanes feritate lupi.*— Trinitatis plenitudinem negauit, neq; ullam Christi aut Spiritus sancti personam. Deum enim singulum & solitarium, & more

B Iudaico confitendum affirmauit.

Fotus, quartæ declin. pro fomento seu tractatione, ut nominãt, humana. Pr. Steph. *Paulùm benignis fotibus Recreetur.*— Iuuenc. 1. *Lenni pannoso tegmine fotu Texit.*—

Fragrans, olens. Pr. Apoth. *Blandus in ore sapor, fragrans odor.*—

Fratris proles, seu fratris filius, qualis erat Loth Abrahamo. Pr. Præf. Cath. *Redit, recepta prole fratris inclytus.* Vict. 3. — *Fratris quòd prole relicta Nunc solus uideare tibi.*— Idem tamen paulo antè nepotem nominauit, sed abusiuè. Errant in eiusdem nominis explicatione Perottus, Calepinus, Mancinellus, à quibus omne penè uulgus literatorum in errorem similem perductum est, qui nepotem fratris pro fratris filio ponunt.

FRONTO, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. hymno quarto.

FRVCTVOSVS, Tarraconensis martyr, Pr. Steph. hymno quarto & sexto, cum Augurio & Eulogio suis diaconis rogo imponitur.

Frugescere, fruges concipere & efferre. Pr. Sym. 2. *Hinc ait & steriles frugescere rarius agros.*

Futicare, fruticem emittere. Tert. 6. *Tempore nuda suo, folijs quoq; fruticat arbor.*

Fuat, pro sit, antiquum. Vict. 3. *Nil est quod metuas, hæres tuus ille Damascus Vt fuat.*—

FVLBERTVS, Carnotensis episcopus, temporibus Othonis III. floruit: qui inter alia laudabilia, Stirps Iessæ, Solem iusticiæ, Chorus nouæ Hierusalem composuit. Ita Martinus Polonus in Chronicis.

I Funerare,

Mallem integrũ opus potius quã collectaneum nobis [...]. Qua in re præcipue Germanorum hominum qui se germinæ fidelitatis noïe iactare solent, fidem requirere soleo. Id quod ea de caussa illos itanstituere aliquotiens deprehendimus, ideoq; in omnibus fecisse suspicamur: Vt quę illorũ de religione Christiana, ritibusq; antiquis temere conceptis opinationibus aduersentur, atq; repugnent, hoc ad inuicto facilime ex hominum memoria eripiat, deleant, extinguant. O merã irrationum pertinaciam.

Funerare,in funus efferre. Pr.Cath.*Orba quem pater ſupremis funerabat fletibus.* A

Furiare,in furias agere.Sedul.Ench. —*Et iubet hoſtem*

Porcorum furiare greges,ac per freta mergi.

Furuerunt,à furio. Sedul.1.*Nec minus & Darij furuerunt iuſſa tyranni.*

Furunt,pro furiunt. Arat.2.*Cui pelagus tellusq; furunt.*

G

GAlaulæ,populi Africani,quorum mentio apud Prud.2.Sym.Eorundē mentio apud ſcriptorem ignobilem,hoc uerſu:

Marmaridæq; leues,& cum Garamante Galaulas. Galaulæ uſi ſunt haſta quadam ſolida,inſtar uenabuli,tota ferrea,quam Cruppeam dictam reperimus : unde Cruppellarij milites memorantur apud Corn.Tacitum.

GALERIVS Imp.cognomēto Maximinianus,gener Diocletiani,hoſtis nominis Chriſtiani acerrimus , annos decem uexauit Eccleſiā. obijt eo mortis genere,quo ante ipſum Antiochus & Herodes : & corroſus à uermibus, edicta contra Chriſtianos reuocauit,Iudæ pœnitentia.

GALERIVS,prætor Illyrij, Quirinum Siſciæ epiſcopū fluuio mergi iuſſit.Pr.Steph.hym.7.

GALLIENVS Imp.cum patre Valeriano tyrannidem exercet.Sed Valeriano à Perſis capto & ſubiugato,edicta contra Chriſtianos aut abrogat,aut mitigat.

Gallus puer,aut adoleſcens,Cybeli dicatus. Pr.Steph.

Puer ſed obſtat gallus ob libidinem. Galli appellati, quaſi minimè uiri, κατ' ἀντίφρασιν:ut noſtro tempore monachi à populis Rhenanis,caballi,ſeu ipſorum lingua Hengiſt: monachæ contrà à Miſuenſibus & Turingis Scrofę,ſeu,ut ipſi loquuntur,Nonnæ dicuntur. B

Ganeum,quaſi γάνειον,metatheſi,primā corripit : pro loco ſubterraneo ſeu luſtro,in quo habitant qui quæſtum inhoneſtè quærunt. Pr.Pſych.

—*Dominæq; fluentis* *Iura pati,& laxa ganeorum lege teneri.*

Ganges Gangis,& Ganges Gangetis,Ebræis Phiſon, fluuius Paradiſi:ali qui uolunt eſſe Phaſin. Alc.1.

Quartus dehinc Phiſon,quem nominat India Gangen. Vict.1.

Gangetisq; replet populos,atq; Indica regna. Terram circumiacentem lætificat: agit ramenta auri,ut Cyprianus & Victor:argenti,ut Plinius. Reperiuntur in ripis eius gemmæ,onyx & bdellium,ut Moſes : carbunculus & praſinus, ut Cyprianus : ſmaragdus, ut Victor. Amnibus quindecim auctus excurrit in Oceanum,ut Megaſthenes & Arrianus teſtantur.

Gaſtrimargia,γαστριμαργία, uoracitas, à uentre & ſegnicie conflata ingluuies.uoraces enim ferè ſimul fatui ſunt,& ignaui. Hilar.Hym.

Quos inde gaſtrimargiæ *Huc illecebra depulit.*

Gaudium gaudere, τῷ ἀττικισμῷ. Iuuenc.1.*Gaudia magna Magi gaudent.* — ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα. Vix poteſt expreſſè ſatis gaudium illud ſolidū uerbis Euangeliſta dicere.

Gaulalæ.Vide Galaulæ.

Gehenna,uox Syriaca,à ualle Hinnon, in agro Hieroſolymitano, in qua pueri idolo Moloch immolabantur:quam idololatriam inſectantur acerbè, Hieremias & Ezechias prophetæ . nam ipſorum temporibus à regibus & ſacerdotibus

A ſacerdotibus pertinaciter defenſa fuit. Accipitur pro ipſis inferorũ tormentis. Pr.Ham. *– Auidæ nec flamma gehennæ Deuoret hanc animam.–*
Iuuenc.1.*Præmia iuſticiæ tribuet, ſceleriq́; gehennam.*

Gehennæ mancipium, prouerbio Theologico: dicitur de homine, adhuc in uiuis, damnato. Pr. Ham. *—— Gehennæ*
Mancipium, Stygio qui ſit damnandus auerno.

Gemini fratres, Caſtor & Pollux, Romæ in foro templum habuerũt, pila ſeu ueruta tenentes. à pilis, fratres pileati, id eſt haſtati, à Catullo dicuntur. Verutorum meminit Pr. Sym.1. *—— Gemini quoq; fratres*
Corrupta de matre nothi, Ledcia proles, Nocturniq; equites: celſæ duo numina Romæ
Impendent, retinentq́; ueru.— Lectio hactenus deprauata fuit.

Gemmæ, quæ à Cypriano, Prudẽtio, Victore, Fortunato, alijsq́; nominantur, eiuſmodi ſunt: de quibus breuiter dicendũ, ut ſtudioſis ſatisfiat. Amethyſtus, purpureus: à colore uiolaceo etiam Ion, Veneris gemma habita. Fort. 8. *Alligat & nitidos amethyſtina uitta capillos.* Bdellium fuit lachrima arboris cuiuſdam maritimæ, quæ aquis denſata, aliquam fortaſſe Achatis aut Lyparei lapidis habuit ſimilitudinem: quale nunc eſt ſuccinum. Beryllus, qui eſt coloris glauci ſeu uiridis, qualis eſt maris puri. Hunc in annulo geſtauit Porſena rex, habuit Cæſar Auguſtus. Iuuenalis beryllos uocat inæquales, quia artifices eis dant formam ſexangulam. Fort. 8.
Inſeritur capiti radians diadema beryllis. Carbunculus, ἀνθρακῖτις, λυχνὶς à Dionyſio, Pyropus ab Ouidio 2. Met. carboni ardenti ſimilis. Vict.1.
— Fulmineo rutilans carbunculus igne. Drepan. Epiſt.3.
B *Sic rutilus rutilum uomit & carbunculus ignem.* Drep. Hex.
Frigidus & roſeo carbunculus ardet odore. Ceraunia, à loco dicta, alias aſteriâs, de qua ſuprà. Chalcedon, uel Chalcedonius, item à loco, qui ſimpliciter onyx & onychites. Hebes dicitur à Prudentio, quia non eſt pellucens. Onyx autẽ onychi in tenebris denſis attritus, corpus in bene magno lapide pellucidũ oſtendit. Fort. 8. *Dextræ armilla datur, chalcedon iaſpida mixta.* Chryſolithus,
–Natiuo interlitus auro: ut Pr. Pſych. propter guttas aureas quas habet. Propert. 3. *Quos'ue dedit flauo lumine chryſolithos.* Chryſopraſus, berylli ſpecies, ex auro & porri ſucco nomen habet: alia appellatione gemma Beli, Praſitis Theophraſto. Pr. Pſych. *Te quoq; conſpicuum ſtructura interſerit ardens*
Chryſopraſe, & ſidus ſaxis ſtellantibus addit. Cryſtallus candida, tanta duricie, ut ea excudatur ignis: ut ſilice, pyrite, iaſpide. Cryſtallus nunc eſt magorũ ſpeculum, cuius loco Mniſuride uſi ſunt Chaldæi, ut apud Pſellum legitur. Appenſa lac nutricib. auget, pota medetur calidis fluxionibus, ut Pandulphus Anglus. Cyaneus, uel cyanus, Sapphiri ſpecies optimę, & coloris eminentis. Hyacinthus, interdum amethyſti, interdum chryſolithi ſpecies habetur, pro colorum uarietate, & craſsitudine corporis. Claud. *—— Fulgor Iberus*
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis. Iaſpis, modò uiridis, modò cærulea, modò maculoſa, modò punctis fuluis ſtellata. Vnde Virgilius de capulo gladij Æneæ, *— Illi ſtellatus iaſpide fulua Enſis erat.——*
Fibulæ ex eadem fiebant in ueſtibus. Claud. *— Tereti nodantur iaſpide ueſtes.*
Fort. lib. 4. de diuo Martino: *Trama topazus erat, rutilans & ſtamen iaſpis,*
Et tunicæ inſignis currunt pro uellere gemmæ. Lychnites, quem carbunculum re-

misſiorem Plinius nominat. Idem de Partu Virg.
Lychnites hebes eſt, cedit tibi Lucifer ardens. Sapphirus colore cæruleo, in gemmis A
eſt nobilibus: & celebris fuit Sapphirus Iulij II. Pont. Max. propter quam ſepulchrum eius uiolatum eſt. Ea Græci uſi ſunt, qui dæmones euocarét, & in aliorum actiones & facinora inquirerent: ut auctor eſt Gregoras, Syneſij interpres. Sardonius, uel Sarda, nunc carneolus. Pr. Pſych. *– Pingit iaſpis Sardonium iuxtà appoſitus, pulcherq; Topazon.* Sardonyches in rubro candidus, ex quo Indi capulos fecerũt: Itali eodem lyras & teſtudines exornarũt. Eam gemmam principem uocat, in annulis ſignatorijs, Iuuenalis. Smaragdus, inſignis uiriditatis: unde uerno gramini comparatur à Prudentio. Tertull. 6. *Herboſaq; uiret prægrandis luce Smaragdus.* Hæc dicitur & Limoniates Plinio. Idem celebrat Smaragdum Polycratis, ut eiuſdem Sardonychen Zezes. Claud. de ueſte Honorij. *— Precioſaq; fila Smaragdis Ducta uirent.—* Anno decimo Pauli III. Romæ inuenta eſt Smaragdus, in ſepulchro Mariæ Honorij Imp. filiæ, auro incluſa, in qua ipſius Honorij caput exſculptũ fuit. Vict. I. *Ac uiridi radiat fulgeſcens luce Smaragdus.* Topazus etiam inter uirides numeratur, πρασοχρόων καὶ χρυσόλαμπις. Fort. 8. *Pulchra topaziacis oneratur zona lapillis.* Idem albam topazum dixit, de Partu Virginis:
Quandò pauimentis alba topazus ineſt: utens fortaſſe nomine gemmæ, pro lapidis aut marmoris. Scripſerunt de gemmis noſtra memoria uiri clariſsimi, Eraſmus Stella, & Georgius Agricola, uterque medicus & conſularis, ille Zuiccanus, hic uerò Chemnicenſis.

Genealogus, γενεαλόγος, qui origines familiarum deſcribit. Pr. Apoth. *– Cum patre Chriſtum Eſſe Deum, uelut ille inquit genealogus idem:* loquens de Moſe, B qui initia orbis terrarum, & ortus primorum parentum enumerat.

Geneſis, γένεσις, ortus ſeu initium uitale. Idem Sym. 2.
Cur ſibi præſcriptum non commutabile fatum
Vt captiua putat? geneſis cur uincula fingit?
Eſt etiam, ex ipſo ortu iuxta poſitum ſiderum uaticinatio. Tertul. I.
— Stellarum nomina falſa, Naſcentum geneſes conſtringere.—
Ponit inter res abominandas, cultum idolorum, obſeruationem ſortium, auguriorum, ſiderum, extorum, & ipſam magorum uanitatem. Idem alio loco contra Marcionem: Mathematici (inquit) ut plurimùm ſunt Marcionitæ, nec hoc erubeſcentes dicere, de ipſis etiam ſtellis uiuere creaturas.

GENESIVS, Arelatenſis martyr. Pr. Steph. hymno quarto, & Fort. lib. 8. Officio mimi functus eſt apud Diocletianum, exprimendis uidelicet Chriſtianorum ritibus & cæremonijs. Is per iocum ſe baptizandũ curauit, ſpondente pro ipſo, & munera dante Diocletiano. Inde albo ueſtitu ad locum ſupplicij duci iuſſus, Veneris ſtatuam obuiam adorare noluit, ſeq; in ſuo baptiſmo uirum candida ſtola ſibi aſsiſtentem uidiſſe affirmauit, & ſe in Chriſtum credere, qui delictorum ueniam, & omnis leuitatis promiſerit. Igitur & fuſtib. cæſus, & in eculeo leuatus, & lampadibus uſtus, à Plautiano præfecto ſecuri tandem percutitur.

Genij perhibebantur dij natales, unde Genius urbis Romæ cultus. Pr. Sym. 2. quo in libro genios portis, domibus, thermis, ſtabulis aſsignatos teſtatur, & ſuperſtitionem illam rectiſsimè irridet. In antiquis inſcriptionibus

A bus legi dicata Epigrammata Genio cohortis & exercitus. Romæ in uia Salaria, suprà exsculpto antiquo poculo legitur:

GENIO
SIMILIS
FAMILIA. &

GENIO PAG. TI-
GOR. extat monumentum in Heluetijs: id est,
Genio pagi Tigorini.

Genitalia olim dijs dicata, ut Cybeli. Pr. Steph. *Ast hic metenda dedicat genitalia.* Nunc genitalia suspenduntur nescio cui Arcalio ab Italis, cuius me admonuit Theseus Mega Neapolitanus.

Gentilitas multis uarijsq; inquinata pollutaq; libidinibus, cœlum ipsum repleuit nuptijs. nubit enim Hebe Herculi, rapitur Proserpina Plutoni: adulterijs, quibus Iupiter, Mars, Venus toti contaminati: stupris, ex quibus nati Mercurius, Cupido, Bacchus, Hercules: incestibus, unde *Incedit diuûm regina Iouisq; Et soror & coniunx*: impuritate deniq; nefanda, unde notus Ganymedis raptus, & palæstra Hyacinthi. Deas autem quas uoluerunt esse castas, quasi à cœlo segregarunt: Vestam in sacraria, Mineruam in lycea, Dianam in siluas. Hæc Prudentius in Romano, & contra Sym. 1. latiùs persequitur.

GEORGII martyris, nullo non tormenti genere excruciati, historia in concilio Niceno apocryphos habita, eo quòd dissideret tam ex parte loci, quàm ex parte modi: & tam ex parte temporis, quàm ex parte iudicis, ut ait Natalis Venetus. Fort. lib. 1. *Carcere, cæde, fame, uinclis, site, frigore, flammis*
B *Confessus Christum.*— In Ecclesia Cretensium & Corcyræorum, & aliorum Græcorum Venetijs nullæ aliæ uisuntur imagines, præter Christi crucifixi, Mariæ uirginis, & beati Georgij. In illius armatura equestri, & puella defensa, & dracone Libyco interfecto, allegoria uenusta inest: quæ explicata suauissimis uersibus est à uiris doctissimis, Georgio Æmilio, & Ioanne Stigelio. Qualis autē apud Græcos est Georgius, talis hoc tempore apud Moscobitas Nicolaus, de quo uulgus sermone prædicat: Si Deus non esset Deus, tum nullus esset alius Deus nisi Nicolaus.

GERVASIVS & PROTASIVS, fratres gemini, Vitalis martyris filij, patria Mediolanenses, à Nerone sublati sunt. Fort.

Gerundium in Dum, cum accusatiuo: cuius non multa exempla annotāt grammatici. Tert. 4. *Quos obturatis fugiendum est auribus ultro.*

Getæ, pro Gothis, qui occuparunt Italiam. Geticus tyrannus pro rege Gothorum, quem superauit Stilico. Pr. Sym. 2.
Tentauit Geticus nuper delere tyrannus Italiam.——

Getam, ridiculum initio libri sui nominat Sedulius: & intelligit Comœdiam, in qua Getæ serui primas ferè tenent, & ridiculi introducuntur. Eadem est Nebrissensis, & libri antiqui lectio, & conuenit cum ipsa sententia.

Gigantes appellantur homines magni & splendidi, & quadā auctoritate magnifica præditi, qui omnem corruperunt in mundo disciplinam, & uiribus oppresserunt primam Ecclesiam. Alc. 4.
Si speciem quæras, humani corporis illis Plus uultus quàm forma fuit: sic linea membris Conueniens, hominem monstrabat, dissona molem. Eorum quatuor genera nomini-

bus distincta recẽsentur: Niphlim, qui inter Heuæos habitarunt, dicti quasi grassatores, propter rapinam: Emim, inter Iebusæos, Moabitas & Ammonitas, quos hi gentili nomine Zamzumim, quasi formidabiles, propter uiolentiam nominarunt: Enachim, inter Hethæos, quasi torquati, ab ostentatione opum: Raphaim, qui sedes habuerũt inter Amorrhæos & Palæstinos, nomine sumpto honesto, quòd seruatores & curatores essent. Tot monstris antiquitùs oppressa fuit Dei Ecclesia. Sed fuerunt seculis omnibus uiri superbi, cum potestate & honoribus, uirtutis & honestatis inimici: unde etiam apud poetas inualuerũt nomina Titanum seu Gigantum, Cyclopum, Centaurorum, Tyrannorum: de quibus annotare aliquid copiosiùs libet, ut cum Ebræorum nominibus & factionibus conferantur. Titanes & Gigantes, Saturno & Ioui bellum finguntur intulisse: quibus propter uirium fiduciam, & quòd factionibus florerent, addiderunt multa capita, ora, manus: item pedes serpentinos. unde à diabolo prodijsse intelligas, & serpentis esse progeniem. Hoc genus hominum ita describit Hesiodus: A

— ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν,
ἄπλαστοι, μεγάλη δὲ βίη, καὶ χεῖρες ἄαπτοι.

Celebrata fuit prouerbio *γιγάντων ἀπόνοια*, de uita sceleribus & flagitijs obruta: in qua turpe haberetur, non esse turpem. Armati incedebãt domi forisq;, unde *τεύχεσι λαμπόμενοι* apud Poetam dicuntur. Cyclopes in litore Siculo fuerunt, *Artus semihominum patulis qui faucibus, imò*
Integros uiuosq; homines crudo ore uorarent: ut canit Alc. 4. De horum principe Polyphemo Virgilius: *Visceribus miserorum, & sanguine uescitur atro.*

Inter eos nulla honestas ualuit, nullæ leges fuerũt, nulla societas seruata est: B ut patet ex Homero & Euripide, & uitam Cyclopicam ad Nicomachũ detestatur Aristoteles. Cyclopum deus Venter fuit, *μεγίστη δαιμόνων ἡ γαστήρ*: quorum similes sunt, quos Apostolus ad Philippenses notat. Deum simpliciter contempserunt. unde Polyphemus Homericus:

οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων. —— Centauri, multitudo equestris extitit, *στρατὸς ὑβριστής, ἄνομος, ὑπέροχος βίαν*, ut ait Sophocles. & alius poeta dixit, *νοῦς οὐκ ἔνι κενταύροισι*. His deprauatis eorum moribus insuper addit Homerus uinolentiam, Pindarus feritatem, Ouidius libidinem: quæ uitia ferè sequuntur magnam opulentiam. Tyranni nomen, ut Hippias Sophista scribit, poetæ Archilochi temporibus ortum: & existimantur, à Tyrrhenis Italiæ populis dicti, ut in Græcorum Scholijs est. Nota autem Mezentij crudelitas, qui mortuorũ corpora cum uiuentibus iunxit, & in tali complexu necauit. nota eiusdem impietas, ita enim ipse inquit apud Virgilium: *Dextra mihi deus, & telum.* —— Similiter Capaneus Argiuus apud Statium: —— *Virtus mihi numen, & ensis,* —— *Quem teneo.* Fuerunt tales multi, ut Lycaon Arcas, Salmoneus Eliensis, Clearchus Heracleus, Eresichthon Thessalus, Polymnestor Thrax, apertè & in deos contumeliosi, & in suos populos uiolenter iniurij. Similes Gigantibus fuerunt Cambyses, Domitianus, Iulianus: Cyclopibus helluones isti, Candaules Lydus, Heliogabalus Romanus, Venceslaus Boemus. Centauris multi nobiles, *καὶ νεόπλουτοι*. & Nabal ille Carmelita, Dauidis exulis, sui tamen tribulis, irrisor: Calebi & Othonielis, uirorum lectissimorum, meritis & pro-

A & progenie tumidus. Tyrannis, Hercules, qui linum præceptorem: Ioas rex Iudæ, qui præceptoris filium interfecit. Tyrannis præterea similes sunt, qui religionem contemnunt, humanitatem oderunt, Dei præsentiá negant, qui deniq; cæteris orantibus rident in templis, aut garriunt: ita enim de Lycaone Arcade (quem Cainum fuisse nonnulli augurantur) scribit Ouidius:

—— Vulgusq; precari Cœperat, irridet primò pia uota Lycaon.

Ebræorum & Græcorum exemplis si uellemus addere superioris aut nostræ memoriæ homines impios, & uentri deditos, ac mundi artibus corruptos, intelligeretur, nullis temporibus defuisse eiusmodi humani generis pestes atq; portenta. Redire nunc ad institutum tempus est.

Gigas, pro uiro forti & potente. In hymno: *Sponsus, redemptor, conditor, Suæ gigas Ecclesiæ.* Fort. de Partu Virg. *Anniculum portans agnum, antiquumq; gigantem.* Nomen Gigantum fecerunt in uitiosis esse, qui statim ab ipso diluuio tenuerunt imperium.

Gladio feriebantur Christiani. Pr. Steph. *Aut gladio feriere caput.* —— Ibid. *Non illum gladij rigor,* —— *&c.*

Glaucoma, γλαύκωμα, oculi uitium caligantis, & propter caliginem incertò uidentis. Idem Ham. *Nemo duos soles nisi sub glaucomate uidit.* Paulo pòst: *Est glaucoma, aciem quod tegmine uelat aquoso.*

Glutitus, pro deglutitus. Tert. 2. *Deuictum clamans crudelem corporis hostem, Glutitam mortem.* ——

Gnosia capella, pro Amalthea Iouis nutrice. Pr. Steph.

Multò antè, clara quàm capellam Gnosiam Suxisse fertur Iuppiter.

B Gauisa est antiquitas figmentis, ut & ortum miraculosum facerent, & se diuinitùs educatos demonstrarent. Cretenses finxerunt Iouẽ altum à capra: Assyrij Semiramidem à columbis: Cyrum à canicula: Troiani Paridem ab ursa: Romani conditores suos à lupa: Lycij Telephum à cerua: Volsci Camillam ab equa.

Golgotha, Syriaca uox, quam Matthæus, Marcus, Ioannes exponunt κρανίου τόπον. Cypr. *Est locus ex omni medius, quem cernimus, orbe Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.* ein schedelstat/ein beinhaus/ in quo proiecta iacent crania & ossa. Græcis σωρος. Iuuenc. 4. *At postquàm uentum est, ubi ruris Golgotha nomen.* Tertullianus mediam huius uocabuli producit, & in nonnullis exemplaribus γολγοθᾶν scribitur. Verba Tertul. sunt: *Golgotha locus est, capitis Caluaria quondam, Lingua paterna prior sic illum nomine dixit: Hic medium terræ est.* ——

Golias, gigas Gethæus, è Palæstina urbe maritima, prouocator superbus, à Dauide adolescente sternitur funda & lapide. Pr. Psych. *Vidimus, horrendum membris animisq; Goliam, Inualida cecidisse manu.* —— & quæ sequuntur.

Grabatus, κράβϐατος, lectulus, in quo caput inclinabant aut fessi, aut delicati, aut ægroti. Grabatus ignis. Vide, Ignis, & Lectus igneus. Hoc uocabulo cùm, tanquam minus eleganti, uti recusauisset uir eloquens Triphylius Ledanus episcopus, tractans illum Marci & Ioannis locũ, ἆρον σου τὸν κράββατον: eiusq; loco dixisset, ἆρον σου τὸ σκιμπόδιον: Spyridion, uir sanctissimus, qui concioni intererat, de loco exiluit, & quòd uerbis ac sermone superbiret, ipsum obiurgauit,

obiurgauit,& agere modeſtius præcepit.Hęc Sozomenus ſcribit in hiſt.Eccleſ. A Interpres Ariſtophanis: *τὸν κράβατον σκίμποδα λέγουσιν ἀττικοὶ*, inquit. Nonnulli hanc dictionem ſcribunt ſimplice cõſonante, imitantes Virgiliũ, qui ſyllabam corripit:alij duplicata, quo modo ferè uulgò ſcribitur. Virgiliũ itidem ſequitur Helpidius: *Non poterant, duro ſubiecit colla grabato.*

GRACCHORVM antiquiſsima, & ſemper popularis familia, tempore Conſtantini, Chriſti religionem coluit. Plebicolam uocat Prudẽtius, quia nobilitati ordinem inferiorem opprimenti reſtitit. Pr.Sym.1.

Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
Iure poteſtatis fultos, & in arce ſenatus
Præcipuos, ſimulacra deûm iuſsiſſe reuelli,
Cumq́; ſuis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos? Extat autem nullius uetuſtæ familiæ amplior & dignior memoria.

Gradus Eccleſiaſtici erant, ut ex Iſidoro conſtat, Lectoris, exorciſtæ, ſacerdotis. Ita Paulin. Natali 4. de Felice:

– Primis lector ſeruiuit in annis,
Inde gradum cœpit, cui munus uoce fideli
Adiurare malos, & ſacris pellere uerbis:
Quod quia perſpicua meriti uirtute regebat,
Iure ſacerdotis ueneranda inſignia nactus, &c.

GRAECIA leuitatis & mendacij accuſatur. Alc.4.
— *Commentis Græcia fictis.* Et, *Carmine mentito Graij cecinere poetæ.* Vict.3.
— *Nomine mendax Græcia, dum ueris falſa inſinuare laborat.* Helleniſmus etiam B pro ipſo gentiliſmo accipitur: nam primi Iones, doctrinam à uicinis acceptã de Deo, fabulis corruperunt. Auxerunt gentis infamiam poetæ ipſi. Epimenides, *κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται.* Euripides, *πιστὸν ἑλλὰς οἶδεν οὐδὲν.*

Granaria Romanorum fuerunt uicina, Sicilia & Sardinia inſulæ: remotiora, Ægyptus & Libya. Prudentius copioſè Sym.2.

Grauidare, grauidam dare, imprægnare. Help. de Chriſto:
Hunc grauidante Deo, mortalis neſcia fœtus
Virginitas fœcunda tulit. Idem: — *Fundaſſe ſolum, grauidare nouales.*
id eſt, agros recentes fertiles & lætos facere.

Gregalis, de grege: contrarium, egregius. Idem Steph.
Quod plebs gregalis excolat Titulumq́; figat martyris.

Greſſus, pro ingreſſus. Tert.4. *Intra uelamen cœli, cum ſanguine greſſus.*

Gymnas, *γυμνὰς*, exercitatio denudatorum in palæſtra. Pr.Sym.2.
— *Oleoq́; & gymnadis arte.* Idem Steph. *Quem ueſter Deus*
Effœminauit gymnadis licentia.

Gymnaſium, *γυμνάσιον*, ipſe locus exercitationis. Arat.Præf.1.
Gymnaſij gaudet nudus adire locum.

Gypſum, materia foſsilis eſt, calci cognata. E' gypſo typi fiunt, è quibus plaſtæ formant ſtatuas & imagines. Alc.1.
Et uultus complere rudes, aut corpora gypſo Fingere. — Pr.Sym.1.
– Mollis ſi bractea gypſum Texerit. —
nam eiuſmodi effigies interdum auro imbracteabantur, aut alio metallo.

Idem

A Idem Apoth. *Quin & Apollineo frontem submittere gypso.* id est, inclinare se coram Apollinis statua, è gypso confecta. Eupolemius lib. I.

Quiq; Iouis gypsum ceu uerum numen adorant.

H

HAc caussa, pro hac de causa, hanc ob causam. Tert. 5.

Hac caussa uos connubio priuauit honesto.

αἱμοῤῥαγία. Vide in litera A.

Hæmorrhois, αἱμοῤῥοῖς, genus serpentis, cuius ictu sanguis ex humano corpore effluit, primam habet breuem apud Fort. de Gaudijs uitæ æternæ:

Vipera, seps, iaculus, basiliscus, hæmorrhois, aspis.

Hæreses aliquot filio Dei detrahentes, & eius nomini sacrosancto, impugnat Prudentius: quarum auctores fuerunt, Noethus Ephesinus, qui Deum patrem passum asserebat. unde ἀνόητος dicitur Epiphanio. Sabellius, qui inter substantiam & personas diuinitatis non distinguebat, unde eius sectatores Vnionitæ dicti sunt: Iudæi, qui Christi in carnem aduentum negabat: Ebion, qui uenisse in carnem concedebat, sed non fuisse Dei, uerùm Iosephi filium: eius sectatores Homuncionitæ. Manes Persa, qui ἀπὸ τῆς μανίας, ut idem Epiphanius, nomen sumpsit: Christum enim dixit non uerum, sed simulatum habuisse corpus. cuius discipuli Manichæi & Phantasmatici, quorum errorem initio secutus est D. Augustinus. Marcion, qui duos deos asserebat, unum bonum, alterum malum: unde Duitæ. Idem affirmauit fore tantum animæ, non corporis resuscitationē. Horū opiniones omniū cōuincuntur pulcherrimis argumētis à Prudētio in Apotheosi, & Hamartigenia.

B Hæresiarches, αἱρεσιάρχης qui inter malè sentientes familiam ducit, id est, locum inter complices primum obtinet, princeps factionis. Prosp. c. Ing.

Inter multa, suis quæ tradidit, hæresiarches. Intelligit autem Pelagium, & Pelagianum, Seueriani episcopi filium. Vide, Britanus coluber.

Hæresis, αἵρεσις, prima breui, τῷ μονοφθόγγῳ, ubiq; apud Prudentiū. ut Psych.

— Discordia dicor Cognomento heresis. — Præfat. Cath.

Pugnet contra hereses. Ham. *Hanc herefin præsaga patris præuiderat olim Mœstas. —* Imitatus Prudentium est Fortunatus. In Psych. Sic ab eodem circumscribitur: *— Placidæ turbatrix inuida pacis.*

Hagius, ἅγιος, sanctus, prima longa. In hym. amet. *Te deprecamur hagie, Venture iudex seculi.* Tert. 6. *Hagie, hagie, sancte Deus, uox omnibus una est.*

Halare, halitu inficere aut corrumpere. Idem I.

Hæc dum continuò per secula perfidus halat.

Harmonia, ἁρμονία. Modò concentus uocum similium. Vict. 2.

— Quid resonet motu septemplicis axis Harmoniæ uocale melos. —

Modò pro quauis laude diuina. Pr. Cath. *Sumere cùm monet hora cibum, Nostra Deum canet harmonia.* Modò pro hominis sermone articulato. Idem Steph. *Manere saluam uocis harmoniam probè.* Modò pro uocibus auium, Incert. auct. de laudib. Domini: *— Et mille examina uocum Mortali harmonia lucis resonare canoris.*

Hebdomas, ἑβδομὰς, septimana. Idem Apoth.

Septimus hebdomadi uenit superaddere sextæ Hunc numerum Christus. —

Hecatombe, ἑκατόμβη, genus sacrificij amplissimum, centena ferro cùm

cadunt animalia: ut circumloquitur Prudentius. A

HEMITERIVS Calagurritanus, qui relictis Cæsaris uexillis, Christi secutus est, è milite factus martyr. Pr. Steph. hym. 1.

HERCVLES cultus à doctis: quia laboriosi esse debent, & benefici. Pr. Ham. *Hinc gerit Herculeam uobis sapientia clauam, Ostentatq; suos uicatim gymnosophistas.* Vnde Romæ consors cum Musis templum habuit in circo Flaminio, & μυσαγέτης à Græcis cognominatus.

Hexaemeron carmen, ἑξαήμερον, quasi dicas ἑξ ἡμερῶν, sex dierum, in quo de opere creationis tot diebus perfecto scribitur. Tale nunc extat in Hymnis D. Ambrosij Mediolanensis, qui & septimum diem Sabbathi, hoc est, quietis addidit. tale item Dracontij: nam Hippolyti Africani, & Prudentij Hispani hexaemeron intercidit. Tale adhuc opus D. Basilij est, & plurimorum citantur ab Hieronymo & alijs.

Hexametrum carmen, cæteris omnibus pulchrius celsiusq; est: unde operibus tam prolixis quàm succinctis, tam uilibus quàm nobilibus aptum esse consueuit. Numerum uigintiquatuor temporum pro sui perfectione habere decet, quot habet libra plena semuncias. Huius exemplum:
Culmina multa polos radianti lumine complent. Hoc metrum, post Homerum, Heroici nomen accepit: Pythium antè dictum, eò quòd Apollinis oracula illo sunt metro edita. Huic cognatum est, & quasi familiariter adhærens, ita ut sine ipsius præsidio nunquam id positum uiderim, metrum dactylicum pentametrum: quale est, *Lætanturq; pijs agmina sancta choris.* Hoc autem & superius, ubi iuncta fuerint, Elegiacum carmen uocatur. Quo genere metri constat canticum in Deuteronomio apud Ebræos: & Psalmus B CXVIII. & CXLIIII. Librum beati Iob simplici hexametro scriptum esse asseuerant. Obseruandū est autem in carmine Elegiaco, ne quid unquam de sensu uersus Pentametri remaneat inexplicatum, quod in sequenti uersu Hexametro reddatur: sed uel uterque sensibus suis terminetur uersus, ut Sedulius,

Cantemus socij, Domino cantemus honorem;
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Vel sibi mutuò prior Hexameter ac Pentameter subsequens (ita uti Poetæ placuerit) conferantur, iuxta illud Prosperi:

Solus peccator seruit malè, qui licet amplo
Vtatur regno, sat miser est famulus.

Nam sequentes uersiculi, etsi his sunt subiecti, inuicem tamen sunt coniuncti, & secundus primo dat supplementum, sequitur enim:

Cùm mens carnali nimium dominante tyranno,
Tot seruit sceptris, dedita quot uitijs.

In Hexametro autem carmine, concatenatio uersuum plurimorum solet esse gratissima: quod in Sedulio & Aratore freque̅ter inuenies, modò duobus, modò tribus, modò quatuor aut quinque uersibus, nonnunquam sex uel septem, uel etiam pluribus inuicem connexis. Quale est illud Sedulij:

Loth Sodomæ fugiente chaos, dum respicit uxor,
In statuam mutata salis, stupefacta remansit,
Ad pœnam conuersa suam: quia nemo retrorsum

Noxia

A *Noxia contempti uitans diſcrimina mundi,*
Reſpiciens.ſaluandus erit:nec debet arator
Dignum opus exercens,uultum in ſua terga referre. Et hoc Aratoris:
Iura miniſterij,ſacris altaribus apti,
In ſeptem ſecuere uiros,quos undique lectos
Leuitas uocitare placet.Quàm ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus,quæ pocula uitæ
Miſceat,& latices cum ſanguine porrigat agni.

Verùm huiuſmodi connexio,ſi ultra modum procedat,faſtidium gignit, ac tædium. Hymnos uerò quos choris alternantibus canere oportet,neceſſe ſingulis uerſibus ad purum eſſe diſtinctos, ut ſunt omnes Ambroſiani. Optima autem uerſus dactylici ac pulcherrima poſitio eſt,cùm primis penultima, ac medijs reſpondet ultima:qua Sedulius frequenter uti cõſueuit. ut,

Peruia diuiſi patuerunt cærula ponti.
Item, *Sicca peregrinas ſtupuerunt marmora plantas.*
Item, *Edidit humanas animal pecuale loquelas.*
Item Pentametro: *Dignatus noſtris accubitare thoris.*
Item, *Rubra quod appoſitum teſta miniſtrat holus.*

Nec tamen hoc continuatim agẽdum,uerùm poſt aliquot interpoſitos uerſus. Si enim ſemper uno modo pedes ordinabis,& uerſus, quamuis optimi,unus ſit ſtatus,ſtatim uileſcit. Aliquando uerſum nominibus tantùm perficere,gratum eſt. ut Fortunatus lib.8.

Lilia,narciſſus,uiolæ,roſa,nardus,amomum,
B *Oblectant animos germina nulla meos.*

Quod idem & in proprijs fecit nominibus,ibidem:

Sarra,Rebecca,Rachel,Heſter,Iudith,Anna,Noemis,
Quamuis præcipuè culmen ad aſtra leuent.

Fecit & in uerbis,in eodem carmine:

Blanditur,refouet,ueneratur,honorat,obumbrat,
Et locat in thalamo membra pudica ſuo.

Studendum eſt præterea poeticæ ſtudioſis, quantum ars decoro non obſiſtit,ut mobilia nomina fixis præponantur:ſed ne continentia nomina coniunctim ponant,uerùm interpoſita qualibet orationis parte:

Mitis in immitem uirga eſt animata draconem.

Prius poſuit mitis,quàm uirga:prius immitem, quàm dracone͂. Sed & hoc diſcretum eſt,interpoſito uerbo,Eſt animata:non quòd hęc ſemper obſeruari neceſſe ſit,ſed quia cùm fiunt, fit decorè. Nam & Proſper, permutato hoc ordine,fecit uerſum decentiſsimum:

Moribus in ſanctis pulchra eſt concordia pacis.
Item: *Lex æterna Dei ſtabili regit omnia nutu,*
Nec mutat uario tempore conſilium.

Hæc Beda,libro ad Gutbertum filium & conleuitam ſuum, de Re metrica.
Hieruſalem,indeclinabiliter,ut in uerſione Pſalmi CXXXVI.
Te cunctis Hieruſalem præponere terris. Vel Hieruſale,in prima declinatione.
Paulin.Cyth. *Plantata Domino in atrijs Hieruſales.* Item in eodem Pſalmo:
Mœnibus æternis Hieruſalen habitabit. A Geographis & Hiſtoricis Græcis atq;

Latinis dicitur Hierosolyma,longè clarissima urbium orientis, non Iudeæ modò,ut inquit Plinius. Eam cepit dominatu Romanorum Pompeius, euertit Titus Imperator:instaurauit Ælius Hadrianus,sed infeliciter.In ambitu stadia tria & triginta complexa est,alij multo plura addũt. Intra urbem fuerunt colles duo:Zion,in quo præsidium Iebusæorum, postea arx Dauidis stetit:Moria,in quo celeberrimum templum Domini,à Solomone exædificatum:& ei adiunctum Astartæ,deæ Sidoniorum. A

HIERONYMVS presbyter,Psalmos quosdam Dauidis uertisse perhibetur,uersibus hexametris: quod apud idoneũ auctorem non legi. Eidẽ ascribitur translatio libri secundi Mosis, expressa uersibus elegiacis: in qua primùm narratur historia,postea additur explicatio allegorica. Eius unicum subscribam exemplum,de Decem præceptis,unde iudicium faciant alij, & mecum statuant ingenio,doctrina & facundia D. Hieronymi id esse planè indignum.

Hæc sunt iussa decem,totam pingentia legem;
Quorum clauduntur cætera iussa sinu.
Sperne deos,fugito periuria,Sabbatha serua,
Sit tibi patris honor,sit tibi matris amor.
Non sis occisor,mœchus,fur,testis iniquus,
Vicini thalamos,resq; caueto suas.
Lex noua quæ sequitur,de libris quattuor ortum
Vendicat,& Christi singula uerba tenet.
Quòd quater est denis data lex antiqua diebus,
Hinc ueterem legem denotat,inde nouam. B
Deno quippe uetus numero,lex nostra quaterno
Constat:sed fumat prima,secunda nitet.

Hæc ideo subieci,ut curiosis satisfaciam:utq; sincera amplecti,fucata reijcere studiosi discant.Hæc cùm annotassem, tandem Petri Rigensis uersus incomptos esse reperi,cuius liber Aurora inscribitur. D.Hieronymus Roma secedens,in agro uixit Hierosolymitano,*Ebræo simul & Graio Latioq; uenustus Eloquio:morum exemplar mundiq; magister:* ut Prosper canit.

HILARIVS, urbis Pictauorum Aquitanicæ episcopus, factione Saturnini Arelatensis episcopi in Phrygiam relegatur,sub Cõstantio,ubi duodecim libros aduersum Arrianos cõfecit,& librum de Synodis Galliarum.Scripsit & alia,reuersus ab exilio,catholica, & nimis præclara opera. Hæc Ado ex Hieronymo.De eodem ita Fortunatus,eius successor,lib.6.

Inclitus ille quibus uerè amplus Hilarius oris,
Et satus & situs est ore tonante grauis.
Thrax,Italus,Scytha,Persa,Indus,Geta,Daca,Britanus,
Huius in eloquio spem bibit,arma capit.
Sol radio,hic uerbo generalia lumina fundunt:
Montibus ille diem,mentibus iste fidem. Idem lib.8.
Eloquij currente rota,penetrauit ad Indos,
Ingeniumq; potens ultima Thyle colit.
Perfundens cunctas,uice solis,lumine terras,
Cuius dona Sacæ,Persa,Britanus habet.

Christi.

A *Christicola Scythicas laxauit amore pruinas:*

Dogmate feruenti frigida corda calent.

Nicephorus ait ipsum utraq; lingua fuisse doctissimum: quæ'ue expetenda aut reijcienda dogmata fuerint, Italos & Gallos ab eodem fuisse eruditos. Obijt Valentiniano & Valente regnantibus.

HILARIVS Gallus, episcopus Pictauiensis, eloquentia cõspicuus, Hymnorum carmine floruit primus. ita Isidorus lib. 1. de officijs Ecclesiast. Vixit sub Constantio, circa annum CCCLX.

HILARII hymnos tres inuenimus nos: nam qui Aspræ sorori ipsius inscriptus est, nihil planè habet aut sanctitate aut eruditione Hilarij dignum.

Hippocratis laniena, prouerbialiter de ea medicæ artis parte, quæ stringendo, urendo, secandoq;, instrumẽtis, ignibus & ferro exercetur. Pr. Steph.

Num mitiores sunt manus medentium,

Laniena quando sæuit Hippocratica?

HIPPOLYTVS, factus ex hæretico catholicus: è Nouatiano, episcopus (ut Nicephorus) Ostiensis, Decio imperatore mandante, Ostiæ martyrium subijt, ab equis effrenibus dilaceratus. Sepultus extra Esquilinam, in crypta Verania. Pr. Steph. hymno 11.

Hoc habet, prouerbialis sermo, sumptus à gladiatore uulnerato, quem uulgus uictum esse exclamat. Pr. Psych.

Hoc habet, exclamat uictrix regina, supremus *Hic tibi finis erit.*— Habet autem ἐλλειπτικόν. Seneca in Agam. integrum posuit: Habet, peractum est. Germani dicunt, Er hat sein teil.

B Homo, ab humo dictus. Arat. 1. *Materies terrena sumus, limumq; parentem Nomine prodit homo.*— Pr. Sym. 2.

Condideram perfectum hominem, spectare superna: Sed respexit humum.——

Horrendùm, in parenthesi, detestantis uox est. Tert. 6.

Præconesq; Dei (horrendùm) sæpe fugastis.

Hosticus, pro hostili. Pr. Ham. —*Hostica quos iam Damnatos cohibent ergastula.*—— Ibid. –*Quem non fragor hosticus arietis, aut quem Vis impacta quatit.*——

Huic, διαιρετικῶς. Prosp. Epig. 8. *Non tempus, non sexus, huic non causa resistit.*

Humani corporis structura, per membra singula describitur ab Alcimo libro primo, qui uidetur secutus Lactantium de Opificio Dei.

Humida, τὰ ὑγρὰ, pro ipsis aquis. Alc. 1.

Quæq; negant nobis, dant illis humida uitam.

Hyalus, ὕαλος, uel (ut Phrynichus dicendum contendit) ὕελος, uitrum. Pr. Steph. *Tum camurus hyalo insigni uariè cucurrit arcus.* Hyalum, ὕαλον uidetur dicere, uitri more splendens atq; pellucidum. Σιδωνίας ὕέλε διαφεγγέστερον, apud Lucianum. Vitra autem Sidonia propter puritatem idem electro comparat, ut Murana à nostris crystallo comparantur.

Hydra, ὕδρα, anguis, in palude Lerna multiceps, Tiphonis & Echidnę fingitur filia, quam Hercules igne & fero deleuit. Pr. Steph.

Hydria, ὑδρία, aqualis, uel (ut in Enchiridio Sedulius) uas aquarium, in quo scilicet continetur & seruatur aqua. Idem Hym.

Aquæ rubescunt hydriæ.— Pr. Cath. *Nunciat uinum minister esse promptum ex hydria.*

Aqua in uinum mutata tam colore quàm ſapore originis declarauit mutationem, ut manifeſtius eſſet miraculum. A

Hydrinus, ὑδρινος, ad Hydram pertinens. Pr. Steph.

Hercules hydrina ſuetus uſtulare uulnera.

Hydrius puer, pro aquario, ſigno cœleſte. Pr. Apoth.

Hydrops, ὕδρωψ, cum (interprete Columella) aqua cutis extenditur: aqua intercus, ut Celſus: aquoſus languor, ut Horatius: humor in uenis aquoſus, ut Prudentius, λευκοφλεγματίας. Steph. *Purgata longis alba morbis corpora.* Cath. —— *Aquoſus albis Humor in uenis dominetur.* Sedul. 3.

—— *Fluidus mox uiſcera morbus Deſerit, & uacuæ reſident in pectore fibræ,*

Carnalemq; lacum peſtis lymphata relinquit.

Hydrus, ὕδρος, anguis natatrix, in undis degens. Præf. Sym. 1.

Hydrum præcipitem dum rotat impetus Arſurum medijs intulit ignibus.

Hymen, τεχνικῶς ſeu abſolutè, pro uoce nuptiali. Alc. 1.

Taliter æterno coniungens fœdere uota Feſtiuum dicebat hymen. –

Hymniſtæ, ὑμνισταὶ, Deo hymnis ſeu cantionibus meritas gratias canentes. Pr. Steph. *State nunc hymniſtæ matres pro receptis paruulis.* Genus autem maſculinum more ſuo pro fœminino uſurpauit: ut & alibi,

—— *Sodomita libido.*

HYMNORVM ſcriptores apud Ebręos prophetæ fuerunt, aut eorum diſcipuli, ut Moſes, Delbora, Dauid: & qui in libro Pſalmorum referuntur, filij Chore, Aſaphus, Hieremias, Ezechiel, Ethanes, Aggæus, Zacharias. Apud Latinos relicti ſunt hymni Hilarij, Ambroſij, Prudẽtij, Sedulij, Damaſi, Fortunati, Gregorij, Drepanij: & qui aliquot poſt eos ſeculis uixerunt, Fulberti B & Theodulphi: item Bedæ Anglici, Thomæ Aquinatis, Pauli Diaconi. Hos omnes qui extant, & puri ſententijs ſunt, in hunc Antiquitatis theſaurum collegimus: alios è libris antiquis emendatiores damus: alijs auctores, ut nos inuenimus in exemplaribus noſtris, aſcripſimus, de quibus tamen interdum dubitare queas. Inter ametros unus inſcribitur D. Ambroſio, quem Hymnum Prædarum nominat Beda, & pulcherrimè factum teſtatur imitatione metri iambici, cuius initium eſt: O' *rex æterne Domine.* Vnus D. Auguſtino, de Gloria & gaudijs paradiſi, cuius initium: *Ad perennis uitæ fontem.* Inter eoſdem poſuimus ſeptem de nomine IESV, qui in Eccleſijs nonnullis Gallicis cantari perhibentur: ſed an ueteris alicuius ſint, an recẽtioris, quærendum eſt. Diſtinximus autem eos ſecundũ dies, tempora atq; feſta: item metricos à rythmicis ſeparauimus: præterea eos ſelegimus iuxta huius operis inſtitutum, qui aliquid religioſæ & eruditæ antiquitatis redolerent.

I

IAniculum, mons Tranſtiberinus, ad quem nunc figulinæ ſunt, olim molæ fuerant. Pr. Sym. 2. —— *Quæ Ianiculo mola nota quieſcit?*

Iberia, ſeu terra Ibera, pro Hiſpania, ab Ibero flumine. Idem Steph.

Cunctis urbibus eminens Iberis. Et, *Pollet hoc felix per orbem terra Ibera ſtemmate.*

Idea, ἰδέα, ſpecies ſeu forma, media producta κατ' ἐπένθεσιν. Victor 2.

Semper adeſt, triſteſq; animos idea fatigat. Ideam autem, faciem rerum paulo antè nominauit, qualis in paradiſo ante lapſum hominis fuerat.

Idolium, templum ſeu fanum idolo alicui cõditum, alibi non legi quàm apud

A apud Prudentium, Steph. *Discipulos fidei, detestandiq; rebelles Idolij.*——Sym.1.
Decernunt infame Iouis puluinar, & omne Idolium.——

Idololatra, εἰδωλολάτρης, qui idola, hoc est simulacra colit, ut uertit Prosper: id est, prophanus & gentilis.

Idololatria, εἰδωλολατρεία, ueterum cultura deorum, ut circumscribit Prudentius Psych.

Idololatrix, uocabuli Græci Latina terminatio, planè inusitata, si codex est emendatus apud Prud. Ham. ——*Idololatrix Relligio.*——

Idolum, εἴδωλον, media correpta semper apud Ecclesiasticos, fortasse indulgentes consuetudini uulgi, ne in templis discrepans esset eruditorum & multitudinis concentus. Aldus, Nebrissensis, Clichtoueus, Vuimphelingus, Sichardus, loca interdum mutauerunt, ita ut mutari possunt: sed contra fidem uetustæ lectionis. Pr. Psych.
Quosq; uiros non ira fremens, non idola bello Cedere compulerant. — Idem Sym.1.
Cæruleasq; animas atq; idola nigra uocare. Sedul.5. —*Lucos quæ semper amauit, Idola dilexit.*—— Arator 1. *Claudicat Aegyptum cupiens, atq; idola quærens.* Idem 2.
Idola tot Romæ mundo collecta subacto. Tertul.1.
Idola uana sequi, turbam sibi fingere diuûm. Idola primùm fecit Syrophanes Ægyptijs, Prometheus Græcis: quæ Iudæi mandato diuino, & Persæ instituto patrio, non admiserunt.

IESVS, ἰησοῦς, seruator. Hanc uocem usurpant Prudentius & Amœnus, tanquam dissyllabam, & à uocali simul incipientem, τῷ διφθόγγῳ. Pr. Apoth.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus? Sic aliàs sæpius. Amœn. Ench.
B — *Erumpit, pedibusq; aduoluitur Iesu.*

Ignire, igne inurere uel durare. Pr. Steph.
His membra pergunt urere, ut igniuerint. Item igne incendere, inflammare. Fort. lib.2. de diuo Martino: *Spiritus ut uerax Martini igniuit acumen.*

Ignis grabatus. Pr. Steph. Vide, Lectus igneus.

Iis, pro his monosyllabum. Iuuenc.1. *Cura ijs ambobus parilis moderaminis æqui.*

Immeritum, pro facto pœna indigno. Paul. Ausonio:
Nec patris inculti pietas rea, respuit omne Immeritum.——

Impassibilis, pro impatibilis, qui pati non potest. Pr. Apoth.
—*Ardua nam uis Est impaßibilis.*—

Impiatum, quod non est piatum, & flagitijs plenum. Idem Steph.
Quos ut profanos, impiati & seculi Reos, necesse est te magistro interfici.

Inaltare, pro extollere & exaltare. Paulin. Cyth.
Quia qui superbos deprimit, Humiles inaltat.—

Incapax, quod non capit aut admittit aliquid. Ibid.
Solui incapacem posse, nec destructilem. Et, *Scio incapacem te sacramenti impie.*

Incentiuum. Idem Apoth. *Nec non simul ipsa sodali Est incentiuum peccaminis.*

Incerare, cera implere, aut colorem addere. Idem Ham.
Incerat lapides fumosos. Idem Sym.1. —*De farre molæ saxa illita ceris Viderat.*——

Incessanter, sine intermisione. Dracont. Hex.
Quæ incessanter licet euomit, impete pleno.

Inchoamenta, pro initijs, uocalibus per medium cõtractis, carminis causa. Help. de Christo: *Inchoamenta gerens fragiles processit in artus.*

Incidit

Incidit dolum, pro in dolum. Pr. Psych. A

Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu, Incidit.——

Incircumscriptus, nullo signo aut meta terminatus. Idem Apoth.

Ista figura manus nostræ est, quam non habet in se Incircumscriptus dominus.

Incorporatus, qui à patre corpus non sumpsit. Idem Cath.

Cui contigit ducem salutis cœlitùs Incorporatum gignere.

Incubatio in templis usitata fuit, religionis causa, quod ex Plauto & Virgilio constat. Mansit ille mos usq; ad Prudentij tempora, canentis Ham. *Ecquis in idolio recubans inter sacra mille.* Manet adhuc in Italia. nam memini, Patauij certa nocte in diui Antonij adolescentes & puellas rusticanas incubare, eo cœnobio, quo nullum aliud ea urbe frequentius.

Indæ merces, pro raris & preciosis. nam India mittit aurum, ebur, ebenum, amomum, cynnama, gemmas, odores. Help. de Christo:

Pellibus aut Libycis redimens, aut mercibus Indis.

Indages, pro indagine. Pr. Sym. 2. *Quæsitura Deum uariata indage latentem.*

Indesertus, qui non deseritur. Prosp. Epig. LXXXII.

A' quo ut dißimilis terra indeserta recedit, Sic uitæ merito proximus, est similis.

Indigenæ dij, ἐγχώριοι, non aliunde euocati aut accersiti. Prud. Sym. 2.

Perfidia ne deûm indigenûm cecidere tot urbes?

Indomabilis, pro indomito. Idem Steph.

Quam testis indomabilis Riuis cruoris laueras.

Indubiè, sine dubitatione. Vict. 3. *Qui nostri indubiè seruato fœdere pacti Hæres certus erit.——*

Endoperator · Induperator, pro imperator, ἐπονόθεως. Pr. Sym. 1. B

Vt transire suis cum sordibus induperator Possit.——

Infidus, nouè pro infidelis, qui non credit promisionibus uerbi Dei. Iuuenc. 2. *Infidos animos timor arguit.—*

Infinitiuus loco nominis, more Græco. Idem 1. *Sufficiat uoluisse tuum.* id est tua uoluntas. Dracont. Hex. *Velle pares, & nolle pares, stans una uoluntas.*

Inhabitare, domicilium colere & posidere, prima longa. Ibid.

—Iure paternis Aedibus atq; domo natum habitare necesse est. Fort. de Gaudijs uitæ æternæ: *Virgineam gaudens inhabitare domum.*

Iniuriosus, inferens iniuriam. Pr. Steph. *Iniuriosa est nil uidenti claritas.*

Innatus, nondum natus. Idem Apoth. *– Cerni potis est, qui nascitur: at non Innatus cerni potis est.——*

Inperturbatus, intrepidus, magnanimus. Paulin.

Inperturbatos tantarum in præmia laudum Tolle animos.——

Inquietare, rem quietam mouere, conturbare. Pr. Steph.

—— Mentes inquietas mobiles Ne se imperita turba dedat legibus.

Insensibilis, sensu carens. Alc. 5. *Non insensibiles ceu promit palmite ramos.*

Insignia magistratus Romani sic breuiter comprehendit Pr. Steph.

Fasces, secures, sella, prætextæ, toga, Lictor, tribunal.—— Item Iuuenc. *Prætexta, trabeæ, fasces, lectica, tribunal.* Expresit autem Consulum, pretorum, ædilium & imperatorum ornamenta.

Inspaciare, inambulare. Pr. Apoth. *– Quem uideat Babylonis in arce tyrannus Innocuas inter flammas procul inspaciantem.*

Insti-

A Inſtimulare,pro ualde ſtimulare. Idem Pſych.
Inſtimulans animos nunc probris,nunc prece mixta. Sedul.1. *—Victusq́; leonum*
Inſtimulante fame iuſſit neſcire furorem.

Inſubiectus,liber & ſui iuris. Pr.Ham.*Inſubiecte,potens,rerum arbiter.–*

In tantum,ἐς τοσοῦτον,tantoperè.Idem Ham.
In tantum miſeris peccati nectare captis *Dulce mori eſt.—* Idem Sym.2.
Vis dicam,quæ cauſa tuos Romane *labores* *In tantum extulerit.–* Iuuenc.4.
Cepit,& in tantum luxit mihi gratia Chriſti.

Intemporalis,ſine tempore.Idem Steph.*Intemporalis antequam primus dies.*

Interminum,termino ſeu fine carens,perpetuum. Ibidem:
Quæ Deus ipſe uiris intermina fortibus *Spopondit.——* Et Cath.
Illuſtre quiddam cernimus, *Sublime,celſum,interminum.*
Ita æuum interminum,& intermina ſeculis longis,apud eundem.

Interpretandi ſacram Scripturam genera Alcimus duo recenſet, hiſtoricũ & allegoricum,inquiens:*Siue ille hiſtorias texit, ſeu fortè figuras.* Item:
– Quid ſacræ diuina uolumina legis *Aut ſenſu aut uerbo monſtrant.–*
His tertium addit Arator,cùm ait:*Hiſtoricum,morale ſonans,typicumq́; uolumen.* Omnino quatuor à ſcholaſticis,ut uocant, Theologis genera numerantur, quorum tamen nomina non intelligunt.Primum eſt Hiſtoricum, quod exponunt literale,quo uerba interpretantur ſimpliciſsimè,& id continet uerã ſententiæ enarrationem:qualis eſt hiſtoria duelli inter Dauidem & Goliã. Alterum eſt Morale ſeu ἠθικὸν,quod ipſi imperitè τροπολογικὸν, in quo ſententia refertur ad aliquam doctrinam uitæ & morum. Quemadmodum Dauid
B non tulit ſuperbiam & calumniam hoſtis impij: idem pijs omnibus eſt faciendum,ut blaſphemis in Deum reſiſtant,& nomen religionis ſummis uiribus tueantur & uindicent. Sequitur tertium,cùm ad rem aliam accommodatur hiſtoria propter ſimilitudinem,à negocio non planè alienam: hoc à rhetoribus dicitur ἀλληγορικὸν,à Theologis interdum τυπικὸν, interdum μυστικὸν,idq́; tectum latebris appellat Arator. ut ſi factum Dauidis transferatur ad CHRISTVM,qui eſt perpetuus propugnator ſuæ Eccleſiæ:Goliæ prouocatio & calumnia ad diabolum,qui nõ deſinit laceſſere populum ſanctum, & omnia ei crimina ac maledicta ingerere. Poſtremùm addiderunt recentiores,diuinum & ſublime, quod nomine minimè conueniente appellarũt ἀναγωγικὸν:in quo terram cœlo miſcuerunt,homines uerè ἀνάγωγοι.ut Dauid eſt tota Eccleſia cœleſtis in uita æterna, quæ cotidianos à diabolo triũphos reportat,cuius odio flagrat ſempiterno. Philippus in Rhetoricis hoc ponit exemplum:Hieruſalem hiſtoricè ſignificat urbem eius nominis: tropologicè,Remp.bene conſtitutam:allegoricè,Eccleſiam:anagogicè, uitam æternam. & mox addit: Hoc modo omnes uerſus prodigioſa metamorphoſi interpretabantur, quantumuis interdum dictum aliquod repugnaret illi metamorphoſi.

Ab hoc procul este prophani Cælestis semi summis magnitudinine ac fulgore perstricti noctuine acies, magis et caligant.

Interuentor,interceſſor & aduocatus.Paulin.Nat.8.
Tunc uelut Ezechiæ fuit interuentor Eſaias.

Inteſtabilis,diris deuotus,ſeu (ut Theologi) maledictus.Pr.Steph.
Infame monſtrum,uilis,inteſtabilis.– Vict.lib.3.
Vt taceam magici genus inteſtabile monſtri.

Intonare, forti & confidenti oratione uti. Pr. Steph. *His intonantem martyrem Iudex profanus non tulit.* A

Iordanis, fluuius Iudęæ maximus: amœnus & ambitiosus, ut Plinius: mercibus nauigabilis, ut Strabo. Mediam corripit apud Fortunatum, eandem producit apud Iuuenc. 3. – *Quâ pinguia rura silenter Agmine Iordanis uiridis prorumpit amœno.* Absorbetur lacu Asphaltite, bituminoso & sulphureo.

IOSEPH in Ægyptum uenditus fuit (ut uetus interpres) eunucho: seu, ut Paulinus, spadoni regio, τῷ σπάδοντι, utens nimirum uerbo interpretum LXX. Alij uertunt generali uocabulo præfectum aut principem, aut uerbo Persico satrapam.

Irritamen, irritamentum. Pr. Ham. *Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans Corporis accuset.*——

Iscarioth, cognomen Iudæ, qui fuit proditor Christi discipulus: id autem cognomen legitur apud Matthæum. Pr. Psych. —— *Non'ne triumpho Egimus Iscarioth? magnus qui discipulorum, Et conuiua Dei?*——

Isidis sacerdotes ueste linea candida usi sunt, & rasi tonsiq; fuerunt. Idem Sym. 1. *Mimica, ridendaq; suis solennia caluis.*

Israel, media producta in epigrammate Theodulphi,
Israel tu rex, Dauidis & inclyta proles. Alc. 5. *Israel solo peragens certamina uisu.*
Media contracta κατὰ κρᾶσιν, ut sit dissyllabum, apud Aratorem:
—— *Claudum Israel ferre solent, portæq; adiungere certant.* Et,
– *Quam post in uulnere matris Israel claudus habet.* –
sic idem sæpius alijs in locis. B

ISTER fluuius, alio nomine Danubius, in Germania ortum habet, prope Alpes: fertur in pontum Euxinum sex rapidis ostijs, septimo stagnante. Ab Istri ripis in Italiam profectus est Gothorum dux Radagastus, de quo Prudentius Sym. 2. – *Patrio ueniens iuratus ab Istro.*

Itiner, pro iter. Iuuenc. – *Itiner potius comitabere nostrum.* Idem 4. *Nam uobis itiner clausum.* – Pro itineris, passim iteris reposuit apud eundem Georgius Cassander: nos in uetusto nostro aliter inuenimus.

Iubeo tibi, cum datiuo: ut προσλέεσι κελεύων. Iuuenc. 3.
Discipulis tunc inde iubet conscendere nauem. Pr. Apoth.
Quis iubeat sæuis aquilonibus? ite, uenite. Vict. 2.
Velle & posse dabat, famulo quodcunq; iubebat. Arat. 1.
— *Mihi iussit apertam Gentibus hanc monstrare uiam.* – Id est, me iussit.

Iudæi, à Iuda, Iacobi quarto filio: plebs Iudæa & Iudaica, eodem significato apud Alcimũ. Sed in hoc antepenultima modò producta legitur, ut apud eundem libro 5. *Quando induratum plebes Iudaica regem Effugiens.*—— Modò correpta, ut apud Sedulium 2. *Iudaicis nuper populis, Orientis ab axe Progenitum fulsisse ducem.*—— Et apud Arat. 1. — *Committere bella Damasci Iudaica feritate parat.*——

Iugales uocantur, equi uno iugo iuncti. Pr. Cath.
— *In auras igneis iugalibus Curruq; raptus.* —

Iugalis, eiusdem iugi, coniunx seu uxor. Cypr. Sod.
Eia age Loth exurge, tuamq; assume iugalem. Fortunat. lib. 4.

Tristiciæ

A *Tristiciæ cumulum tribuit,cui rapta iugalis.* Auct.incert.de Bebiano:
Vnanimam alloquitur recreato corde iugalem.

Iugifluus,iugiter fluens,perpetuus.Paulin.Pan.*Iugifluus semper biberis.*–

Iugiter,ἀδιαλείπτως, indesinenter,ut Erasmus:sine intermissione, ut interpres uetus.Help.de Christo: *—Cui iugiter esse precandum Extensis manibus,mœrenti in funere tensæ Monstrauere manus.—*

IVLIA,Cæsaraugustana martyr.Pr.Steph.hymno quarto.

Iulia lex,à Iulio Cæsare lata, contra stupratores & adulteros. Lege Iulia deorum summus Iupiter damnatur à Prudentio Steph. *Laqueis minacis implicatis Iuliæ.* nam ut idem contra Symmachum scribit:Bouis specie decepit Europam: oloris uitiauit Ledam,unde eundem cygnum stupratorem alibi:imbris aurei penetrauit ad Danaen.

IVLIANVS episcopus Gabalensis, inter uiros sanctissimos numeratur à Fortunato.

IVLIANVS Imp.eruditione summis philosophis,felicitate maximis ducibus comparatus fuit:bono Reip.natus dicebatur.
—Ductor fortissimus armis, Conditor & legum,celeberrimus ore manuq;
Consultor patriæ,sed non consultor habendæ Relligionis.—
ut canit Prudentius. nam à Sophistis circumuentus,& factus apostata,Christianos mirum in modum uexauit:à cæde autem abstinens,alios exilio,penuria & infamia puniuit:plurimos blanditijs & muneribus auertit, nō paucos metu minisq; terruit.Christianorum scholas clausit:sophistarum, philosophorum,æruscatorum aperuit: templa dicata Christo demolitus est, Iu-
B daica & ethnica extruxit & ornauit. Aliquando sacrificans,litare nō potuit: quæsita causa,satelles Christianus inuentus est: quo deprehenso, è templo terrore aufugit.Id se puero accidisse,prolixè narrat Pr.Apoth.cōtra Iudęos. Interficitur VI.Cal.Iulij in Perside,à milite transfuga.

Iulus,pro Romano,ab Iulo Æneæ filio.Idem Steph. *Agnoscat ut uerum Deū, Errans Iuli cæcitas.* Hæc lectio in Aldino uera est: in uulgatis legitur Iulæa, & Iulia:quorum neutrum uersus admittit.

Iunceum,iunci in morem teres ac molle. Pr.Steph.*Carnifices gemini Iuncea pectora dilaniant.* id est,castigata & tenera.

Iupiter infernalis,pro Plutone. Pr.Sym.1.*Hæ sunt deliciæ Iouis infernalis.*

Iusiurandum,ὅρκος τμῆσιν καὶ ἀνάστροφήν. Iuuenc.3.*Iurandiq; memor iuris.*– pro,iurisiurandi.

Iusticium,intermissio & uacuitas iuris, indicta propter insignem aliquā acceptam calamitatem. Pr.Cath.*Arcis iusticium triste tyrannicæ.*

IVSTINA Patauina,Maximiniano imperante gladio feritur:cuius nunc in urbe antiquissima, & à temporibus Friderici Imp. Barbarossæ fideli studiorum matre,templum magnificum extat.

IVSTVS,Complutensis martyr:qui cum fratre Pastore in ludo sedens literario,abiectis tabulis ad martyrium properauit. Nomen eius tantùm ponit Prudentius,Steph.hymno quarto.

IVVENCVS,presbyter Hispanus,generis (ut ait D. Hieronymus) nobilissimi:sed & genus & patria ignoratur. Euangelia libris quatuor, uersibus hexametris,Matthæum Euangelistam secutus, penè ad uerbum transtulit.

de quibus in carmine Bucolico poeta Aretinus: —— *Carmina uidi* A
Hic hominis,pariterq; aquilæ,bouis atq; leonis,
Hispanum nostra modulantem uoce Iuuencum. Vixit sub Constantino Magno,eo tempore quo Fundator securitatis æternæ dictus est, Maxentio & Licinio superatis:ad quod allusit idem Iuuencus,cùm eum nominat PACEM SVI SECVLI. Opus suum edidit finitis bellis intestinis, circa annum Christi CCCXXXI.ut Prosper annotauit. Lectione Iuuenci D.Hieronymus delectatus fuit,quia ante ipsum paucos alios poetas habuit. In Matthæum ita scribit:Pulcherrimè munerum sacramenta Iuuencus presbyter uno uersiculo comprehendit,dicens: *Aurum,thus,myrrham:regiq;,Deoq;,hominiq;,*
Dona ferunt.—— Prologus Iuuenci nescio qua temeritate aut negligentia operibus Ausonij antehàc insertus fuit,cùm ex Ioanne Tritemio potuisset error deprehendi. Lectionis diuersitatem in Iuuencum Basileæ impressum, collegerat Theodorus Poelmanus,ex editione,ni fallor, Rotomagensi, aut ex manuscripto,quod cum ea editione consensit:id autem manuscriptum è Bibliotheca Gandauense fuisse,ipse postea annotauit.

IVVENCVS Constantini Imp. suorum temporum meminit: pontificis Siluestri mentionem omittit, quia eius nondum fuit regia in Imperio aut orbe Christiano potentia atq; auctoritas.

L

LAbarum,fuit insigne imperatorium & primarium uexillum : id in formam crucis formatum,gemmis insigniuit Constantinus.Pr.Sym.1.
Christus purpureum gemmanti textus in auro Signabat labarum.——
Tale est,quod in aureis numismatis,Lusitanis & Gallicis:item in argenteis B nummis uncialibus Onolsbachijs,ducum Brandeburgicorum,adhuc uidetur,aut certè aliquam eius refert similitudinem.Tale itidem est,quod in semunciali argenteo cernitur Friderici III.Saxoniæ Electoris,cùm post Maximiliani regis mortem,uicem imperij teneret. De Labaro multa Cuspinianus,in Constantino Magno:plura Panuinius in eodem,qui uersus Prudentianos citant & explicant. Labarum autem,modò totum uexillum est,modò uexilli insigne,Christi (ut ait diuus Ambrosius) nomine sacratum.

Labruscam uuis præponere dicuntur,qui uilia consectantur, relinquunt præclara. Sed.1.*Labruscam placidis quid adhuc præponitis uuis,*
Neglectisq; rosis saliuncam sumitis?— Labrusca est uitis agrestis,saliunca agrestis nardus.

Labyrinthus,ædificium flexuosum & perplexum, in errorem inducens, pro erroris occasione sumitur. Prosp.c.Ing. —— *Labyrintho*
Fallitur,ambages dubiarum ingressa uiarum. Pr.Apoth. – *Anceps labyrinthus,& error*
Circumflexus agat.——

Lacæna,pro quauis muliere impura,propter infamiam Lacænarũ : unde & hymenęos Lacedęmonios Virgilius,pro parum fidelibus & castis posuit. Pr.Sym.1.*Iuppiter incestas spurcauit labe Lacænas.* Notissimæ sunt reginæ illæ adulteræ,Leda,Helena,Hermione,auia,mater,neptis:quæ & familias,& patriam,& maritos perdiderunt.

LACTANTIVS FIRMIANVS eodem, quo Iuuencus, uixit tempore: unus eloquentiæ Ciceronianæ,inter Christianos,pręcipuus æmulator:qui

A præter multa quæ ſoluta oratione ſcripſit,& quę paſsim in manibus haben tur,uerſus quoq; cõpoſuit de Chriſti ſeruatoris cruciatu & nece,& de eiuſdem ab inferis excitatione:item de Phœnice,quæ adhuc leguntur. Scripſit item itinerarium uerſu hexametro,quod Gręcè ὁδοιπορικὸν appellauit:cuius materia fuit,digreſſus ex Africa uſq; Nicomediam Bithyniæ. Hęc ferè ex D. Hieronymo Lilius. Fuit autem Arnobij diſcipulus,& Nicomediæ rhetoricam docuit:ac penuria diſcipulorum,ob Gręcam ſcilicet ciuitatem,ad ſcribendum ſe contulit. Hic in extrema ſenectute in Gallia magiſter Cæſaris Criſpi,filij Conſtantini,fuit:qui poſtea à patre,ob ſuſpicionem inceſtus,immeritò interficitur.

LACTANTIVS,ſui ſeculi uir eloquentiſsimus, multorum nobilium & Criſpi Imp.præceptor:adeò pauper fuit,(ut ſcribit Euſebius)ut ſæpe etiam rebus indiguerit neceſſarijs. Eius unicum carmen addidimus, de Chriſto, ſua beneficia in genus humanum cõmemorante.Hodœporicon, quod ſcripſit,ad noſtra non peruenit tempora.

Cum Lacte bibere, prouerbiale: pro eo quod eſt, moribus his aut illis ab infantia imbui. Pr.Sym.1. —*Puerorum infantia primo* *Errorem cum lacte bibit.*—

Laminæ candentes imprimebantur capitibus Chriſtianorum,inter cætera tormentorum genera. Pr.Steph. *Tormenta,carcer,ungulæ,*
Stridensq; flammis lamina. Idem: *Sartago frixum torruiſſet puberem,*
Dira aut crepaſſet laminarum impreßio. Nunc eiuſmodi laminæ,ut audio, apud Hiſpanos pedibus ſubijciuntur.

Lamnis,pro laminis,imitatione Horatij. Idem Sym.1.
B *Si formam ſtatuæ lamnis commiſit ahenis.*

Lampas,λαμπὰς,ſplendor.Alc.ad Sor.
Sed uirtute carens languentem lampade feruor *Deſerit.*——

Lanam in picto ſcipione geſtabant olim circulatores aut præſtigiatores, qui ſuis fallacijs imponebant pueris & fatuis. Pr.Steph.
Ignoſco fatuis hæc tamen uulgaribus, *Quos lana terret diſcolori in ſtipite.*

Lanicies,lanæ ſeu uelleris denſitas. Tert.2.
Sed quia lanicies renouata hæc corpora ueſtit.

Lancinare,eſt diſtrahere ſeu dilatare,quod fit particulatim. Pr.Steph.
Hoc omne quidquid lancinamur,non dolet.

Lancinatores gregum, ſunt ſacrificuli uictimarij, diſſecantes corpora, ut laniones ſolent,diſpertitis partibus & artubus. Ibid.
Quid maximorum lancinatores gregum *Euiſcerata carne crudos criminor?*

Lapidatio,pro pœna ipſa ſeu morte lapidum,ut Tertullianus uocat.Sed. Ench. *Inter ſaxa rogat,ne ſit lapidatio fraudi* *Hoſtibus.*——

Laqueare,in laqueum conijcere. Iuuenc.1.
Si te fortè oculi dextri laqueauerit error.

Laruæ, ſunt intemperiæ, quales in tenebris imaginatione occurrunt. unde Larualis. Arat.1. —*Hoſteſq; à ſenſibus atros*
Proijcit,ac nebulis laruali bus exuit artus.

Latina uia,extra portam nominis eiuſdem:in qua multa erant ſepulchra. Pr.Sym.1. ——DIIS MANIBVS *illic*
Marmora ſecta lego,quæcunq; Latina uetuſtos *Cuſtodit cineres.*——

Fuit auté frequens & celebris, & præ cæteris tumulos multos habuit: quod etiam è Iuuenale & Auſonio, & multis inſcriptionibus antiquis liquet. A

Latrones, antiquè milites & ſatellites tyrannorum. Pr.Steph.

—— Steterunt Acriter contra fremitum latronum.

Lauacrum, media correpta, cuius ratio non extat. Proſp.Epig.LXII.
In quo per lauacrum fidei uirtute renata.

Laurea, pro uictoria, ſignum pro re ſignata. Pr.Steph.
Tu duas ſimul paraſti laureas.

Laurentina, Romuli & Remi nutrix, paſtoris uxor, honore diuino à Romanis culta. E' quæſtu autem meretricio, ut & Flora, ad cœlum ſibi gradum fecit. Prudentius Sym.1.

LAVRENTIVS, natione Hiſpanus, Sixti Romani epiſcopi archidiaconus, ſecũdo Decij cõſulatu, Valeriano urbis præfecto procurãte, imponitur craticulæ, & in ea aſſatur: uictor cruciatuum, tyranni, mortis. Pr.Steph.hymno 2. D. Laurentij templum unum eſt ex ampliſs. iuxta quod crypta Verania, extra portam Eſquilinam.

Lectus igneus, tormenti genus à Decio excogitatũ: in eo dentes ſeu aculei ferrati, & ſal ſubſtratus fuit: deſuper aruina fluxit. tali impoſitus Cucufatus, & Vincentius. Pr.Steph.hymno quarto & quinto.

Ledam compreſſam à Ioue ſpecie cygni, notiſsima fabula eſt: quam aliquoties attingit Prudentius. Iſocrates Nemeſin ait fuiſſe: ſed Lactantius dubitationem hanc tollit, cum ait, Ledam poſt mortem nomen Nemeſis accepiſſe.

Legifer, κατ' ἐξοχὴν, Moſes. Ibid. *Talem reuertens legifer* B
De monte uultum detulit.

Sic in vetusti poetæ de rebus coelestibus fragmento legicrepi tundũt, latrant fora, classica turbant.

Legirupa, penultima correpta. Idem Ham. *Legirupis quaſſantia uiribus orbem.*

Leguli auri, qui aurum legũt, uel in montibus, uel in fluminibus. Paulin. Nic. *Callidos auri legulos in aurum Vertis.——*
Legulos auté auri uocat Dacos, qui id fortaſſe in Danubij harenis lauarunt, aut effoderunt è Carpathis montibus. Vide Daci.

Lembus, paruum & uelox nauigium: eius diminutiuũ, lembulus. Idem Steph. *Leuiq; uectum lembulo Amplum per æquor auferas.*

LEONTIVS patria Aquitanicus, ſtemmate nobiliſsimus fuit, honorib. in Rep. functus, tandem epiſcopus Burdegalenſis creatur. Vxor eius Placidina, ex Arcadij Imperatoris poſteritate genita: cùm maritus factus eſſet epiſcopus, ipſa quoq; uelamen ſumpſit. Munus ſuum magnificè gubernauit, templa uetuſtate aut ignibus conſumpta inſtaurauit & renouauit: anguſta ampliauit & ornauit: noua etiam aliqua extruxit, & auxit donarijs. Extat de eo hymnus Fortunati, in quo caritatem populi erga ipſum deſcribit, & honeſtis rationibus ad ſedem epiſcopalem aſcendendum docet.

Lepra, λεπρὰ, uel à ſquamis nomen habet, quia ſcabra eſt. Iuuenc.2.
Lurida diſcutitur ſquamoſo corpore lepra. uel à colore, quia præter ſolitum alba eſt, cutemq; mutat & deprimit. Sedul.3.
Leproſus poſcebat opem, uarioſq; per artus Plus candore miſer.——
Dicitur etiam à ſimilitudine leonum & elephantorum λεοντίασις & ἐλεφαντίασις, propter maculas. Vnde Fort.lib.1.

A *Qui lepræ maculas medicata per oscula purgans, Pacis ab amplexu morbida bella tulit.*
Sedul.3.scitè describit: *Hunc procul ut uidere decem, maculosa gerentes*
Leprosi portenta uiri, quos corpore fœdo
Discolor obscœnis turpabat pœna figuris.

Lethæum, quod obliuionem inducit. Pr.Cath.

— Serpit per omne corpus Lethæa uis.—

Lethum, pro morte, ἀπὸ τῆς λήθης, quia mortuorũ citò extinguitur memoria, secundum illud Psalmi 31. Obliuioni datus sum, quasi mortuus. Inde lethalis, lethifer, & alia ab eodem deducta, cum aspiratione scripsimus.

Leuita, uel Leuites, minister pontificis, flamen Romanis, diaconus Græcis: à Leui, Iacobi patriarchæ tertio filio. Arat.1.

Iura ministerij sacris altaribus apti,
In septem secuere uiros, quos undiq; lectos
Leuitas uocitare placet.—

Hunc autem locum uulgò contaminatum, è Beda purgauimus.
Pr.Steph. *Hic primus è septem uiris*
Qui stant ad aram proximi Leuita sublimis.— Idem:
Vincentius Leuita de tribu sacra Minister altaris Dei,
Septem è columnis lacteis. Drep.hymn.1.

— Sacro Leuitæ sanguine creti.

Leuis, pro intonso, prima longa: ut, leue os, apud Tibullum. Leue onus, pro non molesto. Sedul.1.
Cuius onus leue est, cuius iuga ferre suaue est.

B Libanus, mons Syriæ altissimus, nomen habens à niuium candore, quibus in summo frequenter est obrutus. Cedrum fert arborem, quæ nusquam alibi procerior. In uarijs locis hic mons uaria nomina habet. Sedul.3.

— Et tanquam Libana cedrus Multiplicandus adest.—

Libri Biblici, qui carmine scripti sunt, recensentur ab Aratore in Præfatione ad Vigilium:

Metrica uis sacris non est incognita libris:
Psalterium lyrici composuere pedes,
Hexametris constare modis, in origine linguæ;
Cantica, Hieremiam, Iob quoq; dicta, ferunt.

Item à Drepanio, in epistola ad Moduinum:

Iob prius heroo sua carmine bella retexit,
Diuina Dauid personat ipse lyra.
Quid loquar insigni tumidum Solomona cothurno,
Qui thalamos Christi psallit, & Ecclesiæ?

D. Hieronymus Præfatione in Eusebium: Quid psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid Deuteronomij, quid Esaiæ cantico pulchrius? quid Solomone grauius? quid perfectius Iob? quæ omnia hexametris & pentametris uersibus (ut Iosephus & Origenes scribunt) apud suos composita decurrunt. Idem Præfatione in librum Iob: Hexametri (inquit) uersus sunt dactylo spondeoq; currẽtes, & propter linguæ idioma, crebrò recipientes & alios pedes,
non

non earundẽ syllabarũ, sed eorundem temporum. Interdũ quoq; rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris pedum solutis: quod metrici magis, quàm simplex lector, intelligunt. Quod si cui uidetur incredulum, metra scilicet esse apud Ebræos, & in morem nostri Flacci, Græciq; Pindari, & Alcæi, & Sapphûs, uel Psalterium, uel Lamentationes Hieremiæ, uel omnia fermè Scripturarum cantica comprehendi: legat Philonem, Iosephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio me uerum dicere cõprobabit. Ita D. Hieronymus. In hoc autem loco qui cõmemorati non sunt, eos recensui suprà in Præfatione ad Alexandrum Ducem Saxoniæ. A

Libycæ pelles, ut nunc Liuonum & Villapporum, pro preciosis. Help. de Christo: *Pellibus aut Libycis redimens.* – Libya autem ferarum multarum ferax habetur, quarum aliquas Strabo lib. 17. commemorat.

Limare, lima polire, usu leuigare. Pr. Ham. *– Compede dura Nectitur, & pedibus seruilia uincula limat.* Idem Cath. *Quod limat ægram pectorum rubiginem.*

Limari, è limo trahi atq; componi. Dracont. Hex. *– Virtute Dei limatur in artus, Vt dominator eat.* – Ibid. *Limauit per membra uirum de puluere factum.*

Liquabile, quod facilè liquitur. Pr. Ham. *— Solidata metallo Diriguit fragili, saxumq; liquabile facta.*

Liquor læticiæ, pro uino. Iuuenc. 2. *Cernis læticiæ iam defecisse liquorem.* Simili modo læticiæ dator, uerbo Virgilij, dici Christus potest, aquam in uinum mutans apud hospitem Canæum.

Litamen, pro litatione. Pr. Ham. *Cuius litamen sordet, & terram sapit.* B

Liuidare, liuidum facere. Paulin. Cyth. *Decoctus humor sobrijs laboribus Pallore uultum liuidet.* ——

Locustæ, ἀκρίδες, quibus in deserta Iordanis ripa uescebatur Ioannes baptista. Pr. Cath. *Paruum locustis & fauorum agrestium Liquore pastum corpori suetus dare.* Locustis in uictu usi sunt Libyes, ut est apud Dioscoridem: Parthi, ut apud Plinium: Aethiopes, ut apud Strabonem: Iudæi, ut apud Mosen: alij populi Orientales, ut apud D. Hieronymum. Qui cancros interpretantur, abiectas in litore, auctorem non habent: qui Hispanorum putant esse ragustas, id nondum probarunt.

Locutuleias appellat ranas Alc. 5. *– Suis homines submittere iußis Sueta, locutuleis frendet succumbere ranis.*

Logi, λόγοι, in bonam partem. Paulin. Cyth. *Referensq; paucos de tuis scriptis logos.*

Loquela, pro sermone. Pr. Steph. *– Serit loquelam Quæ cunctos tremefecit audientes.*

Loti & uncti dicebantur Christiani, per contumeliam, propter baptismũ, & catechumenos, qui oleo tingebantur. Vnde exclamatio usitata fuit, Iuliani Imp. orta temporibus, qua in templis per præconem utebantur: LOTVS PROCVL ABSIT, ET VNCTVS. quales illæ apud Græcos, ἑκὰς ἔστις ἀλιτρός. Item, ἑκὰς ἔστε βέβηλοι. Christiano autẽ aliquo præsente, Ethnici litare in sacrificijs non potuerunt. De qua re his uerbis scribit Lactantius, lib. 4. de Vera sapientia, cap. 27. Cum dijs, inquit, suis immolant, si assistat aliquis signatam

A signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant,
Nec responsa potest consultus reddere uates. Et hæc sæpe causa præcipua iusticiam persequendi malis regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostris sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugauerunt, ne possent in uisceribus hostiarum futura depingere. Ita ille.

Lubricare, in incerto constituere. Pr. Psych.
Lubricat incertus dubia sub imagine uisus. Item, Lubricum facere. Idem Steph.
Nunc preciosa ruit per marmora, lubricatq; cliuum.

Lucifluus, luce manans, clarus. Iuuenc. 3.
Ast ubi lucifluum sol reddet tertius ortum. Idem 4. *— Gens omnis habebit*
Testem lucifluo sanctæ sermone salutis. Drep. Psal. 22.
Lucifluusq; calix pleno me proluat haustu.

Lumina, pro oculis, poetis omnibus familiaris συνεκδοχὴ. D. Augustinus in Ioanne, ait usitatã fuisse apud ueteres iurationẽ: Sic uiuant lumina mea.

Luna, sphæra menstrualis dicitur, quia tempore menstruo suum cursum absoluit. Pr. Steph. *Cadet rotati solis in terram globus,*
Sphæram ruina menstrualem destruet.

Lunaticum morbum, eorum qui cursum lunę patiuntur, ut Apuleius, ita describit lib. 1. Iuuencus: *Et lunæ cursus imitata insania mentis.* Idem 3.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte *Torquet.——*
Tali morbo qui affliguntur, σεληνιαζόμενοι appellantur: quos nõ rectè sideratos dixeris, cùm ille morbus mentem occupet, hic tantùm corpus, aut certã corporis partem inuadat.

B Luperci, Panis sacerdotes, nudi per urbem cursitabant, cum uirgis & scuticis lacessentes & pulsantes puellas obuias, qua pulsatione fœcundæ fieri credebantur. Hoc etiam à senatoribus factitatũ, de Antonio Triumuiro notum est: & ipsis senatoribus loco summæ turpitudinis obijcit Prudentius, Steph. *Ipsa & senatus lumina* *Quondam Luperci aut Flamines.* Ibid.
Quid illa turpis pompa, nempe ignobiles *Vos esse monstrat, cum Luperci curritis?*
Idem, Lupercales istas ferulas, nudosq; iuuencũ discursus exagitat Sym. 2. Legimus & in Assisiatica historia, Franciscum nudum per suam patriam religionis causa cursitauisse.

LVPERCVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. hymno quarto.

Lustrum, ex sententia Varronis, est tempus annorum quinq;. Interdum uno lustro nominato, alterius initium intelligitur. Vt bellum Troianum, bilustre Ouidio: quod durauit supra annos decem, menses sex, & dies duodecim. Fort. hymn. *Lustra sex qui iam peracta tempus implens corporis.*
Intelliguntur, supra lustra sex, hoc est, annos supra triginta, tres adhuc anni atq; dimidius. nam anno ætatis quarto & trigesimo Christus passus est.
Alij lustrum idem uolunt esse, quod Olympias, quæ fuit annorum quatuor. Hæc diuersitas in auctoribus non animaduersa, facilè inducit in errorem. Animaduerti autẽ potest non difficulter: nam plerunq;, cùm de rebus Græcorum loquuntur Latini, utuntur lustro pro Olympiade.

Lychnus, λύχνος, lucerna, candelabrum, & fax ipsa. Alc. ad Sor.
Incensos lychnos nequidquam sustulit.— Sedul. 4.
— Modio nec subditur ardens *Lychnus.——*

Lychnites. Gemma fulgoris ardentissime scintillantis ad lucernæ lumẽ e genere carbunculorum. Vide Plinium lib
Fortunatus de Partu virginis col. 691. Lychnites hebes es si cedit tibi lucifer ardẽs.

Lydij cantores, qui turpia canerent aut saltarent in theatris. Pr. Steph. A
Saltat tonantem tauricornem Lydius.

Lyra, instrumentum Musicum, quod fidibus intenditur, ut tuba flatibus. Pr. Cath. *Quæ ueterum tuba, quæ'ue lyra,*
Flatibus incita uel fidibus.

M.

MACABAEORVM septem fratrum, in lege Dei & patria religione tuenda, uirtus & cōstantia, digna admiratione & laude sempiterna est. Prudentius in Romano ait, reuulsam ab ipsorum capitibus cutem & capillum, & laminas candentes impressas, & in sartaginibus olei ipsos demum frixos fuisse. Victorinus Afer, qui carmine integram historiam scripsit, eos cratibus & rogis impositos, & ignibus subiectis crematos: nec alia supplicia commemorat. Liber autem Macabæorum secundus, narrat de pœnis hoc modo: Primùm cutem capitis à ceruice usq; ad frontem detractam, tum amputatas fuisse ipsis partes corporis extremas, postremò membris truncatis sartagini feruenti iniectos fuisse. Ab hac narratione nonnihil discessisse Prudentium, qui τοῦ ἀκρωτηριασμοῦ, id est mutilationis membrorum nō meminit, demiror. Longius uerò Victorinum, qui dum suppliciorum genera omittit, magis mirandum est: nisi fortasse codices integros suis temporibus non habuerint. idq; esse uerisimile, constat etiam è Theophilo Alexandrino, qui ait, fracta fuisse eorum ossa, & compagem artuum atq; neruorum rota uolubili solutam & diminutam: addito uidelicet genere supplicij nouo, cuius nemo alius meminit. Sunt autem hi fratres dicti nomine gentili Asmonæi, uel Asmonitæ: postea uerò à Iuda Matthatiæ filio, Maccabæi. Nebrissensis, B
quamuis linguarum non imperitus, Græcam etymologiam afferre maluit. sed Pauli Eberi sic scribentis, uero admodum similis est sententia: Iudas Macabæus cognominatus est, quæ dictio Ebraicè sic scribitur, MACABAI: cuius singulæ literæ singulas dictiones significant, sumptas ex Cantico Mosi Exodi 15. ubi hæc uerba sunt, MI CAMOCHA BAELIM IEHOVA: hoc est, Quis sicut tu in dijs Domine? Hac sententia Iudas pro symbolo usus, initialibus dictionum literis in unam uocalem coniunctis, sibi cognomen fecit Macabæi.

Macedo, μακέδων, media producta bis apud Aratorem, κατὰ διαστολήν. Ita Dionys. θεσσαλίη δ' ἐπὶ τοῖσι, μακηδονίης τε πόληες.

Machæra, μάχαιρα, gladius. Iuuenc. 1.
—Ferro fulgente machæra.
Lucas speciem posuit, nominans ῥομφαίαν. erat autem hæc maximè penetrabilis & acuta. Paulin. Cyth. metaphoricè: *Vt à machæra noxiorum dogmatum*
Conseruet intactam fidem.

Machina, pro naue ingenti, instrumentum pro fabrica. Paulin. Cyth.
Scapham sequacem quadriremis machinæ.

Maculæ sunt parua retia, quibus aues capiuntur, uel retis ipsius foramina. Pr. Cath. *Callidus illaqueat uolucres,*
Aut pedicis dolus, aut maculis.

Mæander, fluuius Phrygiæ, ut Strabo ait, σκολιός: ut Plinius interpretatur, sinubus flexuosus: ut Ouidius, undis recuruatis. Pr. Cath.

A *Qui mille per Mæandros, Fraudesq; flexuosas Agitas quieta corda.*
Hunc coluerũt Phryges, unà cum Marſya. Sacrificium Mæandro oblatum, in Marſyam non emergit: contrà Marſyę datum, Mæandro non miſcetur. at ſi conſecratum fuerit ambobus, aquis iniectũ ex æquo diuiditur: ut ait Max. Tyrius. Vnde Mæandri nomen pro quibuſuis flexionibus & diuerticulis, non ſine fraude & conſilio excogitatis, accipitur.

Mænades, μαίναδες, intemperantes & furioſæ Bacchi miniſtræ. Pr. Sym. 1.
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus ipſas
Mænadas, inflammante mero in ſcelus omne rotatas.

Mage, pro magis. Alc. 2. *Nunc uerò mage cæcus eris.*— Pr. Sym. 1.
Triſtis iudicij mage pœnitet.—

Magi, Perſarum philoſophi, periti interpretes naturæ, ut circumloquitur Prudentius. Iuuenc. 1. *Gens eſt Eoi, Phœbo orto proxima regni,*
Aſtrorum ſolers ortusq; obitusq; notare: Huius primores nomen tenuere Magorum.
A regibus proximam dignitatem Magi habuerunt, & imperium aliquando per Patizithem & Smerdem fratres occuparunt, quod eis rurſus eripuit aſtuta & animoſa nobilitas. Vnde Perſis dies τῆς μαγοφονίας ſolennis fuit, quo nullus Magorum auſus fuit in publicum progredi. Hos Magos qui Chriſtum muneribus affecerunt, è Schola Danielis remanſiſſe, multorum opinio eſt. Magi autem fuerunt apud Perſas, quod apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Aſſyrios Chaldęi, apud Romanos Hetruſci aruſpices, ut inquit in 16 Strabo, & addit: Talis erat & Moſes, & ſucceſſores eius. Fuit quoq; gens peculiaris Magorum in Media, ut ait Herodotus: in Bactriana, ut Plinius. Magorum
B dona pulchrè interpretatur diuus Auguſtinus: Aurum ſoluitur quaſi regi magno: thus immolatur, ut Deo: myrrha præbetur, tanquam pro ſalute omnium morituro. Habuit enim prædicatores Angelos, narrantes cœlos, adorantes Magos. Similes interpretationes apud Prudentium, Iuuencum, Sedulium, Helpidium, Amœnum. Gregorius autem accommodatè ad doctrinã in Homilijs: Regi nato aurum offerimus, ſi in conſpectu illius claritate ſupernæ ſapientiæ reſplendemus: thus offerimus, ſi cogitationes carnis, per ſancta orationum ſtudia, in ara cordis incendimus, ut odore ſuaui per cœleſte deſiderium redolere ualeamus: myrrham offerimus, ſi carnis deſideria per abſtinentiam mortificamus.

Magia, μαγεία, ars incantatorum, abuſus philoſophiæ naturalis. Pr. Sym. 1.
Nec non Theſſalicæ doctiſſimus ille magiæ.

Magiſter ſummus, ἀρχιτρίκλινος, ut Ioannes nominat, cuius in conuiuijs aut nuptijs munus erat procurare neceſſaria. id munus ab Horatio regnum uini, à Cicerone magiſterium nominatur: is qui adminiſtrat, arbiter bibendi, & magiſter in poculo. Iuuenc. 2.
Hinc iubet ut ſummo tradant guſtanda magiſtro.

Malè cõciliatus, ut Terentij exponit interpres, magno emptus. Pr. Ham.
Vt bibat illecebras malè conciliata uoluptas.

Maledicere, cum accuſatiuo, antiquatum eſt. Tert. 1.
Ingrati eligitis dominum maledicere ueſtrum.

Malefabrum, pro aſtuto, & fraudibus compacto. Pr. Ham.
Reſpondit domino, ſuadelis ſe malefabris Illectam ſuaſiſſe uiro.—

M 2 Mammon,

Mammon, μαμμωνᾶς apud Syrios, fuit Plutus Græcorum, Dis Romanorum: ſatietatis, luxus & diuitiarũ deus. Accipitur pro ipſo ſatana. Pr. Steph. A
Nos'ne Chriſto procreati, mammonæ dicabimur?

Mammoneus, ad mammonẽ pertinens, infidus, ſui cupidus, alieni rapax. Pr. Ham. *Mammoneamq; fidem pacis ſub amore ſequuntur.*

Manceps carceris, præfectus carceri. Idem Steph.
Tunc ipſe manceps carceris Et uinculorum ianitor.

Manichæus hæreticus. Vide Phantaſmatici, & Hæreſes.

Manſor, qui manet, hoſpes. Sedul. 4. *Et faciat tenues tanto manſore capaces.*

Manzer, Ebræa dictio, ſpurius ſeu νόθος. Sedul. 5.
Manzeribus populis in deteriora uolutis. Manzeres nominat ipſos Iudæos degeneres & apoſtatas, &, ut ipſe mox dicit, odioſam propaginem. Vetus interpres reliquit eandem uocem in Moſe Deut. 23. Fortunat. lib. 5.
Chriſticolæ ut cernunt tunc agmina Manzera iungi,
Protinus inſiliunt, quâ latet ille dolus.

Mapalia, uox Punica, Feſto & Seruio auctoribus: pro ſeptis, ſeu uillis ruſticis, ſeu rotũdis cortib. Vſurpatur à Latinis quoq;: ut à Catone, Virgilio, alijs.

Marcion hæreticus, Pij epiſcopi impijſsimus filius ex Ponto. Vide Duitę: &, Hæreſes: &, Pontica peſtis. Hunc diaboli primogenitum nominauit Polycarpus.

Margaritum, μαργαρίτον: uel margarita, μαργαρίτης. Pr. Pſych.
Margaritum ingens opibusq; & uiribus. Arat. 2.
In margaritas uertant contagia porci.

Mariæ matri apparuiſſe Chriſtum, à mortuis ſuſcitatum, antequàm alijs mulieribus apparuerit, refert Sedulius: ſed Euangeliſtæ nõ meminere. eſtq; opinio religioſa: τὸ πιθανὸν additur ab eodem, — *Quæ fuit olim* B
Aduenientis iter, hæc ſit redeuntis & index. Vide, Virgo genitrix, inferiùs.

Marmora praestantissima.
Marmorum genera præſtantiſsima, & diſtincta coloribus, quinq; enumerat Prudentius: Parium candidum, Numidicum flauum, Laconicum uiride, Ægyptium purpureum, Synnadicum maculoſum. Verſus ſunt:
Et quæ ſaxa Paros ſecat, & quæ Punica rupes,
Quæ uiridis Lacedæmon habet, maculoſaq; Synna,
Natiuum nemo ſcopuli mihi dedicet oſtrum. Interpretes ſunt: de Pario ſcribit Virgilius, niueam appellans Paron inſulam: de Ægyptio, Plinius. de reliquis, Martialis in balneo Tuccæ: *Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,*
Et quod uirenti fonte lauit Eurotas. Item Statius in balneo Hetruſci:
Sola nitet flauis Nomadum deciſa metallis
Purpura, ſola cauo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipſe cruentauit maculis lucentibus Atys, *Vix locus Eurotæ uiridi.* —

In templorum ornamentis eædem ſpecies adhuc extant Romæ & Senis, ex antiquitate paſsim collectæ & reſeruatæ.

Marmorum iuncturæ tribus ſoluuntur modis: Vetuſtate, quę omnia conſumit. Pr. Sym. 1. — *Infido rareſcit glutine ſenſim.* [2] Violentia, ut cùm arbuſta in iuncturis naſcuntur, caprifici, ut ait Iuuenalis: hederę, ut Plinius. [3] Artificio, quod fit uapore & fumo ligni oleagini: quod obſeruauit lib. ultimo cap. 16. Macrobius.

MAR-

A MARTIALIS,Cæsarauguftanus martyr. Pr.Steph.hymno 4.

MARTINVS,patria Pannonius,epifcopus Turonēfis,Hilario Pictauienfi,auctore Sozomeno,focius in exilio fuit.Miraculis adeò claruit,ut non minora edidiffe creditus fuerit ipfis Apoftolis: ut idem Sozomenus teftatur. Eius uitam fcripferūt,foluta oratione Sulpitius Seuerus: carmine Paulinus Nolanus epifcopus,& Venantius Fortunatus Pictauienfis. hic libro 2 idem refert his uerfibus:*Cuius profaicus cecinit prius acta Seuerus,*
Verfibus innotuit Paulini deinde beati: Luminibus tantis ego nubilus inferor,audax,
De minimis minimus,de magno maxima tentans. Eiufdem rurfus miracula aliquot enumerat lib.10.Fuit autem Martinus eiufmodi
Vir,cui Chriftus amor,Chriftus honor,omnia Chriftus.
ut præclarè de eodem teftatur Fortunatus.

Martyr,μάρτυρ,teftis:qui fua morte atq; fanguine, filio Dei, Domino noftro IESV Chrifto,nato ex homine,tribuit falutis teftimonium: quòd non aliud nomē fit neq; in cœlo,neq; in terris,per quod falui fiamus: ut in Actis Petrus loquitur. Pr.Steph. Vincentium nominat teftem indomabilem.

Martyrium,μαρτύριον,teftimonium liberę & apertæ cōfcientiæ, quod nec tyrannorum uultus,nec pœnæ acerbitas,nec tormentorum diuturnitas,nec mortis crudelitas frangere poteft. Ibid.
Ambo guftarunt leuiter faporem Martyriorum.

MARTYRVM gloria & confolatio ingens atque fumma eft,quòd Chriftum præfentem habeant. Vnde fuauifsimè Sedulius, ubi agit de pueris ab Herode interfectis: —— *Infantibus abfens*
B *Præfens Chriftus erat,qui fancta pericula femper*
Sufpicit,& pœnas alieno in corpore fentit. Quòd conformes imagini filij Dei fiant,σύμμορφοι τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ,ut ad Romanos fcribit Paulus:quòd collegæ fint crucis Chrifti,ut ait Prudentius.quòd ipfum Chriftū habeant ærumnarum fpectatorem,ut idem:*Spectator hæc Chriftus Deus*
Compenfat æuo interminο. Imò quòd ipfum coràm cernant, ut Stephanus ait apud Lucam:Ecce uideo cœlos apertos,& filium hominis ftantem à dexteris Dei. Eodem modo de Vincentio Prudentius canit:*Aft ille tanto lætior,*
Te Chrifte præfentem uidens. Angeli ipfos martyres confolantur.de Laurentio:
Quin & frequentes angeli Stant ac loquuntur cominùs.
Sermones ac nomina martyrum obferuant & annotant. ut de Romano Antiocheno:*Excepit aftans Angelus coram Deo,*
Et quæ locutus martyr,& quæ pertulit. Item de 18.Cæfarauguftanis:
Octo tunc fanctos recolet,decemq;, Angelus coram patre,filioq;.
Vulnera ipfa martyrum numerant,& depingunt.de eodem Romano:
Omnis notata eft fanguinis dimenfio, Vt quamq; plagam fulcus exarauerit,
Altam,patentem,proximam,longam,breuem,
Guttam cruoris ille nullam perdidit. Et rurfus:
Sed & ipfa pingens Vulnera expreßit ftilo
Laterum,genarum,pectorifq; & faucium. Deniq; animas ipforum in cœlum ducunt,& comitantur: ut de Lazaro teftatur Euangelifta Lucas, & de uirgine Agnete fcribit Prudentius: —— *Angeli*
Sepfere euntem tramite candido. Maximæ aūt & penè incredibilis in tormentis

martyrum constantiæ, tres præcipuæ causæ sunt: primùm, quòd ipsorum negotium, Dei est negotium: tum, quòd ipsorũ doctrina, Christi Iesu est doctrina: postremò, quòd ipsorum confessio est Spiritus sancti uirtus, uox atq; testimonium. A

Massa candida, locus Carthagine fuit, à calce dictus. Pr.Steph. quod nomen longo tempore retinuit.

Massilia, urbs maritima Galliæ Narbonensis, Phocensium colonia, celebrata propter optimam Remp. Paulin. Cyth.

Maßilia, Graium filia Alumna sanctæ ciuitas Ecclesiæ.

Mastigophori, μαστιγοφόροι, gladiatorum ministri, qui baculo aut scutica arcent turbam concursantem. Pr.Sym.2.

Nunc mastigophoris, oleoq; & gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Hetruscus. Legitur in libris nonnullis, Marrucophoris, quam uocem non intelligo.

Mastruca, à peregrinis sumptum, ut puto, uocabulum. Fuit uestis uilis, qua nautæ Sardi, & milites Gothi usi sunt. Ibid.

— Tecta aurea flammis Soluere, mastrucis proceres uestire togatos.

Matris deûm, quam Cybelen & matrem Idæam nominarunt, imago erat saxum nigrum, quod ad fluuium Almonem essedo uehebatur lauandum: qualis lapidis effigies muro inclusa est in Pantheone Romę, quod olim templum Cybeli dicatum fuit. Pr.Steph. *Lapis nigellus euehendus essedo*
Muliebris oris, clausus argento sedet: Quem dum ad lauacrum præcundo ducitis
Pedes remotis atterentes calceis, Almonis usq; peruenitis riuulum.

MAXENTIVS, nominis Christiani dirus persecutor, cuius facinora cũ indignatione recenset Prudentius Sym.1. De ponte Moluio cadens, in Tiberi periJt. & arcus Constantini, de ipso erectus in uico Suburano prope Amphitheatrum adhuc superest, in urbe: in quo, supino Maxentio cum equo insilit Constantinus uictor. De eo scribit auctor Panegyrici qui Constantino dictus est, in hæc uerba: Ad primum aspectum, primumq; impetum totius tui uictoris exercitus, hostes territi, fugatiq;, & angustijs Moluij pontis exclusi, exceptis latrocinij illius primis auctoribus, qui desperata uenia locum, quem pugnæ sumpserant, texêre corporibus, cæteri omnes in fluuium abiere præcipites: ut tandem aliquod cædis compendium, fessis tuorum dexteris eueniret. Cùm impios Tiberis hausisset, ipsum etiam illum cum equo & armis insignibus, frustra conatum per abrupta ripæ ulterioris euadere, idem Tiberis correptum gurgite deuorauit: ne tam deforme prodigium, uel hanc obitus sui relinqueret famam, quòd alicuius uiri fortis gladio telo'ue cecidisset. Et aliorum quidem hostium corpora & arma præceps fluuius uoluendo deuexit: illum autem eodem, quo extinxerat, loco tenuit. B

MEDARDVS, episcopus primùm Nouinensis, deinde Tornacensis, claruit miraculis. Fort.lib.2.

Mediator, μεσίτης. Pr.Apoth. *Filius, & nostri mediator, & Omnipotentis.*

Megalesia, Cybeles sacra. Vide, Sacra Romana.

Megalesius spado, pro Gallo sacerdote. Pr.Sym.2.

— Megalesius hinc spado diris Incensus furijs cæca ad responsa uocatur.

A Mel in cannis, idem est quod uocabulo Mauro saccarum in officinis dicitur. Tert. 6. *Mella uiridanti confragrant pinguia canna.*

Melite, μελίτη, iuxta Siciliam insula, media producta bis apud Aratorem legitur: cuius alibi exemplum nescio. Hodie Malta, exulum Rhodianorum domicilium. Terram Melitæam Ceretani Itali gratiam diui Pauli iam nominant, eamq; superstitiosè ictibus uenenatis mederi declamitant.

Melodum, μελῳδοῦν, suauiter beneq; sonans. Pr. Cath.
Dulce carmen & melodum, gesta Christi insignia.

Melos meli, μέλος, pro cantu. Ibid. *Hymnorum modulis dulce canunt melos.* Ambrosius hymno: *Nouam meli dulcedinem Promat.*—— Drep. Ps. 26.
— Gaudensq; melos & carmina dicam.

Membrari, in membra componi atq; distingui. Dracont. Hex.
— Membratur in artus Corporeos, species hominis, cœlestis imago.

Mendicabula, errones sunt, qui uiuunt mendicitate. Testatur suis temporibus Paulinus, fuisse Græcos quosdam planos, qui specie religionis uel egestatis circumirent Italiam, seseq; monachos aut naufragos esse fingerent & deierarent, ad extorquendam pecuniam. Talia mendicabula sunt nunc plurima in numero studiosorum, qui alicuius uersibus memoriæ mandatis se uenditant, aut composita oratione simplicibus imponunt, aut uirorum magnorum literis abutuntur ad libidinem, & saturitatem, & ocium.

Mensatim, per mensas singulas. Iuuenc. 3. ut uicatim, tributim.

Menstruale, id est tempus mensis. Vide Luna.

Mensum, pro mensium, συγκοπή. Fortunat. *Nobilitas anni, mensum decus.*
B Eodem genitiuo Ouidius & Seneca utuntur.

Mentor, artifex ingeniosus. Opera Mentorea, pro poculis, apud Prop. lib. 1. De ipso artifice Pr. Steph. *Miror quòd ipsum non sacratis Mentorem?*

Meretrix scenica, pro Venere, cuius facinora turpia in scenis cantanda & spectanda exhibebantur. Pr. Steph. *Meretrix Adonim uulneratum scenica Libidinoso plangit affectu palàm.*

Meridies, prima longa, altera breui, contra naturam. Fort. de Partu uirginis: *Arctus, meridies, oriens, occasus, honorat.*

MEROBAVDIS Hispani Scholastici carmen de Christo transscripsimus è libro antiquo, quem ad nos Oporinus misit. Merobaudis cuiusdam, bis consulis, mentio in Fastis consularibus Romanorum.

Merum, nudum. Pr. Steph. *Stabat calce mero.* id est, pedibus nudatis.

Metalla, aut è terra effodiuntur. Pr. Steph. *Aurum quod ardenter sitis Effossa gignunt rudera.* Aut è fluminibus lauantur. Idem:
Torrens uel amnis turbidis Voluens arenis implicat. Fodiuntur autem omnia: lauatur tantùm aurum, idq; sæpius, unde multi fluuij χρυσοῤῥόαι: item argentum, ut in Gange Indiæ, de quo Plinius. & à poetis fluuij dicuntur ἀργυροδίναι, Eridanus, Achelous, Erymanthus, Peneus. Quod effoditur, lapis aut massa: quod lauatur, ramentum appellari solet, si densius est: aut harena uel mica, si minus densum.

Metreta, μετρητής, mensuræ & uasis genus est. Iuuenc. 2.
Vascula quæ ternis aperirent ora metretis. Arat. 2.
Ternas capiunt sex uota metretas. Sedulius nomine generali uertit lacum, lib. 3.

Impleuit

Impleuit sex ergo lacus hoc nectare Christus. Mensurarum autem nomina pro uasis accipiuntur, *συνεκδοχικῶς*: ut cotyle apud Homerum, amphora apud Horatium, metreta apud Iuuenalem. Sunt autem metreta & amphora idem. A

Mi, pro mihi, *συνίζησις*. Ibid. *Nec mi remissus leniter peperceris.*

Milleformis, de diabolo, *—— Cui pectora mille*
Mille nocendi artes. —— Pr. Cath. *Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum.*

Minciades pro Virgilio, ab amne Mincio, Mantuæ uicino. Iuuenc.
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis. Alc. *— Nec si quem Mantua misit.*
D. Augustinus: Virgilium (inquit) propterea paruuli legunt, ut uidelicet poeta magnus, omniumq; præclarissimus atque optimus, teneris ebibitus annis, non facilè obliuione posset aboleri. 1. de Ciuitate Dei.

Minium in quibusdã locis foditur, ut in Hispania, teste Trogo & Plinio: interdum arte conficitur. color est rubeus, insignis. Pr. Steph.
Luserat & minio rosseolam saniem.

Mirmillo, Gallico idiomate, gladiator, à piscis figura: quæ illorum insigne fuit, qui contra alios gladiatores Retiarios appellatos pugnabãt. Pr. Sym. 2.
—— Nec alter Ore sacerdotis, quàm mirmillonis anhelat Spiritus. ——

Mirabile, particula admirantis, in parenthesi. Sedul. 3.
Pascere, non pasci ueniens (mirabile) fusas In uinum conuertit aquas. —

Mirùm, particula stupentis, in parenthesi. Iuuenc. 3.
— Vestisq; attingere fila Exoptant (mirumq;) hoc munere cuncti
Credentes referunt per membra salutem. Tertul. 6.
Et renouata suo uiuit fuligine Phœnix, Et sua mox uolucris (mirùm) post busta resurgit.
Paul. de Iohanne: *— Grauida (mirùm) distenditur aluo Elisabeth. ——* B

Miserùm, particula dolentis, in parenthesi. Iuuenc. 4.
Aeterna (miserùm) pœna fodientur iniqui. Tertul. 6.
Nemo suas (miserùm) nemo eheu præbuit aures.

Mitificus, benignus, lenis. Pr. Ham. *— Mitificos incendia lenta uapores*
Exhalant. ——

Mitra, *μίτρα*, dictio peregrina, pro pileo incuruo, quali nunc Venetus dux utitur: uel pro mulierum ornamento. Idem Psych.
Vt mitra Cæsariem cohibens aurata uirilem.

Modi mixti, pro modulatis & harmonicis concentibus. Pr. Steph.
—— Resultet hymnus Mixtis Eulogium modis coæquans.

Mœonius, pro Homero, apud Alcimum. Vide Smirnæus.

Monachus, *μόναχος*, à solitudine, quasi *μόνον ἄχος*, Ægyptiorum uocabulo mandrita. Paulin. Nic. *Nunc regnant uersos monachi latrones,*
Pacis alumnos. In nostra lingua monachus, Munchus, idem est quod canterius: Monacha seu Nonna, idem quod scrofa.

Monstrificus, monstrũ referens, ut facies hominis cæci. Help. de Christo:
—— Nocte fugata Monstrifici uultus, fecisti lumina cæco.

Monstruosus, pro monstrosus. Pr. Steph. *Nunc monstruosis idolis*
Imponis imperij iugum.

Montes in Iudæa sunt multi & celebres. Sion firmissimus, quia arx Hierosolymis in eo fuit extructa. Thabor amœnissimus, in media Galilæa, in qua transfiguratus putatur Christus. Hermon altissimus, quem Seon

Amorrhæus

A Amorthæus olim incoluit. Libanus maximus, in quo cedri nascuntur, quibus nusquam sunt altiores. Drep.Epist.1.*Libanus aerijs plaudit & ipse cedris.* Sedul.3. *Cedrum Libanam dixit,pro pulcherrima.* Carmelus fertilissimus, Eliæ domicilio nobilis. Idem Drep.*Carmelus sacer est Eliæ fulmine pollens,*
Vertice sublimi fert holocausta Dei. nam iuxta eundem sacerdotes Baalis ferro cecidit,& suum sacrificium Deo acceptum fuisse probauit miraculo. Sina sanctissimus:in eo enim Dei uoce lata lex est, hic alio nomine Horeb, ab Arabibus Agar fuit appellatus.

Monumenta,*μνημεῖα*,quæ nos monent alicuius rei,ut sepulchra. Iuuenc.
Tum ueterum monumenta uirûm patuere repulsis Obicibus.—— Seruius ait monumenta esse,memoriæ:monimenta,mentis,cui,qui uelit,assentiatur.

Mortes,plurali numero. Alc.4. *– Circumq; fremant te sospite mortes.*
Sic alijs locis multis. Claud.contra Poetas,
Et uerbo mortes abigit,uel dæmonas urget.

Morticina,pro eiusmodi loco,in quem proijciuntur animalium cadauera,*σῶρος*. Pr.Steph.*Vrnas,reorum morticinas,lambere.*
Deorum gentilium sepulchra nominat morticinas reorum : ut Saturni infanticidæ, Iouis adulteri, Veneris meretricis,Mecurij furis, Bacchi furiosi, & aliorum quos gentilitas *μεγάλους, σωτῆρας, ἁγνοὺς*, superstitione dementata appellauit.

Mortificatum,morti traditum. Pr.Cath.*Sic corpora mortificata*
Redeunt melioribus annis.

Mortificum,mortem afferens,lethiferum. Tert.3.
B *Mortificumq; cibum in uitalem transtulit escam.*

MOSES,in papyreto Nili inuentus, inde nomen accepit, quòd ex aquis extractus est : nec aliter, quod ad orthographiam, scribitur à Iuuenale, Plinio,Iustino,qui eius mentionem faciunt. Inde accusatiuum inusitatum format Iuuencus 4.*Mosea,qui legum potuit præcepta iubere.*
Idem etiam possessiuum fecit lib.2.*Moseis manibus summo sublatus honore est.*
& Fort.lib.5. *– Mosea lege rebelles.* Poetæ Christiani scribunt interdum Moyses,& primam corripiunt,penultimam producunt. Pr.Steph.

— Relaxat ipse Indumenta pedum,uelut Moyses. Idem Ham.
— Velut ipse Moyses Historicus mundi nascentis,testificatur. Sedul.3.
– Eliam & clarum uirtute Moysen, Ignotos oculis,uiderunt lumine cordis.

Appellatur à Prudentio genealogus, quia ortum mundi describit, & familias,de quibus Christus usq; ab Adam ducit originem. Ab eodem scriptor doctissimus,Apoth. uaticinator,Ham. Claud.contra Poetas:
Legifer antiquo uenerandus nomine Moses.

Mox protinus, *τῷ παρέλκοντι.* Victor 1. *— Mox protinus Adam Sensit.*—— Idem 2. *— Mox protinus altum In cœlum ascendit.*——

Mulierum ornamenta sunt, *– Crinalis acus,redimicula,uittæ,*
Fibula flammeolum,strophium,diadema,monile: ut Pr.Sym.2.

Multiformis,qui modò hanc,modò aliam speciem sibi inducit,qualis est *μετασχηματισμὸς* diaboli. Fortunat.hymn.
Multiformis proditoris ars ut artem falleret.

Multinodus,nodorum multorũ. Pr.Cath.*Tectus flagellis multinodi germinis.*

N id est,

id est,extremis partibus cucurbitæ,ut uulgatus interpres:uel hederæ,ut D. A Hieronymus. Fuit fortasse arbor seu frutex Syriæ proprius, tam lata proferens folia,ut possent esse loco umbraculi.

Multiplicare,augere. Arat.1. *—Fructusq; pudicos*
Multiplicat lasciuus ager.—

Mundialis,mundanus,rebus caducis & inanibus subiectus.ut,
Ductor aulæ mundialis,pro diabolo,mundi principe.Pr.Steph. Idem Cath.
Quæ mundiali gloria Ceu dormientes egimus.

Munus iuuentæ,pro facultate pariendi. Pr.præf.Psych.
Et iam uieta Sarra in aluo,fertilis Munus iuuentæ,mater exanguis stupet.
Paul.de Elisabeth:*Et uenit effœto munus iuuenile sub æuo.*

Musica instrumenta locis diuersis numerantur à Prudentio, fistula, sambuca,chelys,lyra,tuba,tibia,tympanum,organa: ignotiora suis locis explicantur. Musicos sonos nominat raucum,lenem,exilem,acutum: quibus addit,parcum,sublimem,minutum.Apoth. Sed parcus sub leni, sublimis sub acuto,minutus sub exili comprehēdi potest. Fortunatus lib.7 ad Lupū ducem,recenset instrumenta etiam peregrina:

Sed pro me laudes alij tibi reddere certent,
Et qua quisq; ualet te prece,uoce sonet:
Romanusq; lyra plaudat tibi,Barbarus harpsa,
Græcus Achilliaca,chrotta Britana canat. Lyrici cantores sunt Romanorum, citharœdi Græcorum. Harpsa Germanicum est,qua etiam Dauid rex usus scribitur:chrotta Anglorum.

Musici,qui nostro tempore melodias ediderunt in Prudentium, & alios B poetas pios,de quibus mihi compertum est,sunt:Ludouicus Senflius, Martinus Agricola,Ioannes Mopsus, Ioannes Reuschius, Lucas Hordisius, Sebastianus Forsterus,Vuolfgangus Figulus.

Prouerb. Myronis forceps,de insigni artificio dici prouerbialiter potest. Myron enim signorum fusor fuit. Pr. Steph.Ita autem forceps Myronis extolli potest,uel ut fuscina Neptuni,uel ut caduceū Mercurij,uel ut arcus Cupidinis.

Myrrheti fontes,pro amari saporis,qualis myrrhæ esse solet. Talis fuit in deserto Sur seu Etham,fons Marrha,quem ex amaro potabilem ligno iniecto fecit Moses,Exod.15.Paulin.Nic. *——Vnda misso*
Dulcuit ligno,posuitq; tristes Myrrha liquores. quanquam ibidem Marrha legi posset. Talis fuit fons in agro Hierichūtis,cuius aquas graues & pestilentes Elisæus salubres fecit,immisso sale.2.Reg.2.

Mysteriarches,μυστηριάρχης,omnium secretorum conscius, & aliorum sacerdotum (ut Liuius nominat) rex,qui etiam mystarches dici potest,& quē nomine Græco uocant archidiaconum. Pr.Steph.
Bene est,quòd ipse ex omnibus Mysteriarches incidat.

Mysterium,μυστήριον,res secreta & sacrata,& ideo non efferenda sine piaculo. Ibid.*Age explicemus,si placet,mysteria.* Accipitur interdum pro religione ficta & mala. Ibid.*Sed sunt & ipsi talibus mysterijs Tecum dicati.*

Mysticum,μυστικὸν,cælandum. Arat.Præf.2.
—Et res si qua mihi mystica corde datur. Hilar.Hym.
Verum fatentur & Deum, Munus ferendo mysticum.

Nænia,

N

A Nænia, ναίνια, carmen funebre & inconditum, quod præficæ pronunciabant, emptis gemitibus & fletibus. Vnde ναίνιαι, pro quauis re ficticia & nugatoria. Pr.Cath. *Nam cæca uis mortalium,*
Venerans inanes nænias.

NADDAVER, regia Æthiopiæ ciuitas, in qua Matthæus apostolus & euangelista docuit. Fort.de Gaudijs uitæ æternæ:
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum, eximium Naddauer alta uirum. Idem de Partu uirg.
Quos Patra, quos Ephesus, Naddauer arce tenet.
Vbi de Andrea, Ioanne, & Matthæo loquitur.

Naim, urbs Galilææ amœnissima situ, in cuius portis Christus uiduæ suscitauit filium. Sedul.3. —*Ibat in urbem*
Quæ sit dicta Naim, populo uallatus opimo.

Nardus, herba odorata, è qua nardinum unguētum cōficitur. Greg.Hym.
Nardi Maria pistici *Sumpsit libram mox optimi.*
Nardus autem pisticus, & μύρον νάρδου πιστικῆς apud Marcum quid sit, non dubitatur, sed causa non intelligitur. Idem Euangelista id unguentum nominat πολυτελὲς, Matthæus βαρύτιμον, hoc est optimum & grauis precij. Recentiores nonnulli πιστικὸν uertunt spicatum: sed de Etymologia laborát. nonnulli interpretantur fidelem, hoc est purum, incorruptum, in officinis non adulteratum: quorum apertior est sententia, licet uox ipsa non sit satis usitata. Fortasse nardum Syriacum à loco, dictum est Pisticum: ut Indicum, mo-
B dò Gangeticum, modò Symphariticum, teste Dioscoride: à quo etiam celebratur Celticum, ut à Tibullo Tyrium. Vel etiam Pisticum, peculiari aliquo nomine: quomodo Persicum, ab Horatio Achæmenium, à nomine regis: Celticum, Saliunca, appellatione gentili. In manu exarato codice, quem Venetijs emi, apud Marcum & Ioannem Euangelistas scribitur in initio νάρδου πιστικῆς, uocali longa: non, ut in uulgatis, communi. Hæc relinquo doctorum censuræ.

Natiuitas, γένεσις, ortus seu natura rei. Fortunat. Hym.
Vt rigor lentescat ille, quem dedit natiuitas.

Nauarchus, ναύαρχος, magister seu princeps nauis: nunc Itali patronum uocant. Paulin. Cyth. *Nauarchus ipse, perditæ princeps ratis.*

Naucula, κατ' ἐξαίρεσιν pro nauicula. Paulin. Cyth.
Saliens in illam decidisset nauculam.

Naues, quę triremib. adhibebātur, memorātur à Paulino, scapha & barca.

Naufragare, naufragiū facere. Alc.5. *Vltimus ingressis per currū naufragat undis.* Paulin. Cyth. *Pelago quam periret naufragus,* *Iam mente naufragauerat.*

Nauis uenter, uel Nauis uterus, pro carina, periphrasis ἰδιωτική. Paulin. Cyth. *Ionas ut olim uentre nauis abditus.* Et paulo pòst:
Plerisq; mersis intus in nauis utero.

Nazareni, per contemptum sunt appellati Christiani. Pr.Steph.
Vos Nazareni assistite, *Rudemq; ritum spernite.* Idem:
Raptare plebem mancipandam uinculis,
Ni disciplinam Nazarenam respuat.

Disciplina Nazarena, prouerbialiter, apud Gentiles, pro abominanda atq; damnata. Eodem contemptu Galilæi nomine Christum, & eius sectatores, irrisit Iulianus Imp. mortalium improbissimus. Nazareth autem, urbs Galilææ fuit. A

Necuit, pro necauit, obsoletum. Tert. 2.
Sponsa uirum necuit, genuit sed sponsa leonem.

Neæra, νέαιρα, ab habitu corporis, bene habita & succi plena, pro quauis intemperāte muliere, & lasciua. Hoc nomine peculiariter appellauit Ariadnam Bacchi, Pr. Sym. 1. *Hanc iubet assumptam feruens post uina Neæram*
Secum in delicijs fluitantis stare triumphi. Item, Omphalem Herculis. Steph.
Fusos rotantem cernimus Tirynthium: Cur? si Neæræ non fuit ludibrio?

Nefas, per parenthesin, indignandi particula. Iuuenc. 3.
Illa (nefas) matris scelerata ad gaudia portat.

Nefas, ultima breui, Tertulliano propriū. ut, *Protinus extremum nefas ausus.* – Item, *Mentiri nefas, aut hominem se dicere falsò.*

Negligenter, prima breui. Alc. 5. *Pœniteatq; olim negligenter temporis acti.* Eodem modo ad Sor. *Quos statuam Assyrij negligentis principis.* –

NERO, Calligulæ auunculo suo simillimus, imperium diminuit, patriam incendit: matrem, uxorem, fratrem, pręceptorem interfecit: partem Senatus maximam sustulit, tota uita & moribus portentum fuit, cędem Christianorum infinitam edidit. Pr. Sym. 2. – *Primus Nero matre perempta*
Sanguinem Apostolicum bibit. –

Nescitum, passiuè, quod nescitur. Prosp. c. Ing.
Multa etenim bene tecta latent, nescitaq; prosunt. B

Nilicolæ, Nili accolæ, pro Ægyptijs. Pr. Psych.
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo.

Nilus fluuius, Ebræis Geon, Ægyptum ambit, & Æthiopiam, limo turbidus, sapore uinosus. Alc. 1. *Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus.* Seruius tradit eius nominis Græcam etymologiam, ἀπὸ τοῦ ἄγειν ἰλύν, quòd limum agat. Ausonius eundem nominat, fortasse Ægyptio uocabulo, Melonem: Lycophron Tritonem, à tribus nominibus. Primo enim dictus ob magnitudinem Oceanus, altero ob celeritatem ἀετὸς: tertio, ob limū quem trahit, Nilus. Lege apud Alcimum totam eius descriptionem. Terram Ægypti longè lateq; inundat & lætificat, unde eius incrementum à Victore diluuium: ubertas quam affert, ab Alcimo maritatio dicitur. ita enim inquit: *Lympha maritauit sitientis uiscera terræ.* Limites quomodo rursus discernantur, ait idem: *Terminus omnis abest: æquatur iudice fructu*
Annua suspendens contectus iurgia limes, Gramina nota uidet lætus subsidere pastor,
Inq; locum pecorum, &c. Hactenus autem in Argentoratensi, Parisiensi & Basiliensi, hi tres uersus fuerunt desiderati: ut plures alijs locis pluribus. quod cōferenti exemplaria, si alicui uacat, facilè patebit. De Nili ortu cōtrouersia est apud Geometras: in Mauritania oriri, ut Victruuius, apertè falsum est.

Nimbus, est splēdor circum diuina corpora. unde, ut Seruius ait, nimbus cum numinibus semper est: & hoc modo nostri diui cum nimbo aurato pinguntur. Idem Sym. 2. – *Aut Paphiam niueæ uexere columbæ,*
Cuius inauratum tremeret gens Persica nimbum.

Ninguidus.

A Ninguidus, niuis in morem densus. Pr.Cath.
Implet castra cibus tunc quoq; ninguidus. Vel niues secum afferens. Idem Apoth.
Ninguidus agnoscit Boreas, atq; imbrifer Eurus. Sidonius, Iani, Numæq; ninguidos menses, appellat: id est, Ianuarium & Februarium. Vel niuibus obrutus. Paul.Aus. —*Iuga ninguida Pyrenæi.*

Nitefactus, purus & nitidus. Iuuenc.1. —*Grato crinem nitefactus oliuo.*

Niualis, niuis more candidus. Cypr.Gen.
Exta manu sincera gerens, pecudemq; niualem.

Nocticolas Prudentius uocat Indos, quòd propter æstus magnitudinem in antris subterraneis, & in specubus defossis, quasi tenebris nocturnis, interdiu uiuerent. Ait idem de gentibus Syrticis Seneca, quibus nullum tegumentum satis sit repellendis caloribus, nisi ipsa arens humus, in quam defodiuntur.

NOETVS hæreticus, patrem contendit esse passum: cuius errorem blasphemum refutat initio Apoth. Prudentius. Vide Hæreses.

Nominatiuus & genitiuus nominum substantiuorum, pro adiectiuo & substantiuo. Paulin.Pan. *Rumpe mei lapidem cordis saluator Iesu.* pro, cor meum lapideum. Est autem metaphora Ezechielis prophetæ. Idem Cyth. uerba fraudis dixit: pro, uerba fraudulenta.

Nomisma, νόμισμα, quæuis moneta usitata. Sedul.4.
—*Terdena nomismata sumens* *Argenti paruo cæcatus munere.*—

Nona diei hora, quæ apud nos est tertia pomeridiana, imponebat finem ieiunio. Pr.Cath. *Nona submissum rotat hora solem,* *Nos breui uoti dape uindicata*
B *Soluimus festum, fruimurq; mensis.* Idem Steph. *Ieiunamus, ait, recuso potum,* *Nondum nona diem resignat hora.*

Nothus, νόθος, parentibus incertis genitus. Pr.Sym.1.
—*Gemini quoq; fratres,* *Corrupta de matre nothi.*— loquens de Castore & Polluce.

Notis corpora signabant gentiles, easq; notas religionis causa membris ferro inurebant. Membra eiusmodi stigmatis notata, post mortem non unà sepeliebant cum reliquo cadauere, sed amputata habebant pro sacris: eaq; aut ornabãt bracteis aureis, aut tota includebãt uitris & metallis. Pr.Steph. hymno decimo. Inde fortasse inuasit ille mos in Ecclesiam, ut digiti, brachia, articuli sanctorum includerentur uasis, & osculanda porrigerentur, aut proponerentur spectanda.

Notus, νότος, pro austro. Idem Apoth. *Omne quod est gestum, notus auferat.*—

Nouellare, modo nouellæ plantæ in spem bonam & fœcundam crescere. Paulin.Cyth. *In castitate liberos enutriens,* *Vitam nouellantes Deo.*

Noxale, pro noxio & lethali. ut Noxale malum, & noxalia poma apud Cyprianum.

Noxiale, noxio debitum aut dicatum. Vt noxialis culpa, noxialis stipes, noxialis carcer apud Prudentium. Item nociuum, ut pomum noxiale apud Fortunatum.

Nuncium genere neutro, pro re nunciata: quod impugnat Valla. Sed.2.
Grandia sollicitis perturbant nuncia dictis.

Nundina, numero singulari, pro loco in quem nundinaturi homines confluerent. Alc.4. *Luxuriæq; forum atq; obscœni nundina mundi.*

Nundinari,eſt mercede locare aut uendere. Pr.Steph. A
Nundinatum hunc arguit Mercede certa pactus,ut colluderet.

O

OBblacterare,eſt ouis in morem contrà blacterare:ut in cognata ſignificatione,obgannire. Pr.Steph. *Nil in deorum obblacteraret dedecus.* de eo, qui lingua amputata adhuc uerba proferret intelligenda.

Obbruteſcere,in brutum degenerare. Pr.Ham. *—Claude meatus*
Obbruteſcentis capitis,ne peruia tales Concipiat flexura ſonos.—

Obex pennarum,pro fotu,& quaſi tutela:noue. Iuuenc.4.
Ales uti molli ſolita eſt ſub corpore pullos
Obice pennarum circùm complexa fouere.

Ob hoc,Fortunato familiare:pro in hoc,uel propter hoc. In hymn.de cruce Domini:*Se uolente natus,ob hoc paßioni deditus.* Idem de deſcenſu Chriſti ad inferos:*Ob hoc arce poli deſcendit ad arua redemptor.* Prima autem in præpoſitione protrahitur,propter aſpirationem ſequentem.

Obliſus,pro colliſus,Prudentianum:*Obliſo robore mulcet:*
Obliſo luiturus iugera collo: Obliſo gutture frangit.
ita enim ſemper in manuſcriptis.

Obliuialis,pro obliuioſo. Pr.Cath.*Totis bibit medullis*
Obliuiale poclum.——

Obludere,inani ſpecie aut præſtigijs fallere. Idem Ham.
Terram tibi forma duplex obludit.

Obœdio,ex ob & audio:antepenultimam Victor corripit lib.1.
Iußit adeſſe Deus,proprioq; obedire tyranno. B

Ob ora,ante ora,in conſpectu. Pr.Steph.
Aſtanti ob ora,ſic tyrannus incipit.

Obryzum,eſt aurum puriſsimum,ἄπεφθον,putum. Fort.de Partu uirg.
Qui omnes obryzo ornati,ſuper aſtra coruſcant. D.Hieronymus putat hoc nomen parua mutatione factum,ab Ophir inſula,quaſi Ophiriſum.

Obſequela,obſequium. Idem Cath. *——Leuis obſequela ut*
Mulceat artus. Et Steph.*Nec noſtrum grauet obſequela mortem.*

Obſonia,ὀψώνια,ſunt dapes & fercula deorum : quæ erant ſumptuoſiora, hoc eſt,maioris apparatus & precij. Pr.Steph.*Te tanta ſemper perdidiſſe obſonia,*
Quæ dijs ineptus obtuliſti talibus?

Obſtrangulatus,pro ſuffocatus,eliſis ſcilicet faucibus. Pr.Cath.
Arúina patrem ne reſudans crapulam Obſtrangulatæ mentis ingenium premat.

Obtemperanter,ſponte,ultrò,ſubmiſſe. Idem Steph.
Sed ut paratus obſequi Obtemperanter annuit.

Occidualis,pro occidentalis. Idem Sym.2.
Omnibus in terris quas continet occidualis Oceanus.——

Occiduum,quod occaſum ſentit,quòd inſtabile & fluxum eſt Proſp. Epig.3.*Nil recipit uarium,nil habet occiduum.* Idem Epig.65.
Factum eſt æternum,quod fuit occiduum. Paulin.Pan.
Exortes animæ,carnis ab occiduo. Igitur occiduum,pro interitu.

Oculi Chriſtianis effoſsi obijciebantur auibus. Pr.Steph.
Viuentisq; oculos offerat alitibus.

Ofella,

A Ofella, pro offa, ut mamilla à mamma, prima breui, litera muta abiecta. Ibid. *Aras ofellis obsecrare bubulis.*

OLYBRIVS, Probini fratris in consulatu collega fuit, uterq; Probi filius, ex Anicia familia, quæ temporibus Constantini Magni doctrinam Christianam secuta est, & posterioribus cum laude retinuit. Pr. Sym. 1.

Oliuo sunt imposita & frixa Christianorum corpora. Idem Steph.
Lætata quoties aut oliuo stridula Sartago frixum torruisset puberem.

Olla apud Ægyptios, pro deo culta, quem ipsi Canopum uocabant. Notum est Assyrij sacerdotis & Ægyptij certamen. Ibid.
Si numen ollis, numen & porris inest. Vide, Canopus.

Omnicreator. Prosp. Epig. 61. *Qui patris in deitate manens Deus omnicreator.*

Omniformis, omni ex parte perfectus & expolitus. Pr. Steph.
Verbo creauit omniformem machinam.

Omnigenum, omnis generis. Victorius de Christo:
—— Pluuiæq; iubentur Omnigenum rorare solum. —

Omnigena. Paulin. Pan. *Quo lux omnigenas funditur in populos*: id est, omnium nationum atq; gentium.

Omnimodus, uarius. Prosp. c. Ing. *—— Omnimodaq; Mobilitate ruens, in uulnera uulnere surgit.*

Omnipar, omnibus æquale aut commune. Help. de Christo:
Illic omniparis succreuit gloria uerbi.

Omnipater. Pr. Steph. *Omnipatremq; negare Deum. —*

Omniparens. Claud. contra Poetas: *— Omniparens sapientia Christus,*
B *In sese ipse manens. ——*

Omnipollens. Pr. Apoth. *Statum lacessunt omnipollentis Dei Calumniosis litibus.*

Omnitenens. Prosp. Epig. 39. *Nam Deus omnipotens, simul omnitenensq; potestas.*

Onager, ὄναγρος, siluestris & indomitus asinus. Pr. Sym. 2.
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris. Paul. Conf.
Si uitulum tauro, uel equum committis onagro.

Opimum, apud Fortunatum passim dicitur, quidquid præ alijs eminet, atq; eximium est: ut, *Gloria martyrij cuius opima manet*: ita aliàs sæpissimè.

Oprimentum, pro operimento. Idem Psych. *—— Laterisq; sinistri Velat oprimento. ——*

OPTATVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. hymno quarto.

Opulens, pro opulento. Ibid. *Maiestate potens, muneribusq; opulens.*

ORENTIVS, inter poetas Christianos numeratur à Fortunato, qui pauca scripserit, sed florida, quiq; donaria martyribus sacrauerit: quali etiam in argumento uersatus Damasus, cuius fragmenta nonnulla extant. Verùm de Orentij scriptis ne literula quidem, quod equidem sciam, ad nostra tempora peruênit: solo ipsius nomine ad nos delato. quod ideo celebro, ut in codicibus uetustis adhuc delitescentibus inquiratur.

Organum, instrumêtum musicum, quod ita describit Prudentius Apoth.
Organa disparibus calamis quod consona miscent.
Ea nunc fiunt ex disparibus tubis stanneis, inuento non admodum ueteri, sed ualde præclaro.

Orichalcum, ὀρείχαλκον, eſt metallum facticium. Pr.Sym.1. A

Et equorum pectora anhela Aeris inaurati, uel marmoris, aut orichalci.

Æs autem tingitur uel cadmia, & refert colorem auri: uel tingitur magnetide, & exprimit colorem argenti. illud ſolum ὀρείχαλκον à Græcis dici, miror cur ſcripſerit Agricola: hoc uerò orichalcum album nominari à Virgilio, ad ueritatem proximè accedit. Habitum precioſum ideo eſt, quia nitore aurum argentum'ue, duricie uerò æs imitatur. Varia narrantur huius uocis etyma, quæ omitto. uariè etiam ſcribitur: uſitatè ὀρείχαλκον, ab Arriano ὠρόχαλκον, à Barbaris aurichalcum. Olim metallum fuiſſe proprium, multi ſentiunt, ſed uſq; à Plinij temporibus non eſt effoſſum, natura (ut ipſe inquit) iam effœta. Si proprium eſt, ita ab alijs ſpeciebus æris differt, ut hodie ab ære nigro & candido differt rubrum. Argento autem excepto, nullum metallũ eſt magis uarium atq; pulchrum coloribus, quàm æs eſt, quod nunc in noſtris metallis purum foditur.

Ornatus hominis præcipuus è metallis accerſitur, ut auri atque argenti. Hunc pudoris lenonem, ſi eſt immoderatus, nominat Prudentius Ham.

—— Operta metalla Eliquat ornatus, ſoluendi leno pudoris.

Ortygometra, ὀρτυγομήτρα, mater ſeu dux coturnicum, loca ultramarina petentium. Help. Hiſt. *Hic auidos carnis miſſa ortygometra refecit.*

Ortyx, ὄρτυξ, coturnix. Paulin. Nat. 8. *Ille dator mannæ cœlo, dator ortygis auſtro.*

Oſſum, pro os, antiquum eſt, & ab Auguſtino annotatum. Tert. 2.

De Chriſti noua carne caro, deq́; oſsibus oſſum.

P

PÆanes erant hymni gratulatorij in Apollinem, propter ſerpentem Pythonem interfectũ. hi poſtea ad alios deos, atq; adeò ad homines ſunt translati: unde Suidas ſcribit, Marti ſolitos pæanes cani ante prælium, poſt adeptam uerò uictoriam Apollini. Legitur Pæan Herculis, 8. Æneid. apud Virgilium: Theſei, 7. Metamorph. apud Ouidium. A' loco dicebatur Pæan Delphicus, proprius Apollinis: Pæan Rhodius, in Ptolemæum primum regem Ægypti decantatus. Pæan Chriſti eſt apud Prudentium, Hymnus καθημερινῶν nonus: qui inſcribitur, *Omni hora atq; die.* Canebantur autem Pæanes à tripudiantibus, dum puer aliquis cithara luderet. unde Hymnus ille incipit: *Da puer plectrum choreis ut canam.* B

Habebant plauſus & exclamationes: ut, O' *beatus ortus ille:* &,

O' *nouum cæde ſtupenda uulneris miraculum.* Item adhortationes repetitas: ut,

Pſallat altitudo cœli, pſallat omnis angelus: &,

Solue uocem mens ſonoram, ſolue linguam mobilem. Pæanas apud ueteres ſcripſerũt Pindarus Thebanus, in quibus deos, regesq́;, deorum ſanguinem, teſte Horatio, celebrauit. Eorum Pæanum, præter Scholiaſtas Græcos, Virgilij & Horatij interpretes meminerunt: item Hermippus Cyzicenus, in quibus laudauit Antigonum & Demetrium Athenienſes, ut eſt apud Athenæum. Pæanas Angelicos carmine Iambico dimetro nos quoq; meditamur. Sedulij Acroſtichis ſimile habet argumentum, ſed tractationem Pæanicã nõ habet.

Pædagogus, παιδαγωγὸς, qui puerum ducit ac reducit, paraphraſte Terentio: qui imperitum inſtituit. Paulin. Cyth.

Hunc lacte primo per prophetarum ubera Lex pædagoga nutriat.

Pægma,

A Pægma, πᾶγμα, luſus, qualem pueri exercent. Pr.Steph.

——Texunt pulpita Rimoſa rari pægmatis compagibus.

Pagani, dicebantur unius pagi incolę, ἀπὸ τῆς πήγης, quaſi ex eodem biben tes fonte. Erant prætere a homines militiæ exempti, & deſides, pagos tantùm colentes, & agrum. Sacri ſcriptores à religione alienos, Paganos nominant: uel quòd non utantur ijſdem ſacramentis, κατ' ἀντίφρασιν: uel quòd militiam Chriſtianam, & certamina conſcientiæ ignorẽt, mundo tantùm, hoc eſt uoluptatibus aut ſtudio honorum pecuniæ'ue dediti. Pr.Sym.1. ita circumloquitur: *Nec pago implicitos per debita culmina mundi Ire uiros prohibet.*— Idem Steph. *Non erubeſcis ſtulte, pago dedite?* Conſtantinus licet eſſet Chriſtianus, tamen magiſtratus ciuiles paganis commiſit.

Pala, inſtrumentum ruſticum, quo agri fodiuntur. Iuuencus pró uentilabro uſurpat, ἀντὶ τοῦ πτύου, lib.1. *Illius & manibus ruralis pala tenetur.*

Palæſtinus ramus, pro ramo balſami, κατ' ἐξοχὴν. Vict.1. *Quodq́; Palæſtinus lacero flet uulnere ramus.* Is autem tantùm in agro Hierichuntino, eius regionis, gignitur.

Palæſtra, παλαίστρα, certaminum locus. Pr.Steph. *Ventum ad palæſtram gloriæ.*

Palæſtricus, παλαιστρικὸς, palæſtræ ſtudioſus atq; deditus. Ibid. *Sed uetat palæſtrici Corrupta ephebi fama.* Intelligitur autem puer palæſtricus Hyacinthus, in ioculari certamine ab Apolline diſco interfectus.

Palatinum, quidquid ad palatium ſeu aulam regis pertinet: omnis ſplendor & pompa, omnis inuidia & anxietas. Fort.lib.7. *Pelle palatinas poſt multa negotia rixas.*

B Palma, pro uictoria. Ibid. *Ne mors terreat, eſt parata palma.*

Palpamen, tactus, attrectatio. Idem Ham. *Palpamen tenerum blandis è fotibus ambit.*

Palpare, manibus contrectare. Ibid. *Quid calidum gelidum'ue, Deus cognoſcere noſmet Attactu uoluit palpandi.*— Aliter poſtrema pars hactenus lecta fuit. Item per metalepſim, blandiri. Idem Cath. *Maior exemplis, famulos remiſſo Dogmate palpas.*

Palpebralis, palpebris eminens. Ibid. *— Aut palpebralibus extrà Horreſcunt ſetis, cilio'ue umbrante teguntur.*

Panni, in plurali, pro ueſtitu uili & plebeio. Paulin.Cyth. *Coeunt in unum purpura & panni gregem.*

Panis gradilis pag. 226.
Et quem panis alit gradib. diſpenſus ab altis
Quæ regio gradib. varius ieiunia dira
Suſtinet? aut quę lamiculo mola nota quieſcit?
Vilem teſſerã frumẽtj. vocat Iuuenalis
Satyra vij.

Papyrus, olim fuit lucernarum fomentum: quia ea ad ellychnia ſeu thrialides, quæ flammam alerent, uſi ſunt. Alc.ad Sor. *— Siccam percurrit flamma papyrum.*

Paracletus, παράκλητος, natura penultimam habet productam. Id non obſeruarunt poetę Eccleſiaſtici, ut in multis hymnis appàret: ſecuti, ut opinor, uulgi conſuetudinem, ne templa uocibus diſſonarent. Eodem modo Pr. Cath. *Spirat de patrio corde paraclitus.* Et Steph. *Capiant & ipſum cœlitus paraclitum.* Paraclitus autem dictus ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, quod & conſolari, & animum addere, & pro aliquo precatorem eſſe ſignificat: quæ officia Spiritui ſancto pulchrè omnia conueniunt.

Paradigma, παράδειγμα, exemplum. Vnde paradigma luxuriæ, pro homine luxuria inquinato & perdito. Alc.ad Sor. *Luxuriæ paradigma ſenilis.*

O Paradiſiacus,

Paradisiacus. Pr.Cath.ad paradisum pertinens,aut spectans. A

Paradisicola,paradisi,hoc est cœli incola. Idem Ham.

Hinc paradisicolæ post ulcera dira beato Proditur.—

Paradisus,παράδεισος,genere masculino,significat hortum amœnum:quo nomine & prima,& æterna beatorum sedes significatur.Alc.3.

Sic maiore animo clausus paradisus amatur. Inc.auct.de Bebiano:

Narrat & ætherei cœleste nemus paradisi. Qui de loco disputant,ubi olim in terris fuerit,& num diluuij undis sublatus sit,ocio nimio abundant.

Paranymphus,παράνυμφος,quasi dux & comes sponsæ additus in nuptijs. Fort.De partu Virg. *Angelus inde tuos repetit paranymphus honores.*

Paralysis,παράλυσις,languor adimens membris sua munera. Iuuenc.1.

Cuius cuncta repens membrorum munera languor Dissoluit.—

Sedul.3.prolixius circumscribit: *– Resolutaq; membra iacebant*

Officijs deserta suis,fluxosq; per artus Languida demißis pendebant uincula neruis.

Vnde eundem morbum τῷ βασάνῳ,cruciatibus tortorũ Matthæus cõparat.

Paralyticus,παραλυτικὸς,solutus omni corpore,ut Sedulius in Acrostichide:uel per omnia membra resolutus,ut Celsus circumloquitur. Arat.1.

— Surgens paralytice,dixit, Vectorem compone tuum.—

Pardus,animal maximæ feritatis, & non domabile: ijs olim, ut & leonibus,obijciebantur martyres. Pr.Steph. *Siue pardis offerendum pectus,aut leonibus.* Duos pardos uidi Florentiæ in aula Ducis:color cutis flauus, cum maculis nigrore lucentibus.

Parêre,pro apparêre,in usu esse Tertulliano,etiam B.Rhenanus annotat. Tert.5.*Per quam parêt homo,cum qua commixtus habetur.* Vnde participium parens.Ibid.*Hic patribus sanctis parens ab origine mundi.*pro,apparens. B

Parium marmor,ex Paro Cycladũ insula,niueo candore fuit. Pr.Steph. *Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas.* Vide,Marmorum genera.

Paropsis,παροψὶς,genus patinæ latioris,in qua cibi aut bellaria ponerentur. Pr.Psych. *– Dextramq; paropside tingit.*

Parra,auis in Lario,quam à sono p & r literarum nomẽ habere Landinus scribit. Vnde propter uocis asperitatem lusciniæ opponitur à Paulino ad Auson. *Si confers fulicas cygnis,& aëdona parræ.* In augurijs inauspicatam significat Horatius lib.3.Carm.nominans: *– Parræ recinentis omen.* Vulgari appellatione nunc parruza dicitur,teste Mancinello.

Parricîda. Arat.1.*Cui natos Iudæa tuos per uota cruoris Parricida trahis?*— pro quo Prudentius patricîda: *—Vnum*

Innocuas inter soboles genuit patricidam.

Parricidalis,parricidio contaminatus. Idem Præf.Ham.

Armat deinde parricidalem manum.

Participatus,particeps factus. Paulin.de Ioanne:

Nominis angelici tum participatus honore.

Pascha,paschæ,declinatione Latina. Iuuenc.4.

Discipuli quærunt,ubi cœnam sumere Paschæ Vellet.— Arat.2.

— Gaudia paschæ Electo latrone colis.—

Pascha paschatis declinatione Græca.In hym.auct.inc.

In quibus sacrum celebratur omnem Pascha per orbem.

PA.

A PASTOR, Complutensis martyr. Pr. Steph. hymno quarto. Vide, Iustus.

Patibulum, pro cruce Christi. Ibid.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus.

Patriarchæ, πατριάρχαι, principes patrum dicti sunt, doctores Ecclesiæ antiquissimæ. Sedul. 2. *— Dextra bonorum*
Semita, conspicuos uocat in sua gaudia iustos, Inq; tuos patriarcha sinus. —
κατ' ἐξοχὴν, pro Abrahamo.

PAVLINA, cum matre sua Candida, Romæ iussu Diocletiani lapidibus obruitur. Fortunatus eius meminit, de Gaudijs uitæ æternæ.

PAVLINI, uiri consularis carmen, de Ioanne Baptista, elegans & pereruditum est: item epistolæ tres ad Ausonium. Hunc Ausonius suum filium appellat, quia discipulus fuit: & Fastorum titulo, trabeæq; insignibus priorem se fuisse scribit: de qua re plura Lilius, quanquam confuse. Videtur autem consul fuisse cum Gratiano, iterum cōsule, octo annis ante Ausonium, à nato Christo CCCLXXIII. Videtur de eodem sentire Fortunatus,
Stemmate, corde, fide pollet Paulinus, & ore. Est alter Paulinus episcopus, cuius librum sextum de Felice, citat Beda, scriptum carmine Sapphico: eiusdem librum octauum, item librum decimum, Ionas Aurelianensis episcopus, uersibus scriptum hexametris. Multo plures ex eodem uersus citant scriptores operis laboriosissimi atq; utilissimi, Historiæ Magdeburgicæ, in quinta Centuria. Eius carmina quædam, impudenter inserta sunt Ausonij operibus: ut in initio dictum est.

B PAVLINVS, nobili ortus stirpe, à Delphino episcopo baptisatur. Sub Maximo & Quinto episcopis Nolanis presbyter fuit, quibus in pontificatu successit. Propter religionem aliquando exulauit, & in carcere detentus fuit: indeq; se incolumem Angeli beneficio euasisse, ipse de se scribit. Armis quoq; Gothicis in Italia grassantibus, uexatus est. Vxorem habuit Therasiam, ut ex Epitaphio quod scripsit Claro presbytero, & ex eius Epistolis, & Panegyrico Celsi colligimus. Hunc Badius Ascensius contendit eundem esse, qui Consul Romæ fuerit: quod ei cur non credamus, multæ & manifestæ rationes sunt: & genus ipsum dicendi utrunq; ab altero satis discernit. Scribit idem, Paulinum, posteaquàm Christianus factus sit, usqueadeò uitasse ritum gentilem, ut Virgilium ne nominare quidem ausus fuerit. Sed conuinci erroris & superstitionis potest ex ipso Paulino, qui Virgilium in quadam ad Seuerum epistola citat, & eius hemistichia sæpe inserit in suis libellis Natalibus: qualia sunt, *Vicit iter durum pietas.* — Item,
— In te caput inclinata recumbit. Item, *Nec satis est audisse semel, iuuat usq; morari.*
& similia multa. Recitasse autem annis singulis solitum carmina de Felice episcopo Nolano, ex eius scriptis satis constat, in quibus Felicis uitam & miracula, & templum ipsum à plurimis frequentatum describit: unde adhuc decem libelli Natalium extant, quamuis priores integri non sunt. Scripsit præterea Panegyricum de pueri Celsi obitu ualde præclarum. Item ad Cytherium, & ad Nicetam, quæ opuscula nunc huic operi inserta sunt. Ex libellis aūt Natalium, ea tantùm excerpsi, quæ lectu maximè digna & utilia sunt: quod & in Fortunato à nobis factum est. Sententias quoq; præcipuas

Scholæ puerili inseruimus. Scripsit idem Theodosio panegyricum, non tam ut ipsum Imperatorē, quàm Christi seruum: non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem: nec regno, sed fide principem prædicaret, id scriptum amplius non extat. Beda initium Sapphicæ odæ, scriptæ ad Nicetam, refert ad librum sextum Felicis. Sed aut memoria labitur: aut libri ad Felicem, ut antea dixi, non sunt integri: quod etiam è Iona Aurelianense perspicuum est. Vixit Martiano imperante, amicus & probatus uir Hieronymo & Augustino: commendatus episcopis Campaniæ ab Anastasio papa. Vitia quædam in ipsius carminibus, iambicis præsertim, nō esse auctoris puto, sed librariorum: sed quædam tamen auctoris uideri possunt. A

PAVLINVS, ~~sui seculi errore, diuorum inuocationem, & eorum merita sic exaggerat, ut obscuret filij Dei meritum, & id cum quouis penè homine communicet.~~ Omitto, quæ ad Felicem in omnibus Natalibus, quæ ad Celsum, ad Clarum scribit. Ita Nicetam episcopum alloquitur, faciens mentionem diei extremæ: *Quis die nobis dabit hoc in illa,*

Vt tui stemus lateris sub umbra, Et tuæ nobis requietis aura Temperet ignem?

Latus igitur Nicetæ, Pauline, te defendet potius, quàm Christi? Cuius latere & Nicetas, & tu, & quicunq; uitam sublimem & immortalem adipiscentur, loti purgatiq; sunt. In illo autem iudicio filij Dei, non erunt alia præsidia, nisi misericordia Patris cœlestis, & Filij obedientia, qua patri obsecutus est usq; ad mortem, per quam credentibus salutem & uitam peperit, & imaginem sui in nobis reparauit. In hunc filium (ut de seipso testatur coram Nicodemo) omnis qui crediderit, non peribit, non condemnabitur, sed habebit uitam æternam. Qui uerò non crediderit, iam condemnatus est, ait Christus: uitam non uidebit, inquit Iohannes. Rectissimè autem nos tectum iri scribis alibi, cruore Christi, pro nobis effuso: *– Illi mundo labente tegendi,* B

Quos crucis inuictæ signat cruor: hinc cape quantum

Ipse cruor ualeat, cuius saluabat imago. Hæc propter adolescentes addo, ut ueteres cum iudicio legant, & eorum scripta ad Dei uerbum certum & expressum, in Euangelistis & Apostolis conferant, qui testantur, neminem esse gratiosum apud patrem Deum, nisi per unicum filium: neminem acceptum filio, nisi per fidem in ipsum. Hoc ita se habere, in suo Panegyrico cōfirmat idem Paulin. *Spesq; resurgendi corporibus posita,*

Corporibus nostris: quia Christus uictor in ista

Carne resurrexit, quam gero, qua morimur:

Credentum tamen ista salus. – Baptista Mantuanus, sui seculi poeta nobilis, se Paulini lectione profecisse in religione testatur, his uerbis: Quid de Paulino Nolanæ urbis episcopo, Hieronymi contemporaneo & familiari? quid dicam? non'ne pulcherrima, quæ adhuc extant, & semper extabunt, excudit poemata? Cùm adhuc adolescentulus essem, & à studijs Ecclesiasticis, illius ætatis more, abhorrerem, fortè in ea poemata incidi: & carminis suauitate delectatus, animum ad res diuinas paulatim appuli, & ex illo tempore literarum sacrarum studiosior fui. Hæc ille in Apologetico. * Inuenimus & Claudiani carmen, cum eiusmodi inscriptione: Paulinus Iouio uiro clarissimo. Sed iudicium acuto & sapienti lectori permittimus.

PAVLINORVM familia, & antiquitate stemmatis, & amore religionis

temporibus

Imo Catholica atque orthodoxa ratione cōmotus hoc fecit

Præpostera rō. Cuius hōis salutē ~~eqt~~ Diuinj hōies precib. suis cōdonatā a Deo ~~impetrarūt~~, habēt, nōne eos æquū est, in patroni loco Venerarj ac colere? ac gratitudinis significationes exhibere? ~. 112

A temporibus Constantini Magni fuit clara. Pr.Sym.1.Mentio Paulini Anitij,in ueteri Epigrammate.

PAVLVS, Narbonensis martyr. Pr.Steph.hymno quarto.

PAVLVS Apostolus, de tribu Beniamin: de quo in sua benedictione loquitur Iacob patriarcha, & eum lupo comparat. Arat.1.

O` lupe,Paule rapax,dedit hoc benedictio Iacob *Nomen habere tibi.*—

Vaticinatur de eodem Psalmus 68.

Pauperibus Romæ annona & panis distributus fuit, liberalitate Constantini. Pr.Sym.1.*Et quem panis alit gradibus dispersus ab altis.* Idem Sym.11.

Quæ regio gradibus uacuis ieiunia dira *Sustinet?*——

Pausa,pro quiete. Vict.1. —*Non hos cogebat ad esum*

Pausæ ignara fames.—

Peccamen,peccatum. Pr.Apoth.*Exin tincta malo peccamine principis Adæ.*

Pecuale animal,pro asino. Sedul.1.*Edidit humanas animal pecuale loquelas.* Pecus autem dicitur,quòd effigiem hominis non habet.

Pecusculum,pro ouicula:nam pecus propriè de ouibus. Iuuenc.11.

—*Foueam si fortè pecuscula uestra* *Inciderint.*—— Matthæus ait, προβάτιον ἕν, una ouicula:pro minima gregis parte.

Pedetentim. Vict. —*Planus mox aere uertex* *Prodere se cœpit pedetentim.*—

PELAGIVS, nefandi dogmatis auctor: contra quem scripsit Ecclesia Romana,Constantinopolitana,Hierosolymitana,Ephesina:item Siculæ & Africanæ,ut Prosper testatur contra Ingratos.

PELAGII discipuli fuerunt Cœlestinus & Iulianus, per quos dogma

B illud uenenatum in Britania sparsum est.Vide,Britanus coluber.

Pellacia, fraus ingeniosa, quæ pellicit ad se: qualis in Vlysse Virgiliano fuit. Pr.Ham.*Sentio quam contrà moueat pellacia litem.*

Pelleatus,pro pellito.Paulin.Nic.*Diuitis,multo boue pelleatus,* *Accola ripæ*:ubi de Scythis & Dacis loquitur.

Pendeo es,& pendo is,ut differant,declarat Alc.1.de Christo inquiens:

Qui cùm passurus ligno sublimis in alto *Penderet,nexusq; & culpas penderet orbis.*

Pentapolis,πεντάπολις,quinq; ciuitates apud Paulinum, igne cœlesti deletæ,quarũ nomina apud Mosen sunt,Sodoma,Gomorrha,Adama,Sebois, & Segor.quanquam hęc propter Lothum seruata est.Paulin.Nat.8.

Et cum Pentapolim perfunderet igneus imber, *Exiguam Segorim Sodomis secernit iniquis.*

Sodomam & Gomorrham Esaias, Adamam & Seboim Oseas propheta in obiurgando alijs proponit exempla.

Peplum πέπλος,uestis fluxa & talaris,carẽs manicis,uiris fœminisq; communis. Iuuenc.11. —*Summi pendentia pepli* *Fila manu trepida tractauit.*—

Per antiquum,ab ipso antiquitatis tempore,ab initio. Tert.6.

Ire per antiquum semper florentia regna.

Percitus,pro celeri. Pr.Steph. —*Percitum claudis gradum,*

Surdis fruendam reddere audientiam.

Perdita gregi,pro à grege. Idem Cath.*Ille ouem morbo residem,gregiq;* *Perditam sanat.*——

Perdicere,ad finem dicere,orationem absoluere. Alc.5.

—*Vix hæc perdixerat,illi* *Prosiliunt.*——

Perduellis, hostis infensus & pertinax. Pr. Steph. A
Venire in armis perduelles nunciat.

Perminimus, insolita compositio. Iuuenc. 3.
E quis perminimam dignum est secernere partem.

Permutatio animorum est, quam Græci μετανόιαν nominant. Cypr. de Ligno uitæ: *Permutant animos, & mentes perdere auaras Incipiunt.* —

Perosus cum genitiuo. Arat. — *Cœli terræq; perosus Inter utrunq; perit.* —

Perpes, perpetuus. Prosp. Epig. 8. *In Christo quorum gloria perpes erit.* Et 35. *Et perpes iustos gloria suscipiet.*

Perpetuare, perpetuum reddere. Arat. 1. — *His est tibi Roma cathenis Perpetuata salus.* —

Persona secunda quartæ, contra naturam corripitur, apud Aratorem: — *Quem cernere non est, Nescis amare Deum.* — Et, *Esuris ad facinus.* — Et, — *Quod tu custodis anhelus.* Item apud Sedulium 4. — *Non tu Peruenis ad Christum, sed Christus peruenit ad te.* Hoc imitandum pueris non est.

Petiturus, breui penultima. Arat. 1. — *Corpora uitam Hinc humana probant, cœlum petiturus.* —

PETRI ET PAVLI apostolorum martyria hymno singulari describit Prudentius. Passi autem perhibentur uno eodemq; die, sed non eodem anno, ut idem Prudentius testatur: nec aliter apud Aratorē. Diui Petri templum ostenditur in monte Vaticano, prope quod ortum fontem scribit Prudentius, ex quo baptizauerit sui carceris custodes. Diui Pauli templum extra portam Ostiensem, unum dictum ad tres fontes, ubi gladio cæsus est: B alterū non procul inde in ripa Tiberina, quod extruxit Constantinus. Prius illud propter aeris grauitatem, à paucis monachis habitatur: hoc autem à frequenti multitudine celebratur cotidie, unum è maximis & cultissimis quæ nunc Romæ uisuntur. Non ab re fuerit, epistolam Pij episcopi Romani integram adiungere, qui à Petro nonus numeratur, quæ ex antiquo codice perscripta est in hæc uerba:

PIVS EPISCOPVS FRATRI
Iusto episcopo s.

Antequam Romæ exisses, soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suę pauperibus assignauit: ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus. De te autem superbeate, postquàm ad urbem senatoriam Viennensem perrexisti, quid factum sit, nosse cupimus: & ut sementem Euangelij iam sparseris, audire multùm desideramus. Presbyteri illi, qui ab Apostolis educati, usq; ad nos peruenerunt, cū quibus simul uerbum fidei partiti sumus, à Domino uocati, in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus & Marcus, per bonum certamen transierunt. Vide frater, ut illos imitêris sequendo, neq; uinculis mundi illigeris. Festina palmam perseuerabilem cum sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit, & Petrus: cui crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutāt te Soter & Eleutherius, digni presbyteri. Saluta fratres, qui tecum uiuunt in Domino. Cherinthus primarches satanæ, multos auertit à fide. Gratia Christi habitet in corde tuo.

Petrus,

A Petrus, seu Cephas, antea dictus Simon: nomen autẽ illud accepit à constantia confessionis. Petri nomen Ebræum esse uult Arator lib. 1.

— Nam Petrus Ebræo Agnoscens sermone sonat. —

Idem fuit è Bethsaida Galilæus. Ibid. *— Petrus omnia prendens*
Bethsaida satus urbe fuit, quæ nomine Ebræo Venatorum est dicta domus. —

Phantasma, φάντασμα, spectrum seu uisio. Pr. Apoth.

— Mendax phantasma, cauamq; Corporis effigiem. — Idem Ham.

— Cui per phantasmata duplex Occurrit species. —

Phantasmatici, φαντασματικοὶ, hæretici, qui negabant Christum gestasse uerum hominis corpus: sed id fuisse spectro simile, & effigiatum: cuius sectæ auctor Manes Persa fuit, è schola Indicorum gymnosophistarum: à quo Manichæi, contra quos scribit Prudentius Apoth.

Pharao, commune nomen regum Ægypti, media producta, bis apud Aratorem.

Pharius rex, pro Ægyptio. Pr. Apoth. *Hæc regis Pharij regnum ferale resoluit.*

Pharos insula, Ægypto contermina, & olim cum ipsa continens: ut Sicilia & Brutius ager, Inarime & mons Misenus. Pr. Cath.

— Qui domitam Pharon Plagis multimodis cedere præsidi Cogis iusticiæ. —

Pharos, pro ipsa Ægypto.

Pheretrum, φέρετρον, Lucas ἡ σορὸς, lectulus quo mortuus effertur. Virgilius thorum, Plautus capulum, Martialis sandapilam, Horatius libitinam, interpres Euangelistæ loculum uertit: qui tamen propriè est cadus uel urna, in qua cineres conduntur. Sed. 3. *Auxilium uitale tulit, tactoq; pheretro*
B *Surge, ait, ô iuuenis. —* Erat in funeribus libitinarius, qui procurabat omnia quæ ad funus pertinerent: pollinctor, qui lauabat & ungebat cadauer: designator, qui præscribebat funeris ordinem: sandapilarij, qui mortuum efferebant.

Phidias statuarius, ex ære, auro, ebore signa fecit. Pr. Steph.
Nec templum & aras ipse Phidias habuit. Huic, cùm absoluisset Mineruæ simulacrum, Athenienses manus amputarunt. Mentorem & Phidiam fabros deorum, & parentes numinum, uocat ibidem Prudentius: quem tamẽ uersum exemplaria nonnulla nõ habent. & eius loco post stropham quartam, hunc ponunt, *Cum condiderunt gentibus stultis deos.* Sed is in manuscripto Borneri non fuit: & sine dubitatione est inducendus, non quia malus, sed quia superuacaneus.

Philippei nummi, uel à Philippo rege, uel Philippis urbe Thraciæ cusi: ut nunc à uallibus Boemiæ, Thaleri dicuntur apud nos, nummi unciales argentei. Pr. Steph. *Nec cùm ueniret, aureos Secum Philippos detulit.* [a valle Joachimica oim̃ primũ. De qua valle vide Georgium Agricolam]

Philippi urbs, alijs nominibus Datus, & Trimontiũ, quorum metalla foderunt Thasij. Nos & Philippeos aureos uidimus, & Thasium argenteum nummum habemus, cum imagine Herculis, & inscriptione huiusmodi:
ΗΡΑΚΛΗΣ ΣΩΤΗΡ ΤΩΝ ΘΑΣΙΩΝ. Nummi autem Thasij utrinq; talis figura est:

Philippus,





Philippus, φίλιππος, equorum, hoc eſt militiæ cupidus. Etymon Ebræum A
affert Arat. 1. — *Impone Philippum*
Lampadis os, quod Ebræus ait; qui mentis honorem Nomine teſte probat. ——
Eſt autem Arator, ut ſuprà dixi, ἀλληγορικὸς: ideoq; ſententias interdum torquet, interdum uerba.

Philoſophi antiqui; utut ſapientiſsimi fuerint, in ignoratione tamen ueri Dei, & in multis ſuperſtitionibus uerſati ſunt. id exemplo Platonis, Diogenis, Ariſtotelis probat Prudentius Apoth. Iidem tamen multitudinem deorum non admiſerunt.

Phlegetontius, à Phlegetonte amne inferorum: execrandus, abominandus. Pr. Sym. 1. *Heu malè luſtratæ Phlegetontia uictima Romæ.*

Phlegræi campi, in Italia Cumanus & Puteolanus, in Creta Othius. Vide Campi ardentes.

Phœnix unica ſui generis auis eſt, nomine quidem nota, ſed ne ueteribus quidem uiſa, qui de ea fabuloſè multa ſcripſerunt. Tert. 6.
Et renouata ſua uiuit fuligine Phœnix. Extat de ea eruditum carmen Lactantij. B
Doceat nos Phœnix (inquit D. Ambroſius) exemplo ſuo reſurrectionem credere, quæ ſine exemplo, & ſine rationis perceptione, ſibi inſignia reſurrectionis inſtaurat. Conſtituit autem ſibi pyram, ſeu (ut diuus Ambroſius) thecam è myrrha & caſia, in qua ipſam ſe cremat.

PHOTINVS hæreticus (ut Lirinenſis ait) ingenij uiribus ualens, doctrinæ opibus excellens, eloquio præpotens: teſte D. Hieronymo, multa continentiæ & ingenij bona uno ſuperbiæ malo perdidit. Natus in Pannonia, mortuus in Galatia. Vide Fotinus: nam diuerſa ratione ſcribitur.

Phreneſis, abuſu uulgari, φρενῖτις, abalienatio mentis ex affectione cerebri. Pr. Ham. *Immò hæc attoniti phreneſis manifeſta cerebri.*
Attoniti autem ſunt, qui apopletici dicuntur.

Phreneticus, φρενόληπτος, mente deſtitutus aut captus. Proſp. c. Ing.
Quid mirum rabido ſi corde phreneticus æger Morbum amat? ——

Phyſica, φυσικὴ, rerum naturalium cognitio & ſcientia. Pr. Sym. 11.
Ne uos ô miſeri, Phyſicorum dogmata fallant. φυσικοὶ, rerum obſcurarũ interpretes.

Pigmentatus, pigmẽtis, id eſt (ut Plautus appellat) offucijs muliebribus óblitus & fucatus. Pr. Ham. *Quas pigmentato meretrix iacit improba crine.*

Pigmentum

A Pigmentum est omne genus fuci atque fallaciæ, ad tegendam ueritatem excogitatum. In ornatu corporis. Pr.Ham.
Illum pigmentis redolentibus, & peregrino Puluere, fœmineas spargentem turpiter auras. In lenocinio orationis, & figmentis poetarum atq; pictorū. Idem Sym.11.
— Cassa figuris Somnia concipiunt, & Homerus, & acer Apelles, Et Numa, cognatumq; malum pigmenta poetæ.

Pinus arbor, sacra Pani & Cybeli, de hac Prudentius Steph.
An ad Cybellis ibo lucum pineum? Poma Cybelis appellantur nuces pineæ à Martiale.

Planatum æquor, pro sedato & tanquillo. Alc.5. *— Fluctuq; reuerso Ducitur extentum planati gurgitis æquor.*

Planus, πλάνος, pro impostore: à Plani cuiusdam proteruia sumpto uocabulo. Iuuenc.4. *— Quoniam planus ille solebat Vulgari semper iactans promittere plebi.* Vtitur eo uerbo Matthæus Euangelista, aut eius potius interpres. Vertunt uulgò seductorem, παρὰ τὸ πλανᾶν.

Plasma, πλάσμα, fictio, seu (ut nostri poetæ) factura. Pr.Psych.
—— Ob facinus Plasma Dei potuisse mori. Apoth.utrunq; coniungit, *Informasse patrem facturæ plasma nouellæ.* Accipitur etiam pro callida & fallaci impostura. Prosp.c.Ing. *Innumeras dubio cepisset plasmate mentes.*

Plasmare, πλάσσειν, fingere, informare. Pr.Apoth.
Vt per corpoream speciem plasmasse feratur Corporis effigiem.——

Plasmator, πλαστὸς, factor seu formator, quibus duobus uerbis Prudentius utitur. Ambr.in Hym. *Plasmator hominis Deus.—*

B Plasmatus, πεπλασμένος, factus seu conditus. Pr.Apoth.
— Sic est plasmata uicissim Flatu incorporeo res flabilis.—

Platea, πλατεῖα, est uia lata, seu uicus. Pr.Steph. *— Tales plateis omnibus Exquirit.——* Ibid. *Christus in totis habitat plateis.* Huic postremæ sententiæ (ut hoc obiter addam) simile aliquid dixit Thales philosophus, scripsit poeta Aratus: Dei uidelicet plena esse loca omnia.

Plebes, antiquè pro plebs, apud Alcimum, ut lib.5.
Mutua ab Aegypto plebes Ebræa requirit Confestim reddenda.— Ibid.
Bellorum uersat curas Ebraica plebes. Iuuenc.2.
Tunc poscens signum plebes Iudæa fremebat.

Plebium, genitiuo plurali. Pr.Steph. *Scribas & ipsos, & coronam plebium.*

Plenitudo temporis, τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, pro tempore exacto & determinato. Fortunat.Hym. *Quando uēnit ergo sacri plenitudo temporis, Missus est ab arce, Patris natus, orbis conditor.* Expressit uerba Apostoli ad Gal.4.

Pletura, pro impletura. Paulin.Cyth. *Interea nauis altius decrescere,* * *Crescente pletura sui.—*

Pleuresis, in usu est mille annorum, Græce πλευρῖτις. Pr.Steph.
Non ungularum tanta uis latus fodit, Mucrone quanto dira pulsat pleuresis. Plinius lateris compunctionem, Celsus lateris dolorem usq; ad perniciem procedentem, Horatius lateris morbum acutum nominat: qui interdum tantos cruciatus solet afferre, ut lictorū tormenta minus uideantur grauia.

Plumbatę erant pilæ plumbeæ, quibus cædebantur uiri Christiani, ita ut nonnulli legantur decem & duodecim milites fatigauisse incredibili tole-

 rantia.

rantia. Pr.Steph.*Tundatur,*inquit,*tergum crebris ictibus,*
Plumboq; ceruix uerberata extuberet. A
Podium, *πόδιον*, tabulata proiecta, in quibus spectabant ludos, aut alia. Idem Sym.2. *An quoniam podij meliore in parte sedentes Spectant.*——
Pœnæ Christianorum persecutoribus, Dei iudicio sæpe horrendæ sunt inflictæ. ut de Hispano quodam, Steph. hymno primo scribit Prudentius, qui in furorem actus, & à satana flagellis cæsus, ligatus atq; suspensus est.
Pœnalis labor, pœnę loco impositus: qualis eorum fuit, qui ad metalla & latumias damnabantur. Pr.Steph. *Et de metallis squallidis Pœnalis excudit labor.* Pœnale facinus, pœna dignum. Tertul.6. *Intonat horrificis facinus pœnale caminis.* Pœnale chaos, pœnis debitum. Fort.Hym.
Quos habuit pœnale chaos, iam reddidit in te.
In Poetas Christianos Commentarios aut Scholia nostro seculo ediderunt, Antonius Nebrissensis, Badius Ascensius, Erasmus Roterodamus, Iodocus Clichtoueus, Iacobus Spigelius, Ioannes Sichardus, Menradus Moltherus. Aliquos ad uetera exempla contulerunt Aldus Manutius, Ioannes Adelphus, Caspar Bornerus, Ioannes Gagneius, Theodorus Poelmanus, Georgius Cassander. Mihi uisi aut noti plures nō sunt: neminem enim qui in hac ueluti palæstra sudauerit, & suam Ecclesiæ operam impenderit, sponte præterirem. Me adiuuerunt mittendis ueteribus nouisq; exemplaribus, uiri doctissimi, & cum honore nominandi, Ioannes Oporinus, Ioannes Heroldus, Micaelus Toxites, Vuolfgangus Meurerus, Valentinus Gruserus, Henricus Siberus, Ioannes Banno: nec in eo fratrum Blasij & Iacobi pium studium defuit. Recenset poetarum aliquot & nomina & opera Venantius Fortunatus, in Præfatione librorum de diuo Martino, in hæc uerba: *Primus enim docili distinguens ordine carmen,* B.

Maiestatis opus metri canit arte Iuuencus.
Hinc quoq; conspicui radiauit lingua Seduli,
Paucaq; perstrinxit florente Orentius ore,
Martyribusq; pijs sacra hæc donaria misit.
Prudens prudenter Prudentius immolat actus.
Stemmate, corde, fide pollet Paulinus, & ore.
Sortis Apostolicæ quæ gesta uocantur & actus,
Fœcundo eloquio uates sulcauit Arator.
Quod sacra explicuit serie, genealogus olim
Alcimus egregio digessit acumine præsul.

POLLENTINI campi in Hetruria, celebres excidio Gothorum, qui iam Liguriam & Venetiam funditùs euerterant, ducibus Alarico & Radagasto: & in montibus Fesulanis maxima clade oppressi erant. Pr.Sym.2. *Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.* De clade ista Gothica Augustinus ita ait, 5.de C.D. Radagastus Gothus, uno die, ne uno quidem, non dicam extincto, sed nec uulnerato Romanorum, amplius quàm centum millia militum amisit.
Polycleti malleus, pro opere insigni, periti alicuius artificis. Pr.Steph.
Forceps Myronis, Polycleti malleus, Natura uestrum est atq; origo cœlitum.
Pompare, cum pompa magnificè inducere. Sedulius.

Pompeius.

A Pompeius templum Dei Hierosolymitanum spoliauit. Pr. Apoth.
— Docuere rapinis Pompeianæ acies.— E regione templi, Deo uindictam sacrilegij infligente, post annos sedecim Pompeius in naui interficitur, ab eunucho, & milite gregario, in aditu ipsius Ægypti.

Ponderamentum, pro pondere. Pr. Ham.
Caßide terribilis, setarum ponderamento Concutiens.—

Pontica pestis, pro Marcione, qui è Ponto fuit: ut Britanus coluber, pro Pelagio, apud Prosperum. Tertul. alibi: Nihil tam barbarũ ac triste apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus est.

Populatio, pro multitudine populari, inusitatè. Sedul. 3.
Flebant germanæ, flebat populatio præsens.

Posteaquam, unica dictione. Vict. lib. 2.
Posteaquam rursus speculatrix arua patêre Nunciat.—

Postliminio redit, qui semel è possessione eiectus, cum dignitate restituitur. Pr. Sym. 2. *Tunc postliminio redeuntem, suscipit alto*
Cana fides gremio.—

Poterimus, penultima longa. Iuuenc. 4.
Tunc sanctis dignè poterimus credere uerbis. Legitur in Rotomagensi, *ualeamus credere.*

Potus Christo in cruce sitienti propinatus, fuit acetum & fel, ut Iuuencus, Sedulius, Fortunatus aiunt, imitati Dauidem & Matthæum. hic enim ait, ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Alij intelligunt herbam quandam insuauem & amaram, quam Iohannes nomine speciali ὕσσωπον nominat: Tertullianus
B uerò scriblitam. Vide Scriblita.

Præcluens, ualde potens. Pr. Cath. *Sic olim tua præcluens potestas.* Vide Cluere.

Prætextata turba, pro honoratiore, utpote senatoria. Fort. 8.
Incedit sensim tum prætextata potestas.

Precum seu orationis à D. Paulo quinq; in uniuersum species enumerantur. Precamur enim Deum uel nostro nomine, uel aliorum nomine, uel nostro & aliorum. Nostro nomine cùm oramus, id fit δεήσει, προσευχῇ, αἰτήσει: aliorum, id fit ἐντεύξει: nostro & aliorum, id fit εὐχαριστίᾳ. his enim uerbis ad rem exprimendam, & ad Philippenses & ad Timotheum ipse est usus. Primi generis sunt: Δέησις, est egentis supplicatio, uel (ut Horatianis uerbis utar) pauperis & sollicitæ precis ambitio, ut à malo præsenti liberemur. Προσευχή, est possidentis bonum aliquod, ut id conseruetur, augeaturq;, fitq; salutare & perpetuum. Αἴτησις, est efflagitatio seu postulatio dona expetentis maiora, ut Deus in suo cuiq; munere tribuat successum, utq; largiatur spiritum suũ, quia mandauit petere. Talis est αἴτησις Prudẽtij contra Symmachum, ut sibi augeat Deus eloquentiam. Alterius generis est, ἔντευξις, interpellatio, qua pro alijs intercedimus atq; contendimus: ut Syrophœnissa facit pro filia dæmoniaca, quæ nec uultu, nec minis, nec conuicio perterretur, donec animum Christi fide & spe expugnat. Postremi generis est εὐχαριστία, gratiarũ actio, cum affecti beneficijs, aut malis liberati, nostro aliorum'ue nomine, uel priuatim uel publicè gratum Deo animum offerimus, & hostias uociferationis, ut Dauid: uitulos labiorum, ut Oseas loquitur, immolamus. Precum quinq; omnino species

Prænuncupatus, prænunciatus. Pr. Cath. *Prænuncupatus ore qui prophetico.* A

Præses furoris, id est, auctor & perfector. Ibid. *Quem te furoris præside Mors hausit, & mox reddidit.*

Præsulcare, sulcum ducere prius quàm semen mittatur. Prosp. c. Ing.

– Neq; quidquam cordis in aruo Præsulcet diuina manus.–

Præter, pro præterquàm. Sedul. 1.
Qui genus humanum, præter quos clauserat arca. id est, exceptis ijs quos clauserat.

Prætexta, pro purpura, συνενδοχικῶς. erat enim uestis magistratus, cui purpura prætexebatur. Prætextatus, purpura indutus: de Christo, qui in ea ueste illuditur ab aulicis Herodis. Tert. 5. *Iam prætextatus palmarum sustinet ictus.*

Precari, cum datiuo, more Græco. Help. de Christo:

– Cui iugiter esse precandum. Ita Virg. *Cui me fortuna precari.–*

Precatus, declinatione quarta, pro precibus. Paul. Aus.
Cùm steriles fundas non ad diuina precatus.

Pressura, θλῖψις, est onus excrucians. Prosp. c. Ing.

– Corporei nec iam pressura laboris Conteret incertos.—

Priapus, nomine Mutini cultus à Romanis, in templis stabat æneus: in hortis ligneus, quercinus, aut ficulnus. Hunc circumscribit Victor. 3.

Donec per species sese dementia cunctas
Proderet, ut rebus minimis membrisq; pudendis
Nomen inane Dei, mundo ridente, daretur. Pr. Sym. 1.
Graius homo, augustaq; Numæ præfulget in arce. Dubium est num arcem Numæ uocet montem Ianiculensem, in quo Numa sepultus est: an Palatinum, sub quo habitauit, cuius etiam domus in Vestæ templum mutatū est. Turpe esse ait, in religiosi & boni regis urbe uideri simulacrum fœdum & pudendum. Templum autem Priapi in urbe fuisse, alibi nō legi: nam aut iuxta muros fuit, aut in ipsis suburbijs: hortorum enim custos est habitus, eoq; nomine cultus. B

Sic Ortiuū cardinē: dixit M. Manlius lib. Astronomicōn
Caduca poma Plin.
Collectitiū humorē Seneca Natural. Quest.
Sportina damna. C. Solinus.
Vim collatiuā. in Panegyrico
Ventrē conatiuū Plaut

PRIMITIVVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. hym. 4.

Primitiuus, pro primogenito. Pr. Steph. *Vt primitiuum crederes fœtum geri.*

Princeps, pro qua barbari principissa. Alc. ad Sor.

– Princeps animosa cateruas Impulit.– de Debbora loquens.

Principalis, pro principe, ἰδιωτισμός. Pr. Steph.
Pro principali ritè nobiscum deos Orare uita.–

PRISCILLIANVS, hæreticus prauus & impurus fuit, in quem capitalem tulit sentētiam Maximus imp. eiusq; sectatores in Hispania bonis exuit, & uita priuauit. Eius discipulus Ithacius, in synodo quadam Treuirensi ecclesiam turbauit: cui Martinus restitit, Turonensis episcopus: ut est apud Fortunatum.

Procinctus, armatura & apparatus ad bellum. Idem Sym. 1.
Seu nos procinctus mancat, seu pace quietas Dictemus leges.–
Accipitur pro ipso agmine militari. Idem Ham. *Procinctum uidet angelicum.–*

Prodigiale, prodigio simile. Ibid. *Quò tantum auxilij per prodigialia signa Effudit Dominus?–* Idem Sym. 1. *– Horrificos quos prodigialia cogunt Credere monstra deos.–*

Profani homines sunt, qui sunt extra Ecclesiā. hi à Theologis nominantur

A turmodò Gentiles, modò Pagani. Gentiles, proprietate linguæ Ebraicæ, qui præter suum populum, reliquos omnes appellabant Gentes, ut Romani barbaros. Pagani, similitudine quadam consuetudinis Romanæ, cuius uerbi notio paulò antè explicata est.

Profundum, pro altitudine, primam longam habet apud Tertullianum contra Marcionem, & apud Damasum in Paulo apostolo.

Properè, pro celeriter. Idem Cath. *Iram refrenat temperans oraculum Properè sinistrum.* — In hunc locum ita Sichardus, in margine: Proper (inquit) habent nonnulli ueteres codices, tanquam properè dicas. In excusis omnibus prosper, non rectè lectum est. Ita ille, cui assentior.

Properũ, celere. Prosp. Epig. 41. *Nec serum aut properũ sibi sentit in ordine uerum.*

Propitiabilis, is qui se propitium exhibet. Pr. Steph.

— *Purgabor oris propitiabilis* *Fulgore.* ——

Propola, προπώλης, qui emit quod uendat maiore precio, παλιγκάπηλος.

Propolas genere fœminino Prudentius nominat loca, in quibus eiusmodi homines, qui mercantur quod statim uendant, merces suas exponunt. Pr. Ham. *Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra.*

Propter, pro propè. Interp. Psal. 136. *Frange fide, iam propter adest petra Christus.* ——

Prosapia, origo & propagatio generis: ad genus enim propriè refertur. Idem Steph. *Illum uetusta nobilem prosapia.* Tertull. 5.

— *Posthac generis prosapia uestri* *Nata foret* —— Refertur quoq; ad affectionem animi uitiosam, quæ à parentibus hauritur uitiosis. Pr. Apoth.

B *Quid peccatorum prosapia corpore in illo?* Et Steph.

Ac tot stuprorum sordidam prosapiam.

Proscenium, προσκήνιον, scenæ quasi uestibulum, in quo mimi, saltatores, funambuli stabant. Idem Ham. *Inde per aerium pendens audacia funem, Ardua securis scandit proscenia plantis.* Vict. ad Sal.

Absumptæq; omnes uana in proscenia rupes.

PROSPER Aquitanicus Leonis tempore in Italia claruit, qui originẽ duxit ex Aquitania: qui cùm chlamydatus Romam miles uenisset, à Leone Pont. Max. benignè susceptus, & ad aliam militiam longè feliciorem translatus est: Leonisq; ipsius scriba fuisse creditur. Quin Gennadius: Epistolas Leonis (ait) aduersus Eutychem, quæ adhuc leguntur, ab ipso Prospero dictatas esse, sunt qui credant. Certè ab ipso Leone non multo pòst Regij Lepidi pontifex est institutus: ubi cùm doctrina, tum sanctitate floruit. Scripsit uerò de Prouidentia Dei librum unum: περὶ ἀχαρίστων, id est, cõtra Ingratos, alterum heroico carmine. Scripsit & epigrammata ex D. Augustini sententijs, quæ nunc omnia leguntur. Item libellũ alterum Elego uersu de diuersis causis: Odas insuper & hymnos, quorum aliquos citat Beda. Hęc Lilius.

PROSPER Aquitanicus, patria Lemouicensis, contra Eutychem, Nestorium, Pelagiũ scripsit. admirator D. Augustini fuit, eiusq; doctrinam singulariter amplexatus est, hostis hypocrisis & mendaciorum. Sepultus fuit Regio lepidi, in templo D. Apollinaris: deinde ossa translata sunt, & à Thoma episcopo ingens ei basilica extructa est. Vixit usq; ad captam à Genserico Romam: obijt VII. Cal. Iulij, anno Seueri Imp. II. Christi CCCCLXV.

PROSPERI sententiarum codicem habuimus manuscriptum, è bibliotheca Mersburgica ad Salam. Ex eo locos plurimos emendauimus, nonnulla in alijs omissa restituimus. In eodem hi uersus initio libri additi fuerunt: *Hæc Augustini ex sacris epigrammata dictis,* A

Dulcisono rector componens carmine Prosper,
Versibus hexametris depinxit, pentametrisq;,
Floribus è uarijs ceu fulget nexa corona.
Vnde ego te Lector relegentem hæc sedulus oro,
Intentas adhibere sonis cœlestibus aures:
Inuenies istis, animum si cura subintrat,
Maxima quid doceant sacræ moderamina legis:
Obseruare homines, uel quid uitare decebit,
Sidereum cœli cupiunt qui scandere regnum.

Liber eius contra Ingratos, primùm, quod ego scio, in Academia Ienensi est editus. Marcellinus quidam Illyricianus, qui Chronicorũ libros scripsit, Prosperum ait sermone quidem Scholasticum esse, sed assertionibus neruosum: ex Gennadio. Hymnos Prosperi citari à Beda, ut ait Lilius, ego obseruare non potui: neq; alibi, Hymnos ipsum scripsisse, legi.

Prosperare, prosperum reddere, secundare. Pr. Cath.
Annuit dexter Deus, & secundo Prosperat uultu.— Idem Sym. 2.
—*Illum Fœderis humani consensus prosperat orbi.*

Prosperatus, placatus, factus propitius. Idem Steph.
Et prosperatum dulce delectat Deum.

Protoplastus, πρωτόπλαστος, primogenitus. Idem Cath. B
Membra morti obnoxia Induit, ne gens periret Protoplasti ex germine.
Protoplastûm, per syncopen: id est, protoplastorum. Alcimus initio libri secundi.

PRVDENTIVS. Vide Aurelius.

Psallere, ψάλλειν, canere. D.Greg. *Huius diei tempore Horis quietis psallimus.*

Psalterium, ψαλτήριον, & instrumentum musicum est, & liber ipse Psalmorum. Antepenultimam contra morem corripit Arator Præf. 2.
Psalterium lyrici composuere pedes. pro libro Psalmorum.

Psaltria, ψάλτρια, Latinè fidicina, apud Græcos à uoce nomen habet. ψάλλειν enim canere est: apud Latinos à manu, fides enim digitis pulsantur. Hæ solebant canere aut saltare in conuiuijs, ut è Comicis constat. Ita de Herodis conuiuio Amœnus: *Incestæ in gremium matri fert regia donum Psaltria.*—

Publicani, τελῶναι, qui redimebant à Senatu uectigalia, portoria, & alios reditus publicos: olim Romæ, & nunc Venetijs, ordo ciuium honestissimus. eos ita describit Iuuencus lib. 2.
Publica conductis qui uectigalia lucris
Professi, rapiunt alieno nomine prædam. Hi autem cùm iniustè fungerentur munere suo, & expilarent homines, nomen id in contumeliosis esse cœpit apud prouinciales & exteros.

Publicè olim sunt in foro, aut uicis frequentibus, Christiani quæstioni-
bus

A bus subiecti,ut alijs terror incuteretur. Pr.Steph.

Barbarus forum per omne tortor exercet manus.

Pugillus,à pugno diminutiuum. Pr.Cath. – *Minimi mensura pugilli.* ex illo Dauidico, Psalmi 38. παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου. id est, Palmos posuisti dies meos. Georgius Agricola M. Antonium Flaminium reprehendit, qui παλαιστὰς uerterit, mensuram pugillorum: & negat pugnum mensuram esse, multo minus pugillum: in quo Agricolæ assentiri nos necesse est. Flaminius quidem auctorem habet Prudentium: sed Prudentius inter ueteres scriptores ante se nullum. Eundem Dauidis locum neq; uetus interpres, neque Campensis paraphrastes assequuntur. Præterea Erasmus in Chiliadibus, in prouerbio σπιθαμὴ τοῦ βίου, non rectè uertit palmum: nam inter παλαιστὴν & σπιθαμὴν hoc interest, quòd παλαιστὴς est palmus, id est, mensura digitûm quatuor, unde quadrans nominatur à Gellio libro nono: & Budæus, Vadianus, Vuillichius palmum minorem appellant: σπιθαμὴ uerò est mensura digitûm duodecim, id est dodrans, quem ijdem appellant palmum maiorem. Germani παλαιστὴν sermone uernaculo faustam, σπιθαμὴν spannam nominant. Igitur quod Gellius ait, eodem quo dixi libro, capite 4, Pygmæos non longiores esse quàm pedes duos & quadrantem: idem planè est cum eo quod scribit Plinius, eos ternas spithamas longitudine non excedere. Duo pedes & quadrans efficiunt digitos XXXVI, totidem similiter efficiunt ternæ spithamæ.

Pugnandi uerba cum datiuo, more Græcorum. Pr.Psych.

Confligunt uitijs, seq; ad sua præmia seruant. Arator lib.2.

B *— Sed non mortalia possunt*

Auctori certare Deo. —

Pullatus, ueste pulla seu nigra indutus. Pr.Cath.

Squallent recincta ueste pullati patres.

Puluinaria, sunt templa deorũ, dicta à lectulis & apparatu. Idem Apoth.

Tremit hoc hominum genus insula, & omne

Puluinar diuûm. —

Puluinarius, pertinens ad puluinaria. Idem Steph.

Sed quid macellum, pingueq; puluinarium.

Pumiceus, pumicis in morem aridus. Paulin.Pan.

Pumiceum cor est lachrimis.–

Purgamen, pro purgamento. Pr.Apoth.

Non dedignatus medicæ purgamen aquai.

Purpura Christus indutus in domo Pilati, bysso uerò in aula Herodis. Purpura Romanorum consulum insigne fuit: byssus regum barbarorum, & præcipuè orientalium. Christus autem & sui populi, qui tum sub Romanis erat, & gentium omnium delicta tulit, unde insigne utrunq; gestauit. Purpura erat lanea uestis, è qua fiebant pallia aut tunicæ: byssus linea, è qua interulæ & lacernæ. purpura itaq; densa, byssus pellucida: color purpuræ rutilus, byssi flauus: purpura in uestes frequentius uiri, bysso mulieres utebantur. De purpura Iuuenc.4.

Purpureamq; illi tunicam, chlamydemq; rubentem Inducunt. — Et Sedul.5.

– Rubri uilem sub tegmine cocci Vestitur chlamydem. –

Differen-

Differentiam autem inter purpuram & coccum, non admittunt Parrhaſius & Guarinus. Verùm purpura eſt piſcis è concharum genere, coccus uerò fructex: ex illius liquore, & huius granis, color præſtantiſsimus exprimitur, atque conficitur. Purpura à locis commendatur: Cilicia ſeu Tarſenſis à Tertulliano, Tyria à Virgilio, Africana à Victruuio, Emeritana à Plinio, Coa à Martiale. A

Purpurans, pro purpureo. Pr. Cath. *Ipſum Tonantis agnum*
De cæde purpurantem. Idem Steph. *Hic purpurantem corporis*
Gaudet cruorem lambere.

Puſio, puerulus, ſæpius apud Prudentium: *Emerge dulcis puſio.* Et,
Enſem cruentet puſio. Et, *Sequamur quod probarit puſio.*

Puſiola, puerula, uirguncula. Idem Steph. *Ludere neſcia puſiola.*

Pyra, πυρὰ, rogus ſeu ſtrues lignorum. In pyras conijciebantur, & uiui cremabantur Chriſtiani. Ibid. *Hos rape præcipites, & unctos, conijce in ignem,*
Sit pyra, quæ multos deuoret una uiros. Ibid. *Cùm crepitante pyra trepidos*
Terruit aſpera carnifices.

Pyrenęa terra, pro Hiſpania, quam mons Pyrenęus à Gallia ſeparat, nunc Ronceuaius. Prud. *Terrarum populi Pyrenæarum.* Eſt & mons eiuſdem nominis in Alpibus, quem Rhœti Brennerum appellant: de quo Planudes in epigrammate, *ὄρεα πυρλιναῖα, καὶ αἱ βαθυάγγεες ἄλπεις,*
αἱ ῥίνυ προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε. Igitur Pyrenæum in comitatu Tyrolenſi non fabricatus eſt Fabricius, ſcilicet poetico more ludendo: ita uti de me ſcitè & humaniter ſcribit uir clariſsimus, Doctor Hungerus Aquiburgenſis. Sed ſum ſecutus & hunc auctorem antiquum, & Plinium in Panegyrico, non ignotum in Germania ſcriptorem, cùm inquit: Germaniam cùm plurimæ gentes, ac propè infinita uaſtitas interiacentis ſoli, tum Pyrenæus, Alpes, immenſiq; alij montes, niſi his compararentur, muniũt, dirimuntq;. Ponit autem Plinius primùm partem: cui deinde totum ſubijcit, quod Alpes continent. B

Pyriphlegethon, *πυριφλεγέθων* inferorum flumen, quod ita circumſcribit Prudentius Apoth. *Amnis inexpletis uoluens incendia ripis.*

Q

AD Quadrantem ſoluere ſeu reddere, eſt ſummo iure cogi à debitore, nihil uel de ſorte uel de uſura remittente. Fort. de extremo iudicio:
Cogentur minimi quadrantem ſoluere nummi. Pr. Ham.
– Cuncta exacturus ad uſq; Quadrantem minimum. –
ἔσχατον κοδράντην, ait Matthæus. Sedul. 11.
Donec cuncta breuem reddamus ad uſq; quadrantem. Iuuencus lib. 1. ſententiam reddidit: *Vltima quàm minimi reddatur portio nummi.* Eſt autem quadrans, pars aſsis quarta, nummulus æneus, non magni precij. Quadrantarij dicebantur balneatores, quib. talis numerabatur: quadrantariæ item mulieres meretrices, quaſi uiliſsimæ, ut Clytemnæſtra & Clodia, à Cæcilio poeta & Cicerone.

Quadrifidum, in quatuor plagas quaſi fiſſum. Vict. 3.
Suſpice quadrifidi partes intentus ad orbis.

Qualus, uas è uiminibus contextum. Pr. Cath.
Fert ter in qualis quaternis ferculorum fragmina. Vulgò *κάλαθος*, in Marco *κόφινος*.

A Versus autem Prudentij uariè corruptus fuit, omißione & transpositione.
Eadem numerandi ratione alibi: *Qui ter quaternas deniq;*
Fundauit & fixit petras.

Quamuarius, una dictio, pro multifarius seu multiplex, qua solus utitur Cyprianus de Ligno uitæ: *Quamuarij generis, sexus, ætatis, honoris.*

Quandoq;, pro olim, seu aliquando. Vict.3. *– Cœlestibus undis*
Extinctum quandoq; iri. – Pr.Steph. *Video futurum principem.*

Quandoq;, pro aliquando. Paulin.Nat.8.
Seu quandoq; feræ circumiacuêre prophetam. Item pro quandocunq;. Paulin.
– Redeat quandoq;, licebit: In promptu uenia est. –

Quî, quomodo, aduerbium, circumflectitur. Prosp.c.Ing.
Quî non distatis ab illis, Qui dicunt? —

Quianam, pro quia, antiquo παρέλκοντι. Pr.Sym.1.
Sum quianam cœlo genitus, celebrabitis aras.

Quicum, ἀναστροφῇ: pro, cum quo. Alc.ad Fusc.
Quicum tu emißis habitaueris inde puellis.

QVINTILIANVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr.Steph Hym.4.

QVIRINVS episcopus (ut ex Prudentio & Fortunato colligere est) Siscianus, in Illyrico, gloriose (inquit Eusebius) pro Christo interficitur. mola enim manuali ad ipsius collum ligata, præcipitatus de ponte, diu in flumine supernatauit, & cum spectatoribus collocutus est: & ne suo terrerentur supplicio à cōfeßione nominis Christi, ipsos exhortatus. Vix orans, ut mergeretur, obtinuit. Pr.Steph. Hymno 7. Altero post ipsius mortem
B anno, extinguitur Galerius Imp. cuius mandato submersus fuerat.

Quisq;, pro quisquis: Prudentio & Iuuenco familiare. ut,
Satis beatus quisq; dextram porrigit. Et,
Iunonis iram sentiet, quisq; ut Deum Signo aut sacello consecrauit Herculem.
Ita locis alijs pluribus. Iuuenc.lib.1. *Quisq; meis monitis auresq; & facta dicabit.*
Idem 3. *Quisq; cupit celsam cœli conscendere sedem.* Similiter Help.de Christo:
– Nec quisq; recuset Pro Domino tolerare libens. –

Quocunq;, separatim positum, κατὰ τμῆσιν, Victori usitatum. ut,
– Quò ducens cunq; uolebat. Et, *– Quæ deniq; cunq; Causa fuit. —*

Quomodo, primis duabus syllabis breuibus, & ultima longa ter apud Aratorem legitur, semel apud Prudentium Sym.2. Ea quātitas suspecta fuit, & in exemplaribus excusis ferè mutata est: sed quod in antiquis non uno in loco inueni, id retinendum uisum fuit. quamuis non consulo imitandum.
Arator: *Vult retinere manum, quomodo tamen apta ministrans*
Iure uocatur opus. — Prudentius:
– In his quomodo uestalis origo fauillis Vrbibus. —

R

RAdiatilis, radios emittens. Fort.2.de D.Martino:
Sulfurea sub luce micans radiatilis umbra.

Radicare, radices agere. D.Ambros.Hym. *Quæsita iam primùm fides*
Radicet imis sensibus.

Reatus, pro culpa. Pr.Psych. *– Pallor in ore*
Conscius audacis facti, dat signa reatus.

Recogi,in unum redire & recolligi. Paulin.Pan. A
Si dubitas cineres in corpora posse recogi.

Recretus,pro renatus. Paulin.Cyth.*Licet ille fortis,postea receperit Robur,recretis crinibus.* de Samsone.

Reddere,pro respondere,usitatum Iuuenco,ut,
Conductor (reddunt ipsi) quòd nulla dedisset Iussa sibi.— Et,
Reddere huic,nostro nunc ijs opus esse magistro.
Locus uterq; deprauatus antehac fuit.

Refuga,pro transfuga. Pr.Steph.—— *Idolis Litare nigris,esse Christi refugas.* in Aldino,defugas. Tertul.1.*Terribilis refuga attribuit fera munera mortis.* Eâdem uoce & alibi utitur.

Reges suos antiqui retulerunt inter deos,placarunt thure,fana statuerũt, addiderunt flamines:idq; aut metu factum est, aut adulatione, aut opinione quadam uenerabili. Pr.Sym.1. —*Thure etiam ducibus,paruoq; sacello Impertitus honos.*——

Regestum,nunc uocabulo barbaro Registrum, liber in quem conijciuntur res memorabiles. Pr.Steph.*Hic in regestis est liber cœlestibus, Monumenta seruans laudis indelebilis.*

Regimen,pro regno. Idem Apoth. —*Moderatur utrunq; Naturæ regimen.*—

Repedare,pedibus domum remeare. Iuuenc.1.
Ad propriamq; domum repedat,iam certa futuri. Ita sæpe aliàs.

Replumis,qui plumas amissas recipit.Paulin. Cyth.
Donec replumi uestiantur corpore, Pennisq; florescant nouis.— B

Rescalpere,pedibus referire,recalcitrare. Pr.Psych.
Quam uita nostra recto rescalpit pede.

Resedit aulæ,pro in aula resedit. Idem Cath. ——*Iussus Sociam tenere uirgam Dominæ resedit aulæ.* Iosephum sollicitatum ab uxore Putipharis,scribit Moses:ab uxore ipsius Pharaonis, nonnulli ex hoc loco Prudentij somniant.

Respublicas tum demùm beatas dixit fore Plato, si aut docti & sapientes homines regere eas cœpissent:aut qui regerent,omne suum studium in doctrina atq; sapientia collocassent. Pr.Sym.1.

Nimirum pulchrè quidam doctißimus: esset
Publica res (inquit) tunc fortunata satis,si
Vel reges saperent,uel regnarent sapientes.

Verba Platonis sunt, *ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς.* lib.5.de Republica.

Restauro,pro instauro,minus usitatũ apud scriptores elegantes. Tert.3.
Oblitis legem,qui restaurauit iniquis.

Resultare,resultando celebrare,actiuè. Pr.Steph.
Hymnis resultat martyrem.—

Reuenire,pro redire. Pr.Apoth. —*Veniam,quibus ille reuênit Calcata de morte uijs.*—

Reuerto,ubi nunc reuertor. Alc.3.*Si tamen abstrusa quisquam de morte reuertat.* Victorius de Christo:*Ligno uita perit,per lignum uita reuertit.*

Reuigescere,

A Reuigeſcere,pro renaſci. Iuuenc.2.*Hunc ſimilē ſancti flatus,reuigeſcere certū eſt.*
Reuiuent,pro reuiuiſcent. Paulin.Pan.
Cumq; omnes,in qua uixerunt carne,reuiuent.

Rex,cuiuſuis eminentiæ uocabulum.unde rex pro marito. Pr.Ham. *Ipſe caput muliebris corporis & rex.* Item pro conuiuij magiſtro. Idem Cath. *Ipſe rex ſapore tinctis obſtupeſcit poculis.* Vnde eiuſdem munus, regnum appellat Horatius.Ita rex cauſarum apud Aſconium,pro ſummo oratore:rex pueriticiæ,apud Horatiū,pro magiſtro præclaro:rex domus,pro patrefamiliàs. Paulin.Nat.6.*Oblatumq; ſibi mox ipſo in limine regem, Agnoſcunt hilares.—*

Rhea,Romuli mater,in ripa Tiberis ab aliquo nobili & potente uiro cō preſſa,Martem finxit criminis auctorem,ne quis uirgini regiæ auderet ſtuprum obijcere. Pr.Sym.1.

Rhododaphne,ῥοδοδάφνη,quem fruticem Nerium appellant:nomen Latinum nondum inuenit,niſi cum Georgio Alexandrino roſam laurinam uelis appellare.flores eius roſæ ſimiles,folia lauro:id in horto amœniſsimo uiri doctiſsimi Chriſtophori Leuſchneri obſeruauimus. Iidem flores & folia, uenena ſunt capræ, ut Plinius: mulo, cani, aſino, & plurimis quadrupedibus,ut Dioſcorides teſtis eſt. Pr.Ham.
Roſcidus & uiridem qui ueſtit flos rhododaphnen Pabula laſciuis dederit ſincera capellis.

Rhomphæa,ῥομφαία,genus gladij,quod frameam uertunt.Framea autem uox eſt Germanica,auctore Tacito,Saxonibus ein frim,Sueuis ein pfrim.Significat pugionem longiorem, quo equites olim uſi ſunt tereti & acutiſsima. Idem tamen Tacitus haſtam eſſe ait. Pr.Steph.*Rhomphæa nam cœleſtium*
B *Vindex erit uoluminum.* Remanſit apud nos uerbum antiquum,pfriemen:id eſt, rhomphæa ſeu pugione ferire.

Rompheale incendium,pro penetrante fulmine,mirè dixit Pr.Cath. *Dextram perarmat rhompheali incendio.* Fulmen autem potente Dei manu torquetur & infigitur celeriter ac profundè,tanquam rhomphæa.

Robur erat lignea machina, uel ſtipes carceralis,ut idem:hoc eſt, cippus, rotundis foraminibus,cui pedibus nocentes includebantur.Id ita circumſcribit Prudentius Steph.*Lignoq; plantas inſerit Diuaricatis tibijs.*
Ante cauponum tabernas in publico eiuſmodi robora apud nos paſsim cernuntur,in uillis.

ROMA urbs,olim ſemidea habita:quia modò cum Venere, modò cum Salute concors templum habuit.illam,Venerem Romanam uidetur appellauiſſe Seruius:hanc,Salutem Romanam Ouidius. Vrbis Romæ templū, Ammianus Marcellinus annumerat pulcherrimis & ſumptuoſiſsimis. Vide Prudentium Sym.1. In marmore Athenienſi lectum fuit, Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑ, ΡΩΜΗ. Vnde etiam ipſa urbs,tanquam dea, AETERNA fuit cognominata. Illam autem æternitatem non duraturam, mente præſaga uir ſapientiſsimus Scipio præuidit, & defleuit, cùm cerneret ardere Carthaginem,ſuis manibus incenſam:totius Africæ,& multarum gentium tranſmarinarum uictricem atq; dominam.

ROMANI epiſcopi,qui à Petro apoſtolo fuerint,à Tertulliano recenſentur his nominibus:Linus,Cletus,Anacletus,Clemēs,Euariſtus,Alexander,Sixtus,Teleſphorus, Higinus, Pius, Anicetus, Cletum in hoc numero

omittunt Eusebius & Hieronymus: Anacletum Ruffinus & Epiphanius. A
Verùm his omnibus maior Tertullianus, loco arbitri poteſt eſſe: quam tamen controuerſiam in hac breuitate diſcutere non eſt neceſſe.

Romani ſuos deos accerſierunt ab alijs gentibus. Martem iactauerunt patrem: Mineruam uocarunt è Græcia, Iunonem è Libya, Venerem è Sicilia, Cybelem è Phrygia, Bacchum è Naxo inſula. Pr. Sym. 1.

Dextera uictoris ſimulacra hoſtilia cepit,
Et captiua domum, uenerans ceu numina uexit: ut canit idem Sym. 2.

Romanis ideo datum imperium à Deo eſt, teſte Prudentio,

Vt diſcrepantum gentium
Mores & obſeruantiam,
Linguasq; & ingenia & ſacra,
Vnis domarent legibus. Item,

— Quò magis
Ius Chriſtiani nominis
Quodcunq; terrarum iacet,
Vno illigaret uinculo.

Diſputat de eadem re prolixè Sym. 2. *Nam locus eſſe Deo quis poſſet in orbe feroci, Pectoribusq; hominum diſcordibus, & ſua iura Diſsimili ratione tuentibus, ut fuit olim?* Imperia igitur debēt eſſent hoſpitia Eccleſiæ, & præſidia piorum: quale fuit Theodoſij, Conſtantini, Caroli Magni, & aliorum paucorum.

Romanorum hoſtes potentiſsimi memorantur, Brennus dux Gallorum, Antiochus Syriæ rex, Perſes Macedoniæ, Pyrrhus Epiri, Mithridates Ponti: qui magna ab ipſis gloria deuicti ſunt, à Camillo Brennus, ab Attilio Antiochus: ab Æmilio Perſes, qui etiā in triumpho ductus eſt: à Fabricio Pyrrhus: à Pompeio Mithridates, qui annos cum Romanis quadraginta bella geſsit. Pr. Sym. 2. *Si Brennum, Antiochum, Perſen, Pyrrhum, Mithridatem,*
Flora, Matuta, Ceres, & Laurentina ſubegit. Brennus perijt ſuo in ſe gladio uſus, B
Antiochus familiarium enſe, Perſes in hoſtili carcere, Pyrrhus ictu tegulæ, Mithridates ueneno: quas pœnas ſacrilegij, ſuperbię, parricidij, cupiditatis, tyrannidis non intulerunt ipſis, à Prudentio rectè irriſa numina, ſed iuſta & uindex Dei iuſtiſsimi & omnipotentis ira.

Romanorum ſigna & clypei crucem habuerunt, tempore Conſtantini. Pr. Sym. 1. *In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,*
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis. Ibid. *— Clypeorum inſignia Chriſtus*
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

ROMANVS Antiochenus martyr, uir genere nobili, pœnas uarias & cruciatus horrendos ſingulari conſtantia & animo excelſo pertulit, excruciante ipſum Aſclepiade præfecto. Pr. Steph. hym. 8. Eum hymnum ab opere reliquo Aldus ſegregauit, & inſcripſit Tragœdiam, & libro περὶ στεφάνων præpoſuit: ſed in libro Borneri, ad eiuſdem extremum adiectus fuit. Nos Sichardum, & editionem Cratandri ſumus ſecuti.

Romuleus campus, idem eſt qui à ueteribus dictus Martius. Pr. Sym. 1. *Martia Romuleo celebrarent ut ſacra campo.* Illud autem nomen, Romuli temporibus non habuit: ſed poſt exactum demum Tarquinium, dicatus Marti fuit. Vſitatum eſt poetis, nominibus nomina permutare.

Rubrica, nota inſignis & miniatula, qua leges diſtinctæ erant quaſi per capita, quas diſtinctiones eodem nomine antiqui nominarunt: ut Maſuri rubrica, apud Perſium. Pr. Sym. 2. *— Dicant cur condita lex ſit*
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur, *Quæ prohibet peccare reos. —*

Ructamen,

A Ructamen, pro ructu. Idem Ham. *Carnis & immodicæ spurco ructamine crudos.*

Rudens, nauticus funis, pro quouis uinculo. Pr. Steph. *— Nodoq; tenaci Astringit plantas, cumq; rudente ligat.*

Rudus, ruderis, materia cuiusuis metalli infecta, ex qua opus conflatur aut excuditur. Idem Apoth. *— Non sicut sculptor ab æris Rudere, decoctam consuescit fingere massam.*

Ruricola, qui uillam habitat, & rus colit. Idem Sym. 1.
Scortator nimius, multaq; libidine suetus Ruricolas uexare lupas. —

RVSTICVS HELPIDIVS temporibus Symmachi & Boethi uixit, imperante Anastasio, medicus Theoderici Gothorũ regis: uir stirpe nobili, & (ut in inscriptione legitur) exquæstor. Scripsit cõsolationem sui doloris, cuius ipse meminit his uerbis: *Hinc etiam nostro nugata est schema dolori,*
Garrula mendosis fingens Satyromata Musis,
Falleret ut trepidos cantatrix pagina questus. Hic liber amplius non extat: & quia illa consolatio fortasse tantùm philosophica fuit, qualis etiam Boethi in manibus est, ideo nugas & mendosas Musas suum scriptum ipse esse existimat. Extant eiusdem tristicha Historiarum testamenti ueteris & noui. Item de Christi Iesu beneficijs carmen elegans, quod uir eruditissimus Ioãnes Hartungus, precibus & rogatu Ioannis Oporini, uiri officiosissimi, ad nos misit. Helpidius uixit circa annum à nato Christo quingentesimum.

Rythmus metris est consimilis, qui est uerborum modulata compositio, non metrica ratione, sed numero syllabarum ad iudicium aurium examinata, ut sunt carmina uulgarium poetarũ. Rythmus per se, sine metro esse potest: metrum uerò sine rythmo esse non potest, quod liquidius ita definitur.
B Metrum, est ratio cum modulatione: rythmus, est modulatio sine ratione. Plerunq; tamen casu quodam inuenies etiam rationem in rythmo, non artifici moderatione seruatam, sed sono & ipsa modulatione ducente: quem uulgares poetæ necesse est rusticè, docti faciant doctè. Quomodo ad instar iambici metri pulcherrimè factus est hymnus ille Prædarum,

O rex æterne Domine, Qui eras ante secula,
Rerum creator omnium, Semper cum patre filius.

Et alij Ambrosiani non pauci. Item ad formam metri trochaici canũt hymnum de die in diem per alphabetum.
Apparebit repentina, dies magna Domini,
In obscura uelut nocte, improuisos occupans. Ita ad uerbum Beda.

S

S Litera, propter cæsuram longa. Iuuenc. Præf.
Ergo age sanctificus aßit mihi carminis auctor. Eadem breuis in quibusdã substantiuis, contra naturam. Pr. Steph. *Tuus ille seruus, proles ancillæ tuæ.*
Idem Ham. *— Si terras lues incentiua fatigat.* Breuis item in proprijs, *ἰωάννης, ἡρώδης, μώσης.* Ibidem: *Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus.* Sedul. Hym.
Herodes hostis impie, Christum uenire quid times? Fort. De partu Virg.
De quo Moses ait, Deus excitat ecce prophetam.

Sabbathum, dies septima quæq;. ea quietis erat, instituto diuino: & accipitur pro quiete. Alij huius uocis aliam afferũt etymologiam, sed ad ueram respexit Ouidius: *Cultaq; Iudæo septima sacra uiro.* Iuuenc. 4.

– Aut ne tum sabbatha festa Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu. A

Idem mox describit uerbis plurimis: *Iamq; dies rutilo complebat lumine terras, Ocia qui semper prisca de lege iubebat.* Christiani suum sabbathum agitant die, quem ethnico nomine uocant diem Solis: Iudæi, quem nunc nominant Saturni: Mahometani, quem Veneris.

SABELLIVS hæreticus, impugnatur à Prudentio Apoth. & à Sedulio lib.1. aduersus doctrinam Arrij. de utroq; Sedul.

Iste fidem trinam, ast hic non amplectitur unam:
Ambo errore pares, quamuis diuersa sequantur.

Sacra Romana insectatur Prudentius, à Baccho dicta Orgia, seu Dionysia: à Saturno, Saturnalia: à Ioue proprium nomen non habent, sed Curetum tripudiantium fuerunt, ὀργία τοῦχ' ἐχόντων: à Cybele, Megalesia: à Pane Lycæo, Lupercalia: quorum & sparsim meminit, & Sym.2.

Sacra uia, Romæ celeberrima, foro Romano contigua: inde dicta, quòd sacra facturi in Capitolio, per eam incederent. Idem Sym.1.

Ac sacram resonare uiam mugitibus. –

Sacricola, pro sacerdote. Ibid. *Deniq; pro meritis terrestribus æqua rependens Munera sacricolis. —*

Sacrificium, secunda producta. Arat.2. *Forma sacrificij perfecti prisca, canistro Tres panes offerre iubet. –*

Salaria uia, extra portam Collinã Romæ, in qua multa sepulchra fuerũt. Pr. Sym.1. *Densisq; Salaria bustis.*

SALIA Flauius, Consul Romanus fuit, cum Flauio Philippo, quibus Coss. nascitur Prudentius, anno à nato Christo CCCL. B

Saluator, σωτὴρ, qui dat salutem. Pr. Sym.1. *Saluator generis Romulei precor.* Latinius dicitur Seruator: ut, mũdi seruator, Augustus Cæsar apud Propertium. In Iuuenci exemplaribus uetustis modò seruator, modò saluator legitur. Differunt Latinitate & usu.

SAMARIA, σαμαρεία, urbs, regia sedes Israelis. Inde Samaritanus, uaria quantitate. Alc.3. *Et Samaritani nos extera cura fouebit.* Sedul.3. *Prætериensq; uiæ Dominus loca Samaritanæ.* Et Samarites, σαμαρείτης. Iuuenc.2. *Ecce Samaritũm populi uenêre rogantes.* Samaritanus autem apud Ebræos eadem infamia dicebatur, ut apud nos apostata, aut hæreticus.

Sambuca, σαμβύκη, uox Persica, instrumenti musici. Pr. Apoth. *Organa, sambucas, citharas, calamosq;, tubasq;.*

Sanctorum inuocatio temporibus Prudentij in Ecclesiam iam ~~irrepserat~~, ut multis è locis patet. ita autem inquit in hym.10. Steph.

Caue' Iuuenis latet anguis in herba.

Vellem sinister inter hœdorum greges Atq; hoc precante, diceret Rex optimus:
Vt sum futurus, eminus dignoscerer, Romanus orat, transfer hunc hœdum mihi.

Quid est Prudenti Clemens, quòd inter hœdos te futurum dicis? An oblitus tui es, qui antè scripsisti: *Crux nostra, Christi est: nos patibulum ascendimus, Nobis peremptus Christus. –* Hæc ipsa fides te hœdorum gregi eximit, quòd crux Christi tua est, quòd cum ipso crucem ascendisti, quòd Christus pro te mactatus & cruci affixus est. Cum eodem igitur, uero illo agno stabis: cum eodem in paradisum ibis, etiamsi latrone, unà crucifixo, millies sis deterior. Sanguis enim Christi emundat ab OMNI iniquitate, quod in sua epistola

od publicanum humilem, non Pharisæum

Videndũ est atq; et ne' fidei vis tota, que' humilitate tãj velut pabulo, alitur. ab ista confidentia atq; arrogantia ultra terminos sese effundete strangulетur: illisq; talibus accidat quod nimia letitia luxuriãtib. segetib. Id quod in Petrj Apostolj præsidẽtia nobis designatũ e.

A Ioannes bis repetit. & Chriſtus uti Nicodemo, ita tibi Prudenti loquitur: Qui credit in filium hominis, non condemnatur. Ergo non Elias propheta, non Paulus apoſtolus, non martyr Romanus, ſed æternus Dei filius, ſuo cruore te redemit, ſua uoce te nominabit, ut uenias filius benedictus, cùm daturus præmia eſt ſuis cœleſtia & ſempiterna. In libro de Pijs & catholicis atq; orthodoxis precibus, præclarè de hac re ſcribit uir præſtatiſsimus IOACHIMVS CAMERARIVS, cuius cuncta uerba iuuat ſubijcere. Prudetius (inquit) & optimus, pietatisq; Chriſtianæ ſtudioſiſsimus uir, neq; poeta malus, aut contemnendus fuit. ſed quid ait? cùm commemoraſſet, quę poteſtas S. Laurentij, & quàm facilis ad exaudiendum ille eſſet ciues ſuos:

Hos inter, ô Chriſti decus
Audi, & poetam ruſticum.
Indignus (agnoſco & ſcio)
Quem Chriſtus ipſe exaudiat:

Et mox:

Sed per patronos martyres
Poteſt medelam conſequi.

Idem cùm feciſſet oratoré efficacem ad Deum S. Vincentiũ, quę nam addit?

Miſerere noſtrarum precum,
Placatus ut Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si ritè ſolennem diem
Veneramur ore & pectore,
Si ſub tuorum gaudio
Veſtigiorum ſternimur.

Nimis profectò poeta fuit in his Prudentius, & à ſimplice ueritate, ſequens amœnitatem muſicam, receſsit. Quid enim differant ab illis falſorum numinum Grecorum, aliarumq; gentium inuocatione tales preces, præterquàm nomina quòd mutantur, non uideo. Tales igitur lapſus, ab ijs qui obſeruare potuerunt, ſilentio prætereundi non ſunt, ſed indicandi fideliter: & quos

B euerterunt, ij comiter alleuandi, non alijs inſuper ruinis premendi ſunt. Quapropter rectà accedatur ad ſolium gratiæ, fauorisq; Dei æterni: à quo omnes credentes filio, admittuntur ipſo adducente. Et ſit oratio precantũ neutiquam dubia, hæſitans, timida, deſperabunda: ſed in fidei conſtantia aſsiduò urgeat petitiones. Hæc ille.

Sanguen, genere neutro. Hilar. *Venarum riuos & ſparſum corpore ſanguen.*

Sanguine paſtus, pro immani & fero. Pr. Steph.

Paſtus ſanguine carnifex trahebat. Ita de Polyphemo Virg.

– Et ſanguine paſcitur atro.

Sapientia, pro filio Dei, & uerbo. Alc. 1.

Tum demùm tali Sapientia uoce locuta eſt. Vict. 1.

Iterumq; renaſci — *Aeterni docuit diues ſapientia patris.*

Saporare, ſaporem indere. Dracont. Hex. *– Autumni qui dulcia poma ſaporat.*

Sapphirinus, σαπφείρινος, antepenultima breui, colore ſapphiri. Alc. 4. de coloribus iridis: *Sapphirino, uiridi maculoſo, cærulo, & albo:*

Purpureum de nube trahit, de ſole coruſcum,

De cœlo rutilum, de terra ſumit & atrum.

Sarabala, σαράβαρα, ut 3. Danielis legitur, uox eſt Tyria: quã retinuit prophetæ interpres uetus, & in trãslatione Theophili Alexãdrini diuus Hieronymus. Poſſumus aũt interpretari Sarabalã, purpurã Domini, genus uideli cet pilei aut ueſtis, quę ſit nobilitatis inſigne. Sara enim, uel Sarra, Tyrijs eſt purpura: unde Oſtrum Sarranũ Virgilio & Latinis: Bal uerò Dominũ ſignificat, quod ijdé Tyrij mutatione literarũ tenuis & aſperæ, etiã Bar dixerũt: ut

magalia

magalia & magaria. Recentiores alij uertunt pallia, alij femoralia. Iudicent de etymo & origine uerbi peritiores. nos interpretãdi occasionem è Seruio grammatico sumpsimus: nec, Tyrum dictam olim Sarram, è Gellio ignoramus. Historiam autem trium puerorum, in qua huius uocis mentio, breuiter attingunt Prudentius & Auitus. A

Sarctus tectus, pro incolumi, ab ædificijs sumptum ad hominem, proprio Iureconsultorum uerbo. Alc. ad Fusc. —— *Inq; leones*
Virtutem dedit, ut posita feritate, suæq; Iam famis obliti, sarctum tectumq; fouerent.

Sarcophagus, σαρκοφάγος pro sepulchro, in quo corpus putrescit & consumitur. Pr. Cath. *Quæ redolentia funereo Iussa quiescere sarcophago.*

Sarculatus hortus, purgatus & mundus, à sarculo hortulanorum instrumento. Idem Steph. *Quàm plantæ in hortis sarculatis creditur.*

Satias, pro satietate. Iuuenc. 1. *Prouenit, & tamen his satias potusq; cibiq;.* Idem 3. — *Populusq; repletur Ad satiem dapibus.* —

SATVRNINI, Cæsaraugustani, uel ex eadem familia fuerunt, uel certè quatuor cognomines martyres. Pr. Steph. hymno quarto.

SATVRNINVS, Apostolorum discipulus, primus Tolosæ in Gallia episcopus. In sua patria per scalas Capitolij à fero tauro tractus, eliso capite, cerebroq; per uias disperso, moritur. Fort. lib. 2.

Satyroma, σατύρωμα, pro carmine Satyrico. Help. de Christo:
Garrula mendosis fingens satyromata Musis.

SAVL, primus rex Ebræorum è clitellario factus: in datiuo Sauli, διαιρετικῶς literis diuisis. Alc. ad Fusc. *Præterea reprobo qui successère Sauli.* Item in nominatiuo διαιρετικῶς apud Paulin. Cyth. *Saul in hoc deficiat, & regnet Dauid.* B

SAXONVM Germaniæ populorum, ad Oceanum habitantium, meminit Eutropius: ubi ait, Diocletiano imperante Saxones & Francos infestasse Gallias, anno à nato Christo CCLXXXVIII. Sidonius Apollinaris eos ait usos pellitis nauigijs, — *Cui pelle salum sulcare Britanum Lusus erat.* —— Eosdem in Alarici & Rhadagasti castris militasse, cum aliorum populorum multitudine, Prudentius testatur Sym. 2. — *Alemanus, Saxo, Galaulas.* Lege de ijsdem plura apud Sidonium epistola ad Namatium. Saxonibus concionatum esse Felicem episcopũ Nannetẽsem, scribit Fortunatus lib. 3.

Mitibus alloquijs agrestia corda colendo,
Munere Felicis de grege nata seges:
Aspera gens Saxo, uiuens quasi more ferino,
Te medicante, sacram bellua reddit ouem.

Hoc autem est factum circa ea tempora, quibus Saxones Francis opem tulerunt contra Erinfridum regem Turingorum, quo deuicto Franci Turingis imperitarunt.

Saxum molare, λίθος μυλικὸς, ut apud Marcum: saxum molinum, ut uertit Tertullianus. Iuuenc. 3. *Si sapiat, nectat saxo sua colla molari.* Apud Matthæum, quem alias sequitur Iuuencus, μύλος ὀνικὸς, quod interpres molam asinariã uertit. Vel igitur in Syria, molæ ab asinis uersabãtur (quod etiam factum in Italia, è Catullo & Ouidio liquet:) uel pars intelligitur pro toto. Superior enim molæ pars Græcis ὄνος, inferior τράπεζα seu meta nominatur. Olim molæ agitabantur aut ab hominibus, aut à iumentis: id quod nunc usitatè fit aquis, interdum uentis, & aliquando harenis.

SCABIES,

A SCABIES, dea. Pr.Ham.*Par furor illorum quos tradit fama, dicatis Consecrasse deas Febrem Scabiemq; sacellis.* De fano Febris, ne quid mirum dicere uideatur, Cicero, Liuius, Valerius, Seneca, Plinius scribũt: de Scabiei adhuc nemo, excepto Prudentio, quod sciam, meminit.

Scantinia lex de impuris lata, qui ætatem & sexum suum nefanda libidine dehonestarent: ea damnat ipsum Iouem Prudentius Steph. & Sym.1.itẽ Apollinem, & alios impuros gentilium dæmones.

Scenæ factor, imitatione uocis Græcæ, σκηνοποιὸς, qui aulæa texit. Arat.2.

— Nam scenæ factor uterq; Pollebant operis studijs.—

Erat artificium Pauli, quo uictum quærebat apud Corinthios. In scenis autem pauimentum aulæis sternebatur, ut auctor est Arruntius. Idem Arator mox uertit, qui tentoria fabricat, σκηνοποιὸν: & quid sint tẽtoria, ita designat,

Longius hæc abiens peregrinus ubiq; uiator Erigit, atq; hyemes solesq; his pellibus arcet.

Schisma, σχίσμα, discissio, sententiarum diuersitas. Sedul.4.

— Vt sacra uestis Intemerata manens, à Christo schisma uetaret. unde Schismatici, qui non usitatas afferunt contra Dei uerbum sententias, ijsq; se à communi consensu separant & seiungunt.

Scissura, dissensio. Pr.Psych. *— Scissura domestica turbat Rem populi.—*

Scribæ, doctores & interpretes legis fuerunt. Iuuenc.4.

Conuenẽre omnes scribæ, proceresq; uocati.

Scribæ, νομικοὶ, γραμματεῖς: proceres, ἀρχιερεῖς.

Scriblita, genus iuris & cibi plebeij, de quo in cruce potionem datam Christo, nullo alio assentiente, quod sciam, scribit Tert.5.

B *Potatur scriblita, & fel miscetur aceto.* Vide, Potus. Pertinet huc uersus Sibyllinus, εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.

Scriptulum, uel scribulum, γράμμα, tertia pars drachmæ, minima unciæ: der dritte teil eines quentlins. Fortun.lib.3. *Horarum splendor, scriptula, puncta fouens.*

Scutula, textura filata, in modum telę araneæ rotunda. Sumitur pro ueste tenui serica. Scutulis tegunt faciem uirgines Italæ, cùm extra domos sunt: Belgicæ pectora, in conuiuijs. Pr.Ham.

Secus aduerbialiter, pro iuxta. Fort.lib.2.

Tu plantata micas, secus est ubi cursus aquarum. id est, ubi prope est.

Sector, quem nos carnificem uocamus. Pr.Steph.

Cessabit equidem tortor & sector.

Seductilis, ad decipiendũ facilis. Alc.2. *— Mortiferum seductilis Eua uenenum Suscipiens.——*

SEDVLIVS. Vide, Cælius Sedulius.

Segmentum, sectæ rei nota, uel ipsa sectio. Pr.Steph.

Quæ uis doloris, quiue segmenti modus?

Segregem prophetam intelligit Prudentius Cath. Eliam, cœtus hominũ fugientem: non superstitione, ut monachi: neq; opinione, ut anabaptistæ: sed propter tyrannidem reginæ barbaræ & crudelis,

— Quem remotum & segregem Spreuisse tradunt criminum frequentiam.

Alibi dicit, *Segrege regno.* Et, *Segrege forma.*

Semicinctia, σιμικίνθια (nam uocem Latinam retinuit in Actis Lucas) erant, quibus sordes manuum abstergebantur: σουδάρια sudaria, quibus sudor

R frontis.

frontis. Arat.2. – *Semicinctia deniq; Pauli, Atq; allata palàm sudaria, fusa per artus Languorum pressere focos.* – A

Semiferi dicuntur gigantes, uel quia pedes serpentinos habuisse fingun-tur: uel propter animos sanguinarios. Pr. Ham.
Malle & semiferi stirpem nutrire Goliæ.

Semiramia urbs, pro Babylone, à Semirami condita. Alc. ad Sor.
Fortè Semiramia puer hoc ætatis in urbe Vnus erat. ——

Senex, adiectiuè. Iuuenc.1. – *Admiratio digna De pueri uerbis senibus fuit.* – id est, homini seni conuenientibus. Ita in Eun. *Inhonestum hominem, senem, mulierem*: id est, deformem & anum. Eunuchus enim non habet, unde uir appelletur.

Sentosus, sentibus obsitus. Paul. *Qui sentosarum purgans concreta uiarum.*

Sentum, pro sentium, συγκοπή. Pr. Apoth.
– *Sentum uisa est excita cremare Flamma rubum.* ——

Separ, pro separato. Ibid. *Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu Tres faciam.* ——

Septem fuerunt archidiaconi, qui ministrarẽt Romano episcopo. de Lau rentio Pr. Steph. *Hic primus è septemuiris Qui stant ad aram proximi.* de Vincentio: *Minister altaris Dei Septem è columnis lacteis.* Illis temporibus nomen Cardinalium adhuc notum non fuit, neq; eius Isidorus De officijs Ecclesiasticis meminit.

Septicollis, ἑπτάλοφος, nominatur Roma. Pr. Steph.
Diuûm fauore cùm puer Mauortius Fundaret arcem septicollem Romulus.

Septiforis dicitur uultus hominis. Alc.1. B
Septiforem uultum rationis sensibus aptans, Olfactu, auditu, uisu, gustuq; potentem. A' septem foribus: binæ enim fores oculorum sunt, bini meatus aurium, to tidem narium, unus hiatus oris.

Septiformis dicitur Spiritus sanctus, à donis multiplicibus, quæ largitur Ecclesiæ. In Hymno ametro: *Tu septiformis munere, Dextræ Dei tu digitus.* Recensentur etiam septem dona peculiaria sancti Spiritus: unde idem se-ptemplex spiritus, Tertulliano lib.4. Gregorius lib.31. Moralium: Quia se-ptem superbię uitijs nos captos diabolus tenuit, idcirco redemptor noster, ad spirituale liberationis bellum septiformi gratia plenus uenit. Vitia autẽ superbiæ sunt: ambitio, ira, inuidia, liuor, rapina, uoracitas, luxuria.

Sequestrare, ad asseruandum deponere, donec de certo domino aut pos-sessore constet: uerbum fori. Pr. Cath.
Hominis tibi membra sequestro, Generosa & fragmina credo.
Sequestratur corpus defunctum terræ, quia olim depositum reddet. unde ibidem sequitur: *Reddas patefacta necesse est, Qualem tibi trado figuram.*

Serietas, pro maturitate & grauitate. Paul. — *Incertáq; cessant Murmura, serietas lasciui præuia sensus.*

Serpens in agro, coluber in syluis, anguis in aqua, draco in templis: sed cõfunditur hæc Grammaticorum differentia. Vipera & aspis certæ sunt spe cies serpentum, & quidem maximè uirulentæ. Pr. Sym.1.
Torpebat glacie pigra ubi uipera. Ibid. *Excussumq; procul decutit aspidem.*
Mox etiam colubri uocabulo pro utroq; utitur, non impropriè: quia in sar-
mentis,

A mentis, ἐν τῶν φρυγάνων πλήθει inuentus eſt. Lucas primùm utitur ſpecie, dicens ἔχιδνα: deinde genere, τὸ θηρίον.

SEXAGINTA martyres uno in loco ſepulti Romæ, quorum nomina ignota eſſe ſcribit Pr. Steph. *Sexaginta illic defoſſas mole ſub una*
Relliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta uocabula Chriſtus.

Siclus, σίκλος, ponderis certi genus apud Ebræos, ponitur pro armatura militari. Paulin. Nat. 8. *– Qui ſpretis fortior armis*
Perculit armatum ſiclis, uirtute gigantem. Loquitur autẽ de Goliatho, cuius lorica ænea pẽdebat ſiclorũ quinq; millia, & haſtile lanceæ ferreũ ſiclos ſexcẽtos.

Sidere, pro ſedere, antiquè. Drepan. hym. *Zacharias roſeo ſidere uidit equo.*

Sigillum, pro paruo ſigno. Pr. Steph. *Iam ſi ſub aris ad ſigillorum pedes Iaceatis.* Sigillum idem nominat, Palladium Troianum. Sym. 2.
– Pallas, cæſis cuſtodibus, ultro Lêgit, ubi humenti ſudaret mœſta ſigillo.
Sudaſſe aũt eam effigiem, cùm à Græcis raperetur, ſatis è Virgilio notũ eſt.

Sigillatum, à ſigillo, quod annulo imprimitur. ſigillatum igitur, quod ſigni notam retinet. Pr. Ham. *Cautè ſigillati longum ſalis effigiati.* Statuam uxoris Lothi ſalem ſigillatum nominat, quia eius figuram exprimebat.

Silicibus Romam fuiſſe ſtratam, multi auctores affirmant. Idem Sym. 1.
Quiq; terit ſilicem uarijs diſcurſibus atram. Ii ſilices unde tanta copia effoſsi ſint, eruditi adhuc ambigunt: quo colore fuerint, obiter Prudentius notat. Fuerunt autem ſilices Romani tabulati. nam qui apud nos ſilices dicuntur, aliam formam habent: nec exſcinduntur è rupibus, ſed in agrorum aut aquarum fun-
B dis colliguntur.

Siloa lacus ſeu piſcina fuit, ſeu (ut Ioannes Euangeliſta) κολυμβήθρα, in qua innatarunt, ſeq; lauarũt uarijs morbis affecti: ad quam ire iubet ab ubere materno cæcum Chriſtus, apud Ioannem cap. 9. & ad quam fruſtra octo & triginta iacuit annos paralyticus, apud eundem cap. 5. Aquas Siloæ uado eſſe tranquillo, teſtatur Eſaias 8. cap. Certo tempore motas fuiſſe, tradit Ioannes. Multæ autem aquæ ſalubres & medicatæ, alijs quoque locis fuerunt in Iudæa. Legitur apud eundem Euangeliſtam, προβατικὴ κολυμβήθρα cap. 5. ut Theophylactus citat: quaſi dicas, die Viehtrencke. Drep. Epiſt. 1.
Si placidi fontis uitalem quærimus undam, En Siloæ nobis uena ſalubris adeſt.
Fuerunt ad eandem extructæ porticus, in quibus ſine iniuria tempeſtatum ægroti cubarent. unde Arator, *— Piſcina ligata Porticibus.* — lib. 1.
Syllaba in hoc nomine triplicem habet quantitatem. Sedul. 3.
– Siloam ueniſſet ad undam, Et conſanguinei fotus medicamine limi
Pura oculos fouiſſet aqua. — Arat. 1. *Signatis etiam numero paralyticus annis*
Ille iacebat iners, cui proxima mota Siloa Heu nullas præſtabat aquas. – Sedul. Ench.
Siloam uocitant, ſputis ubi collita cæci Lumina. ——

Siluicola, pro Fauno, αὐτονομαστὶα. Pr. Sym. 2.
– Siluicolæ calamos, arcumq; puellæ Dedere ſeruitio. –
Per puellam, Dianam intelligit.

Simon Simonis σίμων σίμωνος. Latini mediam modò corripiunt. Iuuenc. 1.
Præſolidum Simonem, dignum cognomine Petri. Sedul. 3.
Stagna petit, paruaq; ſedens in Simonis alno.

Secutus sum exemplaria. nam Sedulij locus traiectione unius uerbi potest A
mutari, ut Nebrissensis fecit. Mediam modò producunt. Iuuenc. 4.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra Virtute ipsius diffugerat.—

Simplus, pro simplice. Pr. Steph. *Ne morte simpla criminosus multiplex Cadat.*——

Sinapi, σίναπι, uox peregrina. Iuuenc. 4.
Instar quæ minimi posset præstare sinapis.

Sistrum, σεῖστρον, Ægyptia uox, Musicum instrumentum, quod motu & cō cussu sonitum edebat. Prud. Psych. *Ludebant resono meditantes uulnera sistro.*

Smigma, σμῆγμα, quo lauando abstergendoq; utimur. Alc. ad Fusc.
—*Famulis conūtata duabus, Quas smigma atq; oleum iubet ad se afferre.*—

Socors, prima breui, apud Prudentium Cath. *Ne somnus usq; ad terminos Vitæ socordis opprimat.* Inde socordia. Idem Apoth.
Cæcorum, cæcos loquor atra socordia quorum.

Sodomita, ut Sybarita, masculinum. unde Prudentius genus & declinationem mutauit, cùm inquit, *Sodomita libido*: pro maximè turpi & flagitiosa. Dicendum autem fuisset Sodomitis.

Sola pendulus, habens sub se solum pendulum. Pr. Apoth.
— *Quis triuerit udum Non submersus iter, sola pendulus, & pede sicco?*

Solidare, solidum facere. Arat. 1. *In liquidis solidauit aquis.*—

Sophia, σοφία, sapientia. Sym. 1. *Aetheriæ coluerunt dogma sophiæ.*
Item Sophia, pro filio Dei. Cath. *Tamen paterno in pectore Sophia callebat prius.*

Sophistas exagitat Prudentius, tanquam hostes Dei iuratos. nam rationi tribuentes omnia, & sine causa nihil fieri dicentes, dæmonis instinctu Deo B
contradicunt omnipotenti & liberrimo. nam Sym. 2. de diabolo loquens, addit, —*Trahit inde sophistas Barbatos.*—— Iulianum Imp. suis persuasionibus atq; præstigijs apostatam fecerunt Themistius, Libanius & Aetius, sophistæ. Aristoteles ipse sophistas uocat ἐριστικοὺς, quòd sint cōtentionum cupidi: & χρηματιστικὴν artem ipsorum, quòd magis sint studiosi pecuniæ & lucri, quàm ueritatis & honesti nominis. aitq; Hippodamus, eos ζόφωσιν καὶ σύγχυσιν inferre uitæ hominum.

Sorites, σωρείτης, genus argumentationis, in quo aceruatim plura colligun tur, è quibus infertur propositio. Tali utitur contra Homuncionitas Prudentius Apoth. ubi probare uult, animam nostram non esse deum. Quod na tum est, in certo loco est. Quod in loco est, id fine modicū est. Quod fine aliquo continetur, id imperfectum est: Quod est imperfectum, uitiosum est. Vitiosum quod est, pœnæ subijcitur. Quod subijcitur pœnæ, deus non est. Ergo hominis anima, deus non est.

Spado, σπάδων, qui uirilitatem amisit. Pr. Steph.
Per multa matri sacra plorandus spado.

Spartum, linum Hispanicum, primùm ex Africa translatum. Sparteus culleus, è sparto factus. Ibid. *Sed complicatum sparteus Claudat cadauer culleus.*

Spartei funes apud Paulin. Cyth. *Nam fila byssi fortiora, & sparteis Feruntur esse funibus.*

Species rerum aut sunt cœlestes, ut sidera: aut sunt terrenę, ut homines & animantia: item montes, arbores, plantæ & similes: aut sunt æquoreæ, ut pisces

A pisces & monstra marina. aut sunt pressæ (ut Alcimus) seu subterraneæ, & submarinæ: ut multa repentium genera, qualium quædã in lucem ueniunt, sed rarò, ut bufones: quædam nunquam prodeunt, nec lucem uiuentes ferunt, etiamsi extrahantur, ut pyriphrynos, seu bufo à colore dictus ignitus. Has omnes rerum species Deus coli uetuit: gentilitas adorauit. Alc. 1.

Speculamen, speculatio. Pr. Apoth. *Hebes intuitus speculamine glauco.*

Specus, pro carcere, qui solet esse in profundo & tenebris. Idem Steph. *His dictis adeunt specum reorum.*

Spelæum, σπήλαιον, antrum, meatus subterraneus. Vict. 1.
Et rursum spelæa subit, mersusq; cauernis Intus agit fremitus. — Sedul. Ench.
— Hoc illud millibus emptum Spelæum. ——

Sphera, prima breui κατ' ἐξαίρεσιν. Pr. Apoth.
Cuius ad arbitrium sphera mobilis atq; rotunda.

Sphragitides, σφραγιτίδες, medicamenta & pastilli ad uulnera glutinanda apti, è terra Lemnia compositi: quæ quia sigillum capræ, quod Dianæ erat, habebat, ideo à Græcis σφραγῖτις, à Latinis dicta sigillata est. Pr. Steph. *Quid, cùm sacrandus accipit sphragitidas?* Ita Celsus Polybi medici sphragidem nominat, pro eiusmodi pastillo.

Spicare, in spicas erigere. Dracont. Hex.
Ventus alit fluctus, & uentus spicat aristas.

Spiritalis, pro spiritualis. Pr. Steph. *Et spiritali lacte pectus irriges.* In Hym. *Et spiritalis unctio.*

Spiritus, prima breui contra naturam. Victorius de Christo:
B *Tempus erat spiritum patri soluisse Tonantem.* Sedul.
Cum sancto spiritu gloria magna patri. Pr. Cath. — *Tibi dum uegetata cohærent Spiritus simul & caro uiuit.* — Sedulij locum ita citat Beda. Prudentij uidetur corruptus: nam & pro Viuit, legitur Seruit: & post eum uersum alij quatuor integri in editione Sichardi inserti, qui nec in manuscripto Borneri, nec in excuso Manutij leguntur, & planè sunt omittendi.

Splendoriferum, splendorem ferens. Tert. 6.
Solq; cadit, splendorifero qui lumine clarus.

Spondeo, spondi, ubi nunc geminatur in præterito prima syllaba. Idem 3.
Fixa fides Domini quæ sponderat, omnia fecit.

Spongus, σπόγγος, ubi uulgò spongia. Iuuenc. 4. — *Tum concitus unus Cogebat spongo turpi calamoq; reuincta.*

Sponsale donum, quod sponso offertur. Victorius de Christo:
— Fluuios in uina refundens, Hoc donum sponsale dedit. —

Sputamen, pro sputo. Pr. Apoth. — *Humectam sacro sputamine terram Contrectans digitis.* ——

Statim, prima longa. Alc. 2. *Quadam nos statim luituros morte reatum.* Eodem modo utitur ad sororem.

Statua seu cippus salis fuit, in quam conuersa Lothi uxor est. Alc. 1.
Nec facile nosses, uitrum, lapis, an'ne metallum est
Succedens homini, nisi sal gustu indicet ipso. Vict. 3.
In statuam conuersa salis, spoliataq; luce. Pr. Ham. — *Solidata metallo*
Diriguit fragili, saxumq; liquabile facta. Idem paulo pòst:

Liquitur illa quidem salsis sudoribus unda,
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio, quantumq; armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamq; cutem per damna reformat.

Scribit idem, & plura, de hac statua Cypr. in Sodoma.

Statuas olim inungere sunt soliti. Pr.Sym.1.
– *Vnguentoq; lares humescere nigros.* Idem Apoth. – *Ficulni & stipitis unctor.*

Stemma, στέμμα pro genere aut origine. Pr.Steph.
Pollet hoc felix per orbem terra Ibera stemmate. Et Apoth.
Ex atauis longo texens per stemmata filo. Der stam/ ut nostri dicunt: id est, stirps ipsa. Pro ortu cuiusuis rei. Idem Cath. *Referri prisci stemma nunc ieiunij.* Pro succesione. Paulin. *Hunc tuus æquabit meritorum stemmate natus.*

STEPHANVS primus martyr, post ascensum Christi ad cœlos lapidibus obruitur: *Et per tot lapides petræ coniungitur uni,* ut canit Arat.lib.1. De eodem Fort.lib.1.

Fundatus uirtute Dei, de morte triumphans,
Excepit lapides: cui petra Christus erat. Bembus de Stephano:
Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat: quem uersum audiui in primis commendari à Philippo Melanchthone.

Sterculus deus à Romanis cultus, Fauni filius, qui agros stercorare docuit. Pr.Steph. *Ianum bifrontem & Sterculum Colit senatus.*— Cyrenenses (inquit Macrobius) mellis & fructuum repertorem Saturnũ existimant, hunc Romani Sterculum uocant. Prudentius eodem in loco quem citaui, Iano & Sterculo mox Saturnum subijcit, quasi diuersos: mea sententia, Macrobio rectius, nam ueteres Italiæ reges numerat, quos Romani numinum loco coluerunt. B

Stigma, nota uulneris corpori impressa, στίγμα. Vict.3.
Ac famulos omnes, quo iussum est, stigmate signat. Item nota delicti, infixa animo. Alc.3. *Signatam fixo peccati stigmate carnem.*

Stigmare, στιγματίζειν, uulnera & notas imprimere. Pr.Steph.
Quamcunq; partem corporis feruens nota — *Stigmauit.* id est, insigniuerit. Solebant autem membra acubus notare candentibus: quæ membra Cybeles ministri, suæ deæ esse dicata uoluerunt.

STILICO, Theodosij Imp. familiaris & progener, Honorij filij eius socer, bis consul. In antiquis marmoribus, magister utriusq; militiæ equitũ peditumq;, comes domesticorum & stabuli sacri, socius bellorum omnium & uictoriarum appellatur. Pr.Sym.2. *Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius Atq; parens Stilico.* — De laudibus Stiliconis extant libri tres Claudiani. Eam laudẽ omnẽ effudit perfidia & tyrannide. Gothis enim Italiã prodidit, & Eucherio filio imperiũ quæsiuit. de quo Rutilius Numatianus ita canit:

Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperij.
Romano generi dum nititur esse superstes,
Immisit Latiæ barbara tela necis.
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat:

A *Et captiua prius, quàm caperetur, erat.*
Omnia tartarei cessent tormenta Neronis,
Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem peculit ille:
Hic mundi matrem perculit, ille suam.

Interfectus est unà cum filio in foro Pacis. nomen eius Romæ in multis marmoribus deletum atq; erasum conspicitur.

Stilus, instrumentum ferreum, quo in tabulis ceratis literæ exarantur. Pr. Steph. *Adest acutis agmen armatum stilis.* nominat alibi, acumina ferrea.

Styrax, στύραξ arbor resina fluens, Syriæ propria, ut mastyx Chio insulæ. Tert. 4. — *Quæ germina profert* *Ipsi dissimilis, styracis tamen arbore nata.*

Stola, στολὴ genus uestis sacerdotalis. Ibid. *Nunc angelorum particeps, Luces in insigni stola.*

Stolatus, stola amictus. Paulin. Cyth. *Textam supernæ gratiæ uestem induat — Stolatus innocentiæ.*

Stramentum, quod substernitur. Pr. Steph. *Vernare multis floribus Stramenta testarum uidet.*

Stratæ, pro uijs: quę uox nunc ἰδιωτισμὸ sermonis corrupti Hispanorum & Italorum est. Iuuenc. 3. *Tum populi stratas prætexunt uestibus omnes.* Idem 1. — *Vrbisq; per abdita tecta,* *Perq; uiæ stratas.* — Similiter idem locis alijs.

Strictura, σπινθὴρ, quod de ferro candente decutitur, & scintillãdo auolat. Pr. Sym. 2. *Decoquat in massas feruens strictura secures.*

Strictura, alia significatione θλῖψις, tormentum excrucians. ad uerbum, B pressura Tertulliano. Iuuenc. 2. *Nam si dura premat mentem strictura coercens.*

Stridere, in tertia correpta. Pr. Steph. *Hinc lorea flagra Stridere uirgarum concrepitare fragor.*

Strophæ, στροφαὶ, conuersiones ludicræ, subsannationes. Ibid. *Impunè tantus furcifer* *Strophas cauillo mimico* *Te nexuisse existimas?*

Strophium, στρόφιον, fascia coronaria, tænia, ein schnůr umb ein krantz. Ibid. *Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est,* *Emicant iuxta lapides gemelli.*

Suasus, pro persuasus. Tert. 3. *Voce Dei suasus secessit in extera regna.*

Subarundinare, apud Dracontium libro Hexaemeron: *Vinea pampineos subarundinat ebria campos.* Vinea autem & arbori & arundini confine lignum est. *pedamina vitiu ex arudine. M. Varro.*

Subiugalis, ὑποζύγιος, mitti sub iugum solitus. Pr. Steph. *Iumenta, pecora, subiugales belluas.*

Sublidere, elidere. Idem Apoth. *Aut murmur tenerum sublidit uoce minuta.*

Sublimare, in sublime extollere. Ibid. *Aut tumidum largo sublimat flamine bombum.* Arat. 1. *Ecclesiæ sublimat opus.*—

Subternus, pro subterraneus. Pr. Sym. 1. *Religionis opem subternis poscere ab antris.* Nisi sit legendum, *sub terris.*

SVBVRANVS uicus, foro Romano terminatus, inter Esquilinum & Viminalem. Idem Steph. *Ianiculum cùm iam madidum, fora, rostra, Suburam Cerneret eluuie sanguinis affluere.*

Successionem Alcimus nominat tempus succiduum, libro ad Fusc. Succiduam prolem ponit Victor. 2. pro ipsa posteritate.

SVCCES-

SVCCESSVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr.Steph.hymno 4. A
Succinum in rebus preciosis olim fuit. Pr.Steph.
Spernere succina, flere rosas, Fulua monilia respuere.
Hispani igitur pro ornamentis usi sunt: & apud eos inueniri, Theophrastus & Xenocrates prodiderunt memoriæ. Romani, quia succus est, qui marinis undis congelatur, nominarunt succinum: Germani, quia eius quoddam genus pellucet, glesum, à uitri similitudine: ut & ὕαλον Græci. Prussi, apud quos maxima eius copia est, nunc appellant gantarum. Drep. Vuolfino,
Vox etenim prudens, ceu feruida succina flagrat. De succino quod nunc à Prussis colligitur, olim Hessi collegerunt, hoc modo scribit Atalaricus rex Gothorum libro Epistolarum secundo, epistola secunda:
HESSIS.
Indicamus, succina, quæ à uobis per hos portitores directa sunt, grato animo fuisse suscepta: quæ ad uos Oceani unda descendens, hanc leuissimã substantiam, sicut & uestrorum relatio continebat, exportat. Sed unde ueniat, incognitum uos habere dixerunt, quod antè omnes homines patria uestra offerente suscipitis. Hoc quodam Cornelio describente legitur, in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens (unde & succinum dicitur) paulatim solis ardore coalescere. Fit enim sudatile metallum, teneritudo perspicua, modò croceo colore rubens, modò flammea claritudine pinguescens, ut cùm in maris fuerit confinio delapsa, æstu alternante purata, uestris littoribus tradatur exposita. Quod ideo iudicauimus indicandũ, ne omnino putetis noticiam nostram fugere, quod occultum creditis uos habere. Hæc studiosis nota esse uoluimus, donec quatuor libri Epistolarum Atalarici à nobis edantur. B
Succuba, pro catamito. Pr.Steph. *Mox fleuit impuratus occisum graui Disco, & dicauit florulentum succubam.*
Sufficientia, est (ut sic dicam) aptitudo, qua quis idoneus & accommodatus est ad rem aliquam: *ἱκανότης*, ut Paulus ad Corinthios nominat.
Prosp.c.Ing. *— Sufficientia nostra*
Ex Christo est, si quid recti sapimus, uolumusq;.
Sufflabilis. Pr.Apoth. *Spiramus quoties animæ sufflabilis auras.*
Suffragium antepenultimã breuem habet, aut in fine (quod rectius est) contrahitur. Est autem consensus animi beneuoli, in tribuendo alicui quod debetur. Prosp.Epig.110. *Suffragijs Christi, & plausibus angelicis.* Paulin.Pan. *Infantes castis uincite suffragijs.*
Suggillare, subijcere. Pr.Steph. *Sciat hic quis illi uerba Suggillet Deus. —*
Summula est, quæ ratiocinando aut calculando conficitur. Pr.Steph.
Nam calculanda primitùs, Tunc subnotanda est summula.
Super absolutè, pro aduerbio. Iuuenc.3. *— Fruiturq; nefandis Connubijs, ipsumq; super (quia praua uetebat) Carceris immersit tenebris. —*
Super, pro superat. Prosp.Epig.3. *Et quod cuncta super, semper idem Deus est.* ita manuscriptum. In Aldino, *Cunctaq; quod superat. —*
Superbus in bonam partem, pro glorioso & nobili. Pr. Steph.
Vnus utrunq; dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit superba morte laureatum.

Superfio,

A Superſio,emineo,exto. Pr.Sym.2. *Mox erecta ſolo glacie ſidente ſuperſit.*

Superſtitioſum fuit patrum noſtrorum memoria,de collo ſuſpenſum portare diui Ioannis Euangelium: item temporibus Chryſoſtomi, ſuſpendere in conclauibus ſcripta Euangeliſtarum: item epiſtolas diui Pauli applicare corpori,temporibus Paulini:quibus quaſi amuletis contra pericula lapſuū, terrorem naufragiorum,uterentur. Superſtitioſum fuit Annonij Galli temporibus,ſacra Biblia aræ imponere:ijsq; ſubitò apertis, & linea certa demõſtrata,inde rerum gerendarum ſortes captare & colligere. Vixit autem Anonius,ætate diui Bernardi. Superſtitioſum nunc eſt,ſomnia ſectari,& Danielem prophetam citare,nugarum nugaciſsimarum ſcriptorem. Superſtitioſum fuit Auguſtini temporibus,futura proſpera uel aduerſa ſortibus inquirere,& eas ab Apoſtolis traditas mentiri.De quibus ſortibus idem teſtatur Auguſtinus,quòd ijs qui credant,baptiſmum & fidem Chriſtianam abnegauerint,& apoſtatæ ac inimici Dei facti ſint.

Supinare,in ſupinum attollere. Dracont.
Et colles tumidi cumulis iuga celſa ſupinant.

Suſpectio,pro ſuſpicione. Paul.Auſ. *Duceret in ſanctum ſuſpectio falſa parentē.*

Suta,conſuta.ut,Suta tegmina folijs. Pr.Cath.& Pſych.
Sutis & acumen uulneris hamis Reſpuerent.——

Syllabæ duæ contrahuntur in unam:quod antiquis Comicis fuiſſe peculiare, annotauit Victorinus grammaticus. Ea contractio fit aut συλλήψει τῶν συλλαβῶν,ſecundū Hephæſtionem,cùm uocali adijcitur aliqua cõſonans: ut,
Quantos & diês annus habet,tot deniq; mundo.
B *Prædicat his duôs eſſe patres,diuiſaq; regna.* Aut συνηρέσει τῶν φωνηέντων,ſecundum interpretem Lycophronis,cùm uocali additur uocalis,aut diphthongus:
A' patre Deô uero miſſus,qui cuncta creauit.
Qui diê,quo'ue loco cecidit chariſsimus Adam.
Hæredem natum ſuæ libertatis habere. Fit autem contractio iſta,non ſolùm in duarum,ſed plurium ſyllabarum dictionibus,cùm in initio:ut,
Hic eâdem gradiens paſtor,pecudemq; requirens. tum in medio dictionis:ut,
Pullulat antiquo mortuôrum puluere terra. Præterea in fine quoq;:ut,
Falſa reſurrectiô,mortis deuictio falſa eſt. Hæc exempla Tertulliani ſunt omnia: nam apud poetas cæteros rariſsima inueniuntur.Sed meminerint ſtudioſi, illius libros,ut reliquorum, non ab ipſo auctore abſolutos,in publicum ueniſſe.Quamobrem nõ tam curioſi ſimus de numeris,quàm de pondere ipſo ueritatis,& ſententiarum grauitate.

Syllabam breuem producere,propter duas conſonantes,in dictione altera ſequentes,Prudentio ualde familiare eſt: præſertim in duabus breuibus uocalibus,a & e. Ham. *Mitte alia ſtolidi bacchantia gaudia mundi.* Præf.Sym.1. *Vibrato capite,ſpicula dentium.* Syllabæ autem cõmunes fiunt modis nouem, quibus aut naturaliter longæ in breues poetica licentia, aut naturaliter breues transferuntur in longas. 1. Primus modus: Breuis ſyllaba transfertur in longam,cùm correpta uocalis, in eodem modo, à duabus excipitur conſonantibus,quarum poſterior eſt liquida.Eſt enim breuis natura in hoc, *Mens tenebris obſcura ſuis.* Eſt longa poſitione in hoc, *Mortiſq; tenebras.*
In quo modo Sergius non uero utitur exemplo, *Ne'ue flagella.*

Flagellum enim in capite uerbi habet liquidam literam cõſonanti ſubiectã: A
quæ poſitio nunquam ſyllabam uerbi præcedẽtis natura breuem, poteſt fa
cere longam. 2. Secundus modus: ſyllaba natura breuis ad uotum poe-
tarum transferri poteſt in longam, cùm correpta uocalis in conſonantem
deſinit, & excipitur ab h litera. Eſt enim breuis natura in hoc:
Porcinum tenuêre gregem, niger, hiſpidus, horrens. Eſt uolũtate poetæ longa in hoc:
Vir humilis mœſto deiectus lumine terrã. Itẽ: *Mors fera per hominẽ miſerũ ſibi ſubdidit orbẽ.*
Vbi itidem Victorinus, Donatus, & alij dubium ponunt exemplum,
Terga fatigamus haſtâ. Nam etſi h non ſequeretur, *mus* tamen eſſe poſſet longa,
poetica licẽtia, quia plenis pedibus ſuperfuit. ſicut hoc, quod ijdem ponũt:
Omnia uincit amor, & nos cedamus amori. ubi *mor* ideo potuit produci, quia poſt
emenſos pedes integros, partem terminat orationis, tametſi uocalis ſeque-
retur. 3. Tertius modus eſt ſyllabæ communis, cùm uerbum aliquod in
uocalem deſinens correptã, excipitur à duobus cõſonantibus, quarũ prior
ſit s. Eſt enim natura breuis in hoc Fortunati: *Ordinib. uarijs alba ſmaragdus ineſt.*
Eſt uerò poſitione longa in hoc Sedulij: *Adueniat regnum iam iamq; ſcilicet illud.*
Cùm uerò s in capite uerbi, fuerit cõſonanti alij ſubiecta, nequaquam poteſt
ultimam uerbi prioris ſyllabam producere, quæ in breuem deſierit uocalẽ.
ut Sedulius: *Stare choro, & placidis cœleſtia pſallere uerbis.* & Fortunatus:
Vocibus alternis diuina poemata pſallunt. Falſoq; definiuit Pompeius, s non poſſe li
queſcere, niſi ipſa antecedat. ut: *Ponite ſpes ſibi quiſq;.*— 4. Quartus modus
ſyllabæ communis eſt, cùm poſt pedem quemlibet, una ſyllaba breuis re-
manſerit de uerbo: quæ uel uocalem finiens, excipitur à conſonante uerbi
ſequentis: uel in conſonantem deſinens, excipitur à litera uocali. Eſt enim B
breuis natura in hoc: *Cuius onus leue eſt, cuius iuga ferre ſuaue eſt.* Eſt longa permiſ-
ſu poetico in hoc: *Frondea ficus erat, cuius in robore nullus.* Quod genus ſyllabæ in-
ter longas uel omnino refugiendum, uel parciſsimè uſurpandum eſt.
5. Quintus modus, aut cùm pars orationis deſinit in diphthongũ, ſequen-
te ſtatim altera uocali. Eſt natura longa in hoc: *Inſulæ Ionio in magno.*—
quod poſteriores poetæ magis in una parte orationis fieri uoluerunt: unde
nec huius exemplũ facilè in noſtratibus poematibus inuenies. aut cùm di-
phthongus à uocali alterius uerbi excipitur, tunc hanc per ſynalœphã tran-
ſiliendam eſſe dicebant. ut Proſper in Præfatione epigrammatum:
Nec noſtræ hoc opis eſt, ſed ab illo ſumitur hic ros, Qui ſiccam rupem fundere iuſsit aquas,
6. Sextus modus eſt (ut Donatus ait) cùm producta uocalis eſt, uocali al-
tera cõſequente. eſt enim longa in hoc: *O' utinam in thalamos inuiſi Cæſaris iſſem.*
breuis in hoc: *Te Corydon ô Alexi, trahit ſua quemq; uoluptas.* Quod noſtri poetæ in
eadem potius parte orationis facere conſueuerunt. ut: *Eoo uenêre Magi.* Et;
Splendidus auctoris de uertice fulget Eous. Et rurſus longa eſt per naturam, ita:
Exultat Maria, cùm prima affamina ſenſit. At cùm longa uocalis, uel etiam breuis,
quæ partem orationis terminat, excipitur à uocali alterius uerbi, priorem
per ſynalœpham abſumunt. ut Proſper: *Nam ſi te uirtute tua ad cœleſtia credas*
Scandere, de ſuperis pulſus ad ima cadis. Quamuis & Arator imitatus ueteres, di-
xerit: *O' utinam noſtris uoluiſſes fida iuuentas*
Conſilijs parêre prius, ne littora Cretæ
Linqueret inſani rabiem paſſura profundi. 7. Septimus modus eſt, cùm prono-
men-

A men c litera terminatum, uocalis statim sequitur. Est enim longa in hoc:
Non quia qui summus pater est, & filius hic est. Breuis in hoc:
Hic uir hic est, tibi quem promitti sæpius audis. Sed & aduerbium c litera terminatum, communem syllabam facit. Est enim longa in hoc Paulini:
Donec aspirante Deo conatibus ægris. Breuis in hoc Prosperi:
Vt morbo obsessis præstanda est cura medendi,
Donec in ægroto corpore uita manet. 8. Octauus modus est, cùm correptam uocalem in eadem parte orationis sequitur z consonans Græca duplex. Est enim longa in hoc Iuuenci: *Difficile est terris affixus diuite gaza.*
Est breuis in hoc eiusdem: *Et gaza distabat rerum possessio fulgens.*
9. Nonus modus est, cùm omnis syllaba nouissima uersus, in quocunque metro ἀδιάφορος, id est indifferens est, & ad uoluntatem poetarum uel correpta producitur, uel corripitur producta: quod frequẽtius est, quàm ut exemplis indigeat. Hæc ex Beda studiosorum gratiâ cuncta descripta sunt, uiro supra suum seculum erudito.

SYMMACHVS, uir nobilitate & eloquentia clarissimus, qui pro sacris deorum legationem obijt ad Valentinianum, Theodosium & Arcadiũ Augustos: contra quem scripsit D. Ambrosius lib. 5. Epist. & Prudentius poeta opere luculento (ut ait Gemblacensis) blasphemias Symmachi refellit. Extat de Symmacho præclarum antiquitatis elogium, quod hoc loco addere placuit: unde discatur, quàm graue fuerit resistere tantæ auctoritatis & tantæ gratiæ uiro.

PHOSPHORII.

B LVCIO AVR. AVIANO SYMMACHO V. C. PRAEFECTO VRBI, CONSVLI PRO PRAEFECTIS, PRAETORIO IN VRBE ROMA FINITIMIS'QVE PROVINCIIS, PRAEFECTO ANNONAE, VRBIS ROMAE PONTIFICI MAIORI QVINDECEMVIRO S. F. MVLTIS LEGATIONIBVS PRO AMPLISSIMI ORDINIS DESIDERIIS APVD DIVOS PRINCIPES FVNCTO, QVI PRIMVS IN SENATV SENTENTIAM ROGARI SOLITVS, AVCTORITATE, PRVDENTIA ATQVE ELOQVENTIA, PRO DIGNITATE TANTI ORDINIS MAGNITVDINEM LOCI EIVS IMPLEVERIT: AVRO ILLVSTREM STATVAM, QVAM A' DOMINIS AVGVSTIS'QVE NOSTRIS SENATVS AMPLISSIMVS, DECRETIS FREQVENTIBVS IMPETRAVIT: IDEM TRIVMPHATORES PRINCIPES NOSTRI CONSTITVI, APPOSITA ORATIONE IVSSERVNT, QVAE MERITORVM EIVS ORDINEM AC SERIEM CONTINERET: QVORVM PERENNE IVDICIVM TANTO MVNERI HOC QVOQVE ADDIDIT, VT ALTERAM STATVAM PARI SPLENDORE ETIAM APVD CONSTANTINOPOLIM COLLOCARET.

Symmachus autem præfectus urbi fuit, sub ijs quibus dictum est, Impp. A
Consul uerò sub Maximo, cui Theodosius bellum faciebat.

Symmetra, σύμμετρα, distantiam eandem habentia. Pr. Psych.
Argutam mutilet per dissona symmetra normam.

Symphonia, συμφωνία concentus, uocum æqualitas. Cantum sistrorũ symphoniam Prudentius nominat Sym. 2. *Fluctibus Actiacis signum symphonia belli Aegypto dederat.* ——

SYMPHORIANVS Augustodunensis, Aureliano imperante, capite plectitur. Fort.

Synagoga, συναγωγή, conuentus populi, templa Iudæorum, quę nostri Ecclesias uocant. Sedul. 4. designat hanc differentiam:
Discedat synagoga suo fuscata colore, Ecclesiam pulchro Christus sibi iunxit amore.
Arat. 1. *Perfidiæ coluber, synagogæ sibilat antro.* Igitur propter doctrinæ Iudaicæ falsitatem, nomen bonum esse cœpit in infamibus.

Synodus, σύνοδος, congregatio, in qua multi conueniunt ad discernendas & dijudicandas graues controuersias. Prosp. contra Ing.
Non premeris synodo, nec te pœnæ metus urget. Idem mox uertit concilium: & circumloquitur, mundi manum.

Syrma, σύρμα, uestis barbarica, quæ per terram trahebatur, à Græcis etiam πέπλον, palla muliebris. Pr. Psych. *Vt tener incessus uestigia syrmate uerrat.*

Syrtes sunt loca harenosa, & ideo solitaria. Pr. Cath.
Casto fruentem syrtium silentio.

T

TAbifluus, tabo fluens, corruptioni obnoxius. Pr. Apoth. B
Hospitium qui nescit adire caducum Cratis tabifluæ. ——

Tablis, pro tabulis. Drep. Epist. 1. *Gestantemq; sacris iura superna tablis.*
Ita Prud. lamnis, pro laminis.

Taliter, tali modo. Alc. 1. *Taliter æterno coniungens fœdere.*

Tantùm immanis, pro tam immanis: id est, tam magna & copiosa. Sed. 3.
Tantumq; immanis apertos Impleuit captura sinus.

Tauricornis tonans, ταυρόκερως, ταυρομέτωπος, id est, Iupiter qui tauri specie illusit Europæ. Prud.

Tenta uiscera, id est, crapula & luxu distenta. Idem Cath.
Neu piger immodicis dapibus Viscera tenta grauet stomachus.

Teporare, tepidum facere. Dracont.
Nec flammas restinguit aqua, glaciem' ue teporat Flammeus ignis.

Terentina sacra, ad aram Ditis & Proserpinæ subterraneã fiebant Romæ, ad Tiberim in campo Martio, qui locus Terentum dicebatur. Effodiebantur ad ea scrobes sub terra pedum uiginti. Pr. Steph.
Sacerdos nempe sub terram scrobe Acta in profundum consecrandus mergitur.
Immolabatur autem bos furua. quem quidem ritum ita diligenter describit Prudentius in Romano, ut non alia apud ullum auctorem extet eius sacrificij descriptio expresior. Sacra durabant noctibus tribus, quibus ludi etiã nocturni adhibebantur, & trib. in anno eadem sacra renouabantur uicibus.

Terminus fuit stipes, seu (ut Tibullus canit) *fixus in agris,*
Qui regeret certis finibus arua, lapis. Hic coronabatur sertis, & amiciebatur fasciolis.

A sciolis: quia talem deuorasse Saturnus perhibebatur, nomine *βαίτυλον*.
Pr.Sym.2. —— *Lapis illic Si stetit, antiquus quem cingere sueuerat error Fasciolis, uel gallinæ pulmone rogare.* Halicarnasseus ait, Termino Numæ temporibus nulla re animata fieri solitum. hic poeta noster pulmonem gallinæ ponit, Horatius agnam, Ouidius porcam.

Terrigena, id est homo. Sedul.2. *Primiq; sepulchrum Terrigenæ, cæca sorberent fauce nepotes.*

Terrulentè, in morem terræ. Pr.Steph. *Rem spiritalem terrulentè quærere.*

Terrulentus, pro terreus. Pr.Ham. *Hic terrulentis, ille uiuis fungitur.*

TERTVLLIANVS patria Carthaginensis fuit, patre centurione proconsulari natus. cuius lectione ita delectatus est Cyprianus, ut suum magistrum nominaret: neque ullum prætermitteret diem, quin eum à librario posceret, teste Hieronymo. Theologorum apud Latinos habitus princeps: cuius quot penè sunt uerba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot uictoriæ, ut inquit abbas Lirinēsis. & addit: Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici: quorū ille blasphemias uoluminibus, quasi fulminibus euertit. Scripsit carmine contra Marcionē libros quinque, quos ipse non euulgauit, sed sibi subreptos conqueritur, & descriptos mendosissimè testatur. De quibus similiter dicere possumus, quot penè uerba, tot fuisse menda: quot uersus, tot maculas. Quamuis autē plurimos errores sustulimus è uestigijs antiquæ scriptionis: tamen lector in reliquijs uidebit, quantum adhuc supersit, quod emendatione egeat. Digna autem sunt illa ipsa fragmenta cùm lectione, tum conseruatione. Cùm autem hos B libros, quasi exercitationis gratia fuisset inchoatus, nec furto ablatos potuisset corrigere & perficere: postea aliud genus scripti instituit, & deliria Marcionis rursus libris quinq; conscriptis grauissimè refutauit, qui sunt cū multis eius operibus adhuc in preciosis thesauris Ecclesiæ. Vixit imperante Septimio Seuero, circa annum Christi CCX.

TERTVLLIANI opus imperfectum res declarat. nam impetum suū secutus, donec emendationis tempus daretur, multa contra præcepta fecit: quorum aliqua excusationem temporis habent, de quibus dictum certis locis est: aliqua possunt excusari Grammaticorum figuris, in quibus suo quæque loco annotandis, officio non defuimus: aliqua (ut opinor) festinationi auctoris tribuēda sunt, qui cogitauerit opus suum quasi delineatum, sub incudem (ut dicitur) reuocare: qualia sunt, quòd cæsuram licenter facit cōmunem, item quòd ablatiuum primæ declinationis corripit, item quòd collisionibus non usitatis indulget. quæ quidem exagitanda non sunt, sed excusanda ijs quibus dixi modis. Imitandi autem gratia non proponuntur, sed cognoscendi, propter pietatem quæ in isto uiro singularis & grauis fuit: & propter studium, quod in res sacras ad doctrinam uniuersæ posteritatis collocauit. Libros istos, rogatu Ioannis Oporini, uiri de omnibus literis atque studijs præclarè meriti, mihi Ioan. Heroldus, uir doctrina & ingenio ornatissimus, communicauit.

Testamen, pro testimonio. Tert.4. *Scilicet hoc testamen erat, uirtutis imago.*

Testarum fragmenta nudis & laceratis sanctorum corporibus substerne-

bantur, ut ne post cruciatum quidem daretur quies. Pr.Steph.Idem uocat interdum testarum stramenta, & testea fragmina. A

Tetrarcha, uel tetrarches, τετράρχης, qui cõsors tenet cum alijs imperium, quale fuit triumuiratus Romæ. Pr.Cath.*Mox præsul ac tetrarches Regnum per omne iussus Sociam tenere uirgam*: de Iosepho.

Thalli, θαλλοί, arborum ramuli uirentes, ut sunt lauri atq; oleæ. Alc.3. *Viridia quinetiam miscebant cynnama thalli.*

THECLA, diui Pauli discipula protomartyr, ut inquit Euagrius, in Seleucia ciuitate Isauriæ ignem, bestias, serpentes, aliosque cruciatus uicit, & tranquillè tandem obijt. Templum ei & amplitudine & ornatu insigne extruxit Seleuciæ Zeno imperator. Fort. pluribus locis eius meminit: & D. Cyprianus in suis precibus, quas die martyrij effudit.

Thema, τὸ θέμα, quod ponitur, propositum uel propositio, prima producta præter naturam. Arat.2.*Sic themate iuncto Hi magis alternis soluerunt uocibus ora.*

THEODOSIVS Imperator laudatur à Prudentio, quòd mactationẽ pecorũ in sacris gentilibus sustulerit: Honorius ab eodem rogatur, ut theatricam gladiatorum lanienam interdicat. In fine Sym.2.

Thesaurus, θησαυρὸς, possessio æstimanda & recondita. Tert.1. *Et uelut in somnis thesauri munere diues Exultat.* ——

Thesidæ, Athenienses, κατ' ἀντωνομασίαν pro Grçcis: hoc est, hæreticis omnibus. Sedul.1.*Quid Labyrinthæo Thesidæ erratis in antro?*

Thessali infames fuerunt, tanquam uenefici & incantatores. Pr.Steph. *Quousq; tandem summus hic nobis magus Illudit, inquit, Thessalorum carmine?* B
Idem Apoth. —*Nil Thessala prosunt Carmina.*—— Thessalis pro uenefica, apud Ouid.in Ibin.

Tholus, θόλος, locus templi, in quo suspendebantur donaria. Paulin.Pan. *Fissa resurgentes ruperunt saxa sepulti, Et nouus in sacra floruit urbe tholus.*

Tiara, τίαρα, uox Persica, insigne capitis regij. pileum esse dicunt forma sphæræ dimidiatæ: qualia nunc Venetorum sunt. Pr.Apoth. *Ipse per Assyrias metuit uapor ire tiaras.*

Tiberina palus, extra portam Ostiensem fuit. Idem Steph. *Scit Tiberina palus, quæ flumine lambitur propinquo.*

Tibia, notum rusticæ musicæ instrumentum. Idem Apoth. *Adde & distinctum quem musica tibia flatum Concipit.*—— Eâdem usi sunt in funeribus hominum plebeiorum, ut tuba in nobilium.

Tibicen, qui tibia canit. Sedul.3.*Funereosq; modos cantu lachrimante ferebat Tibicen.*—— τῶν αὐλητῶν solus Matthæus meminit in funere Iairi archisynagogi filiæ.

Tigris fluuius, è quatuor primis unus, qui è paradiso fluxerunt: nascitur in montibus Armeniæ, ut Iustinus: populorum Vxiorum, ut Curtius: sub terras mergitur alueo lacus Sosingitis, ut Marcellinus: in regione uerò Sophonç rursus emergit, ut idem. Diligenter eum describit Victor lib.1. Nomẽ ei à celeritate inditum: nam Persæ sagittam nominãt Tigrim. nec sanè alius ad orientis plagam tam uiolentus inuehitur: ut Curtius ait lib.4.

Tirynthius,

A Tirynthius, Hercules *ἀντωνομασία*, à patria, quia in Tiryntho urbe Peloponnesi educatus est. Pr.Steph.

Titulare, est ueluti quodam insigni ornare. Tert.6.
Et uernis roseas titulabit floribus auras.

T I T V S Imperator, Hierosolymam cum templo cremauit. Vrbem cùm incensam uideret, exclamauit: se auctorem talis cladis & euersionis non esse, sed iram Dei illam urbem atq; gentem euertere. Pr.Apoth.
Quid mereare, Titus docuit.– Arcus Titi de capta urbe erectus in foro Romano est, contiguus ecclesiæ quæ Mariæ nouæ cognominatur: monumẽtum omnibus hominibus in hunc diem de ira Dei loquens & testificans. De uictoria Titi, eiusmodi inuenta inscriptio est:

IMP. TITO CAESARI DIVI VESPASIANI F. PRINCIPI SVO S. P. Q. R.
QVI PRAECEPTIS PATRIS CONSILIISQVE ET AVSPICIIS GENTEM IVDAEORVM DOMVIT, ET VRBEM HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE DVCIBVS, REGIBVS GENTIBVSQVE AVT FRVSTRA PETITAM, AVT OMNINO INTENTATAM, DELEVIT À SOLO.

In eodem arcu Iudæorum uinctorum insculptæ ad latera imagines sunt: intra arcum expressa arca fœderis, candelabrum, tabulæ legis, mensa cum panibus, & alia templi uasa religiosa.

Toreumata, *τορεύματα*, opera torno facta, politaq;. Pr.Psych.
B *— Vbi multo Fulcra mero, ueteriq; toreumata rore rigantur.*

Tortus tortore fortior, prouerbiali schemate de maximo animi robore, cùm uictori uictus insultat. Pr.Steph. *Gaudet, renidet, prouocat Tortore tortus acrior.* Prouerb.

Tradux, quod ab aliquo sui simili propagatur. Idem Apoth.
– Ne traduce carnis Transfundi in sobolem credatur fons animarum.

Transfugium, ipsum transfugæ facinus. Pr.Sym.2. *Creditur istis Numinibus, quæ transfugio meruêre sacrari?*

Transuena, pro aduena. Cypr.Sod.– *Illic de stirpe piorum Transuena Loth aderat.–*

Traxet, pro traxisset, *συγκοπή*. Alc.2.
Forsan & in similes ausus temeraria traxet.

Tribunal Prudentio dicitur suggestus, quem nunc Itali pergolam, alij uocant umbonem: illud tabulatum, unde conciones in templis ad plebem fiunt. ut Steph. *Fronte sub aduersa, gradibus sublime tribunal Tollitur, antistes prædicat unde Deum.*
Eodem modo Suggestum in templo Cumano, unde oracula reddiderit Sibylla, tribunal uertit Fran. Picus apud Iustinum in Apologetico, imitatus fortè Prudentium.

Trieteris, *τριετηρὶς*, trium annorum spacium seu tempus. Paul.Aus.
Desore me patrijs tota trieteride terris.

Tripictus, ter scriptus. Pr.Apoth. *Pilatus iubet ignorans, tu scriba tripictis Digere uersiculis.–* loquens de titulo crucis, linguis tribus perscripto.

Triftega,τρίστεγα,trium camerarum ædificium.Septuaginta uertũt νοσσιάς: recentiores alij nidos,alij loculos,alij manfiunculas. Alc.4. A
Triftegaq; hic facies,fimul & cœnacula.– Mutauit autem genus fœmininum in neutrum: ut contrà alij neutrum in fœmininum,Pafcha pafchę, apud Iuuencum:Celeufma,apud Fortunatum.

Trocletes myrrha quid fit in hymno Auctoris incerti,non intelligo. Troglodyticam omnium primam,& à loco denominatã,Diofcorides teftis eft.

Tuba,inftrumentum muficum,directum tempore Ouidij, curuum Prudentij. Apoth.*Aere cauo quidquid reboans tuba curua remugit.*

Tumba,τύμβος,buftum feu fepulchrum. Idem Steph.
Sunt &, muta tamen,tacitas claudentia tumbas Marmora.——

Tumulofus,tumulo affurgens,uel tumulis deftinatus. Amœnus de agro fanguinis:*Venditus exequias recipit tumulofus humandas.*

TVRCIVS RVFFVS Afterius, in cõfulatu collega Flauij Præfidij, Anaftafio imperante,fuit.De hoc inter cætera Cufpinianus fic fcribit: Inter opufcula Sedulij legitur elegans carmen elegiacũ, quod eft à Turcio Ruffo Afterio V.C.exconfule ordinario atq; patricio fcriptum.id fic incipit: *Cantemus focij Domino cantemus honorem.* Ita Cufpinianus.ab eodem Turcio editum,annotauit Aldus:ipfi Turcio infcriptũ & miffum, Panuinius.Illud autem carmen Sedulio tribuunt antiqui codices,& Beda, ut fuprà dictum eft. In manufcripto,quod ab Hartungo accepi commodato,legitur fub nomine Claudiani Mamerti.

Tutaculum,pro tutamine. Pr.Sym.2. – *Fida ut tutacula nudis Inualidifq; paret.*— B

Tympanum,τύμπανον,inftrumentum muficum,quod pulfatum fuit. Pr.Cath.*Concinebat uoce,corde,& tympano.*

Tyranni gemini uictor, Conftantinus Magnus nominatur: quia deuicit Maxentium & Licinium prælijs memorabilibus,neq; fine miraculo. Pr.Sym.1.*Seu debellata duorum Colla tyrannorum media calcemus in urbe.*Ibid.
Cùm princeps gemini bis uictor cæde tyranni Pulchra triumphali refpexit mœnia uultu.
Extat in hunc diem arcus triumphalis Conftantini de Maxentio,fub radicibus Palatini,amphitheatrum uerfus,cum infcriptione eiufmodi:

Sup ra arcum:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO P. F.
AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE,
CVM EXERCITV SVO, TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI
EIVS FACTIONE, VNO TEMPORE, IVSTIS REMPVBLICAM VL
TVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS IN-
SIGNEM DICAVIT.

Intra arcum:

LIBERATORI VRBIS,
FVNDATORI QVIETIS.

In alia quadam infcriptione,AMPLIFICATOREM VRBIS eundem Conftantinum appellatum legimus. Peperit autem hanc de tyranno uictoriã,anno à nato Chrifto CCCXIII.ut auctor incertus Panegyrici,VIII.Cal.Octobris.

V Litera

A

V

V Litera anceps apud Tertullianum:nam in fine sæpius corripitur,ut lib.1.*Spiritu deq; Dei præsaga uoce loquentum.*Item 2:
Donauit,pignusq; suo de spiritu fudit. Item 4.*Nulla illum regio,nullus locus ambitu claudit.*

Vale uale,affectuosa discedentum salutatio. Pr.Steph.
—Tantum osculum Impressit unum:Vale uale dulcissime.
Repetitio eiusmodi alijs quoq; auctoribus bonis usitata,ut Terentio:Tace, tace obsecro. Item: Abi, abi hinc insana. Item : Sine, sine uacuum tempus ne quod dem mihi. Omnes autem loci isti fuerunt in excusis longo tempore deprauati.

VALENTINVS hæreticus, ausus est (inquit Tertullianus) duos deos concipere,Bythum & Sigen:& eum usq; ad triginta αἰώνων fœtus,tanquam Troianæ scrofæ examen effudit:de quo prolixè etiam Epiphanius. Tert.1.*Nanq; Valentino Deus est insanus,& æuo*
Triginta tribuit cœlos,patremq; Profundum
Bis docuit tingi transducto corpore flamma.

VALERIANVS episcopus, cui inscribit Prudentius Hymnum de diuo Hippolyto.

VALERIANVS imperator in Rhetia creatus à militibus, anno à nato Christo CCLV.cum collega suo Gallieno mala Christianis plurima intulit,& diuum Cyprianum interfecit:ipse anno imperij quarto à Sapore Persa captus,pœnas tyrannidis luit,& in fœda seruitute uitam miserè traduxit.

VALERII, Cæsaraugustani martyres. Pr.Steph.hymno 4.

B Valetudo,antepenultima correpta : nam & uale in compositione corripitur. Alc.ad Sor.*Qualia diuitiæ,ualetudo corporis,ipsum Robur.—*
Nonnulli statuunt differentiam,quòd syllaba breui sit scribendum, ualitudo:sed ea nimis puerilis est.

VASCONES,Hispaniæ populi,de quibus Prudentius Steph.
Nos Vasco Iberus diuidit Binis remotos Alpibus, Trans Cottianorum iuga,
Trans & Pyrenas ninguidos.

Vanùm gemens,id est frustra. Alc.3.*Ille gemens uanùm repetita uoce precatur.*
Ita uanùm metuens,apud Tibullum.

Vaticanus mons,Transtiberinus. Pr.Steph.
Transtiberina prius soluit sacra peruigil sacerdos. In montis summitate fons ebulliens facit riuum : qui riuus currens è latere templi diui Petri, sub terra stagnat,ibi in crypta pendent corpora sanctorum. Hæc in manuscripti margine annotata erant. De fonte,eodem in loco facit mentionem Prudentius.

Vber,pro ubertate & copiosa efficacia. Alc.1. *—Sic ubere uerbi*
Frondescunt syluæ.—

Vbertare,uberem facere. Drep.de Cereo paschali:
Vbertat stuppas,feruet discordia concors.

Vegetamen,uegetatio. Pr.Ham.de effectis in sole:
Sunt tria nempe simul,lux & calor & uegetamen. Ibid.
Omnia luxus habet nostræ uegetamina uitæ.

VENANTIVS Honorius Clementianus Fortunatus , in rhetorica metricaq; arte famosus habebatur.ab Hesperia in Gallias transiens,Pictauis

episcopus ordinatur. Hic multorum uitam passiones'ue sanctorum partim A
prosa, partim metro composuit: ad amicos quoq; singula Disticha elegans orator conscripsit. Regi Sigeberto elegiacum misit carmen, congratulans ei in nuptijs Brunichildis: quem librũ legi, atq; in eo facundiã uiri dulcemq; affabilitatem admiratus sum. Hæc Annonius monachus, de rebus gestis Francorum lib.3.cap.13. Vide, Fortunatus.

Venenum Sidonium, pro tinctura Tyria, qua lanæ luxus gratia fucantur, & inficiuntur. Help.de Christo: *Fulgida Sidonij quam polluit unda ueneni.* Vict.ad Salm. — *Quid agunt in corpore casto*
Cerussa & minium, centumq; uenena colorum? Tinctura autem uenenum morum fit, propter sumptum & luxuriam: ut falsa doctrina, uenenum fidei. Sed.1.
Quos lethale malum, quos uanis dedita curis Attica Cecropij sepit doctrina ueneni.

Veneror, uoce passiua. Vict.lib.3. —— *Suorum*
Attamen officijs uenerari & munere gaudet.

Veniabile, uenia dignum. Pr.Ham.
Spem capio, fore quidquid ago ueniabile apud te.

Ventilare, excutere. Ibid. *Mens illecebro uentilatur ebrio.*

Ventilator, uentosus, popularis seditionis auctor. Idem Steph.
Tu uentilator urbis, & uulgi leuis Procella. ——

VERANIA crypta, Romæ è quatuor celeberrimis fuit: ea intelligitur à Prudentio, cùm canit: *Haud procul extremo culta ad pomœria uallo*
Mersa latebrosis crypta patet foueis. cuius ibidem prolixa descriptio, in martyre Hippolyto. Vide, Cryptæ.

Verba quædam admittunt accusatiuum, τῷ ἀρχαϊσμῷ. Dicimus usitatè, uestior lumine: sed Tertull. — *Nunc inuiolabile & ingens* B
Vestitus lumen. — Item, Vescor cibo: sed Cypr.
Et dulces, multo rorantes nectare, frondes Vescuntur. ——
Africanum autem aliquid in his scriptoribus agnoscas.

Verbisator, Dei patris epitheton, qui ab æterno suum filium genuit. Pr.Apoth. *Nam lucis genitor, uerbisator, auctor & ignis.* Idem significat uerbigena: ut Cath. —— *Lucisator Omniparens, pie uerbigena.* His nominibus interdum abutitur, de ipso filio Dei, qui non est uerbo editus, sed ipsum uerbum editum. Ita alibi: *Ex ore quamlibet patris Sis ortus, & uerbo editus.*

Verborum sator, σπερμολόγος, loquacitate molestus. Arat.2.
— *Quibus inquit ab oris Verborum uenit iste sator?* —

Verò coniunctio, ultima breui. Tert.1. *Credite uerò patri uero.* —
Cypr.de Ligno uitæ: *Multi uerò bono portantes pectore totis Accipiunt animis.* —.

Versipellis, astutus, simulandi peritus. Pr.Cath.
Plasma primum perculisse uersipelli astutia. A' uertendis pellibus dictus, quòd homines crediti sunt in lupos mutari, ut apud Neurios & Arcades: neq; id opinionem tantùm esse, ut ait Plinius, sed ita fieri, Prussicæ & Liuonicæ historiæ testantur. Legitur etiam in Chronicis Turingorum, id aliquoties factũ in illo populo.

Versus poetarum turpium non discendi, de qua re præclarè in præfatione Plautina uir doctissimus Camerarius: Puerili (inquit) ætati in primis hoc impendet, morum sanctitatis & innocentiæ atq; pudoris. Quem si sim-
plicitex

A pliciter, & quasi ex professo lædunt poemata, multo erat satius penitùs illa aboleri, & ut περίεργα βιβλία concremari, quàm omnino inspici, nedum proponi studijs puerilibus. Atq; fuerunt quædã semper, & nunc sunt talia, quæ exterminanda de Scholis existimamus. Nam quod ille ait, defendens lasciuiam carminum suorum, *Vita uerecunda est, Musa iocosa mea:*
& alter pronunciare audet, tum demùm salem & lepôrem habere uersus,
Si sint molliculi, & parum pudici:
horum igitur uterq; planè desipit, neq; assensioné inuenire à nobis debet. His igitur nequaquam assentiemur, commendatoribus obscœnitatis: multo autem minus illi scurræ, qui obscœnè loquentes ait Romana simplicitate loqui. Et talia scripta prorsus excludemus è Scholis puerilibus, & ab illis tanquam à peste bonæ mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atq; si qua scripta tota sunt huiusmodi, tota exigantur ac reijciantur: sin minus, & in illis est alicubi aliquid quasi purulentum, & γαγγραινῶδες, illud reci datur: ut reliqua, depulso ueneno, tutò attingi posśint. Præstaret enim uel ineruditiśsimum esse aliquem, quàm per eruditioné imbui spurcicia & impuritate: uel etiam impietate, scelere, furore.

Vertere pellem, est uertere se in aliam faciem. Pr.Sym.1.
— Vt illum Vertere cùm uellet pellem, faciemq;, putarent
Esse bouem, prædari aquilam, concumbere cygnum.
loquitur autem de Ioue, quem Ceteus Ægyptiorum, Proteus Græcorum, Vertumnus Italorum secuti sunt.

Vespertinus populus, mirè dictum à Prudentio, pro eo qui est extremis B uicturus temporibus: à uespera ipsius mundi. Pr.Psych.
— Sero felicior æuo Vespertinus edit populus de corpore Christi.
Sumpta sermonis forma de uerbis Cleopæ, & eius socij Lucæ, ut aliqui uolunt: uel Mahonis, ut alij: qui Christo inquiunt, μεῖνον μεθ' ἡμῶν, ὅτι πρὸς ἑσπέραν ἐστίν.

Vians, pro uiatore seu nuncio. Pr.Ham. *— Spoliare uiantem Fortè latro aggressus. —* & Cath. *Præbent rupta locum stagna uiantibus.*

Viare, ire. Iuuenc.1. *Dominum mox progrediere uiando.* Pr.Sym.2.
— Iter esse uiandi Multifidum, uariumq;. —

Vitiabilis, uitio corruptus. Pr.Ham. *Lapsus herile malũ iam tum uitiabilis hausit.*

VICTOR, Maśsiliensis martyr, sub Maximiniano lapide molari contenitur, reliquiæ in pelagus proijciuntur. Fort. de Gaudijs uitæ æternæ:
Maßilia Victor martyr ab urbe uenit.

VICTOR, Maśsiliensis Rhetor, libros (ut ait Ado) in Genesim, ad filium suum Ætherium commentatur, in diuinis Scripturis non plenè exercitatus. Vixit autem Cl. Marius Victor circa annũ à nato Christo CCCCLX. post barbarorum in Italiam irruptionem sæuiśsimam, inclinante Theodosij iunioris & Valentiniani imperio. Ipse ad Salmonem, nominat Sarmatas, Vandalos, Alanos, qui uastitatem Italiæ intulerint. Post eandem calamitatem nihilo factos mores hominum meliores, grauiter conqueritur. Secutam autem testatur maiorem licentiam, superbiam, luxum, depositam sacrorum librorum lectionem: & pro ijs fuisse in manibus Virgilium, Ouidium, Terentium, Horatium, reparata denique fuisse cum splendore

ædificia, quæ cremata sint: sed non emendatos mores, propter quos irã Dei A
tantam suo seculo sustinuerint. Editus est primùm Lugduni, è bibliotheca insulæ Barbatensis, quæ in medio Arari non procul à Lugduno est, à Ioanne Gagneio: deinde Parisijs, è bibliotheca Turonensi: sed ita inter se dissentiunt exemplaria, ut uix unius esse auctoris deprehendas. Libros quatuor (inquit Gennadius) edidit, Christiano quidem & pio sensu: sed ut homo seculari literatura occupatus, & nullius magisterio in diuinis Scripturis exercitatus, lenioris ponderis sentẽtias figurauit. Num autem rectè iudicent Gennadius & Ado, Victori quidem doctrina & pietate minimè similes, iudicandum pio & perito lectori relinquo.

VICTORIA dea habita, quæ ita diligenter describitur à Prudentio, ut qualis in marmoribus aut picturis fuerit, non sit quærendum. Sym. 2.

—— Aurea quamuis Marmoreo in templo rutilas uictoria pennas
Explicet. —— Et: *– Non pexo crine uirago,*
Nec nudo suspensa pede, strophioq; recincta,
Nec tumidas fluitante sinu uestita papillas.

Pexas comas non habuit, quia galeata: nec pedes nudos, quia calceata, nec pectora ostendit, quia thorace aut clypeo tecta: nec laxam pallam aut peplũ traxit, quia uarijs armis circumsepta. Ita autem Victoria stans aut sedens cernitur, uiraginis effigie, in marmoribus & numismatis. Victoria autem quæ uolás inducitur, aut describitur in triumphis, nuda est, aureola est, alata est, omni ornatu caret: sola simplicitate & ætate tenerrima conspicua, & quasi pusiola, ut uerbo Prudentiano utar. Huius deæ tanquam primariæ causam agit Symmachus contra Prudentium. B

VICTORINVS Rhetor, qui in Africa natus, & Romæ circa annum CCCL. docuit sub Constantio, multa erudita uolumina scripsit: alius est à Victore, de quo iam diximus. Circumfertur inter eius opera, carmen de Septem fratribus Macabæis, quos Antiochus Epiphanes Asię & Syriæ rex crudelissimè interfecit: quod carmen aliquoties editum cum quibusdam eius fragmẽtis, semper excusum est deprauatius. Circumferũtur eiusdem Hymni ametri & anarythmi. Victorinus (ait Ado) in extrema senectute, Christi se fidei tradidit. Scripsit libros contra Arrium ualde obscuros, qui ab eruditis tantùm intelliguntur, ut inquit Hieronymus.

VICTORINVS episcopus Pictauiensis, ante Lactantium & Iuuencũ uixit, ut ex D. Hieronymo manifestum est. Eius carmẽ de Iesu Christo, Deo & homine, antea editum non fuit: quod ex codice antiquissimo, cuius nobis ab Oporino nostro facta copia, descripsimus.

Vietus, ætate consumptus & flaccidus. Pr. Sym. 2.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate uietum Votiuo de ponte patrem. –
Dicitur ab eodem de fœminis effœtis. ut de Sara Abrahami,
Et iam uieta Sara, in aluo fertilis Munus iuuentæ, mater exanguis stupet.
ut de Elizabetha Zachariæ, *Oblita lactis iam uieto in corpore*
Matris tetendit seruus infans uiscera.

Videns, pro propheta, phrasi Ebraica. Paulin. Pan.
Qualem & Iudæi non perspexere uidentes.

VINCENTIVS, Cæsaraugustanus martyr, stirpe nobilis, incredibiliter.

A ter plurimis & nouis tormentis excruciatur à Daciano prætore, Diocletiani temporibus.

Vinculatus, in uincula traditus, seu coniectus, captiuus. Paulin. Cyth.
Si uitia carnis strinxeris Christi metu, Quasi uinculatis praerit.

Viperæ uentrem à fœtu corrodi, ut exitum in lucem habeat, scribit prolixè Prudentius Ham. Eadem antiquorum philosophorum opinio fuit: rem aliter se habere, medici & agyrtæ recentiores asseuerant.

Virginal, locus in quo uirgines uersantur, ὁ παρθενὼν. Pr. Steph.
Duplex corona est præstita martyri Intactum ab omni crimine uirginal.

Virginalis, pro uirgineo. Pr. Cath. *Quem partus alui uirginalis protulit.* Fortun. hym. *Atq; uentre uirginali caro factus prodijt.*

Virginitatis laudem scribit Alcimus, ad sororem Fuscinam: in qua extollenda nimij etiam sunt Chrysostomus & Hieronymus. Testatur idem Alcimus, protrusam esse in laqueos & ergastula à matre filiam. ita enim canit:
— Quis te protruderet istos Artibus in laqueos ac sancta ergastula, multis Voluebat curis. — Multa deinceps de incommodis coniugij addit. Christus apud Matthæum discipulis dubitantibus, num expediat cõtrahere matrimonium, respondet: Non omnes capaces sunt, sed ij quibus datum est. & D. Paulus scribit: De uirginibus præceptum Domini non hábeo, sed consilium do. Nemo igitur cogi ad tale uotum debet, cui non datum est: nemo protrudi, cui non placet. Verba autem concilij Gangrensis Paphlagoniæ contra Alcimum hæc sunt: Si quis ex his qui uirginitatem propter Dominũ seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Gregorius ponti-
B fex supra Genesim scribit ita: Virginitas altus mons est. sed qui uidet se non posse ascendere, maneat in Segor, id est in legitimo matrimonio: quia melius est bono mediocri uti, quàm in abrupta libidinum præcipitari. Augustinus in Psal. 29. Melius est humile coniugium, quàm superba uirginitas. Auctores autem coactæ & impuræ uirginitatis ad Timotheum Paulus nominat πνεύματα πλάνα: & eorum decreta, διδασκαλίας δαιμονίων. Addit præterea ipsos esse ἀποστάτας, ὑποκριτὰς, ψευδολόγους, & sua sibi experientia aliter conscios. Castitatis autem gradus duos esse, rectissimè ait Chrysostomus: Primus est, incorrupta uirginitas: alter, fidele matrimonium. In eandem sententiã ad Macedoniũ Sedulius: Proximã uirginitati continet palmã, in coniugij fœdere permanẽs pudica. Sed hæc alio loco disputantur opportunius.

Virgo genitrix, uel mater, passim apud poetas Christianos, pro Maria Christi parente: de qua hoc eruditiss. distichon Romæ legitur in templo quodam: *Partus & integritas discordes tempore longo,*
Virginis in gremio fœdera pacis habent. Genita est patre Ioachimo, matre Anna. citat autem de tribus Annæ huius maritis hos uersus Siffridus presbyter:

Ex Ioachim, Cleopha, Salome, tres Anna Marias
Quas habuit, iunxit Ioseph, Alphæo, Zebedæo:
Vnius illa parens, hæc quatuor, ista duorum.
Prima parit Christum: Iacobumq; secunda minorem,
Et Ioseph iustum, simul & cum Simone Iudam:
Tertia maiorem Iacobum tulit, atq; Iohannem. Hanc tamen opinionem fri-

 uolam

uolam & erroneam impugnat atque refutat Iod. Clichthoueus libro edito, ad Fr. Molinum: in quo etiam barbarum quoddam carmen in Ecclesijs cani solitum discutit, & decem in eo mendacia manifesta arguit: neq; pauciora in his sex uersibus, si eos uidisset, potuisset arguere. A

Viscereus, de uisceribus ortus. Pr. Ham.
Viscerea sed sede manens, speculatur acutis Omnia luminibus.—

VITALIS Mediolanensis cruciatur Rauennæ sub Nerone, cuius ibi templum adhuc magnificétissimum: & in eodem fons, in quem cum duobus filijs Geruasio & Protasio proiectus est. Fort. lib. 8. Idem lib. 1.
Vitalis domus ista placet, qui uiuus harenis Defossus, meruit perdere mortis iter.

Viteus, uitibus ferax. Ibid. *Sepibus & densis uallentur uitea rura.*

Viticula, uitis parua. Tert. 2. *Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrus.*

Viuiscere, uitam adipisci, uita frui. Alc. 1.
Nec minus in pelago uiuiscunt grandia cete.

Vligo, terræ perpetuus humor, uel terra madefacta humore nimio. Pr. Apoth. *Luteum medicamen operta Nox habuit, tenebris obducta uligo remouit.*

Vlua, palustris iuncus, uel lutum limosum. Ibid. *— Qui fictilis ulua Perflauit uenam madidam.—* de Adamo ex limo condito.

Vlulamen, ululatus. Idem Cath. *Quid turba superstes, inepte Plangens ululamina misces?*

Vmbrare, tegere. Idem Apoth. *—— Vitulasq; recincta Fronte coronatas, umbrabat torta cupressus.*

Vnctus in quarta declinatione, pro unctione. Sedul. 4.
Non tuba, non unctus, non iam tua uictima grata est. B

Vncus, fuscina ferrea, qua impacta corpus distraheretur. Pr. Steph.
— Iam tortor ab unco Desine.—— Et, *Hæc fatur, & stridentibus Laniatur uncis denuò.* Vncus simplex fuit, unius scilicet stili aut dentis.

Vndatim, more undarum, densè, effusè, ubertim. Pr. Steph.
— Nimbus undatim nigro Præceps, aquarum flumine ignes obruit.

Vnguen, quæuis pinguedo: accipitur pro unguento. Idem Cath.
Tinctum pacifico chrismatis unguine. Idem Apoth. *— Vnguine amaro*
— Contristare comas desuescas.

Vngula, ferramentum mucronatum, quo sulcatim corpora laniabantur: unde ungulas bisulcas nominat Prudentius: & ictus ungulæ, hiulcos: & uulnera ungulæ, lacunas. In Romano: *Scindunt utrunq; milites teterrimi*
Mucrone hiulco pensilis latus uiri,
Sulcant per artus longa tractim uulnera,
Obliqua rectis, recta transuersis secant. Idem:
Costas bisulcis execandas ungulis. Idem:
Vngula fixa cauis costarum cratibus altos Pandere secessus.—

Nebrissensis ex Hymnographo hoc affert exemplum:
His cessit lacerans fortiter ungula, Nec carpsit penetralia. Quis autem ille Hymnographus sit, mihi est obscurum. *Vngulam nonnulli nominant ferreum pectinem.*

Vnicuba, *μονόλεκτρος*, una coniuge contentus. Auct. inc.
— Felix Apra, cui licuit terraq; poloq; Coniugis unicubæ iuge tenere bonum.

Vnigena, unigenitus. Vict. Præf. *Vnigenæ redimis profuso sanguine nati.*

Vnum,

A Vnum, perfectum & absolutum, τὸ ἕν, uox est philosophica. Prosp. Epig. 2.
Nanq; quod artificis summi fecit manus, unum est.

Vocabula quædam à Græcis in usum Latini carminis à poetis Christianis sumpta, mutant quantitatem. Vel cùm longæ uocales corripiuntur κατὰ συστολήν: ut η in Latinum e breue, ἐκκλησία, ἔρημος, ἠθική, ψαλτήριον, ecclesia, eremus, ethica, psalteriũ. uel in i breue: ut παράκλητος, ἐνέργημα, κατηχούμενος, paraclitus, energima, catechumenus. uel cùm breues uocales producũtur: ut ἰδέα, μακέδων, θέμα, idea, Macedo, thema. Vel cùm è diphthongo fit μονόφθογγος, ut uult Corinthus, κατ' ἐξαίρεσιν: ut αἵρεσις, αἴνιγμα, αἱμορροΐς, σφαῖρα, Hæresis, ænigma, hæmorrhois, sphæra. Item ὀρείχαλκον, ἐλογεῖον, σαπφείρινος, Orichalcum, elogium, sapphirinus: quæ corripiunt τὴν ει καὶ ει, apud Prudentiũ & alios. De singulis his exempla suis locis annotata sunt.

Volucrum, pro uolucrium. Alc. 3. ut mensum, pro mensium suprà, idq́; carminis gratiâ factum.

Volumina sacra sunt, quæ ueteri & nouo Testamento continentur: quorum auctores ad Fuscinam sororem breuiter recenset Alcimus.

VRBANVS, Cæsaraugustanus martyr. Pr. Steph. Hymno 4.

Vrbicremus, urbes cremans. Pr. Ham. *— Omnia secum*
Pignora cara domus properabat, sede relicta,
Nubibus urbicremis subducere. —

Vrbicus, urbanus. Pr. Steph. *Tuosq; alumnos urbicos*
Lactante complexos sinu.

Vrbs æterna, Roma, κατ' ἐξοχήν. Pr. Sym. 2.
B *— Quodcunq; sacrorum est*
Exulat, AETERNAMq́; *inimicum uênit in urbem.*

Vrbs togata, pro eadem, κατὰ τὸ ἔχειν. Idem Steph.
Vrbi colendas quas dedit togatæ.

Vstor, qui pyram struit. Ibid. *Immanem pyram*
Texebat ustor fumidus pinu arida.

Vstulare, leuiter adurere. Ibid. *Hercules Hydrinæ suetus ustulare uulnera.*

Vultuosus, iracundus, ita ut uultu affectum prodat. Ibid.
Quòd uultuosus, quòd supinus, quòd rigens.

Vultus, imago seu effigies in moneta, εἰκών, κόμμα, das gepræge/der schlack. Iuuenc. 4. *Cæsaris expressum promptum est ibi cernere uultum.*

X

Xeromyrrha, uel ea quæ asseruatur, & non est recens: uel quæ facticia est, & non fluxit de cortice, quasi myrrha siccata. Sedul.
Xeromyrrham post sabbathum Quædam ferebant corpori.

Libyæ etiam pars quædam Xerolibya, inter Tripolim & Pentapolim cognominata, quam aridam uertit Catullus, desertam siti regionem interpretatur Virgilius.

Z

Zabolus, ζάβολος, pro dæmone, ἀπὸ τοῦ ζαβάλλειν, τὸ ἐξαπατᾷν, quòd sit deceptor, & (ut ait Alcimus) incentor. Paulin. Cyth.
Quibus peremptis interibit zabolus, Inuisus æternùm Deo.

Vtitur aliquoties diuus Cyprianus hoc uerbo.

Zelare

Zelare eſt, ſine riuali amare atq; complecti. Tert.3.
Qui zelat populum ſummo pietatis amore. Fort.de Dracontio:
Zelante fido pectore, Iam uera dici non pudet.

Zelus, ζῆλος, differunt apud Latinos & Græcos τῇ διαθέσει. Zelus eſt animi inductio uehemens, cum libertate actionis confidentis. Pr.Ham.
Arſit enim ſcintilla odij de fomite zeli. Hoc in loco in malam partem accipitur, & ſimiliter apud Sedul. Acroſt. *Zelum draconis inuidi, Et os leonis peßimi, Calcauit unicus Dei.* Eundem zelum Prudentius loco iam adducto, animi ſtomachantis fermentum nominat.

Zizanium, ζιζάνιον, frumenti pernicies, naſcens in agris uel nimia pluuia corruptis, & inde hiſpidis: uel uligine præpinguibus. Proſp.c.Ing.
Spinis fulta ſubit ſeges horrida zizaniorum. Fort.lib.5.
De ſatione Dei zizania uulſit amara. Iuuencus 2. Zizanium uertit lolium:
Trux inimicus adit, loliumq; inſparſit amarum.

ZOELLVS, Cordubenſis martyr. Pr.Steph.Hymno 4.

ZOROASTRES, Indorum Bactrianorum rex, ſuperſtitionis magicæ inuentor fuiſſe perhibetur. Zoroaſtræi ſuſurri, quaſi prouerbialiter pro magicis incantationib. quæ uoce ſubmiſſa pronũciari ſolent. Pr.Apoth.
Qui Zoroaſtræos turbaſſet fortè ſuſurros.

FINIS.

STVDIOSI IVVENIS, PAVLI CHERLERI ELSTERburgensis, Carmen Iambicum, de GEORGIO FABRICIO Chemnicense.



ADESTE nobis inclytæ
Musæ, potentes gloriæ:
Terræq; sanctas patriæ
Sedes parum relinquite.
Canemus illum Iambicis
Vestrum Poetam uersibus,
Misena quem fouet suo
Hermundurorum nunc sinu.
Nam dignus ille maximè,
Quem nos sonemus carmine:
Et cuius almum debitis
Dicamus ortum laudibus.
Hunc terra Chemnicensium
Vatem tulit castißimum:
Cui Saxo, Cæsar maximus,
Vrbes dedit Lotharius.
Et cùm tenellum protulit
Lux prima terris, occidit
Austrina manè lucida
Chele, per atra nubila.
Ac ille, quando maximo
Diuo sacer Georgio
Fuit dies: & paruulus
Hinc dictus est Georgius.
Annus fuit millesimus,
Et ipse quingentesimus,
Bis octo iunge, ab edito
DEI & Mariæ filio.
Idem dies Georgium
Vatem SABINVM, candidum
Mundo tulit: cui dat suam
MELANCHTHON ipse filiam.
Fortaßis horum prosperis
Sidus bonum natalibus
Illuxit, & felicia
His præparauit tempora.
Vterq; nam GEORGIVS,
Vterq; uates nobilis
Cœpit uocari maximis
Vterq; creuit laudibus.
Primumq; uixit patriæ
In urbe dilectißimæ,
Orbatus heu dulcißimo
Parente paruulus suo.
Matura namq; filijs
Mors quattuor tenellulis
Subduxit: huic GEORGIO,
IACOBO, ANDREAE, BLASIO.
Sed orba mater, optima
Matrona, casta, sedula,
Fide parentis postea
Est executa munera.
Omnes ad unum liberos
Bonæ indolis, carißimos
Misit uocantis sedula,
Ad docta ludi limina.
Cultos ubi condiscerent
Mores, agrestes ponerent:
Dum disciplinis, dum sacris
Gnaui uacarent literis.
Possent ut olim debita
Præstare grati munera
Ciues, Rei uel publicæ,
Dei uel almæ Ecclesiæ.
Hos inter at GEORGIVS
Natu, Poeta, maximus,
Vbi recedit mollior
Aetas, uiget maturior.
Fauente Lipsenses Deo
Musas frequentat optimo:
Quam tunc, ubi reliquerant
PRAGAM, sedem capesserant.
ELISTER illic garrulus
Centum per arua flexibus
Errans, bibendas nunc aquas
Musis propinat Castalas.
Quas ipse sæpe Musicus
Noster bibit Georgius,
Dum propter undas blandulis
Duxit choros cum Gratijs.
Et consecutus est pius
Fauoris æternum decus
Trium sororum, circulus
Quas nectit unas unicus.
BORNERVS, illius loci
Olim professor inclyti,

Est testis, ipsius piæ
Vitæ, atq; diligentiæ.
VVERTERVS inde nobilis,
Cultorq; tunc Apollinis
Fidelis, ipsius fidem
Agnouit, & modestiam.
Hinc, quando uellet Italas
Oras adire, & Gallicas,
Videret ut mortalium
Mores, & urbes gentium:
Nostrum sibi Georgium
Iunxit, fidelem cognitum:
Ipsumq; præstantißima
Notare iußit omnia.
DEVS benigne, quos locos,
Quas ciuitates, & lacus,
Quas insulas & flumina
Vidit Georgius uaga!
Antenoris sublimia
Aspexit urbis mœnia:
Pontem Liburni: & Vmbriæ
Flumen, Metaurum, nobile.
ROMAM que uidit, Dardanam
Dictam, prius Saturniam:
Rerum prius pulcherrimam,
Sed nunc ferè deterrimam.
Conspexit undæ Tepulæ
Ductus, & hinc Feroniæ
Lucos: & urbem principem
Campaniæ, Neapolim.
Sublime Miseni iugum,
Fissumq; Susatorium:
Baiasq;, ductas à fato
Vlyßis acris, Baio.
Ebulliens uidit mare,
Montemq;, quondam fertile
Solum: uomens qui flammeis
Nunc spirat ignes rictibus.
Omitto multa, quæ uagam
Hinc inde per Oenotriam:
Et plura, paßim martia
Quæ uidit in Germania.
Tandem sed omne fortiter
Emensis his oris iter,
Quas diximus, dulcißimam
Reuersus est in patriam.
Et inde Musas Rhenides,
Nymphasq; fama nobiles
Læto uolens inuisere,
Deo fauente, pectore:
Succeßit urbis mœnibus
Trebotiæ sublimibus:
Vrbis, dedit cui nomina
Fortaßis argentum sua.
Quò tunc IOANNES STVRMIVS,
Qui nunc secundus Tullius,
Primùm nouenas uirgines
Deduxerat Parnasides.
Auditor eius sedulus
Noster fuit Georgius,
Pendens ab ore melleam
Fundentis eloquentiam.
Hunc intuens sæpißimè
Præceptor acri lumine:
Simul uidens industriam,
Magnamq; diligentiam,
Miratus est & candidos
Mores in ipso, & integros:
Vultusq; castos, è quibus
Pudor micabat aureus:
Clausoq; spem sub pectore
Cepit tacens, eum fore
Industrium, doctißimum,
Magniq; nominis uirum.
Nec spes fefellit credula:
Probauit illa cætera,
Marci eloquentis æmulo
Viuente nempe Sturmio.
Ac interim uita pius
Decedit ista RIVIVS:
Quem, propter ipsum nobilis,
Creauit urbs ATTHENDORIS.
Vir, cuius olim candida
Nouem puellæ pectora
Lauêre sacris patriæ
In fontibus Beotiæ.
Huius uocatus in locum
Noster Georgius, statim
Venit MISENAM: & credita
Scholæ capeßit munera.
Vbi per annos nunc decem
Et octo, ludum nobilem

Gubernat

Gubernat iste, cum tribus
Doctam iuuentam, cæteris.
Nuncq; inter hos Græcus bonus
Est MAGDEBVRGVS: optimus
Vel à uiro, Sorauia,
Vel quem dat urbs Pabergica.
Ac tunc quidem se prodere
Felice cœpit carmine,
Librisq; scriptis, plurimos
Quos edidit doctißimos.
Quibus uel ornat unicam
DEO dicatam Ecclesiam:
Huius ministros, uel Scholas
Gratas, fideles, sedulas:
Qua paruulus uia puer
Seruire poßit suauiter
DEO patri, per Filium
Quem nouit, atq; Spiritum:
Quo poßit inde munere
Mores pios addiscere:
Hæc ipse uates omnia,
Per sacra monstrat carmina.
Quo porrò natus tempore
Sit ex Maria uirgine
Natus Dei, quæq; inclyta
Sint eius incunabula:
Quis educatus sit modis,
Qui morte pro mortalibus
Mulctatus idem cesserit,
Chely sonante concinit.
His addit impari sacras
Scriptas metro uictorias:
Et bella, quæ cum millibus
Geßere patres hostibus.
His addit Hymnos, & sacras
His addit Odas, & pias
Preces: quibusq; plurimas,
Versus, celebrat nuptias.
Et sicut olim Mæonum,
Et sicut Ascræum suum,
Apollo miratus suis
Est cum nouem pedissequis:
Dum cantat ille martium,
Lentumq; Vlyssem, & Ilium:
Dum mulcet hic, & dulcibus
Feras retardat cantibus:
Sic dum canit dulcißima
Noster Poeta carmina,
Vates stupescunt cæteri
Nostri melos Georgij.
Stupet SIBERVS candidus,
Vatesq; IOACHIMICVS,
Et CVRIENSIS, ac aquas
Cui fudit ILMVS Castalas.
Sed interim non negligit,
Concreditæ curam gerit
Pubis, Scholæq; plurima
Proponit utilißima.
Iam monstrat ipse Tabulis,
Vt Prisciani legibus
Noui queant Scholastici
Formata uerba proloqui.
Iam monstrat, ut purißimo
Purum queant ex Tullio
Formare sermonem, uiros
Et æmulari Romulos.
Iam, sicut Odas condere,
Versusq; molles fingere
Poßint, & almo carmine
Laudes Tonanti dicere:
Vel ex Tibullo, Aurelio,
Vel monstrat ex Propertio,
Vel ex Catullo: uel tuis,
Peligne Naso, uersibus.
Nec hos modò uates legit
Scholæ: Poetas accipit,
Maiora qui dicunt, sacra
Et qui canunt cœlestia.
Quid scribat & PRVDENTIVS,
IVVENCVS, & SEDVLIVS:
Quid CLAVDIANVS: hoc bene
Christo retexit auspice.
Quid cæteri conscripserint,
Et quos sacros emiserint
Versus, docet: quos hæc prior
Aetas tulit felicior.
Sed hos tibi nunc sedula
Iuuenta donat, munera
Præclara certè, quæ tuis
Seruire poßint commodis.
Vnaq; clausos pagina
Dat ecce: Commentaria

En addit, & Lectoribus
Notat notanda sedulis.
Et hos OPORINVS *bonus,*
Gnauus, pius typographus,
In gratiam tui, suis
Impreßit ultrò sumptibus.
His ergo Lector maximas,
Tu quisquis es, nunc gratias
Debes quidem fidelibus
Vtrisq; pro laboribus.
Rogesq; clementißimum,
Qui regnat in cœlis, Deum,
Condonet ut plures suæ
Tales uiros Ecclesiæ.
Hoc cum pijs & candidis,
Ex corde toto, mentibus
CHERLERVS, *author Comici*
Huius, precatur, Iambici.

Scriptum Basileæ Rauracorum, instinctu & iussu D. Ioannis Oporini, anno Christi Meßiæ benedicti M.D.LXIII. Mense Nouembri.

Anno ætatis.
- FABRICII, 47. *nati anno Christi* 1516, *Chemnicij, oppido Misniæ: manè, intra* 5 *&* 6 *horam: ipso die S. Georgij: hoc est, die* 24 *Aprilis.*
- OPORINI, 56. *nati anno Saluatoris* 1507, *Basileæ, oppido Heluetiæ: ipso die Conuerßionis S. Pauli apostoli: hoc est,* 25 *Ianuarij.*

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN COMMENTARIIS G. FABRICII MEMORABILIUM INDEX.

Diana

E

F

fluuij

idolum

luscinia

N

Pompeie

sap-

T

V Litera

V

Vuil-

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS HVmanæ M. D. LXIIII. Menſe Martio.

